
BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
ROMA
8
44
8



R. P. FRANCISCI
AMICI
CONSENTINI E SOCIETATE IESV,

S. THEOL. DOCTORIS,


AC PROFESSORIS IN COLLEGIIS

AQVILANO,

NEAPOLITANO, GRÆCENSI, VIENNENSI,

NVNC VNIVERSITATIS GRÆCENSIS CANCELLARII;

CVRSVS THEOLOGICI.
TOMVS SEXTVS,
DE INCARNATIONIS MYSTERIO.





ANTVERPIÆ,
Apud GVILIELMVM LESTEENIVM, via vulgo Hoochstraet dicta,
sub Pellicano aureo, M. DC. L.
Cum Privilegio Cæsareo & Regio.

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO DOMINO,

D. GEORGIO LIPPAY
DE ZOMBOR;
ARCHIEPISCOPO STRIGONIENSI,
EIVSDEMQVE LOCI COMITI PERPETVO;
SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ
LEGATO NATO;
INCLYTI REGNI HVNGARIÆ PRIMATI,
AC SVMMO CANCELLARIO;
S. CÆSAREÆ REGIÆQVE MAIESTATIS INTIMO CONSILIARIO &c.



ADSVM iterum, *Illustrissime ac Reuerendissime Archipræsul*: nam periclitantes tutum semel experti perfugium, sæpius redeunt. Ego verò, simili qua nunc occasione, superioribus annis, in Te, tùm adhuc per Hungariam Aulæ Cancellario, diuinâ cancellatum arte præsidium repereram: siquidem, *prospiciens per cancellos* Humanitatis, Corporata Sapientia; Cancellarium, Pietatis & Sapientiæ famâ celebrem, ambiebat. Cùm autem Sancti Spiritus afflatu sese Tuum vltra Cancellos *Pallium* explicaret; meam secum pennam locupletauit. Sic, *Archipræsul Illustrissime*, velut alter antistes astrorum Sol, ad verticale factum Ecclesiasticæ per Hungariam dignitatis progressus, me Tuum Heliotropium esse iussisti: nisusque Virtutum assurgens altiùs, (non quidem vt rueres, verùm vt luceres;) vt assurgerem Tibi, me facilem reddidisti: Laudumque Tuarum Factis crescentibus, Librum, iam semel Tibi dicatum debitumque millies, excrescere coëgisti: Tuoque, Cœli Mystici *Vicariæ Sol*, ascensu *Lucem Incarnatæ Sapientiæ* largiorem effecisti. Non alterius nempè lucis argumento dilucidari sat possit *Illustrissima Tua Virtus*, quàm illâ, quæ dicta *Lux Hominum*; & *Lux in tenebris lucet*; & *tenebræ eam non comprehenderunt*. Hanc apprimè Tu Lucem secutus es, quando supra vim humanam, adeoque diuinioribus radijs obstitisti, ne fulgor Hungaro-Angelicæ Coronæ, fatali nuper Eclipsi miserandùm inuolueretur. Haberet, quas hîc fabulas Encomiastæ tuo superstitiosa suggereret antiquitas: at enim, ita mihi non vacat fabulari Tuis in Laudibus; vt quæ seria sunt, enarrare non vacet, nisi compendio laudaturus dicam: *Lux Hominum*. Non illa nitrum & animantibus communis Phœbæa lux: verùm, quæ densissimas errorum tenebras, sollentiori studio, quàm quicumque *centimanus Homeri Sol*, humanarum à cœlo mentium fugit eliminare. Loquatur vniuersa Pannonia, sidus olim Catholica Veritate radians, iam non lucis erroribus laborans: at loquatur, inquam, quem nunc Solem expediatur, qui noctuas fugare, salutarium luce Libellorum; qui dogma vetus firmare, Doctissimorum defensione Magistrorum; qui veritatis vbique lumen iterum accendere, Sacrorum indefessâ prouisione Ministrorum; qui tutum Christi Patrimonium reddere, cælitùs audaci refrænatione Maleuolorum; qui Catholicæ libertati, Fidelium vnitati, publicæ tranquillitati studere per-quàm-opportuna

communicatione ſuorum & auxiliorum, & conſiliorum ita cœpit, vt ab ipſâ prius vitâ, quàm huius curæ ſpartâ velle deſiſtere videatur. Certè, ſi loqui poſſet, ſic omninò cum Apoſtolo, ſic eadem exclamaret Pannonia: *Talis enim decebat, vt eſſet nobis Pontifex*, hac temporis inimiciſſimâ conditione, quâ nimirum *aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ*: ſed eliſus ille tamen, eam, *Archipræſul* Ill.me vel inuitus Tibi laudem confitetur: *Lux in tenebris lucet!* quaſi ſolius Tuæ Lucis, penes tenebras clariùs perſpiciendæ, gratiâ, ſit abyſſi puteus adapertus: equidem, *Hectora quis noſſet, felix ſi Troia fuiſſet?* ita Cæli ſtellas demonſtrat nox; ita pretium adamantis, auget obſcuritas procurata: nec ſecus, aduerſitatis colore ferreo, iubar expingitur virtutis. Cui per Germaniam Plagæ; cui per Hungariam infimo-ve maximo-ve, nuperæ beneficio tempeſtatis Illuſtriſſimus Archiepiſcopus non illuxit, non innotuit, non perſpectus, non ſuſpectus eſt? Si Maleuolorum de Te iudicium auſculto, ſic audio: res noſtræ quidem vtcumque, niſi ille Archiepiſcopus; item ſic; Aleam iecimus; tentauimus Fortunam, ſed: præſertim Archiepiſcopus! at, quid hoc volebatis ô boni? *Columnam* euertere? vobis hic audacter Imperatoris Friderici iactabo ſymbolum: *adhuc ſtat!* caligine Lucem inuoluere? promulgabo ſacrum huc aſſonans teſtimonium: *Et tenebræ eam non comprehenderunt.* Hinc Aliorum tales extitêre ſubitò gratulationes: *Vnus Homo nobis cunctando reſtituit rem.* quam eandem rem fœdè proſtituiſſet geminus Hoſtium exercitus; niſi Poſonij, Regiâ Pannonum Ciuitate, *Columnam* immobilem, *Leopardis* contra Feras ignobiliores vtrimque fretam, idem Hoſtis præſenſiſſet cunctari fructuoſiſſimè. Tunc enimuerò, tunc *Vnica* Tanti Præſulis inſonuit cum veritate, quod Herculis Columna duplex nequiuerat, *non plus vltra.* Nam, formidabili ſimul & amabili Præſentiâ Tuâ ſeruato Poſonio, terminum hoſtili fixeras licentiæ; ne per hanc, & libertas Viennenſium ſtringeretur; & collum Hungariæ præfocaretur. Iſtud eſt, *pro Focis & Aris*, ad Martis & Artis regulam, cuibrare gladium bis-acutum: *Archiepiſcopali* quidem numine, *pro Aris*; & martiali nomine *Georgij*, ſtare *pro Focis*. Iſtud eſt, Bonum Paſtorem eſſe! *Mercenarius autem, & qui non eſt Paſtor, cuius non ſunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit, & lupus rapit, & diſpergit oues.* At fœlicem te Pannonia! *Leopardis* fretam, ad ouium cuſtodiam, non rapinam; Veritatis *Columnâ* fultam, ad obſtaculum perniciosiſſimæ falſitatis; ter beatam te Pannonia! tu namque Diuo liberè nunc obuiares Bernardo, ſic gementi *quem mihi oſtendas vel de illorum numero, qui videntur dati in lucem Gentium, non magis de ſublimi fumantem, quàm flammantem?* oſtendit Pannonia, non inaniter gloriabunda, ſolum in Archipræſulem, velut in Solem Perſæ, toto nunc obtutu verſa, Rhodio Solis Coloſſo celſiorem, circumfuſis nationibus oſtendit *Columnam*; Virtutum Luce formidabilem Cambyſi Regi, qui reuerentiâ Thebani quondam Obeliſci, Thebarum fatale iuſſit incendium diſſipari; præſentis Pannoniæ ſortis veriſſimâ proluſione factâ. Quid hic annumerem Gentilitiæ *Columnæ* Tuæ, Memphiticarumque Pyramidum colluſiones? quamquam, ſi pergo; ſeueras potiùs reperiam abs Te fieri priſcis miraculis illuſiones. Non enim Tua ſe *Columna* tam procul extulit, vt neſcio quas maiores vmbras iaciat inanium honorum. Igneæ ſcilicet, ac errantium per defecta mortalis vitæ populorum Directiuæ *Columnæ* Tuæ conſcius, opacos vaniſſimæ Vetuſtati facilè concedis Obeliſcos; vmbraſque futiles vmbroſis euanidæ felicitatis admiratoribus haud inuides: enimuerò prudentia, Lux eſt: hac arte quondam, Vrbis Romanæ vel Orbis potius in Theatro, luculentius exiſti; charitas, ignis eſt: hiſce flammis in caſas Pauperum, Chriſti Colonias, in ſolum patriæ, ac ipſum denique Cœlum, Phaëtonte fœliciùs exarſiſti. vitæ candor, nix eſt: hac niue viſus hactenus omnem ita diſgregaſti, nullus vt in Te ſequiorem notam congregârit; ſublimi quantumlibet ſis propoſitus in Theatro. Corporis moderatiſſima compoſitio, Chriſti radius eſt: hic obmuteſco! perculſus nempe moderatiſſimâ Tui Vultus maieſtate. Pyropus æternitatis, eſt Chriſtianæ Studium Humilitatis: quid hic dicam? cùm videam *Archiepiſcopum*, Virtutis excellentiâ, Dignitatis eminentiâ Clariſſimum; relicto tamen cultu domeſtico, ſubire Collegij noſtri limen; inclinari Minimus Minimæ Societatis IESV Filijs, excepto nemine; manu prehenſa vale-facere, ſeſe, conſueto veſpertinarum Precum viſu DEVM placantibus aſſociare, duram vel exulum ſortem lachrymis mollire: quando nempe furorem hoſtium declinaturi, Quadrageſimo quarto ſeculi currentis Anno, digreſſum parabant Regiâ Tyrnauienſium Ciuitate. O! nobiles

& fœ

& fœcundam hanc vnicam plurimarum Virtutum Scenam! Quâ demum industriâ pristinæ Stationi reddere profugos laborasti: redditos quo studio confirmare; confirmatos quâ sollicitudine propagare; propagatis quam fauoris perpetui spem (posteaquam rem experti sumus luculenter) tacitus promittere videaris; non huius est folij comprehendere. Quod autem hæc tanta laudum argumenta, compendio dare præsumpserim; excusabit me, spero, VERBVM ABBREVIATVM; quod iure quidem æquiore iam auctum, ac olim primò natum, sacris in manibus depono; sacram illam reuerenter huc vsurpans parœmiam: *Dignus es Domine accipere Librum, & aperire.* Leges in eo IESVM; quid Salute charius? leges Christum; quid Vnctione suauius? leges DEI Filium; quid hac Maiestate grandius? Vnigenam Æterni Patris, Virginisque Matris Delicium; attactu quid honestius? quid amore, quid admiratione dignius? *Dignus es Domine accipere Librum, & aperire.* Leges in eo totidem affectibus, quot apicibus exaratam erga Te gratitudinem Societatis: aperi, reuolue. Debitum quidem nostrum liquet: ac liquebit etiam, *exaggerata Christi satisfactio*, quam si Filius DEI sinu gerit; Liber hic, ipsum DEI Filium sinu gerit; nec alio, quàm Gratiosissimo sinu Tuo requiescere *concupiscit*; *& deficit in Atria Tua*; cùm sit Amantis hic ipse Liber, & *Amici*: quidem, amicitia vel pares accipit, vel facit. Verùm, erga Summos, non illaudabilis est Amor etiam Infimorum. Prætereà, distillantes myrrham, *Archipræsul Illustrißime*, sacras manus Tuas Liber & Labor noster *concupiscit*; *& deficit*: quia Te quouis obserua munere Maiorem. *Deficit*, inquam, non Argumenti præstantiâ, sed Argumentantis tenuitate: Spe tamen erigitur, ex amabili Tuâ, quâ cunctos recipis, benignitate. Vale! diuque Viue DEO, Patriæ, Charis omnibus, Æternitati. Ex Archiducali Coll. Græcensi Societatis IESV, 22. Martij Anno 1647.

Ill.mæ Celsitudinis Tuæ

Seruus humillimus in Christo

FRANCISCVS AMICVS.

INDEX DISPVTATIONVM ET SECTIONVM HVIVS OPERIS.

DISP.

DISPVTATIO XIII.

DISPVTATIO XIV.

DISPVTATIO XV.

DISPVTATIO XVI.

DISPVTATIO XVII.

DISPVTATIO XVIII.

DISPVTATIO XIX.

DISPVTATIO XX.

DISPVTATIO XXI.

DISPVTATIO XXII.

DISPVTATIO XXIII.

DISPVTATIO XXIV.

DISPVTATIO XXV.

DISPVTATIO XXVI.

DISPVTATIO XXVII.

DISPVTATIO XXVIII.

DISPVTATIO XXIX.

DISPVTATIO XXX.

DISPVTATIO XXXI.

DISPVTATIO XXXII.

DISPVTATIO XXXIII.

APPROBATIO.

TOmus Sextus R. Doctissimique Patris Francisci Amici Scietatis Iesv Magni Theologi, de Augustissimo Incarnationis Mystrio, vt cæteri eius Tomi, ab eruditione, subtilitate, & claritate commendabis est, ideoque dignum censui qui in lucem edatur. Duaci 21. Februar. Anno 647.

Franciscvs Sylvivs *S. Theol. Doct. & eiusdem Regius Ordinariusque Professor.*

R. P. FRANC. AMICI

E SOCIETATE IESV

CVRSVS THEOLOGICI:

TOMVS SEXTVS

DE INCARNATIONE.

PROOEMIVM.



OC est omnium, post Augustissimum Triados, mysterium explicatu difficillimum: quod Paulus *Sacramentum & mysterium à sæculis absconditum*; Dionysius Areop. de diuinis nom. cap. 2. *Omni intelligentiæ, ipsique angelorum primati ignotum*; Cyrillus Alex. lib. 5. in Isai. cap. 52. *Opus diuinæ sapientiæ*; Gregorius lib. 18. Moral. cap. 36. *Ineffabile sacramentum*; Damascenus lib. 3. fidei, cap. 1. *Opus omnium nouorum maximè nouum, & solum sub sole nouum*; S. Thomas in 3. dist. 3. qu. 2. artic. 2. *Miraculum omnium miraculorum*: alij, *Summam omnium mirabilium, quæ siue in cœlis, siue in terris operatus est Deus*, appellant. Est enim Christus epilogus, siue compendium omnium operum, quæ architectari potest Altissimi dextera. Nullum est opus ad extra producibile hoc mysterio augustius, nullum diuinius; cùm in se vno claudat DEVM & hominem in vnitate personæ, nexu mirabili. Vnde quà DEVS, nihil excellentius, quà homo, nihil compendiosius, excogitari potest: quippe in quo vno omnes creaturæ siue corporeæ, siue incorporeæ & rationis participes, *auctore Gregorio homil. 29. in Euang.* epiloganttur. Sed quò excellentius est, eò acriùs perstringit hæreticorum oculos: nullum enim ferè est inter fidei nostræ arcana, quod plures habeat, acrioresque sui impugnatores. Vnde tantò lubentiùs ad illud explicandum accedo, quantò, vt Augustinus *lib. 1. de Trinit. cap. 3.* dixit: *Nec vllibi laboriosius quæritur, nec fructuosius aliquid inuenitur, sicut nec periculosius alicubi erratur*, quàm in hoc profundissimo mysterio.

Ephes. 3. Coloss. 1.

Augustin.

DISPVTATIO PRIMA.

De possibilitate Incarnationis.

1. Poster. 1.

OMNEM DOCTRINAM ab vniuersalioribus inchoandam docuit *Arist.* cùm omnis discursiua scientia ex præexistente cognitione fiat; possibilitas autem primum prædicatum rei est, quod in omni scientifico discursu supponitur, de illa igitur primo loco disputandum; de qua *Scholastici in 3. dist. 1. vbi S. Thom. & 4. cont. gen. cap. 43.* quam quæst. breuitatis causâ omisit *in summâ*, in quâ à conuenientia, quæ possibilitatem supponit, initium fecit. Neque est contra scientiam, suum demonstrare obiectum, cùm sapientiæ munus sit, qualis est Theologia, non modò conclusiones ex principijs deducere, verùm principia ipsa, quando ab aliâ scientiâ demonstrata non præsupponuntur, stabilire. Quoad vocem *Incarnationis*, eâ passim vtuntur tam Græci, quàm Latini Patres, ex illis, *Verbum caro factum est*: Importat enim vnionem Verbi cum naturâ humanâ, pro qua per synecdochen ponitur *Caro*, vt in sacris litteris vsitatum. Aliæ etiam voces ad hoc mysterium significādum vsurpantur à Patribus, vt *Incorporatio* ab Hilario *lib. 4. de Trinit. post med. Inhumanatio* à Concilio Chalced. *act. 5. to. 2. Conc. p. 1. pag. 252.* & Damasceno *lib. 3. de fide cap. 6.* Verùm *Incarnationis* vox est omnium vsitatissima apud Scholast. & Patres. Cæterùm repugnare videtur Incarnatio: Ex parte Verbi assumentis; naturæ assumptibilis; vnionis vtrumque nectentis; Compositi ex vtroque resultantis: de singulis disputandum.

Ioan. 1.

SECTIO PRIMA.

An possibilis fuerit Incarnatio ex parte Verbi?

1. *1. Ratio dubitandi.* PRIMA ratio dubitandi: implicat Dei Verbum mutari: ergo implicat incarnari; nam Verbum incarnari, est naturam humanam sibi substantialiter vnire: implicat Verbum vnire, absque mutatione sui: nam quod sibi vnit, facit substantialiter suum, quod anteà non erat: at hoc est substantialiter mutari; vt substantialiter mutatur anima rationalis, dū vnitur corpori, quia substantialiter acquirit illud quod anteà non habebat.

2. *Confirmatur 1.* Confirm. Si Angelus assumeret humanitatem, mutaretur, idque ex eo præcisè quod ex non habente substantialiter humanitatem, fieret habens substantialiter eam; ergo mutatur pariter Verbum ex eo præcisè, quod ex non habente humanitatem, fit habens eam.
3. *Confirm. 2.* 2. Verbum denominatur homo, quod anteà non denominabatur: at hæc denominatio est realis & intrinseca Verbo: est enim substantialis Verbo, quâ Verbum est & denominatur substantialiter homo; non à forma sibi extrinseca: ergo realiter intrinsecè mutatum est.
4. *Confirm. 3.* 3. Quicquid est intrinsecè vnibile, est intrinsecè perfectibile, seu cōponibile, & ordinatum ad compartem: Verbum ab æterno fuit intrinsecè vnibile, cùm omnis actus 2. supponat primum: ergò intrinsecè perfectibile: ergò dum in tempore intrinsecè vnitur humanitati, intrinsecè perficitur.
5. *Confirm. 4.* 4. Incarnari est pati: implicat Verbum pati: ergo incarnari. Maior prob. cuilibet actioni necessariò respondet aliqua passio: incarnare est actio, ergò illi respondet passio, quæ alia esse non potest, quàm incarnari.

6. *2. Ratio dubitandi.* 2. Ratio dubit. Verbum per humanitatem supplere debet vicem subsistentiæ creatæ: implicat Verbum supplere vicem subsistentiæ creatæ: 1. quia subsistentia dat esse subsistere naturæ in genere causæ formalis, immediatè informando seipsa naturam: nequit autem Verbum supplere genus causæ formalis, cùm imperfectionem inuoluat. 2. quia subsistentia creata essentialiter est modus: nequit autem Verbum supplere vicem modi: quia cùm modus seipso immediatè modificet subiectum, nequit ipsius formalis effectus suppleri, nisi ab alio cōsimili modo: vt nec potest effectus formalis figuræ ab alio, quàm à figura suppleri.

7. *Assertio 1.* DICO 1. *Possibile fuit Verbum diuinum incarnari.* Est de fide ex illo *Ioan.* 1. *Verbum Caro factum est.* *Fundamentum.* Fundam. quod factum est, supponit aliquam potentiam, virtute cuius factum sit, & à qua, antequam fieret, possibile fuit fieri.

8. DICO 2. *Possibile fuit Verbum absque mutatione sui carnem assumere:* est etiam de fide; scil. Verbum esse incarnatū; & Deum esse immutabilem, *Malach.* 3. *Ego Dominus & non mutor*; Iacobi 1. *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio:*
9. *Coroll.* definiturq; *cap. Firmiter, de sum. Trinit.* Deducitur, esse de fide, omnes difficultates, quæ contra hoc mysterium fieri possunt, falsas esse, & reipsa solubiles. Quia nequeunt duo contradictoria esse simul vera: at fides docet, hoc mysterium esse possibile, & reipsâ peractum absque Verbi mutatione: nequit igitur oppositum esse verum. Igitur omnes implicantiæ, quæ contrà afferuntur, sunt falsæ, adeoq; reipsâ solubiles, vel positiuè per ostēsionem oppositæ veritatis; vel negatiuè, ostendendo oppositam veritatem, contra quam vrget, ex terminis non implicare. DIXI *reipsâ:* quia necesse 10. *Prob.* non est, vt implicātiæ, quæ contra hoc, vel quodcumque fidei mysterium fiunt, sint solubiles ab hoc, vel ab illo in particulari, sed sat est, vt reipsâ sint solubiles. Quòd hoc sit de fide, constat: nam deducitur ex vnâ præmissâ reuelatâ, scil. possibile fuit Verbum absque mutatione sui incarnari; & aliâ euidenter notâ, non posse nimirum duo contradictoria esse simul vera. Conclusio autem ex vnâ de fide, & alterâ euidenter notâ, saltem vt explicatâ, est de fide, *ex 4. tom. disp. 2. sect. 6.*

11. *Grauissima difficultas.* Difficultas consistit in explicando modo, quo Verbum factum sit substantialiter homo, quod anteà non erat, & tamen in seipso mutatum non sit. Quod varijs exemplis & rationibus suadere conantur *Schol. in 3. distinct. 1. vbi S. Thom. & 4. cont. Gent. cap.* 41. Ego sic explico. 12. *Explicatur.* Ad faciendum ex duobus extremis vnum per se, quorum quodlibet intrinsecè & substantialiter sua attributa proprietatesque communicet alteri, non requiritur, vt vtrumque extremum in compositione substantialiter perficiatur; sed solùm requiritur, & sufficit, vt alterum tantum extremum substantialiter perficiatur. *Consequ. patet.* Igitur potuit Verbum intrinsecè & substantialiter componere vnum per se cum natura humana, absque mutatione sui. Anteced. ostend. ad faciendum vnū per se, sufficit, vt vnum extremum acquirat ab altero sibi vnito aliquid, quod sibi ad vltimum complementum substantiale deerat, esto aliud nullum acquirat ex altero extremo: Sed potuit humanitas acquirere à Verbo sibi intimè vnito, vltimum complementum substantiale, quod sibi deerat, absque eo quod Verbum id acquireret ex humanitate sibi vnitâ. *Potuit ex Verbo & humanitate fieri vnum per se.* Maior prob. hoc ipso quòd vnum extremum per vnionem acquirit substantiale complementum ab altero, substātialiter perficitur, ac proinde ex ipso & altero extremo fit substantialiter compositum; esto alterum non perficiatur. Nam substantiale compositum vt sic, nō dicit vtrumque extremum substantialiter perfici; si forma posset substantialiter perficere materiam, & non perfici à materiâ; vel contrà, materia perficere formam, non perfici à forma, resultaret ex materia & forma verum substantialeque compositum: esset enim vnum per intimam vnionem, recipiens substantialem perfectionem ab altero, & alterum per intimam vnionem communicans substantialem perfectionem alteri, quod ad substantiale compositum sufficit. Minor prob. potuit creari humanitas absque propriâ subsistentia, quæ est vltimus terminus & complementū substantiale naturæ, eamque à Verbo sibi intimè vnito recipere, absque eo, quod Verbum complementum ab humanitate sibi vnitâ reciperet: nam *vt sect. seq.* subsistentia creata distinguitur à naturâ creatâ, ergo potuit ab illa separari. Rursus subsistentiæ munus nullam inuoluit imperfectionem, cùm in DEO sit proprijssima subsistentia: ergo potest à Verbo suppleri, à quo suppleri potest, quicquid imperfectionem essentialiter non inuoluit.

Quod hoc fieri potuerit absque mutatione 13. *Absque mutatione Verbi.* Verbi, prob. Potuit humanitas vniri Verbo, vnione subiectatâ in humanitate, & terminatâ tantùm ad Verbum: talis enim vnio saltem diuinitus non implicat, *vt sect* 3. Per hanc autem fit verum & proprium compositum substantiale, mutatione vnius extremi, non alterius, quod ad verum propriumque compositum substantiale sufficit. Ne- 14.
que ex eo quòd Verbum per intrinsecam vnionem

nem acquisiuerit humanitatem, quam anteà non habebat, dicitur mutatum: nam ad mutationem perfectiuam essentialiter requiritur, vt res per acquisitionem nouæ entitatis perficiatur in suo intrinseco esse, vel operari: Ideò materia acquirendo formam, mutatur, & vice versâ; quia vtraque per acquisitionem alterius perficitur in suo intrinseco esse & operari; neutra enim sine altera naturaliter existere, & operari potest: Ideò substantia per acquisitionem accidentis, & accidens per vnionem ad substãtiam, mutatur, quia vtrumque in suo esse & operari perficitur; cùm nec accidens sine substantiâ, nec substantia sine accidente, naturaliter existere & operari possit: Ideò mutatur creatura intellectualis per acquisitionem donorum supernaturalium, quia per ea perficitur in suo intrinseco operari, acquirendo modum operandi perfectiorem: Contrà verò si daretur noua acquisitio entitatis, quæ nullo modo perficeret subiectum in suo intrinseco esse vel operari, non diceretur tale subiectum mutari, vt constat per acquisitionem vestis, per quam non dicitur homo intrinsecè mutari, quia per illam non perficitur in suo intrinseco esse vel operari: si angelus suppositaret naturam humanam per vnionem tantùm terminatam ad se: Ratio, tunc propriè res mutatur, quando aliter se habet, vel in ordine ad proprium esse, vel in ordine ad proprium operari: at quando res per acquisitionem nouæ formæ in suo intrinseco esse, vel operari non perficitur, non aliter se habet in ordine ad propriũ esse vel operari. Verbum autem per assumptionem humanitatis, nullo modo perficitur in proprio esse intrinseco, neque in proprio operari, nec mutatum est; nam sine illâ & existere, & operari perfectissimè potest. DICES: Mutatum esse quoad esse hominis, & quoad operari operationes theâdricas, quas sine humanitate operari non potest. Sed contrà; ad mutationem non sat est, acquirere nouam naturam, & per eam sibi substantialiter vnitam operari, nisi aliqua perfectio redundet in intrinsecam entitatem & naturam personæ suppositantis & sustentantis, vt constat exemplis adductis. Quamuis igitur humanitas per substantialem vnionem facta sit natura Verbi, & consequenter quicquid illa operatur, dicatur per illam operari Verbum; quia tamen ex illâ nulla redundat perfectio in intrinsecam naturam Verbi, non dicitur per illam mutari Verbum; nec in operando, quia tales operationes non sunt propriæ Verbi elicitiuè, sed tantùm denominatiuè, quod ad propriam mutationem non sufficit.

Inductio.

A contrario.

Ratio.

15. *Dices.*

Contrà:

16. *Ad 1. ratio. dub. patet.* Ad 1. rationem dubit. nego conseq. Ad prob. neg. minor. Concedo, Verbum per vnionem fecisse humanitatem substantialiter suam, per substantialẽ dependentiam humanitatis ad se, vt naturæ ad intrinsecum terminum & substantiale complementum, absque mutuâ receptione perfectionis ab illâ. Nec ideò formaliter mutatur anima rationalis, quia acquirit corpus, sed quia acquirit illud cum intrinsecâ mutatione in proprio esse & operari: cùm nec naturaliter debeatur illi primum esse, nisi vt vnitæ corpori: nec operationes vitæ sentientis ac vegetantis, habere possit sine corpore. *Ad 1. confirm.* Ad 1. confirm. nego, ex eo præcisè angelum mutatum iri, quia ex non habente humanitatem, fieret habens humanitatem: sed quia, cùm esset ens finitum & capax mutationis, connaturaliter vniretur vnione afficiente vtrumque extremũ. Est enim connaturale vnioni, cùm sit nexus duorum, vtrumque extremum, quod nectit, afficere. Cæterùm si vniretur vnione afficiente solam humanitatem, cum intrinsecâ dumtaxat terminatione ad suppositum angelicum, non mutaretur angelus, cùm tamen faceret vnum substãtiale cum illa: si verum est, posse suppositum creatũ alienam naturam terminare, de quo infrà. Ad 2. Concedo, Verbum denominari in tempore intrinsecè & substantialiter hominem; nec inde vlla Verbi mutatio arguitur, cùm vnio sit subiectata dumtaxat in humanitate, & intrinsecè solùm terminata ad se. Ad 3. dist. maior: Intrinsecè vnibile subiectiuè, est intrinsecè perfectibile; intrinsecè vnibile tantùm terminatiuè, non est intrinsecè perfectibile; ita Verbum. Ad prob. disting. minor: Intrinsecè componibile per modum partis, ordinatur ad alterum vt ad compartem; non intrinsecè componibile per modum termini substantialis, seu suppositi perfectè subsistentis, vti Verbum ordinatur ad compartem. Ad 4. dist. maior. Incarnari est pati respectu Verbi, nego; respectu humanitatis, concedo: Cùm enim incarnari idem sit, quod vniri cum carne humana, eo modo competit Verbo incarnari, quo competit vniri, scilicet non subiectiuè, sed terminatiuè. Ad 2. rationem dub. neg. minor. Ad 1. prob. dist. maior. Subsistentia dat esse subsistere naturæ in genere causæ formalis informantis, nego; terminantis, concedo: quod genus causæ nullam inuoluit imperfectionem, quia non causat vt pars perfectibilis à comparte, sed vt intrinsecus terminus in suo genere perfectus. Et licet subsistentia creata, quà creata est, causet vt forma perfectibilis à naturâ, quam terminat; hoc tamen non prestat vt subsistentia est formaliter: nam vt sic cõuenit cum increata, quæ sine vlla imperfectione terminat naturam diuinam, reddendo illam formaliter incommunicabilem. Ad 2. nego, subsistentiam creatam esse modum, quà subsistentia formaliter est, sed quà creata est: alioqui etiam increata, cum qua analogicè conuenit creata, esset modus. Est enim subsistentiæ munus, vt abstrahit à creata & increata, complere vltimò substantialiter naturam in ratione suppositi, eamque reddere alteri supposito formaliter incommunicabilem. Verbum igitur supplet vicem subsistentiæ humanæ, non quà modus, sed quà subsistentia formaliter est, complendo naturam humanam in ratione suppositi, per modum intrinseci termini, terminantis ac sustentantis naturam, reddentisque illam formaliter incommunicabilem.

17. *Intrinseca terminatio non mutat terminum.*

18. *Ad 2.*

19. *Ad 3.*

20.

21. *Ad 4.*

22. *Ad 2. rationem dubitandi.*

23. *Ad 2. prob.*

SECTIO II.

An possibilis Incarnatio ex parte humanitatis?

RATIO dubit. Si personalitas creata reipsa nõ distinguitur à natura, nequit assumi natura, non assumpta personalitate: quod enim reipsa nõ distinguitur ab alio, non potest assumi, non assumpto eo alio identificato: quia in rebus limitatis implicat vniri entitatem, non vnita omni formalitate, cum eâ realiter identificatâ. At hoc falsum est: tum quia in Christo esset vtraque personalitas, diuina & humana; quæ est hæresis Nestoriana: tum quia de ratione personalitatis est incommunicabilitas, cùm sit ipsa ratio formalis essendi per se: igitur implicat communicari alieno supposito. Si autem distinguitur: aut Verbum cum naturâ assumpsit personam; quod probatum est implicare: aut solam naturam: at hoc est contra Damasc.

24. *Aut non distinguitur à naturâ personalitas:*

25. *Aut distinguitur.*

Damasc.lib.3.fidei cap.6. vbi ait, *Verbum assumpsisse totum id, quod in homine plantauit, vt totum hominem curaret:* non enim curâsset personam, quam in homine plantauerat; quia quod non est assumptibile, non est curabile: 2. Christus non esset nobiscum vniuocè homo, quia non haberet vltimum complementum hominis, quod est subsistentia humana: 3. natura humana violenter detineretur in Verbo, vtpotè in alieno supposito existens, naturaliter propenderet ad proprium.

26. *Radix & fundam. mysterij examinatur.* Hæc difficultas explicationem postulat metaphysicæ quæstionis, quid addat suppositum supra naturam. Adnoto priùs discrimen inter suppositum & personam; scilicet suppositum est quid superius & vniuersalius personâ; omnis persona est suppositum, non contrà: persona est subsistens tantùm in natura intellectuali; suppositum in quauis natura.

27. *1. Sentent.* PRIMA sententia docet, suppositum à natura differre in modo tantùm significandi, quia suppositum significatur per modum concreti, natura per modum abstracti. Ita *Henric. quodlib.4.qu. 4.§. & sic patet, Durand. in 1.dist.34.qu.1.à num.15.* idem docent qui suppositum sola ratione discriminant à natura, vt *Richard. in 3.dist.6.art.1.quæst. 1.corp. & ad 3. Aureol. d.1.quæst.3. artic.3. Bacho dist. 11.quæst.1.art.3. Palat. dist.1. disput.4. §. istis prælib. Masil. in 3.qu.1.art.1.ad 2.du bium Salmeron tom.2. tract.27.* *Fundamentum Durandi.* Fundamentum *Durandi:* idem importatur per nomen *Homo*, & eius definitionem: sed per definitionem hominis importatur sola natura: ergò sola natura importatur per nomen *Homo*, quod est nomen suppositi.

28. *Colligit 1.* Ex quo colligit 1. posse concretum substantiæ prædicari de abstracto substantiæ, atque adeò suppositum de natura, prædicatione saltem identica, quando concretum ab abstracto non distinguitur: vt homo est sua humanitas: DEVS est sua Deitas: & contrà. Secus quando distinguitur, vt in Christo. Non enim rectè dicitur: hic homo est sua humanitas; quia concretum, quod est suppositum diuinum, distinguitur ab abstracto, quod est humanitas. A fortiori docet, nullum abstractum accidentis prædicari de concreto accidentis: vt album est albedo: quia omne concretum accidentale distinguitur ab abstracto.

29. *Colligit 2.* 2. Non posse dici Verbum assumpsisse hominem, sed humanitatem, quia concretum directè supponit pro habente formam, non pro forma habita: quod autem innititur alteri, non habet se vt habens, sed vt habitum: nequit igitur humanitas Christi, quæ Verbo innititur, prædicari de hoc homine.

30. *2. Fundam. sentent.* Alterum fundamentum, existentia non distinguitur ab essentia; *ex 2.tom.dispут.3.sect.4.* ergò nec subsistentia à natura. Nam sicut subsistentia est terminus naturæ; ita existentia est terminus essentiæ.

31. *2. Sentent. de duplici negatione.* SECVNDA affirmat, subsistentiam addere naturæ duplicem negationem, actualis, & aptitudinalis dependentiæ ab alio vt ab intrinseco termino; & hac duplici negatione naturam formaliter compleri in ratione suppositi, ita vt negatio non sit pura conditio, sed ratio formalis constituens suppositum. Distinguit triplicem dependentiam, actualem, aptitudinalem, seu naturalem, *Triplici dependent.* & obedientialem: cui triplex respondet independentia, actualis, aptitudinalis, obedientialis. Actualis dependentia est, cùm actu natura pendet à supposito, vel ab aliquo termino substantiali; vt humanitas à Verbo; pars essentialis, aut integralis à comparte essentiali, aut integrali: Aptitudinalis, cùm ex se apta est pêdere, licet actu non pendeat, vt anima separata à proprio corpore, cum quo apta est copulari ad vnum per se componendum: Obedientialis, cùm nec actu pendet, nec apta est naturaliter pendere, non tamen ei repugnat: sicut nulli naturæ creatæ repugnat pendere à supposito increato. Independentia a- *Triplici independent.* ctualis est, cùm natura ab alieno supposito ab aliquo substantiali termino actu non pendet: Aptitudinalis, cùm nec actu ab alieno supposito pendet, nec apta naturaliter est ab eo pendere, vt quælibet natura creata à supposito increato: Obedientialis, quando positiuè illi repugnat ab alieno supposito pendere, quam independentiam solum habet suppositum increatum, cui per omnem potentiam repugnat ab alio supposito pendere: per quod discriminatur à creato, cui non repugnat saltem diuinitùs, ab alieno pendere, licet non vt suppositum est formaliter & reduplicatiuè: siquidem eo ipso quod assumitur ab alieno, desinit esse in suo, quia desinit existere in se, quod formaliter importat suppositum.

Docet hæc sen- 32. *Docet sententia.* tentia suppositum creatum in ratione suppositi formaliter compleri, non per negationem dependentiæ obedientialis; cùm omne suppositum creatum obedientialem potentiam habeat ad dependendum à supposito increato, sed per negationem duplicis dependentiæ, actualis & aptitudinalis: defectu primæ, humanitas Christi nō est suppositum creatum: defectu secundæ, nec anima separata est suppositum, quia licet actu non pendeat, habet tamen naturalem aptitudinem ad dependendum à proprio corpore: Homo verò nec actu, nec aptitudine, sed obedientialiter tantùm ab alieno supposito pendere potest.

33. *Colligit 1. discrimen.* Colligit 1. cur suppositum creatum formaliter consistat in negatiuo, increatum in positiuo: quia creato non repugnat assumi ab alieno, repugnat increato: quod autem positiuè repugnat esse in alio, id per positiuam rationem repugnet oportet. Cōtrà verò, quod solùm negatiuè repugnat, & tantùm naturaliter, nō debet per positiuam ratione id repugnare; alioqui per omnē potentiam illi repugnaret.

34. *Secundò.* 2. Cur natura diuina, vt præcisa à suis personalitatibus, non sit suppositum, cùm sit ens completum, ac perfectè existens: scil. quia naturaliter apta est cum illis constituere suppositum, incommunicabile alteri supposito.

35. *Tertiò.* 3. Cur Verbum vnitum humanitati, non desinat esse suppositum diuinum, sicut desinit esse suppositum humanum, vnitum diuino: quia Verbum non vnitur humanitati, vt supposito, sed vt naturæ. Contrà verò humanitas vnitur Verbo, vt supposito. Vniri alteri, vt naturam, destruit rationem suppositi; non vniri, vt suppositum: nam vniri alteri, vt naturam, est vniri vt *quo*, atque adeò vt formam vlteriùs terminabilem, quod repugnat supposito, quod cùm sit vltimus terminus naturæ, & existens vt *quod*, eo ipso desinit esse suppositum, quò desinit esse vltimus terminus naturæ. Vniri verò alteri, vt suppositum, non est vniri vt *quo*, adeoque vt formam vlteriùs terminabilem; sed vt *quod*, & vt terminum vltimò terminātem substantialiter naturā. Explicatur; ideò natura diuina communicata Verbo non est suppositum, quia communicatur vt forma vlterius terminabilis à Verbo. Contrà verò, ideò Verbum est suppositum, quia non communicatur naturæ diuinæ *vt quo*, & vt forma vlteriùs terminabilis à natura, sed *vt quod*, & vt terminus vltimò terminans naturam, reddens illam formaliter incommunicabilem.

36. *Quartò.* 4. Infert, naturam humanam non violēter detineri in Verbo: quia

quia nullâ positiuâ perfectione naturali caret in Verbo, quam haberet extra Verbum; sed solâ negatione actualis independentiæ ab alieno supposito: quæ cùm non sit positiua perfectio, nullam ad
37. *Quintò.* illam natura positiuam inclinationẽ dicit. 5. Quo sensu natura creata pendere dicatur à proprio supposito; non positiuè, sed negatiuè: quatenus per negationẽ duplicis illius dependentiæ, actualis, & aptitudinalis, constituitur in se & per se, ac
38. *Sextò.* proinde in ratione suppositi. 6. Quo modo Verbum diuinum in natura humana suppleat vicem suppositi creati: scil. quatenus vnitum humanitati, reddit illam incommunicabilem & independentem ab omni alio supposito, etiam diuino, cum hoc discrimine; quòd per proprium suppositum redditur incõmunicabilis & independens ab alieno tantùm naturaliter; per diuinum etiam obedientialiter: quia repugnat tali naturæ vnitæ verbo, alteri supposito, etiam diuino, vniri: quia Verbo positiuè repugnat communicabilitas & depen-
39. *Sententia Scoti distincte proposita.* dentia ab alio supposito, etiam diuino. Hæc est *Scoti in 1. dist. 29. quæst. vnic. §. item arguo; & in 3. dist. 1. quæst. 1. §. non asserendo; & dist. 6. quæst. 1. §. resp. & quodlib. 19. §. de tertio. Ocham. in 1. dist. 23. q. vnic.*
40. *& in 3. qu. 1.* vbi suppositum definit, ens completum non constituens aliquod ens vnum; non natum alteri inhærere, nec ab aliquo sustentatum: *& in 3. quæst. 1. dub. 2. Mayro in 3. dist. 1. quæst. 11. Maior. in 3. dist. 1. quæst. 2. Gabriel quæst. 1. art. 1.* qui præter duas assignatas negationes, addit alias duas: quas non negat Scotus, licet earum expressam mentionem non faciat, nempe actualis communicationis per modum partis integralis, quæ separata à toto, est suppositum; coniuncta cum toto, desinit esse suppositum; & negationem per modum constituentis, ad excludendam naturam diuinam, quæ præcisa à relationibus est ens completum perfectè existens, non tamen suppositum, quia nata est constituere vnum cum personis diuinis: *Faventi. in 3. disp. 2. cap. 3.* Lychetus *in 1. dist. 28. quæst. 2. & in 3. dist. 1. quæst. 1.* docet, suppositum creatum consi-
41. *Fundam. Scoti potissimum.* stere in positiuo. Fundam. Scoti, præter assignata in ratione dubit. scilicet, nullũ est ens positiuum, quod à Deo assumi non possit; cùm sit sub perfecta potentia obediẽtiali ad Deum: ergò si personalitas creata esset entitas positiua, posset à DEO assumi: hoc autem est contra rationem personæ, cuius essentialis differentia est incommunicabilitas. 2. posset natura humana dimitti à Verbo, & absque vllâ aliâ entitate conseruari: sed talis natura sic conseruata, esset suppositum: quia esset ens per se & in se existens: igitur suppositum creatum non addit positiuam entitatem, à natura distinctam.

42. *3. Sentent.* TERTIA docet, suppositum creatum esse naturam, connotato concursu effectiuo adæquato, sibi naturaliter debito, vi cuius existit in se & per se, independens ab omni subiecto, & termino intrinseco: quem quia potest DEVS mutare in effectiuum debiliorem & minus efficacem, potest natura amittere rationem proprij suppositi, & fieri
Fundamentum. dependens à supposito Verbi. Fundamentum est quantitas Eucharistica, quæ efficaciori concursu effectiuo conseruatur extra subiectum, quàm in subiecto. Sicut igitur hæc vi concursus efficacioris sibi indebiti conseruatur in se & per se independens ab omni subiecto; mutato verò efficaciori concursu in debiliorem & minus efficacem, sibi naturaliter debitum, fit dependens à subiecto: Ita è contrà natura humana, exempli gratiâ, conseruata adæquato concursu effectiuo, sibi naturaliter debito, existit per se & in se, independens ab alieno supposito; mutato effectiuo concursu in debiliorem & minus efficacem, sibi naturaliter indebitum, amittit esse per se & independentiam ab alieno supposito: ac proinde fieri potest à supposito Verbi dependens.

QVARTA docet, suppositum creatum addere 43. *4. Sentent.*
naturæ aliquod positiuum reipsa distinctum à naturâ & concursu effectiuo; ita omnes Thomistæ, *Herua. quodlib. 3. quæst. 6. §. & ideo 4. opinio: Capreol. in 3. dist. 5. quæst. 3. ad 1. cont. 2. conclus. Caiet. 3. p. q. 4. art. 2. Medin. ibid. Ferrar. 4. cont. Gent. cap. 43. Bannes 1. p. quæst. 3. art. 3. dub. 1. & 2. Argen. in 3. dist. 6. qu. vnic. art. 1. Suar. in Metaph. disp. 34. sect. 4. num. 24. & 3. p. quæst. 4. in comment. art. 2. & disput. 8. sect. 4. Vasqu. 3. p. disp. 31. cap. 16. Hurtad. in Metaph. disp. 11. sect. 3.* Discrepant hi Authores, quid sit hoc posi- 44.
tiuum, quod suppositum creatum addat naturæ. *Quid sit hoc positiuum.*
Herueus docet esse accidentia, sine quibus natura creata existere non posset; non in recto, sed in obliquo importata; ex *S. Thom. quodlib. 2. art. 4.* *Heruæi sent.*
Sed contrà: suppositum non differt à naturâ, per *Contrà.*
intrinsecum respectum ad propria accidentia, à quibus conseruatur; quia talis respectus non distinguitur à naturâ; & manet in Christi humanitate intrinsecus ad accidentia sibi connaturalia, cùm tamen in ea iuxta fidem non maneat suppositum creatum: Nec per accidentia connotata; quia subsistentia, quam supra naturam addit suppositum, est ratio substantialis, complens vltimò naturam in genere substantiæ; & in Christi humanitate manent omnia accidentia, naturæ humanæ propria, non suppositum creatum. *Capreo-* 45.
lus putat esse existentiam importatam per mo- *Capreoli.*
dum connotati & in obliquo. Sed contrà: falsò supponit, existentiam reipsâ distingui ab essentiâ: 2. aut contendit, suppositum constitui per respectum ad existentiam; & cùm hîc non distinguatur à naturâ, manet in Christi humanitate, in qua non manet proprium suppositum: vel per existẽtiam, vt per terminum connotatum actu informantem propriam essentiam, quæ cùm non connotetur ab essentiâ humanitatis Christi, non dicitur humanitas Christi habere proprium suppositum. At *Contrà.*
cõtrà, suppositum est ens vltimò completum substantialiter, & principium *vt quod* omnium operationum naturæ: porrò existentia est maximum complementum naturæ, cùm illam substantialiter perficiat, & sine qua natura non est completum principium *vt quod* operationum: ergo non in obliquo, sed in recto & intrinsecè ingreditur cõstitutionem suppositi: cùm intrinsecè compleat substantialiter naturam, quod est proprium suppositi.

Quare cõgruentiùs ad Thomist. principia *Me-* 46.
dina, rationem formalem suppositi creati consti- *Medina.*
tuit in existentiâ intrinsecâ naturæ; quæ, quia in Christi humanitate (iuxta ipsum) non fuit, sed eius loco successit increata Verbi, consequenter nec in ipsâ fuit suppositum creatum. At quia falsa sunt hæc principia, nec sententia admittenda est. *Caietanus, Ferrar. Bannez,* censent esse entita- 47.
tem distinctam ab essentiâ, quæ præcedens exi- *Caiet. Fer-*
stentiam, reddit naturam capacem propriæ exi- *rar. Ban-*
stentiæ, cæterarumque proprietatum naturalium; *nez.*
estque vltimus terminus naturæ, quia nunquam est natura vltimatè terminata, donec supponetur (quantumcumque enim illa indiuiduetur, nisi supposetur, non est vltimò terminata; vt patet in Christi humanitate, quæ est singularis & indiuidua, non vltimò terminata, cùm vlteriùs sit terminabilis

minabilis personâ Verbi, aut propriâ) purusque, quia subsistentia nullam exercet in naturâ causalitatem, sed puram terminationem, sicut punctum

48. *Contrà.* respectu lineæ. Hæc opinio vel ex eo improbabilis est, quòd entia multiplicat sine necessitate: siquidem hac entitate præcisa, optimè potest subsistentiæ ratio saluari, per solam existentiam, posita reali distinctione inter essentiam & existentiam; & quo modo Verbum assumpserit naturam, non assumpta subsistentia creata; scilicet assumpsit essentiam, non assumpta existentia ab actuali essentia realiter distincta. Falsum prætereà est naturam reddi capacem propriæ existentiæ per subsistentiam realiter distinctam: 1. quia præcisa omni entitate, natura seipsa immediatè est capax existētiæ, cùm hæc sit primus & immediatus actus essentiæ, per quam primò reducitur ex potentia ad actum: 2. prius est rem existere, quàm subsistere: nam existere est fieri extra causas; subsistere est fieri independenter ab omni extrinseco supposito, quod supponit rem existere.

49. *Probabilissimus dicendi modus.* Cæteri docent, id quod supra naturam addit suppositum, esse modum realem, modaliter tantùm à natura distinctum; per quem natura fit in se & per se existens, independens ab omni alio intrinseco termino, non tantum negatiuè, sed etiam positiuè: diciturque vltimus terminus naturæ, quo vltimò terminatur, redditurque positiuè incommunicabilis cuicumque alteri supposito: Quæ sententia est omnium probabilissima, & ad mysterium explicandum aptissima: 1. exemplo inhærentiæ; quæ sicut est positiuum complemētum accidentis, ab eo modaliter distinctum & separabile, qua existentia accidentis vltimò terminatur, completur, fit actu inhærens subiecto, quod est vltimum complementum naturale accidentis: Ita subsistentia est positiuum complementum substantiæ, ab ea modaliter distinctum ac separabile, quo existentia substantiæ vltimò terminatur, in suo genere

50. *Prob. 2. à pari.* completur, fit in se & per se positiuè. 2. A paritate personalitatis increatæ, cuius aliqua participatio est personalitas creata: Personalitas increata consistit in positiuo, superaddito naturæ, & quidem in sententiâ *Durandi & Scoti*, non tantùm ratione, sed etiam ex natura rei distincto: ergo etiam personalitas creata. Nam minor simplicitas competit personæ creatæ, quàm increatæ: ergo si persona increata constituitur ex natura & personalitate, per aduersarios reipsa distinctis; à fortiori etiā persona creata constituetur ex natura & per-

51. *Scotus non satisfacit.* sonalitate reipsa distinctis. Non satisfacit *Scotus*, ideò personas increatas constitui positiuo, quia ipsis repugnat communicari alteri personæ, creatæ saltem obedientialiter non repugnat. Nam falsum est, personam creatam obediētialiter communicari posse alteri personæ, siue consistat in positiuo, siue in negatiuo, scilicet vt persona est formaliter: si enim consistit in positiuo, ea consistit in ratione formali essendi per se & in se; implicat autem, vt quod est formalis ratio per se & in se, communicetur alteri, vt personæ: quia hoc ipso fieret formalis ratio essendi in alio, quod implicat: Si verò consistat in negatiuo, multò magis id implicabit: quia vt persona formaliter constituitur per negationem dependentiæ ab alia persona, quam negationē hoc ipso amittit, quod alienæ communicatur, proinde implicat personam reduplicatiuè vt personam alteri commu-

52. *Nec alij.* nicari. Nec satisfaciunt alij; ideò personas diuinas constitui ratione positiua, quia debent realiter ad inuicem distingui in eadem numero natura. Nam licet hæc ratio sit sufficiens, non est tamen adæquata & prima: vt hæc quia est substantiale complementum naturæ. Confirm. De 53. *Confirm. à congruentiori.*
essentiali conceptu personæ, vt abstrahit à creata & increata, est incommunicabilitas alteri personæ: at non repugnat, vt persona creata sit incommunicabilis alteri personæ per positiuam rationem: & per hoc meliùs saluatur & ratio personæ, & conuenientia inter personam creatam & increatam, & ea quæ de mysterio Incarnationis docent Patres & Concilia: 1. quia nulla est repugnantia, cur nequeat Devs communicare personæ creatæ participationem suæ positiuæ personalis incommunicabilitatis; cùm hoc non necessariò exigat infinitatem: nam *in sententia Scoti* relationes, quibus constituūtur personę diuinæ, nullam dicunt perfectionem. 2. quia siqua esset repugnantia, ea maximè per *Scotum* esset, quia omnis entitas creata est sub perfecta potentia obedientiali ad dependendum à supposito increato: at hoc falsum est; quia multi negant, formas substantiales materiales esse per se à Verbo assumptibiles, saltem de formis accidentalibus negant communiter *Scotistæ*: & in omnium sententia nequeunt modi, cùm sint actuales modificationes proprij subiecti, eleuari ad dependendum à persona increata: demum, quia implicat, quod est actualis ratio essendi per se & in se, vti esset personalitas creata, si esset positiua reipsa à natura distincta, assumi à persona increata: non secus ac implicat, vt creatio, quæ est actualis independentia termini à subiecto, fiat actualis dependentia eiusdem ab eodem.

3. Hæc sententia meliùs saluat Concilia & Patres, qui docent, Verbum non assumpsisse, sed 54. *Saluantur Concilia & Patres.*
consumpsisse personam creatam: non fuisse vnitum homini, sed humanitati. Certè enim ista saluantur, si dicam, Verbum assumpsisse naturam, non assumpta personalitate, quæ in assumpta natura nunquam fuit. Prima & secunda sententia impropriè cogitur has locutiones explicare; scilicet ideò Verbum humanam personam non assumpsisse, quia fuit cum illa vnitum: quæ est petitio principij. Nam poterant concedere hæretici, naturam humanam fuisse vnitam Verbo, & contendere, in ea mansisse humanam personam, vt *Nestoriani*: Dicere in ea non mansisse, quia fuit vnita Verbo, est pro ratione assignare id, quod contra hæreticos controuertebatur.

Qvartò ostendo, per hanc sententiam meliùs explicari incarnationem; scilicet in hac saluanda est substantialis compositio ex natura humana & supposito diuino: nequit autem saluari, nisi subsistentia creata reipsa distinguatur à natura creata; & ad hanc sufficit sola distinctio 55. *Per hanc sent. explicatur mysterium Incarnat.*
modalis: nam ea distinctio sufficit inter naturam & subsistentiam, quâ valeat natura à propria subsistentia separari, & alienæ copulari: at ad hoc sufficit modalis; quia licet non possit modus extra propriam naturam conseruari, cùm ille sit addictus proprio subiecto, potest tamen natura extra proprium modum conseruari: natura enim est entitas absoluta, independens ab hoc, vel illo modo determinatè. Prætereà cùm hic modus sit substantialis & completiuus naturæ intra proprium genus substantiæ, natura tali modo carens, manet substantialiter incompleta intra proprium genus substantiæ, ac proinde substantialiter complebilis, ac perfectilis intra proprium genus substantiæ; adeoque apta componere vnum per se cum Verbo, supplente 56. *Sola distinctio modalis necessaria est, & sufficit.*

plente substantialem perfectionem propriæ subsistentiæ.

57. Quòd autem nequeat substantialis compositio ex naturâ & supposito diuino saluari, nisi ponatur subsistentia creata reipsa distincta à naturâ creatâ, sic demonstro: Omnis substãtialis compositio alterum saltem extremum exigit substantialiter incompletum: at si subsistentia creata reipsa non distingueretur à naturâ creatâ, nullum extremum in hâc compositione Verbi cum naturâ humanâ suppóneretur substantialiter incompletum: nam natura humana reipsâ haberet omnem substantialem perfectionem, cuius esset naturaliter capax, quia vnio ad Verbum nullam adimit à naturâ perfectionem, sed potius nouam illi superaddit. Confirm. eandem perfectionem naturalem haberet humanitas extra Verbum, quam habet in Verbo: quia negatio actualis dependentiæ à Verbo, quam tantùm acquireret dimissa à Verbo, non est substantialis perfectio naturæ, cùm sit pura negatio, priuatioque tantùm perfectionis indebitæ supernaturalis. Maior probatur. Omnis substantialis compositio essentialiter postulat, vt vnum saltem extremum in compositione substantialiter perficiatur: ergo omnis substantialis compositio alterum saltem extremum postulat intra suum genus substantialiter incompletum. Antecedens ostendo inductione: ideò inter duo indiuidua humana, vel angelica nequit vllâ potentiâ fieri substantialis compositio; quia in tali compositione, cùm vtrumque extremum supponatur intra suum genus substantialiter completum, neutrum potest intra suum genus substantialiter perfici, ac proinde vnum substantiale constituere: 2. à priori; omnis perfectio, etiamsi sit substantialis, si non perficiat & compleat illud, cui aduenit, intra suum genus, est illi accidentalis: 3. quia omnis perfectio, quæ aduenit post vltimam & totalem constitutionem rei, est illi accidentalis: igitur si natura humana in Christo est intra totam latitudinem & constitutionem substantiæ humanæ totaliter completa, nequit per vnionem ad Verbum intra genus substantiæ substantialiter perfici; adeoque componere vnum substantiale cum personâ Verbi: ad id enim non sufficit, vt vtrumque extremum sit substantia, sed prætereà requiritur, vt alterutrum saltem substantialiter perficiatur.

Si nulla distinctio, nulla compositio substantialis.

58. *Hic controuersiæ momentum.*

59. *Dices.* DICES: quodlibet ens creatum, adhuc in suo genere vltimò completum, est per potentiam obedientialem vlteriùs à DEO substantialiter complebile: esto igitur natura humana sit in genere substantiæ creatæ vltimò completa, adhuc per potentiam obedientialem non repugnat vlterius à DEO substantialiter compleri: Sicut non repugnat, ens completum accidentaliter, vlteriùs obedientialiter compleri in genere accidentis. Sed contrà: implicat substantialiter compleri, quod supponitur vltimò substantialiter completum. Nam in composito per se, essentialiter includitur, vt perfectio, quæ aduenit extremo perfectibili, ab illo exigatur; alioqui non posset cum illa efficere vnum per se, sed tantùm per accidens: nec potest fieri, vt vna forma vniatur cum aliâ, & ex vtraque sit vnum per se: ad vnionem enim substantialem per se requiritur, vt extremum, quod substantialiter vnitur, suâ naturâ exigat illam perfectionem, quam per vnionem recipit. Quæ exigentia cùm sit intrinseca & in genere causæ formalis, per nullam potentiam suppleri potest. Falsum igitur est, omne ens, etiam completum, vlteriùs esse à DEO substantialiter complebile. Nec est par ratio de complemento accidentali: nam ad vnum per accidens non requiritur intrinseca exigentia ad talem perfectionem, sed sufficit non repugnantia ad illam. Confirm. in hoc principio fundatur axioma, *ex duobus entibus completis non posse fieri vnum per se:* fieret autem, si natura humana Christi in genere substantiæ esset vltimò completa.

Contrà.

Compositi per se ratio.

Prob.

Axioma.

60. *Probat. 5. sent. ex absurdis.* Quintò prob. ex 1. sent. sequitur, esse in Christo personalitatem creatam, saltem quoad essentialem & quidditatiuam rationem personalitatis: quæ est hæresis damnata in Concil. *Ephes. &c.* contra *Nestor.* scilicet 1. opinio non requirit negationem actualis dependentiæ ab alieno supposito, vt constitutiuum & completiuum personalitatis, vt requirit secunda, sed vt puram dumtaxat conditionem: totam verò quidditatem personalitatis creatæ, constituitur in ratione positiuâ, quæ manet cum naturâ vnitâ Verbo, licet non denominet illam personatam; non defectu alicuius essentialis complementi, vt 2. opinio asserit, sed solius côditionis: ac proinde natura humana in Christo habet totum effectum formalem quidditatiuum & essentialem propriæ personalitatis creatæ. Quod sic ostendo. Implicat formam, quæ est eadem cum subiecto, non conferre illi suum effectum formalem: sed in hac opinione personalitatis creata est eadem cum natura, ratione dumtaxat ab ea distincta: ergò implicat suum effectum formalem essentialem & quidditatiuum illi non conferre. Maior prob. effectus formalis positiuus formæ, est ipsa forma vnita, vel idẽtificata subiecto apto: sed cum naturâ humanâ Christi etiam vnitâ Verbo, manet identificata propria personalitas: ergò implicat, suum effectum formalem illi non conferre. Nam ad positiuum effectum formalem non requiritur, nisi forma vnita, vel identificata subiecto apto. DICES: Potest forma vnita subiecto non conferre illi suum effectum formalem defectu alicuius conditionis; sicut gratia accidentalis vnita animæ Christi, non confert illi positiuum effectum formalem filiationis adoptiuæ, non defectu alicuius positiuæ entitatis, sed solius negationis filiationis naturalis, quæ negatio non est in Christo. Sed contrà: quando conditio est tantùm pura conditio, nullo modo, ne connotatiuè quidem, ingrediens essentialem conceptum formæ, aut effectûs formalis ipsius, non potest tunc forma vnita subiecto, à suo essentiali effectu impediri. At gratia accidentalis non dat animæ Christi formalem effectum filiationis adoptiuæ, quia hic vt essentiale connotatum importat negationem filiationis naturalis in eodem subiecto. Confirm. esto iuxta 1. opin. non possit in natura humana Christi esse denominatio propriæ personalitatis, quatenus illa importat etiam negationem actualis dependentiæ ab alienâ personâ, saltem erit in illâ denominatio deriuata à positiuo & intrinseco effectu formali propriæ personalitatis. Nam eo modo, & sub eâ ratione potest forma subiectum denominare, quo, & sub quâ illi vnitur, vel identificatur: Sed propria personalitas manet identificata cum naturâ humanâ Christi, secundum totum suum esse positiuum essentiale & quidditatiuum: ergò secundùm id totum potest illam denominare, licet nequeat secundùm negationem à propriâ personalitate connotatiuè, & per modum conditionis importatam.

1.

Minor cum conseq. patet.

61. *Dices.*

Contrà.

62. *Confirm.*

63. *Absurdum.* 2. Sequitur 2. Non bene in sent. 1. & 2. saluari, quo

quo modo B. Virgo genuerit DEVM: nam in his sentētijs prius naturâ genuit humanitatem, quàm fuerit vnita Verbo: ergò non potuit in illo priori gignere DEVM, cui nondum erat vnita humanitas. Anteced. prob. in eo signo humanitas fuit vnita Verbo, in quo apta erat personari propriâ personalitate, vt *Scotus in 3. dist. 2. q. 2. §. ideo*; sed in his sententijs humanitas non fuit apta personari propriâ personalitate nisi post naturalem vnionē partium inter se, atque adeò post causalitatem, qua humanitas fuit à B. Virgine genita. In nostra sententia, priùs naturâ partes humanitatis fuêre vnione hypostatica vnitæ Verbo, quā vnione na-

B. Virgo vera mater Dei. turali inter se: quia prius illæ subsistūt subsistentijs partialibus in se, quàm vniantur ad compositum naturale efficiendū; & consequenter causalitas generatiua Virginis, quæ vniuit partes humanitatis inter sese, fuit vera generatio DEI, quia vniuit partes priùs naturâ deificatas & Verbo hypostaticè vnitas.

64. *Absurdum.* 3. In triduo corrupta fuisset vnio hypostatica ad totam humanitatem, & aliæ duæ fuissent productæ ad partes separatas: iterum in resurrectione corruptæ fuissent vniones ad partes, & alia ad totam humanitatem producta, contra Theolog. axioma ex *Damasc. 3. de fide cap. 27. quod semel assumpsit nunquam dimisit*. Quod dubium sibi *Scotus* obijcit, *in 3. dist. 2. quæst. 2. ad argum.* & respōdet *dist. 16. quæst. 2. §. sed contra:* vbi, præter vnionem ad totum, admittit duas alias ad partes, quas semper Verbum retinuit. Verùm hæc responsio non videtur conformis ijs, quæ *dist. 2. qu. 2. §. ideò, & ad argum.* vbi docuerat, Verbum primò assumpsisse totum, & non partes, alioquin non fuisset primò homo: si autem, præter vnionem ad totum, habuisset etiam vniones ad partes, prius fuisset Verbum vnitum partibus, quàm toti, ac proinde

65. *Absurdum.* 4. non fuisset primò homo. 4. Non potuisset Verbum supplere vicem subsistentiæ creatæ in partibus separatis: quia quod non est capax propriæ, nec est capax alienæ subsistentiæ: sed in *sent. Scoti* partes non sunt capaces propriæ subsistentiæ; nam per *Scot.* id tantùm est capax propriæ, quod est capax duplicis negationis, actualis, & aptitudinalis dependentię; sed partes nō sunt capaces negationis aptitudinalis dependentiæ; nam separatæ retinent aptitudinalē ad inuicem. Vnde sicut illæ separatæ non subsisterent propriâ subsistentiâ, ita nec subsistere poterunt subsistentiâ Verbi; quod per vnionē ad partem, non tollit à parte sibi vnitâ aptitudinalem dependentiam ad compartem; atque adeò nec reddit subsistentem; nam ad subsistentiam per se requiritur; negatio aptitudinalis dependentiæ.

66. *Coroll.* Deducitur, suppositum distingui à naturâ, etiam angelica, ac possibili. Fundamentum. nulla est natura creata substantialis, quam DEVS in vnitatē suppositi sibi vnire nō possit; ergò nulla est natura creata substantialis, quæ à proprio supposito non distinguitur. Quia nulla, *vt infrà* in proprio supposito existens à DEO assumi potest. id colligi-

Hebr. 2. tur ex *Paulo ad Hebr. 2. nusquam angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit:* vbi apertè supponit, potuisse DEVM angelicam naturam assumere. Sed nulla est maior ratio de quacumque aliâ possibili naturâ: nam quæcumque alia differre debet à substantiali simplicitate diuini suppositi. Cæterùm hæc argum. directè tantùm impugnant sent. 1. & 2. *infrà*, tertiam post obiect.

67. *Obijcitur authoritas Arist.* *Obijcies* 1. *Arist. 7. Metaph. text. 20. & 21.* docet, in substantijs idē esse, *quod quid est, & cuius est; sed quod quid est* importat naturam; *cuius est*, suppositum: ergo ex Arist. suppositū non differt à naturâ. Resp. neg. per *Arist. τὸ cuius est* significare suppositum, sed indiuiduum: nullam enim distinctionem facit, ne rationis quidem, inter suppositum & indiuiduum: hoc sola fides docet. Tantùm igitur *cit. loco contra Platon.* docet, essentias rerum per *τὸ quod quid est* significatas, non distingui ab indiuiduis, quæ & *primas substantias* appellat. *Resp.*

Obijcies S. Thom. negat, suppositum distingui à naturâ: nam *3. p. quæst. 4. art. 2. ad 2.* ait, non deesse naturæ humanæ Christi propriâ personalitatem, defectu alicuius pertinentis ad perfectionem humanæ naturæ, sed additione alicuius, quod est supra humanam naturam, quod est vnio ad diuinam personam: *1. p. quæst. 3. art. 3. corp.* in substantijs immaterialibus suppositum non distingui à naturâ: *ad 3.* consumptionem personalitatis in humanitate Christi, non importare destructionem alicuius, quod prius fuerat, sed impeditionem eius, quod aliter esse posset. Idem habet *quæst. 9. de potentia art. 1. & 4. corp.* affirmans, personam non distingui ab indiuiduo naturæ rationalis. Resp. mē- 68. *S. Thome.*

tem *S. Thom.* mihi esse obscuram: illum diuersis in locis diuersa docentem lego: *citatis* affirmat, suppositum non distingui à naturâ angelicâ, *quodl. 2. art. 4.* ait suppositum tam in angelis, quàm in hominibus reipsâ à naturâ distingui: *Quia in significatione natura includitur solùm illud quod est de ratione speciei: suppositum autem non solùm habet hæc, quæ ad rationem speciei pertinent, sed etiam alia, quæ ei accidunt: & ideo suppositum signatur per totum, natura autem, siue quidditas vt pars formalis. In solo autem Deo non inuenitur aliquod accidens præter eius essentiam, quia suum esse est sua essentia: & ideo in Deo est omninò idem suppositum & natura. In Angelo autē non est omninò idem, quia aliquid accidit ei, præter id, quod est de ratione suæ speciei, quia & ipsum esse Angeli est præter eius essentiam seu naturam, & alia quædam ei accidunt, quæ omninò pertinent ad suppositum, non autem ad naturam.* Hæc S. Doctoris diuersitas causa fuit diuersitatis inter discipulos: si stare velimus ijs, quæ *in summâ:* discrimen ponere videtur inter suppositum naturæ spiritualis, & materialis; quod hoc à naturâ distinguatur, non illud. Verùm illud semper difficile est, quod vbique affirmet, naturam angelicam, non minus quàm humanam assumptibilem esse in vnitatem suppositi à DEO: quod distinctionem parem arguit; inde & Thomistæ docent, suppositum Angelicum distingui à natura. 69. *Mens S. Th. in hac re obscura.* *Suppositum distinguit à naturâ.*

Obijcies 3. Concilia & Patres, qui docent, Christum esse perfectum DEVM & hominem; habere omnes proprietates naturæ humanæ; esse per omnia similem Adæ, excepto peccato; nihil illi deesse quoad perfectionem naturæ humanæ, iuxta illud *ad Hebr. 2. debuit per omnia fratribus assimilari.* Sed subsistentia est perfectio naturæ humanæ: ergo si eâ Christus caret, caret perfectione per se ad humanam naturam spectante. Resp. has locutiones 70. *Vnanimis consensus PP.*

intelligi de ijs, quæ pertinent ad constitutionem, proprietatesque naturæ, non personæ: alioqui ijdem docent, in Christo non esse personam creatam; cùm tamen eadem Concilia & Patres doceāt, personam spectare ad dignitatem hominis, quam cum *Boëtio* definiunt, *rationalis naturæ indiuiduam substantiam:* siue cum *Hugo de S. Victore* &c. *incommunicabilem existentiam.* Quòd autem intelligi debeant de ijs, quæ spectant ad naturam, non ad personam, constat: quia contra hæreticos, qui negabant Verbum assumpsisse integram naturam; sed vel corpus tantùm sine animâ, vt *Apollinaris*, vel humanitatem sine voluntate, vt *Monothelitæ*; 71. *Explicatur.*

Patres

Patres afferebant, in Christo fuisse omnes perfe-
ctiones hominis, nempe quæ spectant ad integri-
tatem naturæ,quam hæretici negabant.
72. *Obijcies* 4. Pars aquæ separata,est suppositum;
Obijcitur 4. vnita alteri parti aquæ, desinit esse suppositum,
per amissionem solius negationis vnionis cum
comparte. Item materia cum solis formis partia-
libus, & elementa extra mixtum sunt supposita;
desinunt esse supposita, per solam vnionem cum
vlteriori formâ: ergo poterit suppositum huma-
num desinere esse suppositum, per solam vnio-
nem cum supposito diuino, absque amissione po-
73. *Resp.* sitiuæ entitatis. Resp. neg. conseq. cùm enim
ex vnâ parte, & pars integralis, & compositum
Disparitas ex formis partialibus, & elementa sint physica
de homoge- composita substantialia ex materiâ & formâ, ha-
neis &c. bent veram rationem suppositi: Vnde discrimi-
nantur ab animâ separatâ; quæ,quia non est phy-
sicum compositum,sed pars compositi, non habet
rationem suppositi, sed partis subsistentis; ex aliâ
verò parte,quia sunt in potentiâ naturali ad vlte-
rius perfectiusque compositum constituendum,
possunt per solam amissionem negationis actualis
vnionis substantialis desinere esse supposita: talis
enim negatio, saltem vt essentiale connotatum,
requiritur ad rationem suppositi; at suppositum
humanum, cùm sit vltimò perfectum & comple-
tum intra genus substantiæ, nullamque dicat po-
tentiam ad alterius compositum constituendum,
non potest desinere esse suppositũ per solam ne-
gationẽ substantialis vnionis cum alio supposito:
nam vt vniatur cum alio,debet posse ab illo sub-
stantialiter perfici:hoc non potest,nisi vel suppo-
natur in se substantialiter incompletum, vel cum
naturali potentiâ ad vlteriorẽ perfectionem sub-
stantialem:ac proinde nec potest desinere esse sup-
positum per substantialem vnionem cum alio,vti
possunt pars integralis, compositum ex formis
partialibus,& elementa.
74. *Obijcies* 5.Etiam in nostra sententia præter mo-
Obijcit. 5. dum substantialem additum naturæ,ad rationem
suppositi requiritur negatio actualis, & aptitudi-
nalis dependentiæ, vt constat in animâ separatâ,
in partibus integralibus, in compositis ex solis
formis partialibus, & in elementis: ergò sola hæc
duplex negatio ad rationem suppositi creati suf-
75. *Resp.* 1. ficit. Resp. 1. Requiri has negationes,non vt ra-
2. tiones formales, sed vt essentialia connotata. 2.
neg. conseq. nam per solas negationes, absque
modo positiuo saluari nequit substantialis com-
positio inter naturam assumptam & suppositum
assumens.
76. *Obijcies* 6.Subsistentia requiritur,vt reddat na-
Obijcit. 6. turam per se,& in se, ab omni alio intrinseco ter-
mino independentem:nequit autem subsistentia,
si sit modus,cuius natura est,actu pendere à sub-
iecto,reddere illud per se, & in se, ab omni alio
intrinseco termino independens; quia nequit cõ-
77. *Resp.* ferre quod in se non habet. Resp.neg.minor. Ad
prob.nego subsistentiam,quà modus est, reddere
naturam per se,& in se, ab omni alio extrinseco
termino independentem, sed quà subsistentia est,
analogicè conueniens cum diuinâ; creata enim
duo habet,esse modum,& esse terminum substã-
tialem vltimum naturæ. Porrò naturam per se &
in se reddit,non quà modus,aliquin omnis modus
hoc præstaret; sed quà vltimus naturæ terminus
substantialis est; quo formaliter habet, vt non
possit vlteriori termino terminari, ac proinde al-
A pari. teri termino communicari. Ita qui puncta con-
cedunt,negant posse lineam,puncto terminatam,
vlteriori puncto terminari; quia implicat, quod
est vltimum in aliquo genere, posse in eodem ge-
nere vlteriùs perfici ac terminari. Dixi *in eodem*
genere: quia non implicat, posse in alio genere,in
quo non est vltimò terminatum,terminari;vt ani-
ma separata terminata propriâ subsistentiâ, po-
test vlteriùs perfici ac terminari, non in ratione
subsistentiæ,in quâ est vltimò terminata,sed in ra-
tione partis & naturæ,in quâ non est vltimò ter-
minata.
Obijcies 7. Linea terminatur seipsâ absque ter- 78.
mino positiuo addito; in sententia communi ne- *Argnis à*
gante indiuisibilia: ergo etiam substantia. Resp. *pari.*
neg.conseq. quia linea non habet positiuam incõ- 79. *Resp.*
municabilitatem cum aliâ lineâ,vti habet vna sub-
stantia completa cum aliâ completâ: quod aliun-
de prouenire non potest, quàm ex termino po-
sitiuo,cui per se repugnat communicabilitas.
Ad fundamentũ *Durand.*neg.maior. non enim 80.
per nomen *Homo* importatur sola definitio ho- *Ad funda-*
minis,quæ sumitur ex solâ materiâ & formâ; sed *ment. Du-*
etiam habens definitionem, quod non importa- *randi.*
tur per humanitatem, quâ solùm importatur de-
finitio in abstracto. Ad 2. fundam. neg. conseq. 81.
nam existentia est primus actus essentiæ, quo pri- *Ad 2.*
mo fit ex potentiali actualis & extra causas: vnde
implicat reipsa distingui ab essentiâ actuali; quia
supponeret illam actualiter existere independen-
ter ab existentia: cùm nequeat vnum extremum
formaliter distingui ab alio extremo, per ipsum
extremum,à quo distinguitur: alioqui idem esset
constitutiuum vtriusque extremi; nam quod di-
stinguit, simul constituit illud, quod distinguit.
Ad 1.fundam. *Scoti*,neg.anteced. Ad prob. nego, 82.
quodlibet ens creatum esse in potentiâ obedien- *Ad 1.fund.*
tiali ad quemcumque effectũ sed solùm ad quem *Scoti.*
implicantiam non habet: implicat autem,vt ratio
per se,vti est subsistentia,fiat in alio: nam hoc ipso
desineret esse per se.Sicut nequit inhærentia fieri *A pari.*
per se; quia hoc ipso desineret esse in alio, quæ
est formalis ratio inhærentiæ. Ad 2.quidquid sit, 83.
an possit natura absque vlla subsistentia diuinitùs
conseruari,de quo *infrà*, nego, eo casu fore sup-
positum formaliter, si supponatur talis natura cõ-
seruari eodem concursu effectiuo, quo conser-
uatur dependenter à supposito Verbi: quia tunc
natura maneret vlteriùs perfectibilis, adeoque
communicabilis vlteriori perfectioni, quod est
contra rationem suppositi. An autem talis natura
conseruata efficaciori concursu,haberet rationem
suppositi, constabit. Ad rationem dub, constat: 84.
Ad *Damasc*, concedo, personam esse inassumpti- *Ad Damasc.*
bilem: nego,inde sequi,esse incurabilem. Ratio;
Verbum, sicut non curauit naturam, quam as-
sumpsit,cùm illa nec fuit,nec debuit esse infirma;
ita nec personam eiusdem naturæ: sed mediante
naturâ,quam assumpsit,per opera condignè satis-
factoria curauit & naturas,& personas cæterorum
hominum, quatenus præparauit illis condignum
remedium ad infirmitatem peccato contractam
curandam. Ad id quod dicitur, non fore Chri- 85.
stum nobiscum vniuocè hominem, neg. sequel.
sufficit enim vt habeat eandem naturam, eãn-
demque definitionem, in quâ vniuocatio funda-
tur,cum cæteris hominibus. Ad vlt.nego,huma- 86.
nitatem violenter detineri in Verbo: nam licet in *Ad vltim.*
eo careat propriâ subsistentiâ, hæc tamen excel-
lentiori modo suppletur à Verbo. Sicut non vio-
lenter maneret intellectus beati cognoscẽs crea-
turas in Deo, esto illas non cognosceret notitiâ
naturali extra Deum, ad quam suâ naturâ incli-
nat:quia

nat:quia illa nobiliori modo suppleretur per notitiam supernaturalem in Verbo. Vnde licet in humanitate Christi maneat naturalis inclinatio ad propriam subsistentiam; hæc enim non tollitur per subsistentiam increatam, quæ nec tollit carentiā formalis subsistentiæ creatæ: quia tamen illa manet suppleta nobiliori subsistentiâ, non manet violenter: nam manere violenter, est manere sine propriâ & alienâ æquiualenter, aut eminenter supplente propriam. Vnde nec etiam dici potest, naturam simpliciter manere cum appetitu ad propriam subsistentiam: quia appetitus ad aliquam formam dicit totalem carentiam illius formæ: natura autem humana in Christo, etsi dicat carentiam propriæ subsistentiæ formalis, non tamen dicit carentiam propriæ subsistentiæ eminentialis; cùm subsistentia creata eminenter contineatur in increatâ. *Humanitas non est violentè in Verbo.*

87. *Impugnant 1.* Fundamentum tertiæ, & sententiam ipsam impugnant aliqui Recent. 1. si natura creata est suppositum, quâ terminat adæquatum concursum sibi debitum, sequeretur talem concursum ingredi formalem rationem suppositi: quod dici non potest. Quia vel iste concursus est accidens, adeoque substantialem constitutionem suppositi ingredi non potest: Vel modus substantialis: sic hæc sententia admittere cogitur, subsistentiam creatam esse modum à naturâ effectum, qui præstat id, quod in alia sententia præstat modus ipse subsistētiæ. 2. Sequeretur, Verbum in naturâ assumptâ supplere veram causalitatem, quod falsum est; cùm solùm terminet & compleat substantialiter illam, vicem gerens subsistentiæ creatæ: quæ nullam in propriâ naturâ exercet causalitatem; sed solum terminat & complet substantialiter illam, vt ex ipsa & natura resultet vnum suppositum completum. *88. Secundò.* Verùm hæc argum. non conuincunt: ad 1. respondere est, hunc concursum, cùm sit ad substantiam, esse substantialem, adeoque ingredi posse substantialem cōstitutionem suppositi. Nec obstat, quòd ad completam constitutionem suppositi, admittat modum naturæ additum, qui præstet id, quod in alia sententia præstat modus ipse subsistentiæ: Nam hic modus & longè diuersus est ab illo, quem alia sententia admittit, & sine multiplicatione entium saluat, quicquid alia sentētia de supposito creato docet; nam alia sententia, præter substantialem modum effectiui concursûs, admittit alium modum naturæ additum. *89. At opposi-tam non cō-uincunt falsitatis.* Ad 2. falsum est, Verbum nullam exercere causalitatem in naturâ assumptâ, & subsistentiam creatam, vicem cuius gerit Verbum, nullam in propria: hoc enim ipso, quòd complet substantialiter naturam, circa illam causalitatem exercet: quo pacto Verbum sine imperfectione eam exerceat, *sect.* 5. *90. Ad 2.*

91. *Maior propos.* Aliter posset tertia sententia impugnari, scilicet: Vt natura humana in hac sententia in Verbo subsistat, produci debet actione dependente à Verbo: quia non potest eâdem actione subsistere in Verbo, quâ adæquatè producitur independens à Verbo; sicut nec potest eâdem actione accidens fieri dependens à subiecto, quâ independens à subiecto: cùm enim actio non sit aptitudinalis, sed actualis dependentia, vel independentia à subiecto, vel termino, implicat, vt quæ est actualis independentia à supposito, fiat actualis dependentia ab eodem; ac natura de nouo fiat dependens à supposito diuino, absque vlla mutatione ipsius. Subsumo: implicat naturam humanam produci actione dependente à Verbo: nam implicat, vt quod est natura sua ab alio independens, fiat ab alio dependens: sed humanitas naturâ suâ est ab alieno supposito independens, ergò implicat, vt fiat ab alieno supposito depēdens. Maior prob. quod naturâ suâ, seu per intrinsecam entitatem est ab alio independens, nequit fieri per eandē intrinsecam entitatem dependens: alioqui idem simul esset ab intrinseco independens & dependens. *92. Minor propos.*

Confirm. Confir. Implicat animam rationalem, quæ per intrinsecam entitatē est à materia independens, fieri à materia dependentem: ergo implicat naturam, quæ per intrinsecam entitatem est ab alieno supposito independens, fieri ab eo dependentem.

93. *Hæc ratio non est efficax.* Contrà: posset natura humana fieri actu à Verbo dependens, & simul retinere aptitudinalem independentiam à Verbo, quatenus fieri posset aliâ actione independente à Verbo: vt potest accidens fieri independens à subiecto, & simul retinere aptitudinalem dependentiam ab eodem, quatenus fieri posset alia actione dependente à subiecto. Et potest natura produci independens ab omni supposito, etiam proprio, actione independente ab omni supposito, & tamen non repugnat, quin eadem alia actione producatur dependens à proprio supposito: ergo nec repugnabit, quin eadem humanitas producta extra Verbum independens à subsistētia Verbi, aliâ actione producatur dependens à Verbo, vt à supposito alieno. *Efficaciùs.* Nec apparet implicantia, quin eadem entitas fiat actu dependens ab aliquo, retenta simul aptitudinali independentia ab eodem: esset enim dependens actu ratione actionis, qua de facto produceretur; & aptitudinaliter independēs ratione alterius actionis, qua produci posset; vt accidens *suprà*. Solùm enim implicat, vt idem simul actu pendeat, & non pendeat ab eodem; vel vt simul aptitudinaliter pendeat, & aptitudinaliter non pendeat secundùm eādem potentiam ab eodem. *94. Implicantia explicatur.*

95. *Dices.* Dices: vt natura humana actu pendeat à Verbo, debet habere aptitudinem ad dependendum à Verbo: ergo simul non retinet aptitudinem ad non dependendum à Verbo. Resp. aptitudines has non repugnare in vna & eadem re; idem quippe accidens est aptum ad non dependendum à subiecto, & simul aptum ad dependendum à subiecto: idem lapis est aptus ad motum deorsum, & simul aptus ad motum sursum: idem frigus habet aptitudinem ad frigefaciendum, & simul ad calefaciendum, cùm possit diuinitùs eleuari ad calorem producēdum: Ratio, vna est aptitudo naturalis per inclinationem naturalem, alia obedientialis per solam non repugnantiam. *96. Resp. inductione.* *Ratione.*

97. *Ad confirm. discrimen.* Ad confirm. aliqui negant antecedens. putant enim animam rationalem per absolutam Dei potentiam educi posse ex potentia materiæ. At neg. conseq. Ratio: actio eductiua repugnat cum termino, suâ naturâ, creabili; requirit enim in termino educibili saltem non repugnantiam ad dependēdum à subiecto: anima autem per rationem positiuam substantiæ spiritualis est positiuè repugnans ad dependendum à subiecto. Actio verò dependens à supposito solùm requirit in natura capacitatem, vt possit vlteriori termino substantiali terminari: hoc autem, vt patet, non repugnat cum substantia spirituali, quæ natura sua postulat terminari substantialiter termino propriæ subsistentiæ. Instas: potest, quod est suâ naturâ educibile, creari: ergo potest, quod est suâ naturâ creabile, educi. Resp. neg. conseq. quia potest imperfectio termini educibilis suppleri extrinseco cōcursu & actione creatiuâ: non potest autem positiua perfectio termini creabilis tolli actione eductiuâ, cùm hæc *98. Anima rationalis non est educibilis.*

non

non mutet intrinsecam perfectionem termini creabilis: vnde nec potest tollere intrinsecam & positiuam perfectionem substantiæ spiritualis, ad non dependendum à subiecto, realiter identificatam cum ipsa substantia. Stante autem intrinseca independentia à subiecto, implicat, vt substantia actu fiat dependens à subiecto: sicut implicat, vt stante actione creatiua, quâ accidens conseruatur independens à subiecto, fiat actu dependens à subiecto: nam tales rationes actu dependere à subiecto & habere positiuam repugnantiam ad dependendum à subiecto, pugnant inter se.

99. *Ratio efficax contra 3. sentent. cit. num. 41.* Ratio, tertiam sententiam efficaciter impugnans, est hæc: Implicat, vt eâdem actione natura humana accipiat suum esse naturale, & simul fiat dependēs à persona Verbi, vt à supposito intrinsecè suppositante: igitur implicat, vt natura humana subsistat in Verbo actione dependente à Verbo, vt à supposito intrinsecè suppositante; scilicet in hac sententia natura humana non fit dependens à Verbo actione distincta, sed eadem, quâ accipit suum esse naturale; docēt enim actione, non vnione addita, naturam humanam subsistere in Verbo, vt tollāt entium multiplicitatem: & quod alij Mysterium explicant vnione distincta à natura, eiusque productione, ipsi sola productione, diuersa tamen ab ea, quâ natura produ-

100. *Prob. antec.* ceretur extra Verbum. Antec. prob. eadem actio simul esset naturalis, quatenus esset formalis communicatio esse humanitatis; & supernaturalis formaliter, quatenus esset formalis communicatio esse Diuini; igitur implicat eadem actione naturam humanam accipere suum esse naturale, & simul fieri dependentem à Verbo Diuino, vt à supposito intrinsecè suppositante. Maior prob. cùm actio sit ipsa formalis ratio & via, qua communicatur esse effectui, debet illud in se continere, non vt illud continet causa virtute & eminenter; sed vt illud continet forma formaliter: ergo formaliter esset & naturalis, & supernaturalis si-

101. *Confirm.* mul. Confirm. talis actio ita respicit personam Verbi, vt illam essentialiter postulet vt intrinsecum terminum suæ dependentiæ; ergo ex hac parte est supernaturalis (nulla enim actio naturalis essentialiter postulat vt intrinsecum terminum suæ dependentiæ personam Diuinam, vt suppositum eiusdem naturæ, cuius est actio) eadem actio respicit essentialiter hanc naturam, vt intrinsecum terminum suæ communicationis; ergo ex hac parte est naturalis, vt terminus ipse. Igitur eadem indiuisibilis actio erit simul naturalis & supernaturalis, specificata à terminis intrinsecis, naturali &

102. *Eadē actio indiuis. non est formaliter naturalis & supernaturalis.* supernaturali. At hoc implicat: nam formalis naturalitas excludit formalem supernaturalitatem ab eadē entitate, & è conuerso: (suppono ex communiori sententia naturalitatem & supernaturalitatem esse differentias intrinsecas positiuè existentes in re, quæ dicitur naturalis vel supernaturalis, & non tātum per respectum ad intrinsecum agens;) nam quod est naturale, est debitum & naturæ commensum; quod est supernaturale, est indebitum & incommensum naturæ. Eadem igitur actio, quâ cōmunicaret esse naturale humanitati, esset debita & commensa naturæ; quâ eidem communicaret esse personale Dei, esset eidem naturæ

103. *Confirm. 1.* indebita & incommensa. Confir. 1. Implicat, vt eadem indiuisibilis forma simul tribuat effectū formalem naturalem & supernaturalem; ergo pariter implicat, vt eadem indiuisibilis actio simul tribuat

104. *Confirm. 2.* esse naturale humanitatis, & esse supernaturale personæ Increatæ. 2. Implicat, vt vi eiusdem actionis natura humana exigat vt sibi debitam personam diuinam, vi cuius accipit suum esse naturale: ergo implicat, vt natura humana subsistat in Verbo vi actionis, quâ producitur in suo esse naturali. Anteced. prob. nulla substantia creata vi actionis, quâ producitur, exigit aliquod esse supernaturale, alioqui vi sui esse naturalis simul exigeret esse supernaturalis, quod hæresim sapit *Heresis Pelagij.*
Pelagianam; omne quippe esse supernaturale supponit esse naturale, eique aduenit vt indebitum & supra capacitatem ipsius: non posset autem ei aduenire vt indebitum, si illud exigeretur vi primæ actionis, quâ natura produceretur. Nam sicut talis productio nullum supponeret esse naturale, sed primò illud communicaret naturæ, ita si vi eiusdem productionis natura simul exigeret esse Personale diuinum, hoc non posset vt indebitum aduenire naturæ, sed essentialiter exigeretur vi eiusdem actionis, quâ natura humana acciperet suum esse naturale. Vnde vi actionis, quâ natura *Quid. affine.*
esset creatura, simul esset substantialiter Deus; vi actionis, quâ primò produceretur, non esset pura creatura, sed simul Deus; vi actionis, quâ in esse naturali produceretur, non esset illi esse personale diuinum indebitum & incommensum, sed debitum & commensum. Patet ad fundamentum tertiæ sententiæ.

SECTIO III.

An possibilis fuerit Incarnatio ex parte vnionis hypostaticæ?

Prima ratio dubitandi essentia vnionis est, 105.
vtrumque extremum nectere: nequit autem *1. Ratio dubitandi.*
vtrumque extremum nectere, nisi in vtroque subiectetur: nequit subiectari in Verbo: igitur nequit Verbum cum humanitate nectere. Minor prob. *Assumpta minor prob.*
1. vnio essentialiter est nexus duorum: ergo essentialiter postulat inhærere vtrique extremo: 2. essentialiter est modus; modus est actualis modificatio eius, cuius est modus; vnio essentialiter est modus vtriusque extremi, ergo essentialiter modificat vtrumque. 3. Implicat dare effectum formalem vniti, & non afficere vnitum; ergo implicat vnire intrinsecè Verbum cum humanitate, & non afficere intrinsecè Verbum. Anteced. prob. vnio dat effectum formalem vniti seipsâ immediatè; ergo vt illum extremo conferat, debet in extremo esse, in eoque subiectari; cùm nequeat forma, præsertim modalis, effectum formalem conferre extremo, in quo non est. 4. Sicut essentia modi absoluti, est actu modificare subiectum: ita essentia modi respectiui, qualis est vnio respiciens plura extrema, est actu modificare vtrumque extremum; cùm non minùs essentialiter respiciat vnum, quàm alterum. 5. Aliàs vnio non differret à puro respectu, qui solùm modificat vnum, & terminatur ad aliud.

2. Ratio dub. Si vnio hypostatica subiectare- 106.
tur in humanitate, non in Verbo, non esset, cur *Secunda ratio dubit.*
potiùs cum humanitate esset vnitum Verbum, & non reliquæ diuinæ personæ; cùm non minùs hæ sint per intimam præsentiam coniunctæ humanitati; consequenter incarnatæ, quod est hæreticum. 3. Sequeretur, aliquod ens creatum necessi- 107.
tare Deum ad vniendum se humanitati: at nulla *Tertia ratio dubit.*
creatura vim habet necessitandi Deum ad producendum aliquē effectum ad extra, multò minùs ad vniendū se cum creaturâ. Sequela prob. hæc vnio est ali-

est aliquid creatum; & eâ positâ, implicat Deum se cum humanitate nō vnire: alioqui posset humanitas esse vnita Deo per vnionem in se receptam, & Deus non vnitus humanitati: at esse vnitū, est effectus formalis respectiuus, essentialiter respiciens vtrumque extremum: vnde implicat hoc esse vnitū alteri, & vicissim alterum nō esse vnitum

108. *Quarta dubitandi ratio.* huic. 4. Vnio hæc producitur à totâ Trinitate; vt omnis effectus ad extra: ergò non est propria Verbi, sed totius Trinitatis, à quâ producitur. Neque dicas, esse propriam Verbi terminatiuè, cùm non sit per intrinsecam attingētiam & inhærentiam in se, sed solùm per intimam assistentiam; sed tota Trinitas, vnioni intimè assistens, erit terminus vnionis.

109. *Inexplicabilis diffic.* Propter hæc mysterium dicitur ineffabile & incōprehensibile ab humano ingenio: non tamen debemus, vt Iustinus *lib. de rectâ fidei confess.* monet, à tanti mysterij declaratione desistere: vt si non modum, quo se Deus nobis communicauit, saltem doni excellentiam ex incomprehensibilitate intelligamus. Nam vt *Concil. Toletan. XI. in profess. fidei* dixit, *si ratione hoc mysterium colligeretur, non esset mirabile; si exemplo, non esset singulare.*

110. *Eius enodatio.* Tota igitur enodatio pendet ex naturâ vnionis hypostaticæ, quæ ita vnit naturam humanam cum Verbo, & ex vtroque vnum substantiale componit, vt nullam in Deo mutationem ponat. Ad quam explicandam, cùm nullum habeamus in naturâ exemplum, siquidem omnis vnio naturalis vtrumque afficit extremum, recurrendum est

Non implicat talis vnio: ad omnipotentiam Dei, probandumque non implicare, talem vnionem produci, quæ in vno extremo tantùm subiectata, & ad alterum so-

111. *Prob. ex capite triplici: Ex 1.* lum intimè terminata, vnum per se substantiale componat. Prob. illa vnio non repugnat ex eo, quòd non potest vtrumque extremum vnire, quin vtrumque simul afficiat: nam vt duo sint substantialiter vnita, vnione sufficiente ad constituendum vnum per se, non requiritur, vt vtrumque extremum afficiatur vnione: sed sufficit, si vnum tantùm afficiatur, & alterum vi eiusdem vnionis ita intrinsecè terminet, vt vi talis terminationis non minùs sit vnitum alteri extremo, quàm alterum sit vnitum sibi. Hoc fieri posse absque inhærentiâ, intrinsecâ dumtaxat terminatione vnionis ad se, prob. non ideò formaliter vnum extremum vnitur alteri, quia subiectat vnionem in se, sed quia per vnionem fit intimè substantia-

Duo effectus vnionis formales. liter præsens alteri. Duo quippe effectus formales in vnione distinguendi sunt, alter inhærendi, seu à subiecto dependendi; alter vniendi subiectum cum altero extremo, per realem & intimam præsentiam, quæ inter duo extrema realiter distincta esse potest, cum mutuâ communicatione perfectionis vtriusque: Priorem habet vnio, quâ modus est; posteriorem, quâ vnio est. Vnde si posset esse vnio, quæ à subiecto non penderet, haberet posteriorem effectum vniendi duo extrema inter se cum mutuâ communicatione perfectionis ad inuicem, absque priori effectu inhærendi seu à subiecto dependendi. Nam vnire est, quid diuersum ab inhærere; vnde separari posset ab inhærere. Nec propterea quòd vnum extremum non subiectet vnionem, erit minùs vnitum, quàm alterum vnionem in se subiectans: nam non ideò vnitur, quia vnionem subiectat; (hoc enim prouenit ex imperfectione vnionis, & extremi vnibilis) sed quia vi vnionis extremum trahitur ad intimam præsentiam substantialem cum altero extremo, qui effectus est proprius vnio-

nis, quâ vnio est formaliter. Confirm. hunc effectum formalem vniendi præstat vnio naturalis, quatenus afficiendo vnum extremum, necessariò trahit illud ad aliud extremum, in quo ipsa est; cùm nequeant duo extrema esse affecta eâdem vnione, & non esse sibi mutuò præsentia. Sed non implicat vnio, quæ subiectata in vno extremo essentialiter trahat alterum extremum per intimam præsentiam substantialem ad se. Quod ergò præstat vnio naturalis, afficiēdo intrinsecè vtrumque extremum, præstare potest vnio supernaturalis subiectata in vno, & essentialiter exigens aliud extremum sibi intimè præsens, & perfectiuum alterius extremi vnionem subiectantis. 112. *Confirm.* *Declaratur.*

Nec talis vnio implicat quâ modus est. Nam ad hoc sufficit, vt alterum saltem extremum habeat pro subiecto suæ inhæsionis. Neque ex eo quòd modus respectiuus est: quia necesse non est, vt secundùm respectum ad vtrumque extremum inhæreat: sed sufficit, vt inhæreat secūdùm vnum, & intimè terminetur ad alterum: Quo discriminatur à puro respectu prædicamentali; qui non requirit terminum intimè præsentem, cùm terminari possit ad distantem; & illum respicit vt purum terminum: vnio hypostatica respicit Verbum, vt substantialiter perfectiuum humanitatis. Ratio etiam redditur, cur potiùs talis vnio sit ad Verbum, quàm ad reliquas diuinas personas: nam ad sui existentiam non requirit essentialiter, nisi personam Verbi. Vnde si per impossibile reliquæ personæ non existerent, ad solam personam Verbi terminata, perfectè hæc vnio existeret, quia ab illa tantùm pendet terminatiuè. Contrà verò, si per impossibile solum Verbum non existeret, existentibus reliquis personis, non posset talis vnio existere, quia careret essentialiter termino sui respectûs. Ergo ex nullo capite talis vnio implicat. 113. *Prob. ex 2. cap. Ex 3.* 114. *Ratio optima.*

Ad 1. rationem dubit. neg. minor. ad 1. prob. neg. conseq. nam vt vnio sit nexus duorum, sat est, vt in vtroque sit vnitiuè, seu vtrumque cōstituat intimè præsens alteri, cum dependentiâ & perfectibilitate saltem vnius ab altero. Ad 2. prob. disting. minor: modus est actualis modificatio eius, cuius est inhæsiuè, concedo; cuius est terminatiuè, nego: & concedo vnionem esse vtriusque extremi vnitiuè, quia vtrumque vnit, constituendo vtrumque intimè substantialiter præsens alteri; nego esse vtriusque inhæsiuè, quia necesse non est, vt vtrique inhæreat. Ad 3. neg. anteced. ad prob. dist. antec. vnio dat effectum formalem vniti seipsâ per inhærentiam, nego; per intimam terminationem, concedo. Vnde nego, non posse vnionem dare effectum formalem vniti extremo, in quo non est subiectiuè, cùm possit illum dare, in quo tantùm est intimè terminatiuè. Ad 4. de ratione modi vt sic, essentialiter tantùm est, actu modificare aliquod subiectum; non est de ratione modi respectiui, actu modificare vtrumque extremum. Nam licet hoc postulet vnio naturalis, propter extrema imperfecta, non tamen postulat vnio vt sic; cùm nulla appareat repugnantia, quin possit modificare vnum, & intimè tantùm terminari ad aliud. Quare nego, vnionem æquè respicere debere vtrumque extremum, quantum ad inhærētiam, licet æquè respicere debeat, quantum ad vnitionem. DICES: implicat, vt vnio naturalis, quæ afficit vtrumque extremum, afficiat tantùm vnum: ergò nequit vnio vnum tantùm extremum afficere, & alterum vnire. Resp. neg. conseq. nequit enim vnio naturalis, quæ de fa- 115. *Ad 1. rationem dubit. & probationes 5.* 116. 117. 118. *Ad 4. prob. neg. paritas.* 119. *Vnio naturalis inhæsiua vtrique.*

cto

cto vtrumque extremum afficit, afficere tantùm vnum; quia est essentialiter addicta vtrique extremo inhæsiuè: & quia de ratione modi est, adæquatè modificare, quantum modificatiuus est, implicat, vnionem naturalem, quæ actu vtrumque extremum modificat inhærendo, vnum tantùm afficere: non implicat vnio, essentialiter addicta vni extremo inhæsiuè, & alteri tantùm terminatiuè.

120. *Ad secundam ratio. dub.* Ad 2. rationem dubitandi, constat cur potius vnio hypost. terminetur ad Verbum, quàm ad reliquas diuinas personas, estò hæ sint intimè præsentes vnioni: quoniam reliquæ personæ non sunt intimè præsentes humanitati vi vnionis formaliter, sed vi immensitatis & identitatis cum natura: Verbum est intimè præsens vi vnionis formaliter: nec eæ sunt præsentes vnioni causatiuè vt Verbum, sed tantùm localiter.

121. *Ad tertiam.* Ad 3. neg. minor. Nam hæc necessitas non est absoluta & antecedens, sed consequens & ex suppositione, quæ includitur in priori effectu volito: posito enim quòd Deus producat talem vnionem, necessitatur ad illam terminandam, cùm hæc terminatio essentialiter includatur in vnione, vt posito, quòd in intellectu creato producat visionem sui, necessitatur ad seipsum illi manifestandum: quia hæc manifestatio essentialiter includitur in ipsâ visione, vt effectus formalis in suâ formâ.

122. *Ad quartā. Pater & Spiritus S. non complēt substantialiter humanitatem.* Ad 4. concedo vnionem hypostaticam non esse propriam Verbi effectiuè, sed terminatiuè. Ad instantiam: licet omnes personæ diuinæ sint intimè assistentes, per immensitatem & identitatem cum naturâ Verbi, non tamen terminant, nec complent hypostaticè humanitatem, vti illam complet persona Verbi: quæ substantialis terminatio est notionalis proprietas ad extra solius Verbi.

SECTIO IV.

An possibilis fuerit Incarnatio ex parte compositi?

123. *Prima dubitandi ratio.* PRIMA ratio dubitandi. Ex duobus entibus completis nequit fieri vnum per se: nam quidquid aduenit enti completo, non potest illud perficere substantialiter, sed tantùm accidentaliter; aduenit enim extra totam substantialem constitutionem ipsius: At Verbum est ens completum, ac humanitas: hæc enim habet totam perfectionem naturæ; alioqui si careret aliquâ spectante ad integritatem naturæ, Verbum assumpsisset naturam defectuosam.

124. *Secunda.* 2. Omne compositum fit ex partibus inuicem ordinatis: at inter Deum & creaturam nullus est ordo partium: ergo nulla compositio esse potest. *Confirm.* Confirm. compositum est effectus resultans ex partibus sese mutuò perficientibus: ergo vbi nulla ratio partium, nullum compositum.

125. *Tertia.* 3. Inter vnibilia necessaria est aliqua proportio: at inter Deum & creaturam nulla est proportio, cum inter finitum & infinitum infinita sit distantia, & consequenter improportio: ergo nulla vnio. *Confirm.* Confirmatur. Maior est diuersitas inter Deum & creaturam, quàm inter duo contraria: sed nequit ex duobus contrarijs fieri vnum per se: ergo neque ex Deo & creatura.

126. *Quarta.* 4. Ad faciendum vnum compositum per se, requiritur, vt vnum se habeat per modum actûs, alterum per modum potentiæ: sed nec Deus potest se habere vt actus respectu creaturæ, nam hic inuoluit imperfectionem informationis; nec creatura vt potentia respectu Dei, cùm nullam potentiam habeat creatura ad recipiendum Deum per modum actûs perficientis.

DICO: possibilis fuit Incarnatio ex parte compositi ex naturâ humanâ & persona Verbi; quia nulla in tali composito apparet repugnantia; neque ex parte Dei; quia vniri vt suppositum naturæ creatæ, est vniri vt perfectiuum perfectibili, quod dicit perfectionem absque imperfectione. Confirm. quod vnitur vt suppositum naturæ, vnitur vt vltimus terminus substantialis, incommunicabiliter terminans naturam, quod cōpetit personis diuinis respectu naturæ diuinæ; & sustentans eandem, quod dicit perfectionem in sustentante, imperfectionem in sustentato. 127. *Assertio de fide. Fundamentum non repugnat ex parte Dei.*

Neque repugnat, naturam humanam spoliatam propriâ subsistentiâ subsistere diuinâ sibi intimè vnitâ; cùm natura creata à propriâ subsistentiâ essentialiter non pendeat, vt nullum fundamentum à suo modo; nec sit in naturâ creatâ essentialis incapacitas ad subsistentiam diuinam. Confirm. Ita se habet substantia ad proprium modum essendi per se, sicut accidens ad proprium modum essendi in alio: sed potest accidens spoliatum proprio modo essendi in alio fieri per se: ergò poterit substantia spoliata proprio modo essendi per se fieri in alieno supposito. 128. *Neque ex parte humanitatis.*

Ad 1. rationem dubitandi, licet Verbum sit ens completum, non est ens completum humanitas; etsi completa in ratione naturæ, non tamen in ratione suppositi: ad faciendum autem vnum per se sufficit, vt alterutrum extremum sit incompletum; & solùm requiritur, vt vnum se habeat per modum perfectibilis, alterum per modum perfectiui, sub eâdem ratione. Nam hoc ipso, quod perfectiuum perficit perfectibile sub eâ ratione, quâ perfectibile exigit perfici, resultat ex tali perfectibili & perfectiuo vnum compositum per se. Ita humanitas non est completa in esse personæ humanæ; quod sufficit, vt facere possit vnum per se in ratione personæ cum personalitate diuina. 129. *Ad 1. rationem dub.*

Nec ideò Verbum assumpsit naturam defectuosam, seu defectū naturæ, ex eo quòd assumpsit naturam sine propriâ personalitate; nec dici potest assumpsisse illam cum priuatione alicuius perfectionis, sed solùm cum negatione, & quidem cum addito propriæ personalitatis: 1. quia priuatio importat aptitudinem, quam non importat negatio: vnde dicere, Verbum assumpsit naturam priuatam propriâ perfectione, est dicere, Verbum assumpsit naturam sine perfectione, cum quâ illam poterat assumere: quod falsum est, quia non potuit cum propriâ personalitate illam assumere, *vt infrà*. 2. cùm perfectio naturæ æquè significet perfectionem naturæ, ac suppositi, ad tollendam æquiuocationem, limitari debet ad perfectionem personalitatis. 130. *Defectus naturæ quis.*

Ad 2. neg. maior. nam licet hoc verum sit de composito naturali, in quo vtrumque extremum est perfectibile, ac ad alterum ordinatum, vt pars ad compartem; nullum, quippe ad aliud ordinatur, nisi sit ab eo perfectibile, cùm omnis ordo fundetur in perfectibilitate vnius ab alio: in composito tamen supernaturali talis ordo partium non requiritur, sed sufficit ordo obedientialis perfectibilitatis ex parte creaturæ, qui consistit in solâ capacitate & non repugnantia; & naturalis perfectiuitatis ex parte Dei, non quidem per modum partis, sed perfectissimi termini; nec per intrinsecum respectum & transcendentalem ordinem, sed per absolutam perfectionem, quam habet, 131. *Ad secundam ratio. dub.*

habet, perficiendi creaturas, omni modo possibili sibi non repugnante. Ex his patet ad confirm.

132. *Ad tertiam.* Ad 3. neg. minor. Est enim inter naturam creatam & subsistentiam increatam proportio perfectibilis & perfectiui in ratione subsistendi; quæ ex parte creaturæ est obedientialis, ex parte Dei, naturalis; non per intrinsecum ordinem, sed per infinitam perfectionem absolutam, eminentissimo modo continentem, quicquid perfectionis est in creaturis. Cui proportioni non obstat infinita distantia in ratione entis, quia cum eâ stat proportio in ratione perfectiui & perfectibilis; sicut cum infinitâ distantiâ in ratione entis inter Deum & creaturam, stat proportio cognoscibilis & co-

133. *Ad confirm.* gnitiui. Ad confirm. distinguenda major, Maior est diuersitas in ratione entis inter Deum & creaturam, quàm inter duo contraria, concedo; in ratione perfectiui & perfectibilis, quæ sola spectanda est ad vnum per se constituendum, nego. Confirm. magis in ratione entis conueniunt duæ animæ rationales, cùm ambæ sint substantiæ spirituales, quàm anima & corpus: cùm tamen ex animâ & corpore fiat vnum per se, quod non fit ex duabus animabus, defectu proportionis per-

134. *Ad quartã.* fectiui & perfectilis, quæ inter eas non est. Ad 4. disting. minor. Non potest Deus esse actus informatiuus respectu creaturæ, concedo; non potest esse actus terminatiuus, nego. Similiter non habet creatura potentiam naturalem ad recipiendum Deum per modum actûs hypostaticè terminantis, concedo; obedientialem, quæ ad supernaturale compositum, quale est ex Verbo & humanitate, sufficit, nego.

SECTIO V.

An Verbum exerceat aliquod genus causæ in naturâ assumptâ.

135. *1. Sentent.* PRIMA sententia negat: *Scoti in 3. distinct. 1. quæst. 1. §. contra hoc: Caiet. 3. p. quæst. 4. art. 2. §. simpliciter: Medina ibid. Bannez 1. p. quæst. 3. art. 3. dub. 1. Suar. 3. p. tom. 1. disput. 8. sect. vltim. §. ad tertiam* &c.

136. *Fundamentum.* Fundamentum: non apparet, quod genus causæ suppleat Verbum in assumptâ naturâ: non formalis, aut materialis: nam hæ imperfectionem inuoluunt; illa informationis, hæc receptionis. *Confirm.* Confirm. Si humanitas dimitteretur à Verbo, nullus deberet in eâ concursus suppleri; sed eodem prorsus, quo à Deo conseruabatur vnita Verbo, conseruaretur extra Verbum: at si Verbum causalitatem exerceret, illa deberet in separatâ humanitate suppleri: alioqui non posset talis humanitas existere, cum nullus effectus existere valeat absque omnibus causis ab ipso expetitis. Maior probat. humanitas conseruatur concursu creatiuo, qui sufficiens est conseruare terminum absque omni alio concursu, cùm sit perfectissimus concursus independens à subiecto, & termino intrinseco.

137. *2. Sentent.* SECVNDA affirmat: Verùm quid hoc genus causæ sit, *hoc opus, hic labor.* Alij causam formalem; alij materialem, præcisis imperfectionibus; alij quintum genus causæ terminatiuæ hypostaticæ, Aristoteli & antiquis ignotum; alij causam efficientem assignant; eò quòd suppositi sit, inquiunt, agere; proinde cùm Verbum sit suppositum assumptæ humanitatis, ipsius erit, omnes actiones humanitatis agere.

DICO 1. Verbum veram ac realem aliquam causalitatem exercet in naturâ assumptâ. Fundamentum: vbi est vera & realis dependentia in esse vnius ab alio, est vera & realis causalitas. In 138. *1. Assertio. Fundamentum.* naturâ assumptâ est vera & realis dependentia in esse, à Verbo: nam humanitas accipit à Verbo vltimum complementum essendi, sine quo existere non potest: ergo in esse completo verè realiterque pendet à Verbo. Maior ostenditur, vbi est vera & realis dependentia in esse, est vera & realis communicatio alicuius esse; verâ & realis causalitas, præsertim si talis communicatio sit cum dependentiâ termini à communicante: vt excludam communicationes diuinas ad intra; quæ quia sunt sine dependentiâ termini à principio communicante, non dicuntur causalitates, sed origines. At humanitati assumptæ non solùm communicatur à Verbo aliquod esse, sed illud communicatur, cum dependentiâ humanitatis à Verbo. Confirm. Subsistentia creata veram & realem causalitatem exercet in propriâ naturâ: vt 139. *Confirm.* *Medina citato §. est aliud dubium*, quia perficit & complet illam in genere causæ formalis intrinsecæ, seu termini hypostatici: Ergo etiam subsistentia increata in naturâ assumptâ: quia Verbum supplet vicem subsistentiæ creatæ in omni eo, quod imperfectionem non inuoluit.

Obycies 1. quæuis relatio pendet in suo esse à termino; nequit enim existere sine termino: nulla tamen relatio caussatur à termino: quia relatio respicit terminum, vt purum terminum; non respiceret vt purum terminum, si ab illo causaretur; ergo non omnis dependentia à termino est causalitas. 140.

Resp. nulla relatio prædicamentalis causatur à termino; at omnis transcendentalis creata causatur à termino, in genere causæ formalis specificantis, dependenter à quo accipit esse ab agente in certo genere limitatum. Sic potentiæ causantur ab actibus; actus ab obiectis. Nulla verò relatio prædicamentalis vt sic, causatur in suo esse à termino; quia vt sic, non pendet à termino quoad suum esse simpliciter, sed solùm quoad denominationem & connotationem termini actualis. Etenim cùm relatio prædicamentalis reipsâ non distinguatur à transcendentali, nisi quia transcendentalis connotat terminum possibilem, prædicamentalis existentem; non potest relatio prædicamentalis in suo esse pendere à termino existente, quia is supponit totum esse reale relationis prædicamentalis iam specificatum ab eodem termino vt possibili. Ex his patet ad maior. relatio prædicamentalis solùm pendet à termino quoad puram connotationem, non quoad esse. 141. *Resp. dist. minor.* *Relatio prædicament. à transcend. differt quoad termini connotationem tãtùm.*

Obycies 2. Ad veram causalitatem requiritur, vt esse, quod causalitate alteri communicatur, realiter pendeat à communicante: nam propterea in diuinis processionibus non est propria causalitas, quia esse, quod per illas communicatur termino producto, non pendet realiter à producente: at esse, quod à Verbo communicatur humanitati assumptæ, est ipsum esse personale Verbi, quod nullo modo pendet à Verbo. Respond. esse in causis intrinsecis, vnum est ipsum esse causæ, quod per immediatam exhibitionem sui, communicatur alteri extremo; aliud est esse alterius extremi, cui fit communicatio, quodque per esse causæ immediatè communicatum, completur, & perficitur. Vt in quolibet composito naturali, est esse formæ, vel subiecti, quod per immediatam exhibitionem sui se alteri communicat: & præterea ipsum 142. 143. *Duplex esse in causis intrinsecis distinguendum.*

sum esse subiecti, vel formæ, quod per receptionem alterius in suo proprio esse perficitur, completur, causatur. Ad veram igitur causalitatem, non requiritur, vt esse immediatum formæ, aut subiecti pendeat à formâ, vel subiecto communicante, cùm nihil possit realiter à seipso pendere: sed sufficit, vt esse alterius, cui esse communicatur, pendeat à communicante, medio esse immediatè communicato: quia dum illud completur & perficitur in suo proprio & intrinseco esse, realiter pendet ab alio. Licet igitur humanitas non pendeat à Verbo, secundùm esse hypostaticum, quod sibi immediatè communicatur à Verbo, pendet tamen à Verbo, quoad esse suum proprium & intrinsecum, dum in esse suo proprio & intrinseco substantialiter perficitur & completur à Verbo.

144. *Triplex effectus à Verbo. Primus. Secundus.* Vnde triplex effectus est in humanitate assumptâ, quem à Verbo accipit. 1. est, ipsum esse subsistens, qui per modum effectûs formalis primarij immediatè communicatur naturæ, mediâ vnione hypostaticâ, vt causalitate. 2. est, incommunicabilitas alteri supposito, qui negatiuus est, & per se consequitur ad primum positiuum: vti in quantitate est impenetrabilitas, quæ per se consequitur ad extraneitatem partium: nisi quod hæc separabilis sit diuinitùs à quantitate; illa inseparabilis, etiam diuinitùs, à subsistentiâ siue propriâ, siue alienâ. *Tertius.* 3. est adhuc mediatus, & per se consequens ad 1. estque ipsum esse humanitatis, quatenus subsistentia perficitur & completur, absque quo complemēto non esset humanitas sibi ipsa ad existendum sufficiens: sicut non esset sibi ad existendum sufficiens materia absque complemento formæ substantialis; propterea que dicitur à formâ substantiali causari.

145. *Causalitas Verbi in humanitatem non est efficientis: A priori.* Dico 2. Causalitas, quam Verbum in assumptâ naturâ exercet, non est in genere efficientis. Fundamentum: nullam causalitatem in hoc genere exercet Verbum, quam non exerceant omnes diuinæ personæ. Ratio: virtus causandi in hoc genere, est perfectio absoluta communis omnibus personis. Confirm. Verbum in assumptâ naturâ supplet causalitatem subsistentiæ creatæ; sed hæc in naturâ propriâ non exercet genus causæ efficientis; ergo nec Verbum in assumptâ. 2. Positâ
146. vnione humanitatis ad Verbum, à totâ Trinitate efficienter causatâ, & omni aliâ efficientiâ seclusâ, humanitas realiter pendet in suo esse à Verbo, vt à supposito complente & perficiente naturam; ergo non est hæc causalitas efficientis.

147. *Nec in genere causæ materialis, nec formalis,* Dico 3. Causalitas, quam exercet Verbum in assumptâ humanitate, non est propriè causæ formalis, aut materialis; sed vel causæ terminatiuè hypostaticæ, vel reductiuè tantùm ad formalem, & materialem, præcisis imperfectionibus, quas hæ causæ per se connotant. Primum patet: hæ causæ per se connotant imperfectionem partis, semientis, & perfectibilitatis, Verbo repugnantem. Secundum prob. causa terminatiua hypostatica nul-
148. *Sed terminatiua hypostatica.* lam per se importat vel connotat imperfectionem: nam abstrahit à ratione partis, & solùm dicit conferre vltimum complementum substantiale naturæ; vnde aliquo modo conceditur Deo, cuius natura dicitur tribus subsistentijs terminari. Tertium constat. Quia cùm hæc causalitas,
149. *Reductiuè ad formal.* quam Verbum in humanitate exercet, si, per immediatam exhibitionem sui, nequit ad aliud genus causæ reduci, quàm ad formalem, & materialem, quæ solùm causant per immediatam exhibitionem sui. Reducitur autem ad formalem, quatenus Verbum communicat seipsum, vt intrinsecum terminum naturæ; forma enim habet se respectu compositi, vt terminus & vltimum complementum: Ad materialem, quatenus sustentat humanitatem, terminando ipsius dependentiam ad se; natura enim humana non solùm accipit esse à Verbo hypostaticum per vnionem ad Verbum, sed etiam sustentatur à Verbo, quatenus per eandem vnionem ad Verbum, pendet in suo esse à Verbo; nam sublatâ propriâ subsistentiâ, non posset per suum esse existere, nisi innixa & sustentata à Verbo. *Ad materialem.*

Ex his conciliantur Authores. Qui negant, Verbo omne genus causæ respectu humanitatis, solùm negant cum ijs imperfectionibus, cum quibus tale genus causæ intrinsecè exercetur in rebus creatis. Qui concedunt, procul dubio, præcisis imperfectionibus, quas hæc causarum genera ex primariâ significatione important. Cæterùm probabiliùs aliquod genus causæ concedunt Verbo erga humanitatem; non cum imperfectione sui; nec ideò simpliciter non causat; sed cum solâ imperfectione & dependentiâ humanitatis causatæ: nam causare vt causare, abstrahit à causare cum perfectione, vel imperfectione sui: imò causare, formaliter importat perfectionem, quia importat dare esse, quod formaliter dicit perfectionem. 150. *Citati authores conciliantur.*

Deducitur 1. in hoc ineffabili composito, Verbum non est pars compositi, ex *S. Thom. 3. p. quæst. 2. artic. 4. ad 2.* quia pars dicit imperfectionem, scilicet perfectibilitatem à suâ comparte; sed solùm dici terminum intrinsecum, seu vt *ibid.* habere rationem numeri, qui abstrahit à ratione partis. An verò dici queat persona composita, *infrà*. Humanitas non est causa formalis respectu Verbi, esto sit forma, quâ Verbum denominatur homo; quia Verbum in suo proprio esse non pendet ab humanitate; & omnis causa suâ causalitate reddit causatum à se dependens: dicitur forma Verbi, non physica, quia hæc respicit compartem à se perfectibilem; sed metaphysica & totalis, quæ solùm respicit terminum subsistentiæ, à quo completur in ratione subsistentis incommunicabiliter. 3. Verbum habet aliquam propriam causalitatem ad extra, quam non habent reliquæ personæ, quæ est causalitas formæ hypostaticæ respectu naturæ assumptæ; nam sicut solum Verbum naturam assumpsit, ita solùm habet hanc causalitatem in naturâ, quæ est notionalis proprietas ipsius ad extra. 151. *Corollar. 1.* 152. *Humanitas forma metaph. Verbi.* 153.

Ad fundamentum primæ sententiæ patet. Ad confirm. neg. sequela. Ad prob. nego, omnem concursum creatiuum ex se esse sufficientem conseruare terminum independenter ab omni alio concursu causæ, vt patet in concursu creatiuo materiæ, qui sine concursu formæ non est sufficiens conseruare materiam in rerum naturâ: ergo sicut materia separata ab omni formâ, debet fortiori concursu supplente concursum formæ à Deo conseruari; ita natura separata ab omni subsistentiâ, debet fortiori concursu, supplente concursum subsistentiæ à Deo conseruari. Ratio: si natura non penderet in suo esse à subsistentiâ, vt à causâ, cuius causalitas suppleri deberet in naturâ ab omni subsistentiâ separatâ, non posset natura illam substantialiter exposcere, & cum eâ constituere vnum per se. Nam si non penderet in suo esse à subsistentiâ, cùm neque ab ea pendeat in operando (tota enim ratio operandi est natura, non subsistentia, quæ cùm sit purus modus, est ad operandum 154. *Ad Fund. 1. sententia.* *Vt materia ad formam ita natura ad subsist.* 155. *Si natura independenter à subsistentia est completa in essendo & operando, illam naturaliter non posceret.*

randum inepta) esset absque illâ perfectè atque
vltimò completa: adeoque nec posset illam natu-
raliter exigere; cùm omnis naturalis exigentia sit
propter aliquam perfectionem, quam vel ad essen-
dum, vel ad operandum natura postulat.

156. Dices 1. Naturam exposcere modum subsistē-
tiæ, vt conditionem, sine quâ nec existere, nec na-
turaliter operari posset. Sed contrà: nemo dixit,
subsistentiæ modum distinctum à natura exposci,
Subsistentia non est pura conditio. vt puram conditionem; nam Verbum in naturâ
assumptâ suppleret puram conditionem. Et con-
ditio est extra constitutiuum substantiale rei: sub-
sistentia autem, vt modus distinctus, ingreditur
substantiale constitutiuum rei; quia constituit
formaliter suppositum, quod est constitutum sub-
stantiale: alioqui constitutum ex humanitate &
157. Verbo non esset substantiale. Dices 2. Exposci-
tur vt modus distinctus, & terminus, quo natura
reddatur alteri incommunicabilis: sicut linea ex-
poscit punctum, non vt eo formaliter existat, vel
operetur, sed vt quantitatiuè terminetur, fiatque
vt sic terminata incommunicabilis alteri quanti-
tati. Licet igitur natura possit sine subsistentiâ, vt
modo distincto, existere & operari, haud tamen
existere poterit, vt alteri incommunicabilis, quod
158. est existere vt suppositum formaliter. Sed contrà:
hoc ipso, quòd natura existeret completè in ra-
tione existendi, & operandi, existeret in ratione
Natura independenter à modo subsist. existeret completè per se & in se. suppositi; scilicet per se & in se, independenter à
subsistentiâ, vt modo distincto, seu subsisteret vt
suppositum formaliter: nam completè ac perfe-
ctè existere per se & in se, est in existendo non in-
digere vlteriori termino, vel subiecto; ita natura
ad existendum non indigeret, vt vlteriori termino
subsistentiâ, à se modaliter distinctâ.

159. *Et incommunicabiliter.* Imò eadem natura incommunicabiliter existe-
ret, si independenter à subsistentiâ, vt modo distin-
cto, in essendo & operando completè existeret; In-
cōmunicabilitas enim quam importat suppositum,
non est in ratione perfectiui; alioqui non potuisset
Verbum se cōmunicare naturæ humanæ, vt maxi-
mè perfectiuum; sed est in ratione perfectibilita-
tis; non accidentalis, quia potest suppositum crea-
tum accidentaliter perfici; sed substantialis; quia
quod existit vt suppositum, non est vlterioris
perfectionis substantialis capax; cùm suppositum
conferat vltimum complementum substantiale na-
Subsistentia non relinquit naturam capacem vlterioris perfectionis substant. turæ, ita vt cum vlteriore non valeat vnum per
se constituere. Hanc autem incommunicabilita-
tem haberet natura independenter à quocumque
alio termino, & modo distincto, si ex se haberet
totum complementum existendi, & operandi: &
hoc est omne complementum substantiale, à na-
tura expetitum; ac proinde incapacitas ad vlte-
riorem perfectionem substantialem: igitur talis
naturâ independenter à quocumque alio termi-
no & modo distincto, existeret incommunicabi-
liter: aut quæ alia incommunicabilitas poterit sup-
posito tribui?

160. *Confirm. 1.* Confirm. 1. Eatenus subsistentia vt modus di-
stinctus redderet naturam substantialiter incom-
municabilem, quatenus conferret illi vltimum
complementum substantiale, vltra quod non es-
set vlterioris complementi substantialis capax: at
hoc ipso, quòd natura haberet omne complemen-
tum ad existendum & operandum, haberet vlti-
mum complementum substantiale; cùm ad exi-
stendum & operandum, in ordine ad quæ omne
complementum à naturâ exigitur, non indigeret
161. vlteriori termino, aut modo distincto. 2. Si natu-
Confirm. 2. ra diuina non esset productiua & fœcunda ad in-
tra, sed tantùm ad extra, esset formaliter suppo-
situm, solâ ratione absolutâ existendi per se & in
se: ergo etiam natura creata, solâ ratione existen- *A pari.*
di per se, quam per aduersarios habet independen-
ter à subsistentiâ, vt modo distincto, est supposi-
tum. Anteced. prob. natura diuina non exigit per-
sonalitates relatiuas, vel ad sui existentiam cùm ab
illis non accipiat, nec perficiatur in suo existere ab-
soluto; nec ad producendum ad extra, cùm tota ra-
tio producendi ad extra in Deo sit natura absolu-
ta. Ad exemplum, nego lineam non exigere puncta 162.
propter aliquam operationem: continuatiua enim *Ad exemplum de lineâ.*
exigit vt vniones connectentes partes; terminati-
ua ad terminandum contactum corporum, abs-
que penetratione in tali sent. Subsistentia verò, vt
modus à naturâ distinctus, si non requiritur neque
ad complementum essendi, neque ad complemen-
tum operandi naturæ, non est ad quid aliud re-
quiri possit.

Sed contrà: ex dictis sequitur, suppositum crea- 163. *Obijcies.*
tum saluari in solâ naturâ, connotato tantùm con-
cursu effectiuo adæquato sibi debito, quod impu-
gnatum est *sect.* 2. nam dici posset probabiliùs, hūc *Probat sequel.*
concursum effectiuum, quo dixi conseruandam
fore naturam, si ab omni subsistentiâ spoliaretur,
connaturaliter exigi ab ipsâ naturâ, ac proinde per
illum naturam reddi per se & in se independen-
tem & incommunicabilem omni extrinseco sup-
posito: vnde sicut non obstante eo, natura per nos,
fieri adhuc posset communicabilis alieno supposi-
to, commutato fortiori concursu sibi indebito, in
debiliorem sibi debitum: ita non obstante, quòd
natura fortiori concursu sibi debito conseruata,
esset naturaliter alieno supposito incommunicabi-
lis, adhuc tamen commutato fortiori concursu si-
bi debito, in debiliorem sibi indebitum, fieri pos-
set alieno supposito communicabilis. Resp. neg. se- 164.
quel. ratio, cur possit natura fortiori concursu sibi *Resp. neg. sequel.*
indebito extra omne suppositum conseruata, com-
mutato eo in debiliorem sibi debitum, fieri alieno
supposito communicabilis; non possit eadem con-
naturaliter postulans fortiorem concursum, eo in
debiliorem commutato, fieri alieno supposito cō-
municabilis, est, vt *cit. sect.* 2. quia potest intrinseca
imperfectio naturæ fortiori concursu effectiuo à
Deo suppleri; contrà verò non potest intrinseca
perfectio naturæ, manente eâdem entitate, per di-
minutionem debiti concursûs effectiui tolli. Cùm *Discrimen*
igitur naturâ ponam cum intrinsecâ imperfectio- *nostræ sent.*
ne & aptitudinali dependentiâ à subsistentiâ siue *ab aduers.*
propriâ, siue alienâ; aduersarij non ponant, sed po-
tiùs cum intrinsecâ perfectione & aptitudinali in-
dependentiâ ab omni subsistentiâ, poterit in natu-
râ separatâ ab omni subsistentiâ, suppleri eius apti-
tudinalis dependentia à propriâ, vel alienâ subsi-
stentiâ, fortiori concursu effectiuo; non poterit,
diminuto ipsius debito concursu, fieri aptitudina-
liter dependens ab alieno supposito: cùm nequeat
effectiuus concursus debitus esse minor aut de-
bilior, quàm entitas naturæ exposcit. Ratio: con- *Ratio.*
cursus effectiuus commensuratur entitati effectus:
vnde iuxta exigentiam effectûs debet esse maior
vel minor, fortior vel debilior. Siquidem priùs
entitas termini est dependens, vel independens à
subiecto, vel supposito, quàm sit concursus effecti-
uus: cùm concursus effectiuus sequatur conditio-
nem & naturam sui termini.

Confirm. sicut non potest natura Angeli, suâ 165.
naturâ independens à subiecto, fieri à subiecto de- *Confirm.*
pendens, per variationem concursus effectiui de- *A pari.*
bilioris: ita nec eadem natura, ab alieno supposito
suâ na-

suâ naturâ independens, variato concursu effectiuo in debiliorem, fieri ab alieno supposito dependens. Verùm, quia, vt *ibid.* posset hæc ratio solui, negando has aptitudines inter se pugnare: est ratio ibid. assignata: nempe, nisi ponamus naturam subsistere subsistentiâ distinctâ ab ipsius entitate & productione, non possumus saluare, quo modo possit in Verbo subsistere: cùm in eo, vt *ibid.* subsistere non possit per productionem à Verbo dependentem.

166. *Vt sect. 2. notaui.*

167. *Ad fund. 2. Sentent.* Ad fundam. secundæ sententiæ, quatenus probat, Verbum in assumptâ naturâ supplere causalitatem efficientis, negandum, suppositi esse *agere* elicitiuè, sed tantùm denominatiuè: quatenus complendo naturam, quæ est totalis ratio agendi, in vltimo esse substantiali, denominatur agere.

DISPVTATIO II.

De cognoscibilitate Incarnationis.

Ad pleniorem doctrinam disp. de his omnib. INCARNATIONIS explicanda sunt attributa. Primum est COGNOSCIBILITAS, quæ immediatè sequitur ad eius possibilitatem: omne quippe ens est verum, atque adeò cognoscibile. Cæterùm sicut Incarnatio duplex habet esse, possibile & existens; ita duplicem cognoscibilitatem, possibilitatis, & existentiæ. Vtrumque autem cognosci potest lumine naturali, & supernaturali, ex principijs naturæ, & diuinæ reuelationis; euidenter, & probabiliter; ab intellectu humano, & angelico: de his omnibus hîc disputo.

SECTIO PRIMA.

An possibilitas Incarnationis sit euidenter lumine naturali ab intellectu creato cognoscibilis?

1. *Nullus Schol. discrepat, nec Lullus.* DICO 1. Nullus intellectus creatus, vi solius luminis naturalis, potuit Incarnationis possibilitatem euidenter cognoscere: ita omnes *Schol. in 3. dist. 1. & Raym. Lullus, lib. de artic. fidei cap. 26. sub tit. probatio veritatis artic.* vbi docet impossibile fuisse, scientiam Incarnationis haberi per lumen naturale; necessarium fuisse supernaturale: *ex Isaia 45. ad Ephes. 3. ad Coloss. 1.* vbi hoc mysterium appellatur *sacramentum absconditum*: etiam Patres de Incarnatione interpretantur illud *Isa. 53. generationem eius quis enarrabit?*

2. *Fundamentum.* 2. Fundam. nequit intellectus creatus, vi luminis naturalis, se extendere ad cognoscenda ea, quæ sunt extra ipsius naturalis cognitiuitatis sphæram: vt nulla potentia viribus proprijs extra obiectum suum naturale: Possibilitas Incarnationis est extra sphæram naturalis cognitiuitatis intellectûs creati: est enim opus supernaturale quoad substantiam; quod omne est extra sphæram intellectus naturalis.

3. *Confirm. 1.* Confirm. 1. hoc mysterium non cognosceretur ab intellectu creato, euidenter intuitiuè, per proprias species; quia nullæ species rei supernaturalis quoad substantiam, sunt naturaliter debitæ intellectui creato: Non euidenter abstractiuè per effectum: quia nullus datur effectus naturalis euidenter eam arguens. Non per causam: cùm hæc sit ipsa omnipotentia Dei, supernaturaliter productiua huius mysterij.

4. *Confirm. 2.* 2. Cognitio possibilitatis Incarnationis supponit notitiam Trinitatis; cùm sit cognitio Filij incarnati, à Patre geniti: ergo saltem præter notitiam geniti incarnati supponit notitiam Patris gignentis: sed hæc notitia nulli creato intellectui est naturaliter debita: ergò nec illa. Cæterùm hæc ratio solùm procedit de possibilitate incarnationis, prout de facto est vnio naturæ humanæ cum Verbo, non cum personâ diuinâ vt sic, abstrahendo, an in Deo sit vna, vel multiplex persona.

5. *Confirm. 3.* 3. Sunt mysteria supernaturalia minoris difficultatis possibilia; quæ tamen ab intellectu creato vi luminis naturalis euidenter cognosci nequeunt: ergo multò minùs apex omnium supernaturalium, ante factam reuelationem, vi luminis naturalis euidenter cognosci potuit.

6. *Nequit deduci ex mysterio Trinitatis.* DICO 2. Nec possibilitas Incarnationis euidenter cognosci potest ex alijs mysterijs supernaturalibus reuelatis. Prob. deduci non posset, ex mysterio Trinitatis, cùm longè diuersæ rationis sit; nam cognitu difficile est, quo pacto unio valeat substantialiter copulare Verbum cum humanitate, absque intrinsecâ mutatione Verbi; cùm de ratione vnionis videatur, afficere vtrumque extremum: nec difficultatem emollit Trinitatis mysterium, in quo nullum apparet vestigium substantialis vnionis Dei cum creaturâ, sed communicationis eiusdem naturæ cum tribus suppositis: ex quâ argui non potest communicatio alicuius suppositi diuini cum naturâ creatâ, cùm longè diuersa sit communicatio naturæ ad intra, quàm personæ ad extra. Nam illa fit suppositis proprijs, hæc alienæ naturæ: illa necessariò & absque vllâ imperfectionis vmbrâ; hæc liberè & non sine aliquâ mutationis suspicione, nisi fides aliud doceret: illa absque vnione distinctâ, per omnimodam identitatem naturæ cum personis; hæc per distinctam vnionem personæ cum naturâ. Vnde, ex *August. 10. de Ciuit. cap. 29.* quidam Platonici admittentes Trinitatis mysterium, negabant Incarnationis. Igitur ex Trinitate ad Incarnationem nulla est deductio.

7. *Neque ex mysterio Eucharistiæ.* Nec deduci potest ex mysterio Eucharistiæ, vbi idem numero Christi corpus sub diuersis speciebus est replicatum: accidentia à proprio subiecto separata, & sub alieno constituta: corpus quantum sine propriâ extensione locali, indiuisibiliter in ordine ad species sacramentales positum. Nam omnia hæc fieri possunt cum mutatione vtriusque extremi, & corporis Christi in officium panis succedentis; & accidentium, alium modum existendi extra proprium subiectum acquirentium. At in incarnatione semper manet humano captu incomprehensibile, quo pacto possit Verbum substantialiter vniri naturæ creatæ absque mutatione sui.

8. *Longè dispar vnio accidentium Euchar.* Et licet accidētia panis vniantur Christi corpori, ab eoque sustententur, vnione subiectatâ tantùm in accidentibus, & terminatâ solùm ad Christi corpus, absque mutatione corporis, solâ mutatione accidentium: non est eadem ratio de vnione naturæ humanæ cum Verbo, quæ est substantialis, faciens vnum per se cum personâ Verbi; ratione cuius Deus dicitur homo, homo Deus; mutuò cōmunicantur & prædicantur idiomata vtriusque extremi inter se.

9. *Certa assertio. Fundam.* DICO 3. non potest ratione naturali euidenter demonstrari, hoc mysterium esse impossibile: est certum apud omnes *cit. loco in 3.* Quia quod est de fide, est verum; eius contradictorium est falsum; & nequit euidenter demonstrari vt verum, cùm omnis demonstratio procedere debeat ex veris: falsum autem, cùm veritatis principia non habeat.

habeat, demonstrari non poterit vt euidenter verum.

10. *Obijcies* 1. Hæ duæ propositiones. *Ratio naturalis non potest demonstrare Incarnationem esse possibilem*: & *Ratio naturalis non potest demonstrare Incarnationem esse impossibilem*, sunt contradictoriæ; cùm vna affirmet, quod altera negat: ergo alterutra necessariò erit falsa. Resp. nego anteced.

11. *Hæ propos. non sunt cõtradictoriæ in ordine ad intell.* nam contradictoriæ sunt, quarum vna negat alteram, at posset eadem res nec demonstrari vt euidenter possibilis, nec vt euidenter impossibilis. Quia cùm demonstratio sit in ordine ad intellectum, non solùm requirit, vt res sit talis in se, sed etiam vt possit ab intellectu cognosci talis; igitur possibilis sit Incarnatio secundùm se, nequit tamen à nobis naturaliter cognosci vt possibilis; nec sequitur, cognosci posse vt euidenter impossibilem; quia nequit cognosci vt euidenter impossibile, nisi quod à parte rei est impossibile; vnde, vna propositio ex allatis non affirmat in ordine ad intellectum, quod altera in ordine ad eundem negat; quæ esse deberent, vt essent contradictoriæ.

12. *Dices.* *Obijcies* 2. potest intellectus angeli omnes rationes, quæ contra possibilitatem Incarnationis fieri possunt, naturaliter soluere; si enim non posset soluere omnes, posset iudicare illam esse impossibilem: at soluendo omnes, euidenter cognoscit illam vt non impossibilem; ergo euidenter cognoscit vt possibilem.

13. *Resp.* Resp. Esto, angelus soluat omnes rationes, quæ contra hoc mysterium fiunt, aut fieri possunt: non tamen euidenter cognoscit, nullam prætereà superesse, quod necessarium est ad euidentem cognitionem non impossibilitatis obiecti, seu possibilitatis eiusdem. Cùm enim angelus non comprehendat, neque potentiam obedientialem creaturæ, neque omnipotentiam Dei, non potest euidenter scire, an aliqua sit implicantia, vel ex parte creaturæ, vel ex parte Dei, quæ huic mystrio repugnet.

SECTIO II.

An saltem probabiliter possit Incarnationis possibilitas ab intellectu creato lumine naturali cognosci?

14. *1. Sentent. Prob. 1.* PRIMA sententia affirmat: *Medina 3. part. quæst. 2. introduct. conclus.* 4. Prob. 1. cognoscit naturaliter angelus, naturam humanam reipsa distingui à propriâ subsistentiâ, ab eâque separari posse: naturaliter etiam cognoscit, Deum seipso supplere posse, quidquid perfectionem dicit: supplere autem munus subsistentiæ in naturâ creatâ, dicit perfectionem; scilicet naturaliter comprehendit naturam subsistentiæ creatæ: sed hæc in terminandâ propriâ naturâ, dicit perfectionem, alioqui non potuisset de facto à Deo suppleri, à quo non nisi quod perfectionem dicit, suppleri potest.

15. *Prob. 2.* 2. Si vera est opinio asserens, in composito naturali dari vnionem subiectatam in vno extremo, & terminatam tantùm ad alterum, poterit probabiliter angelus venire in cognitionem possibilitatis Incarnationis. Nam ex vnâ parte videt, quod supplere munus subsistentiæ creatæ in naturâ humanâ, dicat perfectionem. Ex aliâ cognoscit, ad vnionem substantialem naturæ humanæ cum supposito diuino, non esse necessariam inhærentiam vnionis cum vtroque extremo: ergo.

16. *Prob. 3.* 3. Comprehendit angelus in naturâ humanâ potentiam obedientialem, sed in eâ continetur ordo ad vnionem hypostat. ergo cognoscit vnionem hypostat. quia comprehenso respectu, cognoscitur saltem abstractiuè terminus. Maior prob. potentia obedientialis non distinguitur ab entitate naturali: sed angelus comprehendit totam entitatem naturæ: ergò potentiam obedientialem, quam natura humana dicit ad vnionem hypostaticam. 4. Saltem probabiliter possibilitatem huius mysterij cognoscere posset Angelus ex Eucharistiâ; vbi datur vnio supernaturalis quoad essentiam, subiectata in accidentibus, terminata ad corpus Christi, solâ mutatione accidentium: & videtur superata potissima difficultas; siquidem ad vnienda duo extrema, non requiritur, vt vnio mutet afficiatque vtrumque. 17. *Prob. 4.*

SECVNDA negat, etiam probabiliter posse ab intellectu creato, vi solius naturalis luminis, Incarnationis possibilitatem cognosci: *Suarez 3. p. tomo 1. disput. 13. sect. 1. §. dices*, quia nulla ratio, aut coniectura naturalis sufficiens est ad superandam difficultatem, quâ premitur intellectus creatus ad hoc mysterium affirmandum. Quæ sententia probabilior. Duplex probabilitas: vna viâ inuentionis; altera viâ confirmationis. Dico, non posse viâ inuentionis, ne probabiliter quidem, intellectum creatum affirmare, illud mysterium esse possibile; posse tamen viâ confirmationis, postquam illud fide acceptatum est; vt constat ex rationibus, quibus *disp. præced.* probaui possibilitatem huius mysterij. Prior pars prob. nullum habet intellectus in naturâ principium, ex quo possit hoc mysterium probabiliter affirmare vt possibile, seu prudenter moueri ad tale iudicium ferendum assensu probabili, & non temerario, qui sine ratione formatur: patet ex *sect. præced.* Potissimum fundam. omnis substantialis vnio in rebus creatis importat perfectibilitatem vtriusque extremi. 18. *2. Sentent. probabilior.* *Fundam.* 19. *Probabilitas duplex.* 20. *Via inuentionis nulla.* *Insuperabilis diffic.*

Solùm inquiri posset, quid intellectus angeli de hoc mysterio iudicaturus esset, si aut casu in illius cogitationem incideret, aut explorandi ipsius iudicij causa illi à Deo proponeretur. Resp. vel prudenter suspensurum omne iudicium: vel certè si in alterutram partem iudicium ferre vellet, potiùs inclinaturum in partem negatiuam; cùm iudicium ferre non posset, nisi ex ijs, quæ in naturâ videt, vbi omnis substantialis vnio vtrumque extremum substantialiter perficiat. Quia tamen ex aliâ parte euidenter cognoscit, Deum plura posse, quàm intellectus creatus capere valeat, cum tali iudicio semper haberet admistam formidinem oppositæ partis. An saltem hoc mysterium Angelus probabiliter cognoscere possit ex alijs mysterijs reuelatis? certum mihi est, non posse ex mysterio Trinitatis positiuam rationem probabilitatis deducere: vt *præced. sect.* Dubium superest, an saltem ex Eucharistiâ iuxta nostram sententiâ de vnione Eucharisticâ, subiectatâ in accidentibus, & terminatâ tantùm ad corpus Christi, absque mutatione corporis Christi. Sed neque ex hoc mysterio, poterit adæquatam ratione probabilitatis habere. Ratio: licet sit superata illa difficultas, quo pacto possint duo extrema inuicem vniri, absque mutatione vtriusque; tamen manet vlterior, an possibilis sit vnio, quæ substantialiter copulet creaturam cum Deo in vnitatem suppositi; cùm ex vnione Eucharisticâ id colligi non possit: nam hæc vnio non est substantialis, constituens vnum per se, sed accidentalis; ratione cuius non communicantur proprietates vnius extremi alteri, vti communicantur vi vnionis hypostaticæ. Vnde ex hâc 21. *Curiosa quæst.* 22. *Maior diffic.* 23. *Discrimen vnionis hypost. & Euchar.*

hâc parte intellectus maneret dubitabundus; licet ex aliâ maiorem rationem haberet suspicandi possibilitatem Incarnationis; nec posset absolutè probabilem consensum positiuum ferre.

24. *Ad fund. 1. Sentent.* Ad fundam. primæ, neg. conseq. Esto enim angelus cognoscat, Deum supplere posse, quidquid perfectionem dicit; nec non supplere munus subsistentiæ creatæ vt sic, perfectionem importare; probabiliter non cognoscit posse munus supplendi subsistentiam in naturâ creatâ, separari ab imperfectione, quam importat vnio substantialis, ad hoc necessaria.

25. *Ad 2.* Ad 2. fateor in eâ opin. intellectum angeli habere posse fundamentum possibilitatis huius: tamen non esset sufficiens ad probabilem consensum positiuè ferendum: quia licet talis vnio subiectetur tantùm in vno extremo, vtrumque tamen substantialiter perficit, si non per inhærentiam, saltem per adhærentiam, vt docet: at Verbum neque per adhærentiam vnionis est perfectibile.

26. *Ad 3.* Ad 3. neg. maior. Ad probat. concedo, potentiam obedientialem reipsâ non distingui à naturali subiectiuè; distingui tamen terminatiuè per ordinem ad terminos supernaturales, ad quos creatura diuinitus eleuari potest, vt *tom. seq.* ita licet angelus comprehendat naturam humanam quoad potentiam naturalem, in ordine ad terminos naturales, à quibus specificatur; non tamen quoad obedientialem, in ordine ad effectus supernaturales, quos connotat. Ad 4. patet.

SECTIO III.

An Dominica Incarnatio sit naturaliter cognoscibilis postquam peracta est.

27. *1. Sentent. Fundam. ex ratione.* PRIMA sent. affirmat. quia naturaliter ac euidenter cognoscebat dæmō, naturam humanam Christi, propriâ subsistentiâ spoliatam, ac subsistere diuinâ: ergo naturaliter cognoscebat hoc mysterium; scil. non posse naturam creatam absque aliquâ subsistentiâ subsistere; etiam supplere munus subsistentiæ, non dicere imperfectionem: ergo euidenter cognoscebat, naturam humanam subsistere subsistentiâ increatâ.

2. *Ex reuelatione.* 2. probabile est, hoc mysterium fuisse Angelis initio creationis reuelatum, cuius fide debebant beatitudinem consequi. ergo euidenter inferre poterant, illud esse in hac indiuiduâ naturâ, quam propriâ subsistentiâ nudatam cernebant, completum.

3. *Maximè ex miraculis.* 3. hoc euidenter cognoscere poterant ex miraculis, quæ in confirmationem huius mysterij à Christo fieri videbant: euidens enim est dæmoni, Deum ad falsum attestandum concurrere non posse; & multa miracula facta fuisse à Christo in attestationem, quod esset filius Dei. Igitur euidēs erat dæmoni, Christum fuisse filium Dei.

Confirm. Id confirm. *Marci* 3. *Lucæ* 4. vbi dæmones clamabant dicentes: *Tu es filius Dei; qui non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.*

28. *2. Sentent. vera. Disting. cognitiones.* SECVNDA negat, Incarnationem, etiam postquam peracta est, naturaliter ab intellectu creato cognosci posse. Variæ cognitiones; intuitiua, abstractiua; euidens, probabilis; per causas intrinsecas, per principia & motiua extrinseca, aut supernaturalia.

29. *Assertion. 4. Fundam.* DICO I. A nullo intellectu creato cognosci potest Incarnationis existentia, cognitione naturali intuitiuâ. Nullum enim opus supernaturale quoad substantiam cognosci potest cognitione naturali intuitiuâ: at incarnationis existentia includit vnionem cum personâ Verbi, operum supernaturalium maximam. Confirm. Nequit opus supernaturale quoad substantiam intuitiuè cognosci, nisi propriâ specie, & lumine sibi proportionato: nec id esse debitum intellectui creato.

30. *Fundam.* 2. Non potest existentia Incarnationis naturaliter cognosci, cognitione euidenti abstractiuâ per proprias causas & principia. Quia propriæ causæ & principia euidenter cognoscendi abstractiuè Incarnationis existentiam, sunt potentia & voluntas Dei, quæ ab intellectu creato naturaliter cognosci nequeūt.

31. *Fundam.* 3. Nequit per principia extrinseca naturalia euidenter, sed tantùm probabiliter, & ad summum euidenter euidentiâ morali, Incarnationis existentia ab intellectu creato cognosci. Quia principia extrinseca naturalia sunt testimonia & auctoritas creaturæ attestantis, quæ non pariunt euidentiam rei attestatæ, sed tantùm fidem humanam, & ad summum euidentiam moralem: cùm nec intrinsecam habeant connexionem cum re attestatâ, nec per se sint infallibilia, sed possint aliter se habere.

32. *Fundam.* 4. Potest Incarnationis existentia per principia & motiua supernaturalia extrinseca euidenter cognosci, euidentiâ infallibili. Quia principia supernaturalia extrinseca sunt per se infallibilia, cùm originem ducant ab auctoritate diuinâ, quæ nec fallere, nec falli potest.

33. *Ad fundamentum 1. Sententiæ.* Ad fundam. primæ, concedit *Medina 3. p. introduct. ad 6.* antec. negat conseq. 1. quia etsi euidenter cognouerit dæmon, humanitatem Christi existere existentiâ increatâ, adhuc nesciebat, an esset vnita Deo hypostaticè. 2. Esto cognouerit illam esse vnitam Deo hypostaticè, adhuc non necessariò cognoscebat, Deum esse hominem, quod est mysterium Incarnationis cognoscere: cùm sanguis Christi, eiusque anima rationalis fuerit in triduo vnita Deo hypostaticè, & tamen nec sanguis, nec anima rationalis erat Deus.

34. *Contra Medinam 1.* Sed contrà: falsum est, dæmonem euidenter cognouisse humanitatem Christi existere existentiâ increatâ. Nam vel eam cognoscebat intuitiuè; at ita cognosci nequit, nisi visione beatâ: vel euidenter abstractiuè; at nullum erat medium, quo illam ita cognosceret, nisi miracula in illius confirmationem facta: nec hoc est cognoscere illam per principia naturalia, vt *ipse in resp. ad* 2. concedit, sed per principia supernaturalia.

35. *Secundò.* 2. Per ipsum existentia increata vel est eadem cum subsistentiâ, vel illam præsupponit: vnde si euidenter cognoscit, humanitatem esse spoliatam existentiâ & subsistentiâ propriâ, quâ ratione ex priuatione propriæ existentiæ euidenter arguit, illam existere existentiâ increatâ; eadem etiam ratione ex priuatione propriæ subsistentiæ euidenter arguet, illam subsistere subsistentiâ increatâ, ac proinde esse vnitam Deo hypostaticè; cùm idem planè sit.

36. *Tertiò.* 3. Dæmonem cognoscere humanitatem vnitam Deo hypostaticè, est cognoscere Deum esse hominem. Deus hypostaticè vnitus sanguini, & animæ rationali in triduo, non dicebatur homo, quia homo importat vnionem cum totâ humanitate, quæ in triduo, dissolutâ vnione naturali cum partibus non erat.

37. *Neg. antec. Ad 1. prob.* Quare neg. anteced. ad 1. probat. nego, dæmonem euidenter cognouisse, Christi humanitatem caruisse propriâ subsistentiâ; aio, solùm illam non cognouisse: ex quo suspicari poterat illam ob aliquem finem sibi à Deo fuisse occultatam: sicut, *teste Ignatio*, occultatum illi fuit virginale signaculum Mariæ. Et esto. cognouerit, humanitatem carere propriâ subsistentiâ, adhuc nego euidenter cognouisse illam subsistere diuinâ, cùm iudicare potuerit, illam à Deo conseruari, modo sibi incognito.

38. *Ad 2.* Ad 2. negan. conseq. cùm non potuerit

Dæmon ex apprehensione confusâ, quâ initio creationis proposita illi fuit Incarnatio fide diuinâ credenda, euidenter colligere, illam fuisse in hac naturâ peractam: cùm non fuerit opus à principio cum omnibus circumstantijs, cum quibus executioni mandata fuit, angelis proponi. Ad 3. concedo Dæmones Incarnationis arcanum euidenter cognoscere potuisse ex miraculorum attestatione. At hoc est, cognoscere illud ex principijs supernaturalibus, qualia sunt miracula. Cæterùm puto, huiusmodi attestationem fuisse Dæmonibus occultatam, ne redemptionis mysterium impedirent. Ad confir. illa, *tu es filius Dei*, explicari non de notitiâ euidenti in miraculorum attestatione, sed de probabili & morali notitiâ in testificatione hominum. Et de hac dicitur, *sciebant ipsum esse Christum.*

39. *Ad tertiam.*

40. *Ad confirm. resp.*

41. *Ad sent. 2.* SECVNDA intelligenda de probabili cognitione naturali Incarnationis viâ inuentionis, non confirmationis.

42. *Quadruplex modus cognoscendi Incarnat.* PETES. Quot modis sit cognoscibilis supernaturaliter Incarnatio? Resp. illam cognoscibilem esse cognitione beatâ in Verbo, vt cognoscunt Beati: 2. obscurâ fide, vt Viatores fideles: 3. euidenti in attestante per miraculorum attestationem, vt cognouerunt Apostoli: vel euidenti notitiâ internâ, quâ quis euidenter cognosceret actum supernaturalem; v. g. fidei aut visionis beatæ de hoc mysterio, cum quo actu id infallibilem connexionem habet, hoc ipso euidenter abstractiuè cognosceret hoc mysterium; cùm nequeat actus fidei diuinæ, aut visionis beatæ esse falsus, nec fides diuina: nec visio beata ad falsum inclinare possit, ita cognosceretur obiectum horum actuum esse, sicut per actus indicatur & repræsentatur. 4. Cognosci potest notitiâ intuitiuâ infusâ per propriam speciem in se ipsâ, vti cognoscitur ab animâ Christi.

43. DICES: nequit intuitiuè cognosci vnio cum Verbo, non cognito Verbo: nequit autem notitiâ intuitiuâ cognosci Verbum Deus extra visionem beatam, aut sine lumine gloriæ, quod est principium visionis beatæ: ergo nequit vnio cum Verbo cognosci notitiâ intuitiuâ extra visionem beatam. Maior probat. nequit intuitiuè cognosci vnio, non cognito intuitiuè eius specificatiuo, seu Verbo; vt nec relatio, non cognito intuitiuè termino; nec æternus Pater, non cognito intuitiuè æterno eius filio.

44. *Ex intuitione vnionis, vnitum abstractiuè notum,* Resp. neg. maior, eiusque probatio, solùm enim ex cognitione intuitiuâ vnionis sequitur cognitio abstractiua vniti; similiter ex cognitione intuitiuâ relationis, abstractiua notitia termini. Ratio: cùm sint à parte rei distincta, potest intuitiuè cognosci vnum, non cognito intuitiuè altero: potest Deus infundere speciem intuitiuam vnius, & non alterius: quia tamen vnum est essentialis respectus ad aliud, nequit intuitiuè cognosci vnum, quin saltem abstractiuè cognoscatur aliud; cùm in ipsâ cognitione intuitiuâ vnius includatur connotatiuè aliud.

45. Cur autem nequeat intuitiuè cognosci æternus Pater, non cognito intuitiuè æterno filio; est, quia identificantur in eâdem numero naturâ, quâ intuitiuè cognitâ in vno supposito, necessariò intuitiuè cognoscitur in alio, & in reliquis cùm nequeat intuitiua visio non cognoscere omnia, quæ cum obiecto ipso viso identificantur.

DISPVTATIO III.

An conueniens fuerit Deum incarnari?

DICO 1. Conueniens fuit Deum incarnari. Ratio conuenientiæ respectu Dei, 1. est manifestatio diuinorum attributorum. Conuenientissimum enim fuit, inuisibilia Dei per visibilia eiusdem nobis manifestari: in Incarnatione autem maximè elucent diuina bonitas, in communicando se creaturæ, quantum communicari potuit. Misericordia, in subleuando homine per peccatum lapso: Iustitia, in exhibendo condigno pretio pro debito totius generis humani: Sapientia; in excogitando medio omnium aptissimo; nec non in architectando tam mirabili opere, ex tam distantibus naturis humanâ & diuinâ composito: Omnipotentia, in producendo opere omnium maximo. 1. *Duplex ratio conuenientiæ,*

2. De ratione bonitatis est, sese communicare; nam *bonum, teste Dionys. de diuin. nominib. cap. 4. est sui diffusiuum:* ergo de ratione summæ bonitatis est, summo modo se communicare creaturæ, scil. per Incarnationem, quâ communicat increatam personam, infinitum bonum. 2. *Ex diuinâ bonitate.*

3. *Obijcies* 1. Si de ratione summæ bonitatis est, summo modo se communicare; Deus per Incarnationem necessariò creaturæ se communicauit: alioqui diuina bonitas non mansisset in suo connaturali statu: imò ab æterno se ad extra communicare debuisset; aut totâ æternitate mansisset in statu præternaturali.

4. *Propensio subordinata libertati.* Resp. neg. seq. nam communicabilitas ad extra non conuenit diuinæ Bonitati per naturalem propensionem & intrinsecum appetitum cum innatâ perfectibilitate sui, vt illi conuenit communicabilitas ad intra; sed solùm per modum moralis decentiæ, subordinatæ diuinæ libertati. vt *disput. seq.*

5. *Obijcies* 2. Perfectiùs se Deus communicat Visione beatâ, quàm Incarnatione: illâ se communicat omni perfectione absolutâ & respectiuâ; per hanc verò solùm hypostasi relatiuâ Verbi: Visione beatâ se communicat mediâ nobilissimâ operatione vitali vitæ intelligentis; Incarnatione verò tantùm mediâ vnione personali, quæ vitalis non est.

6. *Maior cõmunicatio Incarnat. quàm Visionis B.* Resp. neg. anteced. Incarnatione enim communicat se Deus creaturæ substantialiter & intrinsecè; Visione, accidentaliter & extrinsecè, in ratione dumtaxat obiecti intelligibilis, quod ex se non constituit vnum per se cum principio intelligente, vt hypostasis cum naturâ assumptâ. 7. Visione communicantur beato omnes perfectiones tam absolutæ, quàm respectiuæ Dei; Incarnatione sola hypostasis relatiua Verbi per se & immediatè: at hæc fit substantiali vnione, constituente vnum per se; quâ constitutione proprietates vnius in recto prædicantur de altero; & vice versâ: & esto,

8. Deus Visione beatâ communicet se Beatis operatione vitali nobilissimâ vitæ intelligentis; hæc non est communicatio substantialis, tribuens esse diuinum naturæ intrinsecè & substantialiter; sed accidentalis, & in ratione dumtaxat obiecti extrinsecè terminantis: & incarnatio est radix & principium illius; cæterarumque supernaturalium perfectionum; sicut substantia est radix & principium omnium naturalium proprietatum; atque adeò perfectior quâcunque operatione, etiam vitali;

cum

cùm omnis operatio finaliter ordinetur ad perficiendam substantiam, cuius est operatio.

9. *Ratio maioris congruentiæ sexiuplex.* Dico 2. Congruentius fuit, Verbum, quàm reliquas diuinas personas incarnari. Ratio, est maior affinitas hominis cum Verbo, quàm cum reliquis diuinis personis. 1. Vterque est imago Dei, *ad Coloss. 1. & 1. ad Corinth. 2. ad Rom. 8. quos prædestinauit conformes fieri imaginis filij:* est enim Verbum conceptus æterni Patris, in quo omnium creaturarum exemplaria continentur, vtque in intelle-

10. ctuali imagine homo exprimitur. 2. Sicut homo per Verbum vt per suum diuinum exemplar, conditus fuit: ita decuit per Verbum hominem lapsum reparari: per idem enim artifex opus producit, & collapsum reparat. 3. Quia decuit adoptiuos filios per naturalem redimi. 4. Ob maiorem conuenientiam in idiomatum participatione; idem enim qui erat æternâ generatione filius Dei, fit temporali conceptione filius hominis: & qui ab æterno de patre natus erat sine matre, in tempore nascitur ex matre sine patre. 5. Ne cum idiomatum confusione nomen filij communicaretur Patri, aut Spiritui sancto; néve idem ratione actiuæ generationis æternæ diceretur Pater; ratione passiuæ temporalis filius; vnde *August. lib. de eccles. dogmat. cap. 2. Non*, inquit, *Pater carnem assumpsit, neque Spiritus sanctus, sed filius tantùm, vt qui erat in diuinitate Dei Patris filius, ipse fieret in homine hominis matris filius, ne filij nomen ad alterum*

11. *transferet, qui non esset æternâ natiuitate filius.* 6. Si incarnatus fuisset Pater, non potuisset in eo saluari ratio *missionis*: quia *missio* vt *tom. 1. disput. 28.*

Non saluaretur ratio missionis in Patre. *sect. 2. & 3.* est progressio missi à mittente ad nouum opus virtute & auctoritate mittentis peragendum. In diuinis autem sola persona accipit virtutem & auctoritatem nouum opus peragendi, per originem à mittente communicatam; nec est alius modus communicandi virtutem operandi, quàm per originem. Ergo nequit Pater, qui à nullo procedit, mitti: vnde *August. 2. de Trin. c. 5. Pater solus nusquam legitur missus: non enim habet de quo missus sit, aut ex quo procedat.* Et contra ser. Arian. cap. 4. *Solus Pater non legitur missus, quoniam solus non habet auctorem, à quo genitus sit: vel à quo procedat.*

12. *Obijcies.* Congruentius fuisset, incarnari Spiritum sanctum, cùm enim Incarnatio sit maximum donum collatum creaturæ; ei personæ magis conuenit, quæ vi suæ originis procedit vt donum creaturarum: solus autem Spiritus sanctus vi suæ originis procedit vt liberalis & gratuita donatio, non sui, sed creaturarum, quibus liberè donabilis est; quia procedit vt amor, quod est primum & potissimum donum, quod amans donat

13. *Spiritus S. donatur inuisibili gratiâ.* amato, vt *tomo 1. disputat. 27. sect. 7.* Resp. neg. assumpt. nam magis congruit, vt donum hoc Spiritus S. habeamus per merita & intercessionem filij, vt ipse dixit *Ioan. 14. Ego rogabo Patrem & alium Paracletum dabit vobis.* Et licet potuisset Spiritus sanctus incarnatus suis meritis nobis seipsum per gratiam à Patre & filio impetrare, adhuc congruentius fuit, vt & persona impetrans distingueretur à personâ impetrandâ; & ad maiorem Dei munificentiam, & communicationem, plures diuinæ personæ nobis donarentur, vna visibili Incarnatione, altera inuisibili gratiâ.

14. *Prima ratio conuenientiæ ex parte humanæ.* Dico 3. Conueniens fuit Incarnatio ex parte naturæ assumptæ. 1. ratio conuenientiæ sunt maxima & præstantissima bona, quæ ipsi naturæ humanæ assumptæ communicata sunt, nempe, Excellentia diuinæ personalitatis; summa coniunctio & consanguinitas eiusdem cum Deo, naturali filiatione contracta; supremus honor & cultus latriæ, humanæ naturæ vnitæ Verbo debitus; condignus valor ad satisfaciendum pro infinitâ iniuriâ illatâ Deo; eminentia capitis totius Ecclesiæ militantis ac triumphantis, tam hominum, quàm angelorum; plenitudo gratiæ & gloriæ; communicatio thesaurorum absconditorum sapientiæ & scientiæ Dei; moralis omnipotentia ad omnia opera miraculosa patranda; iudiciaria potestas in in omnes creaturas; regia iurisdictio & auctoritas gubernandi & leges ferendi in Vniuersum; altissima euectio ad eamdem maiestatis sedem cum Deo: throni collocatio in dexterâ Dei Patris; vt meritò de Christi humanitate dixerit *August. lib. de prædest. Sanct. cap. 5.* ad tantam ac tam excelsam sublimitatem euectam fuisse, vt quò attolleretur altiùs non haberet. 2. *Caiet. 3. p. qu. 1. art. 1.* cum

naturâ humanâ Christi eleuati sunt ad eamdem diuini suppositi vnitatem omnes Vniuersi gradus, vtraque natura, spiritualis & corporea: si assumpsisset purè spiritualem, non fuisset eleuata corporea; si purè corpoream, non fuisset eleuata spiritualis. Vt igitur omnes gradus entis, & Vniuersum, saltem virtualiter ad dignitatem sui suppositi eueheret, assumpsit naturam humanam, in quâ totum vt in μικροκόσμῳ virtualiter continetur. 3. de- 15. *Secunda.*

cuit tam nobilem creaturam, quæ tota in primo parente perierat, reparari, & ad pristinum finem, propter quem condita fuerat, restitui. Hinc discrimen, cur potiùs humana, quàm angelica natura reparata sit: cùm non minùs vna, quàm alia ad supernaturalem beatitudinem, & Vniuersi perfectionem ordinata sit: & triplex ratio. 1. Tota natura humana in primo parente corruerat, non tota angelica: imò vt cum *Scoto* sentio, nulla integra species angelica corruit; eo quòd plura sub eâdem specie sint solo numero distincta indiuidua; *2. to. disp. 3. sect. 7.* Ratio 2. est naturalis inflexibilitas naturæ angelicæ, quæ propter intellectûs perspicacitatem, potentiarum simplicitatem, specierum claritatem, naturalis luminis acumen, statim à principio vno intuitu cognoscit omnia, ac proinde difficiliùs quàm homo, qui ad intelligendum discursu eget, deflectit ab obiecto, quod semel elegit: cùm non possit nouâ aliquâ ratione, quam à principio non præuiderit, ab eo auerti, sicut potest homo ob discursûs imperfectionem: ideò assignata fuit angelo breuior ad merendum, & demerendum via. 3. Omnes angeli propriâ; homines verò, exceptis primis, alienâ peccârunt voluntate, nempe primi parentis vicem omnium gerentis: ad quod peccatum principaliter delendum incarnatum est Verbum: congruentius autem fuit; vt qui alienâ voluntate peccarunt, alienâ etiam voluntate redimerentur; non qui propriâ, cùm minùs sint excusabiles. 4. Posito quòd homo, & non angelus erat reparandus, cur potiùs Deus in naturâ humanâ, quàm angelicâ hominem reparare voluerit, est: tum vt natura, quæ peccauerat, satisfaceret; non in propriâ personâ, quæ satisfaciendi virtutem non haberet, sed in diuinâ, quæ lapsæ naturæ satisfaciendi condignitatem afferret. Tum vt pœna personæ satisfacientis responderet culpæ personæ delinquentis: vtque culpa consummata est in delectatione sensûs; ita pœna exhiberetur in dolore naturæ sentientis, iuxta *Apocal. 18. Quantum glorificauit se, & in delitijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum.*

16. *Tertia.*

17. *Cur Angelicam naturam non assumpserit.*

18. *Ratio 4. congruentiæ &c.*

Dico 4. Conueniens fuit Incarnatio ex parte matris: ratio ex *S. Doct. 3. p. quæst. 31. ar. 4.* Prima est, 19. *Ratio triplex conuenientiæ.*

ma est, vt vtrumque sexum naturæ humanæ, quam venerat exaltaturus, sublimaret; virilem per personalem assumptionem (non enim decebat fœmineum assumere) fœmineum per cooperationem & materiæ subministrationem; 2. vt euidenter constaret assumpti hominis veritas: nam, *si omnipotens*, inquit August. *Epist.* 3. *ad Volus.* ante med. *hominem vbicumque formatum, non ex materno vtero crearet, sed repentinum inferret aspectibus, nonne opinionem confirmaret erroris, nec hominem verum suscepisse vllo modo crederetur: & dum omnia mirabiliter facit, auferret quod misericorditer fecit? Nunc verò ita inter Deum & homines mediator apparuit, vt in vnitate personæ copulans vtramque naturam, & solita sublimaret insolitis, & insolita solitis temperaret.* 3. Vt hoc modo compleretur omnis diuersitas generationis humanæ: sicut Adam productus est ex limo terræ sine viro & fœminâ; Eua ex viro sine fœminâ; cæteri ex viro & fœminâ: relinquebatur quartus modus, Christo proprius, vt produceretur ex fœminâ sine viro.

Secunda.

Tertia.

20. *Ratio potissima conuenientiæ.* DICO 5. Conueniens fuit Incarnatio, vt fieret ex matre virgine. Ratio: vt Christus, quà homo, non modò iure vnionis hypostaticæ, sed etiam ratione supernaturalis generationis incapax esset peccati originalis: quod solùm contrahunt ij, qui ex Adamo per seminalem viam, naturali generatione nascuntur.

21. *Ratio temporis.* DICO 6. Conueniens fuit Incarnatio ratione temporis, quo executioni mandata est: *S. Thom.* 3. *p. qu.* 1. *ar.* 5. vbi probat, non debuisse Incarnationem executioni mandari ante commissum peccatum, cùm ordinetur in remedium peccati: nec statim post peccatum: tum quia peccatum processerat ex superbiâ; & cõsequenter antequam homo liberaretur à peccato, debuisset humiliatus recognoscere se liberatore egere: tum quia ad Incarnati Verbi dignitatem pertinebat, vt antequam carnem assumeret, longâ Prophetarum ac Patriarcharum serie prænuntiaretur, vt sic expectaretur ardentiùs, & exciperetur amantiùs: Et in 6. ostendit

22. conueniens non fuisse, illam vsque in finem mundi differri; quia paucis illa profuisset; nec conueniens erat tunc Deum incarnari, quando iam mores corrupti, & fides Mediatoris amissa, & spes de eodem desperata esset: quod maximè timendum erat, si diutiùs illa dilata fuisset. Venit ergo Christus iuxta Apostol. *ad Gal.* 4. *in plenitudine temporis*, quando subueniendum esse hominibus sciuit, & gratum suum beneficium futurum præuidit, & magis accommodum suum aduentum hominum prædestinationi nouit, ex *August. epist.* 49. *ad Deograt. q.* 2. *fine. Tunc voluisse hominibus apparere Christum, & apud eos prædicari doctrinam suam quando sciebat: & vbi sciebat esse, qui in eum erant credituri.*

DISPVTATIO IV.

An necessaria fuerit Incarnatio?

1. *Duplex necessitas.* NECESSITAS, vna antecedens & absoluta; altera ex suppositione & ad certum finem ab operante intentum. De 2. disput. seq. de priori nunc: Physica fundatur in naturâ,

Antecedens physica. excludente omnem potentiam ad oppositum, qualis est necessitas, quam Deus habet ad communicandum seipsum ad intra, per diuinas processio-

Vel moralis. nes; Moralis antecedens omne liberum decretum Dei, fundatur in naturâ & conditione ipsius agentis, infallibiliter determinans illum ad actum, in ordine ad quem est moralis necessitas, non exclusâ physicâ potentiâ ad oppositum, quæ tamen nunquam exitura est in oppositum actum, licet physicè exire non repugnet. Controuersia non est de necessitate physicâ, fundata in naturâ diuinâ, nec de morali consequente diuinum decretum, sed de morali antecedenti; an scilicet in Deo fuerit moralis necessitas, quæ ante omne liberum decretum, ita ipsum ad Incarnationem eligendam determinauerit, vt moraliter illam non potuerit non eligere, esto illam physicè potuerit non eligere. *De quâ to. 3. d. 16. nu. 333.* 2.

3. *1. Sentent.* PRIMA sententia affirmat: *Ruiz tom. de volunt. Dei disp.* 9. & 10. *Grana.* 1. *p. controu.* 3. *tract.* 2. *de obiecto mater.* & 2. *actuum diuinæ voluntatis disp.* 3. *Raymund. Lull. in explic. artic. fidei cap.* 18. eodem fundamento, scil. Deus semper moraliter determinatur ad optimum: optimum autem est, Deum incarnari: ergo Deus moraliter fuit determinatus ad Incarnationem eligendam. Igitur necessaria fuit Incarnatio, necessitate morali, quâ Deus non potuit moraliter oppositum, esto potuerit physicè. Minor prob. Illud est optimum, quod plures, optimoque modo declarat perfectiones diuinas: Talis autem est Incarnatio; nam per eam & multa diuina attributa, & optimo modo, scil. summâ communicatione sui, diuinam declarat bonitatem. Pro declaratione maioris, explicandum quid sit optimum. OPTIMVM in hac sententiâ non intelligitur absolutè & ex se acceptum, sed respectiuè & in ordine ad Vniuersum: nam sæpè quod est optimũ rei absolutè consideratæ, non est optimum rei in ordine ad Vniuersum: Vt perfectior esset ex se, saltem extensiuè, multiplex vnio hypostatica, vel eiusdem personæ diuinæ cum pluribus naturis, vel omnium personarum cum eâdem, aut diuersis naturis creatis; in ordine tamen ad Vniuersum talis vnionis multiplicatio perfectior non est: quia tollit vnitatem capitis; & minuit Incarnationis excellentiam. Optimum igitur est, quod magis congruit perfectioni Vniuersi, quodque altiùs perfectiùsque manifestat diuina attributa, quorum manifestatio fuit potissimus finis, qui Deum mouit ad mundum creandum. Distinguunt etiam duo genera entium: vnum, in quo nullus est terminus, sed semper est in infinitum abire, vt in entibus specie, vel numero in infinitum multiplicabilibus: in quo genere nullum est optimum; scil. quo perfectius in eo genere dari non possit: vbi enim non datur supremum, vt in infinitâ multitudine, optimum esse non poterit. Alterum est, in quo assignatur certus terminus, qui melior sit, quàm oppositum ipsius: vt melior est creatio mundi, quàm non creatio mundi; Incarnatio, quàm non Incarnatio, quia meliùs perfectiùsque manifestant attributa Dei, quàm ipsorum opposita. His declaratis, probant maior. ex *Arist. qui* 8. *Physicor. text.* 48. 56. & 12. *Metaph. cap.* 10. & 2. *Cæli text.* 34. & 2. *de Generat. text.* 59. docet, Deum & naturam semper facere quod optimum est: vnde axioma, *Deus & natura semper faciunt meliora.* 2. Ex *S. Thom.* qui sæpe cum *Aristot.* testatur, Deum & naturam semper facere quod melius est. vnde 1. *p. q.* 95. *art.* 6. *ad* 3. docet, hunc mundum non posse fieri meliorem quoad ordinem, quamuis fieri potuerit melior quoad res secundum se: & *quæst.* 47. *artic.* 2. *ad* 1. *Optimi*, inquit, *agentis est producere totum effectum suum optimum, non tamen quod quamlibet partem*

4. Fundam.

Vtraque cõseq. clara.

5. *Cardo controu. quid optimum?*

6. *Duo genera entium.*

7. *Maior prob. 1. ex Arist.*

8. *S. Thom.*

partem totius faciat optimam simpliciter ; sed opti-
mam secundum proportionem ad totum. Idem *quaest.*
48. *artic.* 2. *ad* 3. *& qu.* 19. *artic.* 2. *&* 1. *cont. Gent.*
Ferrar. *cap.* 75. *cum Ferrar. ibid.* ex eo quòd Deus vult
creaturas propter se, colligit semper Deum vel-
9. le meliora. 3. Ex Patribus, Dionyſ. *de diuin. nom.*
Dionyſ. *cap.* 4. *Optimi*, inquit, *est optima adducere* : quod
Cyrill. vt axioma Scholastici amplectuntur: Cyril. Alexan.
lib. 2. *Thesaur. cap.* 1. post init. *Quia igitur & om-*
nia Pater potest, & meliora semper vult, consubstan-
Basil. *tialis sibi ex Deo nascitur filius.* Basil. hom. *quòd Deus*
non sit auctor mal. concludit, *quòd nihil eorum, quæ*
nobis accidunt malum sit, aut tale, vt melius illo ali-
Chryſoſt. *quid excogitare queamus.* Chrysost. *hom. in cap.* 12.
1. *ad Corinth.* ita concludit: *Certè quod optimum, re-*
ctissimumq; factu fuit, hoc illum voluisse, consenta-
Damaſc. *neum esse debet.* Damascen. *lib.* 2. *fidei cap.* 29. *Omni-*
nò necesse est, inquit, *omnia, quæ prouidentiâ fiunt,*
secundum rectam rationem optima & Deo decentissi-
10. *ma fieri, vt non sit ea meliùs fieri.* Hæc ex Græcis. Ex
Auguſt. Latinis August. *lib.* 3. *de lib. arbit. cap.* 5. ita scribit;
Quicquid tibi verâ ratione melius occurrit, hoc scias
fecisse Deum: & lib. de quantit. animæ *cap.* 33. *Dei*
iustitiâ factum est, vt non modo sint omnia, sed etiam
sic sint, vt omninò melius esse non possint : & lib. 1. con.
aduers. legis & Proph. *cap.* 14. concludit : *aut ve-*
rò vsque adeò desipiendum est, vt homo videat melius
aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse, non putet?
aut putet vidisse, & credat noluisse? aut voluisse qui-
Anſelm. *dem, sed minimè potuisse?* Anselm. *toto lib.* 1. *&* 2.
Cur Deus homo, vsque adeò huic sententiæ adhæ-
ret, vt putent sensisse, Deum absolutâ necessitate
incarnatum fuisse; ex *lib.* 2. *cap.* 4. *Necesse est ergo,*
vt de humanâ naturâ perficiat quod incepit : necessi-
tatem explicat *cap.* 5. *Et cùm dicimus, Deum ali-*
quid facere quasi necessitate vitandi inhonestatem, quam
vtique non timet, potius intelligendum est, quod
facit necessitate seruandæ honestatis : quæ scilicet ne-
cessitas non est aliud, quàm immutabilitas honestatis
eius, quam à seipso, & non ab alio habet, & idcir-
cò impropriè dicitur necessitas : dicimus tamen, quia
necesse est, vt bonitas Dei propter immutabilitatem
suam perficiat de homine quod incepit. Quibus o-
stendit se loqui de necessitate moralis infallibili-
tatis, quam habet Deus operandi quod perfe-
ctius est.

11. Probant 4. ex Scholaſt. axiom. Primum. 4. Probant ex Patrum & Scholast. axiomatis.
1. Vniuersum hoc esse quoad omnes gradus entis
perfectum: ex quo colligunt *Theologi*, dari naturas
intellectrices completas, quæ compleant & con-
summent supremum gradum vitæ intellectualis, in
2. homine tantùm inchoatum. 2. Deum habere per-
fectam prouidentiam de hominibus, ac de eorum
bonis & malis actionibus : quo Patres suadent gen-
tilibus, necessariò cōcedendam esse aliam vitam, in
qua & bonæ actiones à Deo remunerandæ, & malæ
puniendæ sint; & colligunt mysteria nostræ religio-
nis esse euidenter credibilia, vt homines faciliùs
3. ac promptiùs ad illa amplectenda inducantur. 3.
Nunquam Deum permittere malum, nisi inde
colligat bonum: vnde August. *in Enchir. c.* 27. *Me-*
lius, inquit, *esse iudicauit de malis benefacere, quàm*
mala nulla esse permittere. 4. Dandam fuisse In-
carnationem, vt per eam homo condignâ satis-
factione redimeretur : quæ euidenter suppo-
nunt, semper Deum infallibiliter eligere, quod
est optimum : alioqui nihil probarent contra
Gentiles; qui respondere possent, potuisse Deum
hæc omnia facere, negarent fecisse, cùm æquè
liberum illi fuerit, hoc fecisse, quàm non fecis-
se.

4. Multæ Script. illationes infringerentur, nisi 12.
in Deo supponerent optimum operandi modum: Ex Scriptu-ris.
Matth. 6. & *Lucæ* 11. 12. & 18. *Si vos*, inquit Chri-
stus, *cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris:*
quantò magis Pater vester cælestis dabit spiritum bonum
petentibus se? 1. Corint. 15. *Si resurrectio mortuorum*
non est, neque Christus resurrexit. nisi istæ, & aliæ il-
lationes supponerent optimum in Deo gubernan-
di modum, nullam haberent vim; semper dubi-
tare possemus, an Deus meliorem illum guber-
nandi modum, elegerit. Ex *Concilio Francof. ab A-* 13.
driano Papa confirmato in Epist. ad Episc. Hispan. to. Concil.
3. *Concil. p.* 1. *in post. sect. siue Epist. pag.* 154. *Creda-*
mus, inquit, *eum omnia velle, quæ meliora sunt.* 7. Ex 14.
Genes. 1. *Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant val-* Geneſ.
de bona. Deuter. 32. *Dei perfecta sunt opera.* Confir. Deuter.
Omnia opera, quæ immediatè à Deo fiunt, sunt
optima, vt cùm Christus *Ioan.* 2. aquam in vinum Ioan.
conuertit, illud dicitur fuisse optimum, *archtri-*
clino teste. 8. Probant rationib. 1. De facto Deus 15.
optimum operandi modum elegit in iis, in quibus Prima ratio à poſteriori.
optimum reperitur : ergo hoc est proprium & in-
natum Deo, vt non nisi optimum eligere mora-
liter possit. Nam si moraliter posset optimum non
eligere, aliquando illud elegisset; cùm in ijs ad quæ
æqualiter sumus indifferentes, nunquam soleamus
eumdem semper operandi modum seruare. Antec.
elucet 1. in ipsâ mundi creatione, quæ melior est,
quàm non creatio, cùm gloriosius sit Deo in crea-
turis manifestari, quàm non manifestari. 2. In Vni-
uersi cōstitutione, in quo conditæ sunt omnes crea-
turæ, quæ diuersum gradum entis afferre possunt;
omnibus natiuis suis proprietatibus virtutibusque,
iuxta naturalem earum exigentiam donatæ; crea-
turæ intellectuales omnes ad altiorem finem gra-
tiæ & gloriæ eleuatæ sunt; natura humana ad su-
premum vnionis hypostaticæ gradum cum Deo
euecta est. Vnde nihil hoc Vniuerso siue ad Dei
gloriam manifestandam perfectius, siue ad eiusdem
bonitatem commendandam, aptius, siue ad Vni-
uersi pulchritudinem varietatemque, venustius ex-
cogitari potest. 2. Ex *S. Thom.* 1. *p. qu.* 19. *art.* 2. & 16.
1. *cont. gent. cap.* 75. Deus efficaciter amat creaturas 2. A priori.
propter seipsum suamque bonitatem; cùm nihil
possit esse Deo ratio amandi creaturas, quàm sua
ipsius bonitas; scil. motiua formalis amandi cæte-
ra, iuxta *Prouerb.* 16. *Vniuersa propter semetipsum ope-*
ratus est Dominus. ergo infallibiliter amat optimas:
nam efficax amor creaturarum nascitur ex efficaci
amore Dei erga seipsum; ex amore sui mouetur ad
creaturas producendas, vt media ad suā bonitatem
manifestandam, sed efficaci amore sui Deus infalli-
biliter inclinat ad producenda quæ sunt optima;
seu ad similiora & conuenientiora suæ naturæ ; at-
que adeò ad sui gloriam manifestandam magis
idonea. Confirmatur 1. Moralis infallibilitas alicu- 17.
ius operationis nascitur ex vehementia propensio- Confirm. 1.
nis ad illam : ergo quò maior est vehementia pro-
pensionis ad operationem, eò magis crescit mora-
lis infallibilitas ad illam : at in Deo est summa & in-
finita propensio ad suam bonitatem optimo modo
communicandam; atque adeò summa & infallibi-
lis propensio ad optima media, quibus illa per-
fectissimo modo ad extra communicabilis est. 2. Si 18.
quis summo & perfecto amore seipsum diligeret, Confirm. 2.
infallibile omnino foret, semper sibi optima velle
ac procurare, præsertim si ea in eius essent pote-
state : ergo cùm Deus summo perfectoque amore
seipsum diligat, & omnia summa cum facilitate in
ipsius sint potestate, infallibile omninò est, sem- 19.
per sibi optima velle ac procurare. 2. Infallibile om- Confirm. 3.
ninò

ninò est, Deum ea semper velle ac facere, quæ suæ sunt gloriæ magis declaratiua, nec non maioris gaudij & lætitiæ in Deo causatiua: sed optima sunt magis diuinæ gloriæ declaratiua, maiorisque gaudij ac lætitiæ Deo causatiua: ergo infallibile
20. *Confirm. 4.* omninò est, ea semper Deũ velle ac facere. 4. Maior artificis perfectio est, non modò optima scire, sed etiam optima operari, vt patet in artifice creato, ad cuius perfectionem non satis est, optimè scire artis regulas, sed etiam secundùm eas optima operari: ergo maior perfectio Dei erit, non so-
21. *Confirm. 5.* lùm optima nosse, sed etiã optima operari. 5. Deus eligendo minùs perfectum, meliori relicto, ageret contra inclinationem propriæ naturæ, quam habet ad communicandum se creaturis optimo perfectissimoque modo. Infallibile autẽ est Deum nunquam agere contra inclinationem propriæ naturæ, cùm hoc sit præternaturale Deo. Ratio 3.
22. *Ratio 3.* Conuenientissimum est, rectissimam voluntatem, qualis est diuina, nunquam discordare, nec moraliter posse, ab eo quod rectissimus intellectus dictat esse optimum & rationabilissimum: dictat autem diuinus intellectus, esse rationabilissimum semper facere quod optimum est: ergo conuenientissimum est, ab hoc dictamine diuinam voluntatem nunquam discordare, nec moraliter posse. 4. Omnes
23. *Ratio 4.* admittere debent, saltem ad aliquem optimum operandi modum, ita Deum esse moraliter determinatum, vt quamuis absque contradictione physicè possit oppositum, infallibiliter tamen nũquam sit oppositum facturus: scilicet esse moraliter determinatum ad proponenda veræ religionis mysteria præ cæteris sectis euidentiùs credibiliora; ad peccata punienda, virtutesque remunerandas; damnatos nunquam beandos, beatos nunquam damnandos, vt licet physicè possit oppositum, infallibiliter tamen nunquam sit illud facturus: alia excogitari possunt, ad quæ Deus propter innatam suam bonitatem ita est moraliter determinatus.

Ad omnem optimum operãdi modũ an Deus sit determinatus moraliter.

24. *2. Sentent. negans.* SECVNDA negat, Deum vllâ morali necessitate, antecedente liberum ipsius decretum, fuisse determinatum ad Incarnationem eligendam. Hanc sententiam puto omninò veram. *Fundam.* Fundamentum est oppositum præcedentis sententiæ, scilic. Deum nullâ morali necessitate aut infallibilitate determinari ad optimum eligendum: ita *Bellarm. lib. 3. de grat. & lib. arb. cap. 17. Valent. 1. p. q. 25. punct. 5. corol. 5. Vasqu. 1. p. disp. 107. cap. 3. & 1. 2. disp. 43. n. 17. & 3. p. disp. 1. cap. 3. & 4. disput. 10. cap. 11. init. Suar. in Metaph. disp. 30. sect. vlt. n. 23. & relect. de libert. Dei disp. 1. sect. 1. nu. 8. fine, & 3. p. tom. 1. disp. 4. sect. 2. fine, Azor. lib. 1. sum. cap. 25. qu. 7.* *Colligitur ex S. Thom.* *ex S. Tho.* ijsque, qui docent, Adam non peccante, Verbum incarnatum non fuisse. Nam cùm negari non possit, adhuc Adam non peccante, melius fuisse, Deum incarnari, quàm non incarnari, cùm in omni statu Incarnatio tam secundùm se, quàm in ordine ad Vniuersum, diuinasque perfectiones manifestandas, melior sit, quàm non Incarnatio, quicumque illam negant, peccato non existente, manifestè negare tenẽtur, Deum semper & infallibiliter operari, quod optimum est. Ita subobscurè
25. *Ex antiquioribus.* *Alens. 1. p. q. 21. memb. 3. art. 1. Albert. in 3. dist. 20. art. 1. ad 2. arg. 1. loco adduct. Bonau. in 1. dist. 44. art. 1. qu. 1. corp. Scot. eâ dist. Aureol. art. 5. propos. 1. Rub. qu. 1. art. 2. concl. 4. Argent. dist. 43. art. 4. Marsil. in 1. q. 43. ar. 2. conclus. 4. Cardin. de Lugo,* qui non minùs accuratè & ingeniosè nostram sententiam propugnat, quàm acriter & solidè oppositam impugnat *totâ disput. 2. de Incarn.* ad quem Lectorem remitto, vt ex vtriusque impugnatione altiùs, communis huius sententiæ vt puto, veritatem percipiat.

Colligitur 1. ex Patribus, qui negant incarnandum fuisse Verbum, Adam non peccante. 26. 2. Ex iis, qui omnem necessitatem operandi à Deo excludunt; vt *August. lib. 83. qu. 22. Vbi,* inquit, *nulla indigentia, nulla necessitas; vbi nullus defectus, nulla indigentia. Nullus autem defectus in Deo: nulla ergo necessitas.* *Totus discursus est Augustini.* At moralis necessitas, quam aduersarij in Deo ponunt, est aliqua necessitas; ergo etiam hanc excludit, qui omnem necessitatem à Deo excludit.

DICES 1. Moralem necessitatem non esse necessitatem simpliciter, sed secundùm quid: 27. *Dices 1.* Patres solam necessitatem simpliciter à Deo excludunt. 2. Cùm 2. Patres omnem necessitatem ad extra operandi à Deo excludunt, intelligendi sunt de ijs dumtaxat operibus, in quibus nec est optimum reperire, nec est melius agere quàm non agere. Sed contrà 1. ne- 28. *Contra primum.* cessitas secundùm quid est aliqua necessitas: ergo etiam hanc excludit qui omnem excludit. Confirm. expressè Patres necessitatem moralem sub nomine necessitatis simpliciter comprehendunt, dum communiter docent, hominem in graui tentatione constitutum, nisi peculiari auxilio iuuetur, moraliter determinari ad succumbẽdum, nec posse viribus proprijs, absque ope gratiæ vehementi tentationi resistere, vt 3. *tom. disputat. 26. sect. 5.* Contra 2. virtualiter loquuntur de omnibus operibus, 29. *Contra secundum.* vt *August. 13. de Trinit. cap. 10. Huius,* inquit, *potestati cuncta subiacent;* qui specialiter disputat ibi de Incarnatione, docetque potuisse Deum oppositum facere, quia *cuncta eius potestati aequaliter subiacent:* & *Anselm. lib. 2. Cur Deus homo cap. 17.* omnem antecedentem necessitatem expressè negat in Deo; *Omnis quippe necessitas aut impossibilitas eius subiacet voluntati: illius autem voluntas nulli subditur necessitati aut impossibilitati: nihil enim est necessarium, aut impossibile, nisi quia ipsa ita vult, ipsum verò aut velle, aut nolle aliquid propter necessitatem, aut impossibilitatem, alienum est à veritate.* Vnde concludit: *quare quoniam omnia quæ vult, & non nisi quæ vult, facit, sicut nulla necessitas, siue impossibilitas præcedit eius velle aut nolle: ita nec eius facere, aut non facere.* 3. Ex alio principio Scripturæ & Patrum, 30. *Colligitur 3. ex alio principio.* qui opus Incarnationis appellant opus misericordiæ, *ad Ephes. 2. Deus autem qui diues est in misericordia, propter nimiam charitatem suam, quâ dilexit nos, & cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratiâ estis saluati.* August. *lib. 21. de Ciuit. Dei cap. 15. Vnicus enim naturâ Dei filius, propter nos misericordiâ factus est filius hominis, vt nos naturâ filij hominis, filij Dei per illum gratiâ fieremus.* Non esset autem opus puræ misericordiæ, si ad eam exequendam morali necessitate Deus compulsus fuisset. 4. Ex iis, qui nullum agnoscunt 31. *Deducitur 4.* opus iustum, vel honestum, aut optimum, nisi quod Deus ipse vult. *Anselmus in Prosol. cap. 11.* loquens cum Deo: *Id solùm,* inquit, *iustum est, quod vis: & non iustum quod non vis.* Ita Scholastici.

Probatur 5. rationib. 1. Potuit hoc Vniuersum 32. *Ratio prima.* condi perfectius, non solùm quoad ea, in quibus proceditur in infinitum, sed etiam quoad ea, in quibus sistitur in aliquâ determinatâ perfectione, quæ melior sit ipsa, quàm oppositum eius. Nam condi potuit cum varijs hominum statibus, puræ naturæ, innocentiæ, lapsorum. At tale Vniuersum aptius fuisset ad plures Dei perfectiones, variasque diuinæ sapientiæ in tam diuersis hominum statibus *Quò diuersiores status, eò diuersiores gubernandi rationes.* regendis, artes, leges, præcepta, modosque declarandos. In primo statu sola eluxisset naturalis prouidentia: in 2. simul specialis protectio & liberalitas Dei, in muniendâ naturâ humanâ iis præsidiis, quibus

quibus infallibiliter, & summâ cum facilitate ac felicitate ad beatitatem supernaturalem peruenisset. In tertio apertiùs præluxisset & libertas creaturæ, & necessitas gratiæ, & simul occasio fuisset manifestandi infinitam Dei misericordiam & iustitiam erga hominem lapsum per condignam Verbi incarnati satisfactionem. DICES 1. Non fuisse tale

33. *Dices.* Vniuersum perfectius ex eo, quòd non habuisse regiminis vnitatem: cùm diuersi status diuersis debuissent regiminibus gubernari, quod est contra monarchicum regimen. *Contrà.* Sed contrà: gloriosius magnificentiusque est Regi, plura regna, moribus legibusque diuersa, pacificè gubernare, quàm si omnia essent eiusdem moris ac legis: eò enim excellentiorem requirunt in Rege sapientiam. Ergò quò plures fuissent hominum status, moribus conditionibusque diuersi, eò excellentiorem manifestassent in supremo artifice ac gubernatore Deo, in ijs condendis regendisque sapientiam: & licet *Tale Vniuersum monarchicè regeretur.* status hominum fuissent diuersi, omnes tamen fuissent sub vno supremo monarcha Deo, à quo tale regimen suam vnitatem sumpsisset: non enim monarchia vnitatem gubernandi sumit ab vnitate gubernandorum, sed gubernantis.

34. DICES 2. Non fuisse tale Vniuersum perfectius: 1. quia non habuisset Christum caput omnium hominum, saltem non in pura natura conditorum; cum Christus non sit caput, nisi quoad dona supernaturalia & indebita naturæ. 2. quia non potuisset Christus esse similis omnibus: nam vel fuisset incarnatus in carne passibili, & non fuisset similis hominibus in statu Innocentiæ: vel in carne impassibili, & non fuisset similis reliquis hominibus in pura & lapsâ natura.

35. *Christus caput hominum quoad naturam.* Resp. Nego, non potuisse Christum esse caput hominum in pura natura, quoad dona naturalia, nam hæc nulli creaturæ, antequam sit, debita sunt, [illegible] quorum etiam quoad dona supernaturalia [illegible] sit, nisi quoad dona supernaturalia. Nego, non fuisse futurum similem omnibus, saltem quoad naturam, esto non omnibus quoad conditionem naturæ, nam hoc non requiritur ad perfectionem capitis, cùm etiam nunc sit nostrum caput, & tamen dissimilis in conditione naturæ. Consi[illegible] sententia *Adam non peccante adhuc Verbum incarnatum iri*, dicendum est, Christum non fuisse futurum tunc omnibus similem quoad conditionem naturæ, nam vel sumpsisset carnem impassibilem, & non fuisset similis hominibus, qui peccassent, etiam Adam non peccante: quos probabile est per peccatum amissuros fuisse corporis immortalitatem, vt illam amisit Eua, quæ non originali, sed proprio peccato peccauit: Vel sumpsisset carnem passibilem, & non fuisset similis hominibus, in statu Innocentiæ perseuerantibus.

36. *Confirm. 1.* Confirmatur 1. ideò status alterius vitæ est perfectior, quia ob multiplicitatem sui est aptior ad plures perfectiones diuinas manifestandas: nam in statu gloriæ maximè elucet misericordia, [illegible]centia, charitas Dei; in statu damna- *A pari.* torum, iustitia; in statu purgantium, simul cum iustitia manifestatur misericordia; in statu puerorum absque Baptismo decedentium, elucet & iustitia [illegible] debitâ gloriâ, & naturalis prouidentia Dei de rebus ad eorum naturalem statum [illegible]. Ergo perfectius fuisset Vniuersum, [illegible] esset status viatorum, 2. multi

37. *Confirm. 2.* probabiliter putant, possibiles esse alios gradus entis, qui de facto creati non sunt; possibilem esse

alium mundum perfectiorem, constantem ex pluribus diuersisque gradibus, quàm quibus de facto hic exornatus est: vti sunt gradus corporis simplicis, constantis ex partibus homogeneis integralibus substantiæ; gradus vitæ puræ sentientis, reipsa separatus à gradu vitæ vegetantis, &c. 3. vt communior fert opinio, Adamo non peccante, Verbum incarnatum non fuisset; cum tamen, tunc melior fuisset Incarnatio, quàm non Incarnatio: nam esto nulla fuisset satisfaciendi necessitas; nihilominus fuisset maior communicatio diuinæ bonitatis, maiorque declaratio diuinorum attributorum, qui est primarius finis diuinorum operum, ad quem ipsa peccati satisfactio vltimò dirigitur. 38. *Confirm. 3.*

SECVNDA ratio: ex opposita sententia sequitur 1. debuisse Deum mundum creare, homines ad gloriam euehere, Incarnationem executioni mandare: cùm tamen has propositiones damnent Theologi in *Raymundo Lullo*, qui non nisi moralem ad hæc in Deo necessitatem ponebat. Et meritò: nam hinc sequitur, hæc beneficia non esse omninò gratuita, à Deo: nam quantum enim habent de necessitate, tantò minus habent de liberali donatione. Nec sat est, quòd ista necessitas non fundetur in exigentiâ creaturarum, sed in naturâ & perfectione Dei: nam semper minuit rationem beneficij, cùm non tam illa Deus producat titulo puræ donationis, quàm debito propriæ connaturalitatis. Vnde non dicitur æternus filius dono & beneficio accipere naturam [illegible] nam ab æterno Patre generante: ideò tantum, quòd illam non liberè, sed necessariò accipit. Ergo sicut communicatio ad intra tollit omnem rationem doni & beneficij, quia fit omninò à necessitate; ita communicatio ad extra minueret rationem doni & beneficij, si fieret morali ac infallibili necessitate. 39. *Ratio 2. ex absurdo oppositæ sent. 1.* *Tolleretur gratuita donatio.*

Sequitur 2. Veras esse has propositiones. *Impossibile est mundum non fuisse conditum, Verbum non fuisse incarnatum; Homines non fuisse ad gloriam euectos*; etiamsi in Deo non sit [illegible] potentia moralis ad non creandum &c. [illegible] quod moraliter fieri non potest, [illegible] dicit [illegible] *Luca 17. Impossibile est vt non veniant scandala. Impossibile autem [illegible]*. Vnde [illegible] mittunt Theologi has [illegible] in Scripturis, Patribus, Concilijs: *Impossibile est hominem absque speciali priuilegio vitare omnia peccata venialia. Constitutum in graui tentatione [illegible] auxilio Dei non succumbere*: cùm tamen ad hæc sit sola impotentia moralis. Confirmat [illegible] de libero arbitrio [illegible]: *Quod non [illegible] facere [illegible] facimus, dicimus hoc non posse*. [illegible] 1. *Cœli text. 3. Impossibile, inquit, dicitur [illegible] aut simpliciter, quia non verum [illegible] aut quia non facile [illegible]*. 40. *Absurdum 2. à pari.* *Impossibile moraliter quid.*

Sequitur 3. minui [illegible] perfecta libertas consistit in [illegible] ergo quantò magis [illegible] tam inclinationem propendit [illegible] tantò magis recedit ab [illegible], & à libertate illud operandi, & non operandi: at diuina voluntas infinitè propendet ad optimum, quia propendet per infinitum amorem [illegible] bonitatis: [illegible] operatur illud absque [illegible], cum omnimodâ determinatione, quam producit illud impulsus infinitâ propensione; [illegible] tollit omnem indifferentiam: si enim aliquam admitteret, non esset infinita propensio, [illegible] infinitum, in eo genere in quo est infinitum, [illegible] admittit terminum. 41. *Absurd. 3. minueretur libertas Dei.*

DICES; tolli omnem [illegible] moralem, non physi- 42. *Dices.*

Contrà. physicam. Sed contra: esto, non tollat: physicam, quod tamen argumentum probat; sola physica absque morali, ad veram & perfectam libertatem non sufficit: vt constat tum de homine in grauissima tentatione, absque speciali auxilio constituto: hic enim licet physicam potentiam habeat ad resistendum, quia tamen caret morali, non dicitur simpliciter liber, sicut nec simpliciter potens ad huiusmodi tentationem superandam: Vnde talis lapsus non imputaretur homini ad peccatum, saltem mortale; At vehementius allicitur Deus ad optimum eligendum, quia ex infinito amore suæ bonitatis, quam homo ab obiecto per grauem tentationem proposito. Tum quia potentia physica, absque indifferentiâ morali, non est proximè potens ad operandum (sit enim proximè potens per moralem indifferentiam) nec est simpliciter libera: quia libertas potissimum spectatur penes exercitium actûs: voluntas autem, quæ morali necessitate antecedente præuenitur, quam tollere non sit in ipsius morali potestate, vt non est in morali potestate Dei tollere [illegible] necessitatem antecedentem ad optimum [illegible], non dicitur simpliciter libera.

Potentia physica sit proxima per moralem indifferentiam.

43. *Absurdum 4.* Sequitur 4. N[illegible] Deum ab optimo cessare, absque eo quod [illegible] naturæ. Cùm enim ad optimum [illegible] amore [illegible] Deum impellit ad optimum operandum, [illegible] ab optimo cessare, absque eo quod vim inferat suo amori. Nam tunc [illegible] quando [illegible] connaturalem statum propensionis amoris diuini, est operari optimum. [illegible] Naturalem propensionem amoris diuini [illegible] operandum subordinari voluntati diuinæ [illegible] proinde nullam vim [illegible] Deum, [illegible]. Sed contra: cùm [illegible] erga suam bonitatem [illegible], antecedens liberam [illegible] quæ fundatur in [illegible] physica [illegible] bonitati, [illegible] Deus, si contra[illegible] impellens [illegible] [illegible] [illegible] ad optimum, [illegible] libertatem ad optimum non tolleretur, [illegible] Deus [illegible] eligere.

44. *Dices.*

Contrà.

Confirm.

45. *Absurdum 3.* Sequitur [illegible] Deum non [illegible] in statu suo connaturali, [illegible] perfectissimo, [illegible] mundum [illegible] non [illegible] quam homines [illegible]. Nam omnia [illegible] optimum statum [illegible] antecedente [illegible] connaturali [illegible]. Ex quo [illegible] antecedente [illegible] diuinum non fuisse in [illegible] perfectissimo, quia non [illegible] statum.

46. *Dices.* Dices [illegible] creationem non fuisse [illegible] mundi non creationem. *Contrà.* Sed contra: si [illegible] tempore ante mundi creationem [illegible] mundi fuisset melior, non [illegible] Deus toto tempore antè mundum [illegible] non potest nisi optimum Deus [illegible]. Et illud est melius, quod est magis [illegible] gloriæ diuinæ; scilicet mundi cre[illegible] adoratur à creaturis, quàm non creatio, quâ nec agno[illegible] creaturis, cùm sit negatio creaturarum. Di[illegible] amorem diuinum moraliter non inclinare ad [illegible], in quibus abiri potest in infinitum, vt est mundi creatio, quæ fieri potuit antè & antè in infinitum. Sed contrà: cùm hæc inclinatio in Deo non sit libera, nec dependens a dictamine intellectûs diuini, sed naturalis, antecedens omne dictamen intellectûs, & decretum voluntatis: quippe quæ fundatur in naturâ propensa ad communicationem sui, si semel est, semper est, & pro quocumque tempore antè & antè, cùm sit æterna, & naturæ congenita: proinde, mundo non existente, non erat in suo connaturali statu, quia non erat cum optimo termino, ad quem naturaliter inclinat. 6. Deum non operari ad extra cum perfecto dominio suæ operationis: hoc enim est operari cum æquali indifferentia ad vtrumque; & nequit Deus, si ad vnum supponitur morali necessitate antecedenti determinatus.

47. *Dices.*

48. *Absurdum 6.*

Tertia ratio. Nullum opus ad extra perficit intrinsecè Deum: ergo ad nullum op[illegible] Deus naturaliter propendet; aut moraliter [illegible]ficatur: nam omnis naturalis inclinatio [illegible] aliquam perfectionem, quam [illegible] termino, ad quem naturaliter [illegible] quod inclinat ad terminum [illegible] illo vltimo completum & perfectum [illegible] vlterius complebile & perfect[illegible] propensio sit natiua exigentia illius [illegible], vel quam natura propendet. [illegible] quod est in se totaliter & vltimo [illegible] nullam dicit naturalem inclinationem [illegible], a quo non potest vlterius compleri [illegible] substantia totalis naturaliter non [illegible] perfectionem substantialem [illegible] vltimo completa & perfecta in genere substantiæ: eadem naturaliter inclinat ad accidentales perfectiones, quia in eo genere non est [illegible] completa & perfecta. Sed Deus est [illegible] omni perfectionis genere: ergo nullam [illegible] inclinationem [illegible] habere potest [illegible] creatas. [illegible] gatione [illegible] in Deo [illegible] indigentiæ, atque [illegible] propensionis. [illegible] Deum inclinari ad optimum [illegible] Sed [illegible] non [illegible] Deum [illegible] ad [illegible] Deum [illegible] creaturæ perfectissimæ [illegible] ctæ [illegible] gloriam [illegible] Deus in suis operibus [illegible]. Confirmatur [illegible] Deus gloriam suam in [illegible] nec potest non intendere perfectissimam gloriam sui, quæ habetur per optimas creaturas. Sed contra, quando bonum extrinsecum non [illegible] cè agens, non potest illud mor[illegible] tale bonum producendum: nam [illegible] ponitur perfectibilitas, nulli [illegible] ac proinde nulla moralis [illegible] operandum. Ad confirm[illegible] Deus gloriam suam in creat[illegible] cum ordine & propension[illegible] mum finem; sic enim produ[illegible] in gloriam ipsius: nequit autem [illegible] cum eo ordine; igitur nequit [illegible] creatu-

creaturarum suam gloriam non intendere. Intendit verò Deus maiorem gloriam suam in creaturis, illas meliores perfectioresque producendo: potest non producere: igitur potest in creaturis maiorem suam gloriam non intendere, etsi non possit suam gloriam in ijs simpliciter non intendere: quia non potest illas cum propensione ad seipsum vt vltimum finem non producere: potest autem sine perfectiori propensione ad seipsum eas producere.

53. *Ad Fund. 1. Sent. ab authoritate.* Ad Fundam. primæ sentent. neg. maior: Cuius omnes probationes ab authoritate Scripturæ, Conciliorum, Patrum aliqui veriùs eludunt, quàm soluunt, dicendo, eas intelligi in ordine ad finem à Deo intentum; in ordine ad quem exequendum nequit dari medium aptius, quàm quo de facto vsus est Deus.

54. *In fine Deus non intendis semper medium optimum.* Sed contrà: esto verum sit, ex intentione finis infallibiliter argui, Deum optimum medium adhibiturum, quando in intentione finis, saltem implicitè & virtualiter Deus optimum medium intendit; id verum tamen non est, quando in intentione finis optimum medium saltem implicitè & virtualiter Deus non intendit. v. g. intendit Deus saluare hominem per condignam satisfactionem, eo ipso sequitur, Deum humanam carnem sumpturum, vt optimum medium virtualiter volitum in intentione, cùm ad talem finem nequeat aliud medium sufficere. Intendit Deus saluare hominem simpliciter, non eo ipso sequitur, vi huius intentionis, Deum ad illum saluandum, vt optimum medium adhibiturum sui Incarnationem, cùm ea non sit virtualiter intenta in voluntate saluandi hominem simpliciter.

55. *Confirm.* Confirm. quando finis potest pluribus medijs comparari, & cum nullo eorũ est determinatè intentus, potest Deus liberè eligere quod vult; ergo etiam minùs perfectum, relicto perfectiori; alioqui nõ posset eligere quod vellet, sed ad quod moraliter determinatur. Antec. prob. nec finis ipse id per se postulat, cùm potuerit Deus hunc finem de facto velle per aliud medium minùs perfectum, vt hominum salutem per congruã dumtaxat creaturæ satisfactionem: Neque vt à Deo efficaciter intentus: nam vt sic infallibiliter tantùm postulat realem executionem sui, quæ haberi potest etiam per medium minus perfectũ. Neque hinc sequitur, decipi Deum, si non eligat optimum medium ad finem à se intentum consequẽdum: quando tale medium nec est à Deo virtualiter intentum, nec à fine expetitum.

56. *Si imperfecta sequantur ex ... à D...* Quòd si quis contendat, citatas auth. intelligi de optimo medio virtualiter intento in voluntate finis; multæ manifestè procedũt de optimo secundùm se, nec occurrit difficultati, quam gentiles obijciebant Patribus, arguentes Deum imperfectum in suis operibus, eo quòd multa sint in hoc Vniuerso imperfecta: nam illa responsio maiorem ... præbet hæreticis calumniandi opera Dei, ... non solùm hæc, quæ videntur imperfecta, ... sed etiam per se intendat. Quare potiùs respondere debuissent Patres, id quod nobis videtur secundùm se imperfectum, & minùs bonum, spectatum in ordine ad varietatem & pulchritudinem Vniuersi, esse melius & perfectius quàm fuisset oppositum.

57. *Alia resp. ad authoritates.* Respondent 2. citatas auth. intelligi hoc sensu, quòd Deus semper & infallibiliter operetur optimum, non secundùm se, sed secundum exigentias rerum; quia semper & infallibiliter tribuit rebus, quod earum naturis magis congruit, vt terræ grauitatem, igni leuitatem: cùm non possit Deus relinquere naturas rerum imperfectas, sed hoc ipso quòd eas condit, cum naturali exigentia ad aliquam perfectionem, debeat illis dare, quod ipsarum natura postulat. Quapropter multi putant, vt 3. tom. non posse Deum perpetuò priuare gloriâ iustum, qui ex hâc vitâ discessit cum gratiâ: quia gratia naturaliter exigit gloriam, quam Deus illi negare non potest.

58. *Non satisfacit.* Sed neque hæc resp. satisfacit: quia nullâ necessitate cogitur Deus ad tribuendum rebus id, quod earum natura postulat: Vnde relinquere posset terram sine grauitate, &c. nec naturalis exigentia rerum imponit Deo necessitatem ad producendum, quod ea natura postulat. Neque datâ exigentiâ rebus, vlla est imperfectio in Deo, negare terminum exigentiæ, quando reipsa distinguitur ab exigentia.

59. *Vniuersalis resp.* Vera responsio est, Deum etsi nullâ necessitate, neque morali, operetur optimum, semper tamen, & vt plurimum operari optimum, quod ex constanti rerum inductione constat: & satis est, *ex Suarez. lib. 3. de attrib. cap. 10. fin.* ad naturalem seu moralem demonstrationem: scilicet quod semper & vt plurimum fit, habetur vt certum principium in moralibus; ex quo certæ conclusiones deduci possunt, in hac morali certitudine, quæ ex ordinario & consueto modo operandi Dei nobis constat, fundantur allatæ auth. & Philos. ac Theol. axiomata. *Sapienter adducit Suarez.*

60. *Ad Aristot.* Ad 1. Aristotelis Resp. putauit Deum agere ex necessitate naturæ, quâ de causâ posuit mundum creatum ab æterno. 2. explicatur iuxta datam vniuersalem resp. vt authoritas *S. Thom. & reliquorum Scholast.*

61. *S. Thomas à nobis stat apertè.* S. Thomas stat pro nostrâ sententiâ, qui negat, Adamo non peccante, Verbum incarnandum fuisse; cùm tamen Adamo non peccante, melior fuisset Incarnatio, quàm non Incarnatio; *3. p. quæst. 1. artic. 3. ad 2.* vbi concesso, quòd eo euentu perfectius fuisset Vniuersum quoad esse supernaturale, per assumptionem humanitatis à Verbo, adhuc tamen negat, eo euentu incarnandum fuisse Verbum. Cùm docet, Mundum non potuisse fieri meliorem, loquitur tantùm de melioratione tum ordinis ad finem, quo meliorem mundus ipse habere non potuit; tum proportionis rerum, quæ de facto creatæ sunt, *Quia suppositis*, inquit, 1. p. q. 25. artic. 6. ad 3. *istis rebus, non potest esse melius propter decentissimum ordinem his rebus attributum à Deo, in quo bonum Vniuersi consistit: quorum si vnum aliquod esset melius, corrumperetur proportio ordinis: sicut si vna chorda plus debito intenderetur, corrumperetur cythara melodia.* Ex quibus colligitur, *S. Thom.* loqui de eâ proportione, absque vllâ morali necessitate, cùm potuerint hæ ipsæ res absque hoc perfectissimo ordine creari. Præterea loquitur de perfectione Vniuersi solùm quoad esse naturale; alioqui hæc doctrina non cohæreret cum aliâ, quâ docet, Adamo non peccante, Verbum incarnatum nõ fuisse. Nam certum est, tunc defuturam fuisse huic Vniuerso potissimam perfectionem, quæ est Verbi Incarnatio; & tamen etiam in eâ hypothesi Vniuersum fuisset perfectum quoad naturalis ordinis proportionem. At *per aduers.* optimum non solùm consurgit ex proportione ordinis naturalis, sed etiam supernaturalis; nec solius ordinis, qui de facto est, sed etiam qui esse potuerit. Ita illum sequuntur Thomistæ. Solus *Ferrar. cit.* videtur sentire, Deum in mundi creatione summam voluisse sui communicationem; & consequenter negare potuisse aliud Vniuersum perfectius condere. Verùm ibi ad summam loquitur de communicatione quoad esse naturale: alioqui hæc doctrina non cohæreret cum aliâ de non Incarnatione Verbi, Adamo non peccante. *Agit de perfectione Vniuersi quoad esse naturale.*

62. *Ita intelligi debent cæteri.* Eodem modo intelligẽda est authoritas *Patrum, Scripturæ, & Concilij Francof.* quòd Deus semper operetur optimum, non ex morali necessitate, aut omnimodâ infallibilitate, sed ex merâ libertate, & vt

& vt plurimum, ex hac morali certitudine colligunt perfectionem Vniuersi quoad omnes gradus entis; optimum modum diuinæ prouidentiæ circa res humanas;nunquam Deum permissurum peccatum,nisi ex illo bonum aliquod eliciat; vt ex peccato Adæ,Incarnationem; ex collatione maiorum beneficiorum, collationem minorum. Quòd non maiorem certitudinem supponant, constat; nam simul supponunt, absque vllâ difficultate fieri potuisse oppositum: at quod fit contra infinitam inclinationem actualem, qualis est infinitus amor Dei erga seipsum, ex quo *per aduersarios* nascitur hæc propensio operandi optimum, non potest sine difficultate fieri. Quod est nouum argumentum contra aduersarios,qui coguntur admittere in Deo difficultatem in operando, contra Patres. Testimonium

63. *Cyrillus.* *Cyrilli* solùm procedit de productione ad intra, per quam Deus Pater determinatur ad optimum filium sibi producendum, ab intrinsecâ & physicâ propensione naturæ; volũtate tantùm complacente,non liberè applicante potentiam generatiuam ad gignendum. Vnde rectè ex eo, quòd Pater potest,& vult,voluntate complacentiæ semper meliora ad intra, infert, optimum consubstantialemque sibi producere Filium; quia voluntas, quâ Pater vult ad intra,nõ est libera,sed necessaria,sequens naturæ inclinationẽ.

64. *Anselmus facessit negotium.* *Anselmus cit.* 1. docet,numerum angelorum,qui ceciderunt, necessariò fuisse restaurandum,eumque non nisi ex lapsis hominibus restaurari potuisse; 2. hominem lapsum necessariò fuisse reparandum,alioqui indecens esset Deo,opus semel cœptũ non perficere; 3. hanc reparationem fieri non potuisse absque debitâ culpæ satisfactione, cùm indecens sit, Deum culpam impunitam relinquere: ergo necessaria fuit condigna pro peccato satisfactio: hanc afferre non poterat, nisi homo Deus: igitur necessaria fuit Incarnatio. Quocirca

65. *Vasquez cedit difficultati.* *Vasquez 3.p.disp.1.c.4.* putat,eum sensisse, Incarnationem fuisse ex suppositione peccati Deo necessariam.Sed immeritò;nam *lib.2. Cur Deus homo, cap.* 16.17.& 18. docet, hanc fuisse solam necessitatem immutabilitatis, ortam ex immutabili decreto ipsius: *Nonne,* inquit cap.16. *monstratum est suprà,quod Dei voluntas nullâ cogitur necessitate: sed ipsa se spontaneâ suâ seruat immutabilitate,quando dicitur aliquid*

Se explicat Anselm. *necessitate facere?* & cap.17. *Sicut cùm Deus facit aliquid, postquam factum est, iam non potest non esse factum, sed semper verum est, factum esse. Nec tamen rectè dicitur impossibile Deo esse,vt faciat,quod præteritum est, non esse præteritum. Nihil enim ibi operatur necessitas non faciendi, aut impossibilitas faciendi, sed Dei sola voluntas,quæ veritatem semper (quia ipse veritas est) immutabilem, sicut est,esse vult. Ita si proponit; se aliquid immutabiliter facturum, quamuis quod proponit,antequam fiat, non possit non esse futurum,non tamen vlla est in eo faciendi necessitas,aut non faciendi impossibilitas: quia sola operatur in eo voluntas.* Quo quid clarius? vnde de hâc necessitate illum interpretantur *Alensis 3.p.q.1. memb.4. Bonau.in 3.dist. 20.art.1.q.1. Scotus ibid.§.Tunc ad quæst.*

66. *Ad primam rationem.* Ad 1. rationem, nego Deum de facto elegisse optimum: eligere enim potuit melius. 2. esto de facto elegerit optimum,neg.conseq. Ad probat. neg. assump. Nam esto Deus non maiorem propensionem naturalem habuerit ad vnum,quàm ad aliud; potuit tamen optimum eligere ex merâ suâ libertate,absque vllâ morali necessitate.

67. *Secunda nimium & nil probat.* Secvnda non tantùm probat,moraliter,sed & physicè Deum necessitari ad optimum,quod nemo concedit: nam si ad optimum determinatur ex innatâ propensione amoris suæ bonitatis,sicut non potest suam bonitatem physicè non amare, ita nec optimas creaturas cum tali amore connexas. Quare nego,ex amore necessario sui vllam oriri necessitatem amandi creaturas: vt ex necessario amore Dei nulla oritur in beatis necessitas amandi creaturas. Ratio: amor,qui *Ratio.* tendit ad intrinseca rei amatæ, per se tantùm diligit ea, quæ intrinsecè perficiunt rem amatam. Nam sicut amare in communi, est velle bonum amato; ita amare intrinsecam bonitatem personæ, est tantùm amare, quæ intrinsecè perficiunt personam amatam. Cùm igitur creaturæ non perficiant intrinsecam bonitatem Dei; etiamsi Deus ex amore necessario sui moueatur ad amorem creaturarum, non tamen necessariò, sed liberè tam physicè, quàm moraliter: quia cum necessario amore sui non est per se connexum, nisi quod intrinsecè perficit seipsum, ita qui amat intrinsecam bonita- *Quò amandi amor se extendit, non vltrà.* tem amici, vi talis amoris non cogitur ad amanda, quæ sunt extrinseca amico, bene tamen ad amanda, quæ intrinsecè perficiunt amicum; quia amor non operatur vltra intentionem & affectum amantis. Ad probationem consequentiæ, licet Deus ad creaturas producẽdas moueatur ex amore sui, quia tamen ad illas non mouetur indigentiâ & perfectione intrinsecâ, non mouetur nisi liberè.

Dices 1. Beati ex amore Dei moraliter neces- 68. sitantur ad perfectiora,magisque diuinæ gloriæ manifestatiua. (Quidni & Deus ex amore sui?) scilicet ad conformandum se cum diuinâ voluntate: ergo ad ea, quæ sunt magis placita diuinæ voluntati: vt perfectiora, magisque declaratiua ipsius gloriæ. *Magis placent Deo, quæ sunt Deo volita.* Resp. negatur antecedens. Falsum enim est,ea magis diuinæ voluntati placere,loquendo de complacentiâ efficaci,quæ sunt perfectiora secundùm se, sed quæ sunt ab ipso Deo volita; nam magis placet Deo, complacentiâ efficaci,natura humana de facto creata,quàm quæuis alia nobilior possibilis non creata; scilicet ea magis placent complacentiâ efficaci Deo, quæ Deus magis amat amore efficaci; seu quæ actu producit,quàm quæ actu non producit. Quid cùm Deus res efficaciter amet, communicando illis aliquod bonum,eas tantùm efficaciter amat,quas producendo,communicat illis bonum existentiæ: proinde hæ tantùm efficaci complacentiâ Deo placent. Quare ex eo quod Beatus moraliter necessitetur ad conformandum se cum diuinâ voluntate, tantùm sequitur,moraliter necessitari ad diligenda & exequenda magis ea, quæ Deus amat amore efficaci. Hæc autem non semper sunt perfectiora secundùm se,cùm sæpe Deus perfectioribus relictis, producat minùs perfecta. Confirm. Deus voluntate conse- *Confirm.* quente conformat se cum antecedente, magis sibi complacendo de ijs,quæ voluntas antecedens lib[illegible]rè elegit, quam de perfectioribus,quæ non el[illegible] sed eligere potuit. Instas: esto, Beatus mor[illegible] cessitetur ad ea,quæ scit Deum actu velle,e[illegible] la sint minùs perfecta secundùm se, tamen [illegible]do nescit, quæ sit voluntas Dei circa rerum electionẽ,moraliter necessitatur ad ea, quæ sunt perfectiora ex se. Ergo,esto Deus voluntate consequente sibi magis complaceat de ijs,quæ antecedens elegit, ipsa *Dei [illegible]si discrimen in volendo perfectiora.* tamen antecedens,quæ immediatè fertur ad res secundùm se, magis sibi complacet in ijs, quæ sunt perfectiora ex se. Resp. neg. conseq. nam quando Beatus nescit voluntatem Dei circa rerum electionem, conformat se voluntati Dei, quæ præsumitur esse circa perfectiora ex se: Diuina autem antecedens, cùm sit prima, nullam priorem se supponens,ne præsumptiuè quidem, potest se conformare cum aliâ antecedente; cùm ante primam nulla in Deo circa creaturas præsumatur libera

libera voluntas. Vnde si diuina antecedens moraliter necessitaretur ad perfectiora ex se, talis necessitas non posset oriri ex conformatione voluntatis diuinæ cum alia diuinâ saltem præsumptâ; sed ex rebus ipsis; quod impugnatum est.

70. *Ratio discriminis.* Dices 2. Deus ex amore suæ omnipotentiæ necessariò amat creaturas possibiles: ergo ex amore suæ bonitatis necessariò amat creaturas existentes. Resp. neg. consequ. creaturæ enim possibiles sunt necessariò connexæ cum omnipotentia Dei, non sunt cum bonitate Dei necessariò connexæ existentes, nam sicut potuit æterno tempore antè, ita potuisset æterno tempore pòst, sine vllis creaturis actu existentibus, diuina bonitas perfectè existere, non posset diuina omnipotentia perfectè existere, saltem vt de facto existit, si non essent possibiles creaturæ, quia tunc per locum extrinsecum non esset in Deo virtus productiua ad extra, quæ de facto in Deo est. Deus igitur amando suam omnipotentiam, necessariò amat, quicquid necessariam connexionem habet cum illa, scilicet creaturas possibiles; non amat necessariò, existentes; quia hæ necessariam connexionem non habent cum diuinâ bonitate.

71. *Necessariò amat ex suppositione, non absolutè.* Dices 3. Deus necessariò amat suam voluntatem, vt liberè terminatam ad creaturas existentes: ergo necessariò amat existentes. Resp. ex suppositione, quòd Deus amat suam voluntatem liberè ad creaturas terminatam, necessariò amat creaturas existentes, vt terminos liberæ suæ volitionis: at sicut absolutè potuit suam voluntatē, vt liberè ad creaturas terminatā, non amare (non quia potuit liberè ad creaturas terminari, & à Deo non amari, sed quia potuit absolutè ad creaturas non terminari) ita absolutè potuit creaturas existentes non amare.

72. *Nulla in Deo naturalis inclinatio ad extra.* Ad 1. confirm. nego in Deo esse propensionem ad se ad extra communicandum per modum naturalis inclinationis: nam hæc tantum est ad ea, à quibus natura intrinsecè perficitur: [illegible] per modum principij productiui, ab [illegible] pensione, quæ perfectibilitate[illegible] ac diuina liber[illegible]

73. *Ad 2. confirm.* [illegible] ficiun[illegible] amatam. Si v[illegible] tendente se ad amanda etiam [illegible] vltrò concedo, ex tali amore hominem necessitari ad talia bona extrinseca sibi procuranda: quia tunc huiusmodi procuratio est virtualiter intenta in amore extrinsecorum bonorū. Pari modo ex amore Dei circa seipsum, per se non consequitur, nisi amor circa intrinsecas perfectiones sui ipsius. Licet ex libero amore suæ extrinsecæ gloriæ consequatur infallibilis procuratio extrinsecorum bonorum, in libero amore virtualiter intenta. Ad 3. neg. maior; nulla enim creatura est perfectiua Dei, vel ipsius gaudij aut lætitiæ causatiua: cùm nullum intrinsecum gaudium aut lætitiam concipiat Deus ex productione creaturarum; nec ex eâ augeatur eius felicitas.

75. *Ad 4. confirm.* Ad [illegible] nego esse maiorem perfectionem artificis vt sic, optimum modum etiam actu operari, quando hic nullam affert artifici intrinsecam perfectionem, sed extrinsecam dumtaxat denominationem, vt [illegible] in supremo artifice Deo; quicquid sit de artifice creato, qui extrinsecâ operatione intrinsecè perficitur. Quòd si contendas, maiorem esse, saltem extrinsecam perfectionem artificis, operari optima: vltro tibi concedo; nego tamen ad hanc extrinsecam perfectionem moraliter necessitari Deum: cùm maior perfectio in Deo sit, omninò liberè ad extra operari, quàm cum morali necessitate huiusmodi extrinsecam perfectionem habere.

76. *Ad 5.* Ad 5. neg. maior; quia cùm in Deo nulla sit intrinseca inclinatio per modum naturalis propensionis ad operandum extra se, non faceret contra naturalem inclinationem, nihil ad extra agendo.

77. *Ad tertiam rationem.* Ad 3. rationem: Si per conuenientissimum, excludatur, vt oppositum non sit diuinæ voluntati propter innatam libertatem conuenientissimum, neg. maior; cùm æquè conueniens intrinsecæ libertati, sit eligere quod intellectus iudicat optimum, ac quod iudicat non optimum: Siquidem *diuinæ potestati*, vt August. cit. dixit, *cuncta æqualiter subiacent.* Ratio: cùm regula omnis conuenientiæ & moralis honestatis ac decentiæ sit diuina voluntas, id erit conueniens, honestum, ac decens, quod voluntas diuina elegerit. Si per conuenientissimum, non excludatur, quin etiam oppositum sit diuinæ voluntati conueniens, conced. maior. Et nihil concludit contra nos, cùm æquè respectu diuinæ voluntatis sit conueniens vnum, ac alterum; esto in ordine ad res vnum sit altero conuenientius: diuina autem voluntas, cùm sit per se rectissima, & prima regula omnis moralis honestatis & decentiæ, conuenientiā non sumit à rebus, sed à seipsa. *Voluntas Dei rectissima conuenientiam sumit à se, vti à se est, non à creaturis.*

78. Dices: Si voluntas Dei nullam intrinsecam honestatē sumit ab obiecto creato, poterit etiam terminata ad obiectum turpe & per se malum, esse recta & honesta. Resp. neg. sequel. nam ipsa illud supponere debet non malum, cùm dedeceat diuinam bonitatem, ferri in obiectum malum; etiamsi ab illo suam extrinsecam honestatem & rectitudinem non desumat.

79. *Nec priuatur honestate maiori vt voluntas creata.* Ex hoc principio soluitur alia obiectio, cur creatura eligendo obiectum minùs honestum, relicto honestiori, priuetur morali perfectione maiori, quam habere potuisset, eligendo obiectum magis honestum, non Deus: scilicet voluntas creata intrinsecam honestatem & rectitudinem sumit ab obiecto: vnde quò illud fuerit honestius, eò maiorem honestatem refundit in actum, à tali obiecto specificatum: at diuina, cùm eam non sumat ab obiecto [illegible] quo non specificatur, sed extrinsecè tan[illegible] connotet, non crescet in honestate & re[illegible] ex maiori honestate & rectitudine obie[illegible] *Confirm.* [illegible] confirm. quælibet voluntas diuina est quoad suam intrinsecam honestatem & rectitudinem infinita, & consequenter non est capax maioris honestatis & rectitudinis: nam infinitum est, cui in eo in quo supponitur [illegible] finitum, nulla fieri potest additio.

80. *Ad 4. rationem.* Ad 4. [illegible] Ad pro[illegible]it. Resp. ad nullum eorum [illegible] Deus liberè facit, aut facere potest, determinari moraliter. In exemplis controuersia esse potest de quibusdam, an Deus illa simpliciter facere possit, de quibus *suo loco.* Ex suppositione quod possit, dico, nullâ morali necessitate ad vnam potiùs partem, quàm ad aliam Deum necessitari.

DISPVTATIO V.

De necessitate Incarnationis ad condignè satisfaciendum pro peccato.

1. *An necessaria ex suppositione.* Hactenus de necessitate Incarn. quà medium est ad diuinas perfectiones manifestandas; deinceps de eâdem, quà medium est ad condignè satisfaciendum pro peccato. Non disputo an simpliciter necessaria fuerit ad peccati debitum condignè soluendum. Nam vt *præced. disp.* Deus nullâ necessitate, ne morali quidem,

dem, compulsus fuit ad hominem redimendum, ac proinde ad debitum peccato contractum soluendum, nedum ad illud condignè persoluendum; cùm potuerit pro suâ libertate vel hominem nôn redimere, vti non redemit angelum, vel alio modo quàm per Incarn. redimere. Non enim vt *August.* 13. *de Trinit. cap.* 10. defuit Deo possibilis alius modus, vtpotè cuius *potestati cuncta aequaliter subiacent*, sed sanandæ nostræ miseriæ conuenientior alius non fuit, nec esse potuit. Sed disputo, an suppositâ intentione Dei de condigno pretio pro debito peccati persoluendo, necessaria fuerit Incarnatio Verbi. Quæ controu. pendet ex alia: an possit pura creatura pro peccato condignè satisfacere; nam si hoc potest, necessaria non fuit Verbi Incarnatio. Ad id autem cognoscendum, necessarium est cognoscere, qualis, & quanta sit peccati grauitas, cùm condigna satisfactio sit æqualis debiti solutio; hæc certam supponat debiti quantitatem, cui exæquanda sit debiti solutio; debiti quantitas supponat peccati malitiam, ex cuius voluntariâ commissione debitum contrahitur. Hæc controuersia fusè disputata est *tom.* 3. *disp.* 23. *sect.* 4. quia tamen hîc pernecessaria est, & radix omnium, quæ de satisfactione Christi; hîc ita perstringenda est, vt non grauetur lector eò recurrere.

2. *Radix controu.*

SECTIO I.

An malitia peccati mortalis sit infinita?

3. *1. Sent.* PRIMA sent. affirmat: scilicet offensa Dei est malum infinitum, quia tamen non est infinita in genere entis, non dicitur infinita simpliciter, sed secundùm quid: Vide Auctores *tom.* 3. *disp.* 23. *n.* 97. &

4. argumenta 10. Addi potest 1. mortale est dignum pœnâ simpliciter infinitâ: ergo est simpliciter infinitum: nam condignitas pœnæ est proprietas culpæ. Antec. prob. mortale est dignum priuatione vnionis hypost. Hæc est pœna simpliciter infinita; grauitatem sumeas ex bono simpliciter infinito scilicet Verbo, quo priuat. Maior prob. si Petrus v. g. cui promissa esset à Deo vnio hypost. per ipsius merita de congruo, peccaret; hoc peccatum condignè mereretur priuationem talis vnionis.

5. 2. Peccatum mortale est aptum suâ malitiâ abolere omnia merita Christi, quæ sunt infiniti valoris simpliciter: ergo est infinitæ malitiæ simpliciter. Antec. prob. Si Christi humanitas vel per impossibile manente vnione cum Verbo, vel per peccatum destructâ vnione cum Verbo peccaret, omnia eius præcedentia merita abolerentur coram Deo.

6. 3. Eligibilius est carere vnione hypost. cum personâ increatâ, quàm vel vnum mortale committere: ergo mortale est infinitæ malitiæ simpliciter. Nam iuxta rectam rationem è duobus malis semper eligibilius est minus: ergo si eligibilius est malum priuationis vnionis hypost. quàm malum peccati, maior est malitia mortalis, quàm priuationis vnionis hypostaticæ.

7. *2. Sentent.* II. Sententia negat, mortale esse infinitæ malitiæ: auctores leg. tom. 3. dist. 23. num. 108. Nota,

8. *Explicatur.* peccatum multipliciter considerari posse. 1. secundum primam rationem constitutiuam, quam in omni statu, & sub quâlibet hypothesi, etiam inuincibilis ignorantiæ Dei, commissum haberet. Quo pacto constitutiua ratio peccati commissionis, est positiua dissonantia contra rectam rationem, sine quâ dissonantiâ nullus actus humanus potest esse peccaminosus, cùm vt minimum peccatum debeat esse contra naturam rationalem, cognitum medio dictamine rationis, vt regulâ proximè indicante peccati malitiam: Peccati verò omissionis, est priuatio rectitudinis illius actus, quem peccans tenebatur elicere. 2. considerari potest secundùm 9.

alias malitias, quas sub diuersis statibus, & hypothesi commissum, habere potest. Aliam quippe habet commissum in hoc statu naturæ ad gloriam eleuatæ, aliam in statu puræ naturæ; aliam patratum cum cognitione Dei vltimi finis, aliam cum inuincibili ignorantia eiusdem. 3. considerari potest prout est 10.

priuatiuum alicuius boni debiti vel ipsi peccatori, vel alteri, contra quem committitur. 4. sub ratione iniuriæ & moralis contemptus personæ, contra 11. *Dupliciter consider. peccatum.*

quam committitur. Atque sub omnibus his respectibus adhuc considerari potest vel secundùm malitiam intrinsecam, quam habet ex principijs intrinsecis, scilicet ex cognitione, affectu, & voluntario, ex quibus intrinsecè procedit: Vel secundùm malitiam extrinsecam, quam desumit ex principijs & circumstantijs extrinsecis, nempe ex personâ offensâ, ex personâ offendente, ex maiori aut minori debito, quo offendens obstringitur erga offensum. Ex 1. capite maior, aut minor grauitas peccati sumitur ex maiori aut minori cognitione; ex intensiori aut remissiori affectu; ex expressiori aut minùs expresso voluntario. Grauius enim est homicidium commissum cum pleniori notitiâ, intensiori affectu & magis directo, magisque expresso voluntario. Ex 12.

2. capite maior, aut minor grauitas peccati sumitur ex digniori, aut minùs dignâ personâ, quæ offenditur; ex viliori aut minùs vili personâ, quæ offendit; ex pluribus maioribusque titulis, quibus offendens est obligatus offenso. Maior quippe offensa est commissa à rustico contra Regem, quàm contra priuatam personam. Grauior est iniuria irrogata Principi à proprio subdito, quàm ab externo; & ab eo qui multa accepit beneficia, quàm ab alio, qui 13.

nulla beneficia accepit. Hîc de peccato præcipuè disputo secundùm malitiam, quam habet in hoc statu commissum, & præsertim secundùm malitiam moralis iniuriæ & contemptus contra Deum; nec non secundùm priuationem bonorum, quàm vel in ipso peccatore, vel in alio causat. Nam quoad has malitias potissimùm controuertitur, an Satisfactio Christi fuerit ex intrinseco valore, & ex toto rigore iustitiæ sufficiens pro singulis, & omnibus peccatis generis humani.

14. *Peccatum mortale est infinitum ratione ordinis, in quo constituitur.* DICO 1. Mortale in genere offensæ & iniuriæ contra Deum, est infinitum ratione ordinis, in quo constituitur, licet finitum intra eumdem ordinem. Prior pars probatur. Illud est infinitum ordine, quod est supremum in tali ordine, & excedit infinitos alios ordines sub eâdem serie perfectiores in infinitum absque termino: tale est mortale in genere offensæ & iniuriæ illatæ Deo: nam quò dignior est persona, quæ offenditur, eò grauior est offensa: ergò si persona, quæ offenditur, est infinitæ & supremæ dignitatis, etiam offensa erit infinitæ ac supremæ grauitatis, saltem quoad ordinem: vt *cit. disp. num.* 203. ergo est infinitum ordine: nam sicut

15. *à pari.* infinitū in genere entis est illud, quod est supremū in ratione entis, & excedit quæcumque alia entia perfectiora in infinitum: & linea est infinita in ratione lineæ quæ quoad longitudinem est suprema, exceditque omnes lineas finitas longiores in infinitum. Ita infinitum in ratione ordinis dicitur illud, quod est supremum in tali ordine, & excedit quoscumque alios ordines sub eâdem serie perfectiores in infinitum absque termino. Ex his maior roboratur. Illud est ordine infinitum, quod nullum habet 16.

eiusdem

eiusdem ordinis supra se,& infra se infinitum: talis enim ordo categorematicè superat infinitos ordines. Nequit autem ordo actu & categorematicè superare infinitos ordines nisi sit infinitus, alioqui dari posset ordo sub eâdem serie altior, quem ipse non superaret. Maior patet: ordo offensæ, qui est in mortali, sumitur ex infinitâ dignitate personæ offensæ, & infinito excessu vilitatis personæ offendentis, qui ordo actu moraliter est in quouis mortali.

17. *Est finitum intra eundem ordinem.* Posterior pars probatur. illud intra eundem ordinem est infinitum, quod intra eundem ordinem potest magis ac magis perfici. Sed offensa contra Deum, potest magis ac magis perfici: ergo intra eundem ordinem offensæ contra Deum, peccatum mortale est finitum. Maior constat ex naturâ finiti, quod semper intra eundem ordinem potest vlte-

18. riùs perfici, sicut linea ex quâ parte potest magis perfici quoad longitudinem est finita, ex quâ nequit quoad longitudinem perfici est infinita: cùm infinitum quà infinitum, nequeat accipere augmentum; hoc ipso enim quo recipit augmentum, supponitur ex eâ parte limitatum, cùm omne augmentum fiat per additionem nouæ partis, quæ hoc ipso quod potest in alio recipi, supponit illud non esse ex eâ parte interminatum, sed terminatum ac finitum.

19. Minor. ostendo, maior est offensa contra Deum, odium formale & expressum, quàm virtuale & interpretatiuum: & circa idem obiectum maior est iniuria illata Deo à fideli, quàm ab infideli, ab Angelo

20. *à priori.* quàm ab homine. Ratio, offensa in ratione offensæ crescit, crescente cognitione, affectu, & voluntario personæ offendentis: sed cognitio, affectus, & voluntarium creaturæ offendentis crescere potest in infinitum contra Deum offensum: ergò etiam offensa contra Deum crescere potest in infinitum.

21. Maior probatur, offensa est virtualis contemptus, quo offendens formaliter, aut virtualiter contemnit dignitatem personæ offensæ: contemptus autem eò est grauior, quò ex intensiori cognitione, affectu, & voluntario procedit: quia cùm dignitas personæ contemnatur, secundùm quod cognoscitur, eò magis contemnitur, quò magis cognoscitur.

22. *Confirm.* Confirmatur. Solus ille infinito affectu offenderet Deum, qui infinitè cognosceret Deum: igitur omnis alius, qui finitè cognoscit Deum, finito affectu offendit illum. Nam omnis alius, qui finitè cognoscit Deum infinito affectu distat ab illo, qui infinitè cognoscens Deum, illum offenderet. Antecedens probatur, affectus sequitur cognitionem: ergo affectus infinitus sequitur cognitionem infinitam: igitur solus ille infinito affectu offenderet Deum, qui infinita cognitione nosset illum.

23. *Obijcies* 1. Offensa vnius mortalis etiam in ratione offensæ contra Deum, est grauior aliâ: ergo non omnis offensa mortalis in ratione offensæ contra

24. Deum est suprema, alioqui non posset dari vna grauior aliâ. Resp. neg. conseq. tantùm enim sequitur, non omnem offensam contra Deum intra eundem supremum ordinem offensæ esse infinitam. Potest igitur vna offensa contra Deum, in ratione offensæ esse ordine suprema, & nihilominus intra eundem

Diuersum caput infinitatis. ordinem supremum esse finita: quia infinitas ordinis sumitur ex dignitate personæ offensæ, quâ sicut non potest excogitari dignior scilicet increatâ, ita nec ordo altior offensæ contra talem personam: infinitas intensionis ordinis sumitur ex cognitione & affectu personæ offendentis, quæ circa eandem personam possunt in infinitum crescere. Quia igitur peccator finitâ cognitione & affectu offendit Deum, quæuis eius offensa contra Deum erit finita intensiuè, licet ordine grauitatis infinita; quia ad contrahendum ordinem infinitum non requiritur cognitio infinita, sicut ad contrahendam intensionem infinitam requiritur cognitio infinita.

Obijcies 2. Visio & dilectio beata creata in ratione formæ beantis, non habent aliam perfectiorem 25. se; & infra se habent perfectiores & perfectiores cognitiones, dilectionesque in infinitum, & tamen non sunt ordine infinitæ: ergo nec peccatum in ratione offensæ erit ordine infinitum, etiamsi supra se non habeat grauiorem offensam quoad ordinem, & infra se infinitas habeat offensas grauiores & grauiores digniorum & digniorum personarum. Resp.

neg. antec. nam visio & dilectio beata creata, in ratione formæ beantis, habent supra se visionem & dilectionem beatificam increatam; offensa contra Deum in ratione iniuriæ nullam habet offensam grauiorem se, ac proinde in ratione iniuriæ erit simpliciter suprema, & quoad ordinem grauitatis est infinita. Visio autem & dilectio beatifica creata, cùm in ratione formæ beantis non excludat aliam ordine perfectiorem, non erit in ratione formæ beantis simpliciter suprema ac infinita: cùm infinitum sit illud, quod in suo ordine non habet superius ac perfectius se. Nec ad infinitum simpliciter sufficit, excedere infinita imperfectiora se, sed requiritur etiam ab alio perfectiori se in eodem ordine non excedi. Sicut esto, angelus excedat infinitas naturas imperfectiores se, quia tamen exceditur ab alijs possibilibus perfectioribus se, non est in suo ordine infinitus. Aliam resp. vide *cit. disp. n.* 114. 26. *Ad infinitum non sufficit excedere infinita imperfectiora.*

Dico 2. mortale ratione mali & damni, quod peccatori naturâ suâ infert, est infinitum. Fundam. 27. *Pecc. infinitum ratione damni.* mortale est moralis causa pœnæ sensus, & damni quoad durationem infinitæ: vt suppono ex *cit. disp. sect.* 5. at quantitas mali mensuratur ex quantitate boni, quo priuamur; vel ex quantitate mali, quod incurrimus: tamque bonum, quo mortali priuamur, quàm malum, quod per illud incurrimus, est infinitum quoad durationem: & hoc damnum naturâ suâ infert mortale; alioqui Deus vltra condignum puniret illud: Plura *cit. disp. num.* 124.

Dico 3. Malum damni, quod peccato incurrimus, est nobis imputabile ad culpam, iuxta quanti- 28. tatem mali seu damni, quod scienter incurrimus.

1. pars prob. illud malum seu damnum imputatur nobis ad culpam, cuius oppositum bonum lege aliquâ tenebamur conseruare. Sed vnusquisque naturali ac diuinâ lege tenetur in seipso conseruare tam bonum supernat. æternæ gloriæ, ad quam est à Deo eleuatus; quàm bonum naturalis perfectionis, quo pœnâ sensûs æternùm priuamur: nam tam præcepto naturalis charitatis erga nos, quàm legis diuinæ tenemur, æternam salutem non contemnere, sed eam diuinâ adiuti gratiâ viriliter nobis procurare. *Quod sit ad culpam imputabile prob.*

Maior prob. illud malum seu damnum imputatur nobis ad culpam, cuius nos ipsi moralis causa sumus: sed illius mali seu damni nos ipsi moralis causa sumus, quod liberâ nostrâ actione ponimus, eiusque oppositum bonum lege aliquâ conseruare tenebamur. Confirm. Ideò priuatio gratiæ habitualis im- 29. putatur nobis ad culpam, quia illius moralis causa sumus, eiusque oppositum lege propriæ charitatis, & diuino præcepto conseruare tenebamur. Et iuxta omnium sententiam, ideò priuatio rectitudinis & honestatis in actu nobis imputatur ad culpam, quia illius causa moralis sumus, eiusque oppositam honestatem, ex suppositione, quod operabamur, naturali lege tenebamur in actu habere. Nam licet non omnes putent, eam priuationem esse rationem primò constitutiuam peccati, nemo tamen negat, eam esse malam, cùm sit difformis naturæ rationa- *Priuatio gratiæ habit. iuxta probabiliorem sent. imputatur ad culpam.*

 li, &

li,& nobis ad culpam imputata, saltem vt secundaria ratio peccati. Ergo etiamsi priuatio æternæ gloriæ,perfectionisque naturalis,quam liberâ actione incurrimus,non imputetur nobis ad culpam,vt ratio primò constitutiua culpæ, imputatur saltem nobis vt secundaria consequens primariam culpæ.

Ita & gloria priuatio.

30. Nec refert, quòd eiusdem priuationis sit etiam causa Deus: nam Deus est tantùm causa physica, nos moralis:imputatur ad culpam,non quà physicè à Deo est,sed quà moraliter à nobis est. Sicut priuatio rectitudinis & honestatis in actu peccaminoso,physicè à Deo est; quà moraliter à nobis determinatus,negat physicum concursum ad oppositam rectitudinem & honestatem:cùm tamen ipsa priuatio imputetur nobis ad culpam,quà sumus moralis causa,vt Deus deneget nobis physicum concursum ad oppositam rectitudinem actus,quem ex suppositione tenebamur elicere.

31. Quod autem malum seu damnum sit nobis imputabile ad culpam iuxta quantitatem mali seu damni,quod liberâ nostrâ actione incurrimus, sic ostendo:vt totum id malum sit nobis ad culpam imputabile, necesse non est, vt illud distinctâ & adæquatâ notitiâ cognoscamus,sed sufficit, si confusâ & inadæquatâ. Igitur vt malum infinitum, etiam quà infinitum est,nobis ad culpam imputetur, necesse non est, vt illud distinctâ & adæquatâ notitiâ cognoscamus,sed sufficit,si confusâ & inadæquatâ. Quod constat 1. vt malum simpliciter nobis ad culpam imputetur, sufficit, si tantùm confusè cognoscatur,eiusque moralis causa simus: non enim vt nobis homicidium,exempli gratiâ,quod ex incautâ explosione sclopeti sequitur, ad culpam imputetur,requiritur,vt illud expressè,& distinctè cognouerimus ex incautâ sclopeti explosione secuturum; sed sufficit, si tantùm confusè & implicitè atque in solâ causâ illud præuiderimus. Ergo vt totum malum & damnum, etiam infinitum, nobis ad culpam imputetur, sufficit si tantùm confusè & implicitè cognoscatur, eiusque moralis causa simus.

Prob. pars 2.

32. Prob. 2. vt totum malum seu damnum ad culpam imputetur, sufficit, vt sit nobis simpliciter voluntarium:est simpliciter voluntarium, si sit aliquo modo cognitum:nam hoc ipso voluntas virtualiter saltem fertur ad totum: quod voluntarium simpliciter, præsertim in ordine ad malum imputabile contrahendum,sufficit.

Probat. 2. à priori.

33. Notanter in assertione addidi *scienter*: quia si nullo modo cognosceretur, non posset ad culpam imputari sed tantùm ad pœnam. Vnde qui inuincibiliter ignoraret pœnam æternam, non posset mortaliter peccanti illa ad culpam imputari, sed solùm ad pœnam. Ratio: quidquid ad culpam aliquo modo imputatur,debet esse voluntarium; nequit esse voluntarium,nisi aliquo modo cognitum, cùm principium voluntarij sit cognitio. Contrà verò non requiritur vt pœna, quà pœna formaliter,sit peccatori voluntaria. Quò fit, vt priuatio tantæ gratiæ,vel tantæ gloriæ, non sit nobis ad culpam imputabilis; quia ignoramus, quantâ gratiâ, vel gloriâ per mortale priuemur: solùm imputatur ad culpam priuatio gratiæ, & gloriæ simpliciter, quam cognoscimus.

Quid ad pœnam imputetur?

34. *Obijcies* 1. Damnum, quod sequitur ex peccato est effectus peccati: quod non potest imputari ad culpam;non enim constituit formaliter peccatum, sed supponit illud constitutum,cùm nullus effectus constituere possit suam causam. Antecedens probatur,peccatum separari potest à damno, vt nunc de facto est tota malitia mortalis, & tamen non est reipsa positum infinitum damnum mortalis,quod est pœna æterna. Præterea posset Deus tale damnum separare à mortali,illud non infligendo: vnde tunc esset tota malitia peccati absque damno. Resp. dist. antec. damnum vt actu secutum & reipsa positum, est effectus peccati,concedo: damnum vt causaliter connexum cum liberâ actione, est effectus peccati, nego. Vt sic enim est actio libera causaliter ac virtute continens tale damnum vt sibi moraliter debitum,& hoc modo damnum, vt causaliter & virtute contentum in liberâ actione, constituit formaliter peccatum,imputaturque ad culpam, quia vt sic est essentialiter coniunctum cum peccato, ab eoque inseparabile: nam licet Deus separaret æternum damnum debitum mortali, non tamen separaret exigentiam talis damni; cùm mortale propter intrinsecam malitiam & iniuriam,quam irrogat Deo, essentialiter exigat tale damnum infinitum quoad durationem: ac proinde semper illud etiam actu à peccato separatum imputaretur ad culpam vt causaliter debitum. 35.

Damnum quomodo constituat peccatum.

Obijcies 2. non tota malitia, quæ est in obiecto refunditur in actum:ergo nec tota malitia, quæ est in effectu peccati,refunditur in peccatum: ergo etiamsi in effectu peccati sit carentia infiniti boni,non tamen tota refunditur in peccatum. Antecedens probatur, qui habet voluntatem occidendi infinitos homines, non contrahit infinitam malitiam: sicut neque qui habet voluntatem tribuendi infinitum bonum contrahit infinitam bonitatem in actu. Resp. neg. conseq. quia obiectum non communicat suam malitiam se ipso actui interiori voluntatis, constituendo cum eo vnum actum moralem, sed extrinsecè causando in illo mediâ cognitione malitiam distinctam ab eâ, quam obiectum in se continet. Quæ malitia in actu voluntatis limitatur mediâ cognitione finitâ, mediante quâ ab obiecto causatur in actu. Effectus verò vt causaliter contentus communicat suam malitiam actioni liberæ peccatoris, se ipso constituendo vnum actum moralem cum interiori voluntate: proinde totam malitiam,quam continet, illi communicat, qui eam communicat formaliter per exhibitionem sui. Eadem ratio est de actu bono: nam quà hic comparatur ad bonum infinitum vt ad obiectum, non contrahit nisi honestatem finitam mediâ cognitione finitâ;quà comparatur ad idem bonum, vt ad effectum sibi causaliter connexum, habet honestatem & valorem infinitum; quia vt sic formaliter & constitutiuè includit illud. Vnde actus Christi,quo in satisfactionem generis humani suum pretiosum sanguinem offerebat æterno Patri,nonnisi finitam honestatem sumebat ab illo,vt ab obiecto extrinsecè terminante ac specificante; infinitam verò ab eodem,vt ab effectu, quem vt perfectus Dominus liberè offerebat æterno Patri in compensationem nostrorum peccatorum, quia vt sic formaliter includebat illum in liberâ actione illius proximè causatiua. Instas: etiam effectus communicat suam malitiam, vel honestatem actui mediâ actione finitâ operantis; ergo etiam talis malitia, vel bonitas est finita. Resp. communicat illam vt terminus extrinsecè terminans & specificans, nego: communicat illam vt terminus intrinsecè connexus cum liberâ actione operantis, vt cum causâ illum quoad totam suam bonitatem, vel malitiam proximè causante,concedo. 36. 37. 38. 39.

Ratio discriminis in actu malo.

Ratio actus boni.

Dico 4. Vt nobis effectus malus ad culpam imputetur,non est necesse,vt illius Physica causa simus, sed sufficit, si tantùm simus moralis causa ipsius. Fundamentum: siue simus causa physica, siue moralis,sem- 40.

Ratio effectus mali.

lis, semper ille ex vi liberæ actionis ponitur, ac proinde vtrouis modo illius causa simus, semper est nobis debitus, vt effectus liberè à nobis procedens. Vnde etiamsi æterni damni nos physica causa non simus, sed tantùm moralis, imputatur nobis ad culpam, quatenus illud est necessariò connexum cum
41. *Actus malus dupliciter comparatur ad damnum.* liberâ actione, vt effectus cum causâ proximâ. Vnde fit, vt internus actus malus voluntatis ad damnum æternum comparetur; vel vt ad obiectum, à quo mediâ cognitione finitâ finitam contrahit malitiam; vel vt ad effectum moraliter causatum, à quo infinitam accipit malitiam, quia vt sic intrinsecè includit illud quoad totam suam malitiam causaliter. Pari modo quodlibet mortale in hoc statu commissum includit priuationem gratiæ iustificantis, vt obiectum extrinsecè specificans ac terminans, & vt effectum intrinsecè connexum cum prauâ actione.

42. *Obijcies.* Si sola causa moralis sufficit, vt totam malitiam pœna communicet liberæ actioni, sola sufficiet, vt totam bonitatem præmium communicet liberæ actioni: nam etiam merens est causa moralis suâ liberâ actione præmij. Resp. neg. sequel.
43. *Pœna ac præmij ratio impar.* nam præmium semper est aliquid indebitum merito: si enim esset illi debitum, non esset præmium; quia præmium debet esse aliquod bonum vltra illud, quod meritum naturâ suâ affert merenti. Pœna verò seu damnum æternum per se est debitum mortali, quod propter grauitatem offensæ cõtra Deum suâ naturâ meretur æternam separationem à Deo. Nec refert, quòd actus charitatis, vel alterius virtutis supernaturalis in gratiâ factus naturâ suâ sit condignus supernaturali gloriâ: quia actus potest actus esse condignus aliquo bono, & tamen non expetere illud vt præmium sibi debitum, ad hoc enim requiritur promissio præmiantis. Peccatum verò mortale absque vllâ comminatione Dei suâ naturâ meretur vt effectum sibi debitum æternum
A priori. damnum & separationem à Deo. Ratio, creatura omnes suos actus tam naturales, quàm supernaturales debet Deo, vt authori omnium bonorum, à quo accepit principium operandi, ita ei debet omnes suas operationes. Contrà verò eadem tenetur naturali & diuinâ lege non offendere Deum: ergo hoc ipso quòd illum offendit, suâ naturâ contrahit reatum æternæ pœnæ, etiamsi nulla facta esset comminatio; nam ante omnem comminationem pœnæ creatura tenetur illum non offendere: cùm tamen ante promissionem debitum non sit creaturæ rectè operanti præmium æternæ gloriæ; nam ante promissionem omnis recta operatio est obstricta Deo vt fonti omnium bonorum.

44. Dico 5. Peccatum non accipit malitiam ex quocumque damno, quod posset simpliciter subiecto causare, sed ex damno dumtaxat boni debiti.
Fundam. Fundamentum: omne peccatum est transgressio alicuius debiti: ergo vbi nullum est debitum; nulla potest esse transgressio. Quo fit, vt etiamsi mortale suâ naturâ priuare possit subiectum infinitâ gratiâ, & gloriâ intensiuâ, imò & vnione hypostaticâ, de facto tamen eius tantùm priuationis malitiam contrahit, cuius oppositum bonum erat peccatori debitum, vel ex naturâ suâ, vel ex diuinâ promissione: hoc autem semper est aliquod bonum finitum, nempe finita gratia & gloria quoad intensionem. Vnde priuatiua illa oppositio, quam mortale habet cum infinitâ gratiâ, gloriâ & vnione hypostaticâ, non est imputabilis, quia non est moralis oppositio cùm formâ debitâ, sed tantùm physica cum formâ non debitâ. Confirm. Non potest negatio boni in-
45. *Omnis pœ-* debiti imputari nobis ad pœnam; ergo neque ad damnum culpabile. Antecedens constat; nam omnis pœna est priuatio alicuius boni debiti. Quod *na est priuatio boni debiti.* patet ex fine, propter quem statuta est pœna, vt scilicet qui per eam punitur, minus habeat in bonis; vt quantum per voluntariam culpam contra debitum ordinem supra alios se erexit, tantum per inuoluntariam pœnam infra alios deprimatur. Nemo autem inuoluntariè deprimitur per solam negationem bonorum, quæ sibi nullo modo debentur. Quis enim inuoluntariè patitur, quod sibi vnio hypostatica cum Deo negetur? Consequentia probatur, non minus ad contrahendam culpam requiritur in contrahente debitum, quàm ad contrahendam pœnam.

Dices. Sufficere debitum non malè operandi: 46.
Obijcies. nam in hoc includitur debitum euitandi quodcumque damnum, quod posset ad quamcumque malam operationem consequi: nam hoc ipso, quòd quis malè operatur, exponit se periculo incurrendi quodcumque damnum. Ergo ratione huius debiti non malè operandi, fit nobis culpabilis negatio cuiuscumque boni etiam indebiti. Sed contrà: sicut 47.
Resp. ratione huius debiti non fit nobis imputabilis ad pœnam negatio cuiuscumque boni, sed tantùm debiti: ita nec ratione eiusdem debiti, fit nobis imputabilis ad culpam negatio cuiuscumque boni, sed tantùm debiti: cùm sit eadem vtriusque ratio. Non enim propter peccatum homicidij fit nobis imputabilis ad pœnam negatio vnionis hypostaticæ: ergo nec ad culpam. Neque ex debito non malè operandi culpabiliter incurrimus negationem cuiuscumque boni, sed tantùm debiti. Instas: per quod- 48.
Instas. libet peccatum reddimus nos incapaces ad quodcumque donum Dei; ergo incurrimus debitum carendi quocumque dono Dei: nam eo iure incurrimus debitum carendi bono, quo incurrimus incapacitatem ad tale bonum. Resp. dist. anteced. per 49.
Resp. quodlibet peccatum reddimus nos ad quodcumque donum Dei incapaces proximè & moraliter, nego; physicè & remotè, concedo. Per peccatum igitur reddimus nos tantùm incapaces moraliter ad bonum debitum; physicè ad quodcumque etiam indebitum. Ad culpabilem autem imputabilitatem non sufficit reddere nos remotè & physicè incapaces, sed requiritur vt proximè & moraliter: quod tunc fit quando per peccatum reddimur incapaces ad bonum debitum; alioqui per quodlibet peccatum incurreremus debitum carendi quocumque bono possibili. Ex his sequitur, ante promissionem 50.
Coroll. Dei de gloriâ nullum mortale contrahere malitiam priuationis gloriæ, sed tantùm naturalis perfectionis, & amicitiæ Dei; vel naturalis, si in statu puræ naturæ; vel supernaturalis, si in statu gratiæ illud commissum fuisset; quia ante promissionem non est nobis debita gloria, sed vel sola gratia, si ad eam tantùm eleuati essemus; vel status amicitiæ dumtaxat naturalis, si in purâ tantùm naturâ conditi essemus.

Dico 6. Formalis malitia damni non contra- 51.
Interior affectus solus non infert damnum. hitur ex solo interiori affectu, quo quis vult sed quo actu infert, vel saltem per actionem, quæ apta est proximè illud inferre. Fundamentum: formalis malitia damni consistit in formali priuatione boni iniustè sublati: sed hæc non contrahitur solo interiori affectu; qui non est immediata & proxima causa damni. Maior ostenditur, in solo interiori affectu non est ipsa formalis malitia damni, nec formaliter, cùm hæc sit destructio boni debiti, nec causaliter proximè, vt dixi: & *disp. cit. num.* 128. Con- 52.
firm. formalis malitia damni contrahitur per actionem suâ naturâ proximè damnificatiuam; quæ est exterior

exterior liberè à voluntate imperata, proximè & immediatè attingens, vel apta attingere ipsum damnum: nam catenus formalis malitia damni contrahitur, quatenus peccatum constituitur & integratur ex actione proximè damnificatiuâ: ergò hâc sublatâ, manente solo interiori affectu, non manet peccatum cum formali malitiâ damni, quæ causaliter tantùm continetur in actione externâ, sed cum solâ malitiâ interioris affectus, quæ est diuersæ rationis à formali damni. Nam licet actus internus suam bonitatem, vel malitiam sumat ab obiecto externo, non tamen eandem, sed aliam diuersæ rationis proportionatam actui interno. Vt eleemosyna externa, est subleuatio egestatis: hanc autem bonitatem non communicat actui interno, sed aliam proportionalem, quia in actu interno non continet formalem bonitatem subleuandi egestatem, quam solùm habet vt causa proxima, actio miserentis. Ita formalis malitia homicidij, est priuatio humanæ vitæ, quæ non communicatur internæ voluntati occidendi, sed alia malitia proportionalis actui interno: nam hanc non habet homicidium vt tantùm volitum, sed vt patratum proximâ actione liberâ homicidæ; vel vt aptum sequi: quia posset poni tota causa proxima homicidij, & actu non sequi, si Deus miraculosè illud impediret, vt sæpe impediuit in martyribus; quo euentu adhuc contraheretur malitia homicidij, in causâ proximâ liberè positâ; seu per actionem, quæ liberè pendet ab homicidâ, & est proxima causa homicidij.

Eius malitia rationis diuersa.

53. *Sententia expressa Anselm.* Dico 7. Peccatum occisionis Christi, cum certa cognitione Christi commissum, est infinitæ malitiæ, ratione damni, quod infert Christo; est *Anselmi l. 2. Cur Deus homo cap.* 14. vbi docet, id incomparabiliter superare omnia peccata, quæ excogitari possunt extra personam Christi. Interrogat enim Bosum: *Cur ita cor tuum indicat, vt plus horreat vnum peccatum in læsione huius hominis, quàm alia omnia, quæ cogitari possunt: cùm omnia quæcumque fiunt peccata, contra illum fiant.* Respondet Bosus: *quoniam peccatum, quod in personâ eius fit, incomparabiliter superat omnia illa, quæ extra personam illius cogitari possunt.* Quam responsionem confirmat Anselm. *videmus ergò, quia violationi vitæ corporalis huius hominis nulla immensitas vel multitudo peccatorum extra personam Dei comparari valet.* Et rationem assignat: eò

A priori. maior est destructio, quò maius ac nobilius est bonum, quod destruitur: sed humana vita Christi est bonum incomparabiliter superans quodcumque bonum creatum, etiam infinitorum mundorum: ergo destructio humanæ vitæ Christi est maior quâcumque destructione, etiam infinitorum mundorum: sed destructio infinitorum mundorum esset infinita; igitur peccatum occisionis Christi destruens vitam superantem infinitos mundos, est infinitum, non quidem intensiuè & secundùm affectum, sed causaliter, quatenus voluntariè infert, vel aptum est proximè inferre infinitum damnum

54. *Fundam. ex Anselm.* Christo; scilicet vita humana Christi est infinitæ dignitatis & valoris: ergo qui scienter illam destruit, etiamsi finitè eam cognoscat, infinitum infert damnum Christo: igitur tale peccatum est infinitum ratione damni illati. Anteced. constat: vita humana Christi habet infinitam dignitatem sibi moraliter communicatam ab increatâ personâ Verbi, cui est hypostaticè vnita: nam ideò quiuis actus Christi est infinitæ dignitatis & valoris, quia mediâ humanitate vnitur increatæ personæ Verbi, à quâ vt à formâ intrinsecâ moraliter dignificatur: sed immediatiùs vnitur humanitas scilicet seipsâ cum personâ Verbi, quàm quiuis actus, vel accidens ipsius, scilicet mediâ humanitate: ergo si propter mediatam vnionem cum Verbo quiuis actus, & accidens Christi est infinitæ dignitatis; à fortiori humanitas erit infinitæ dignitatis. Confirm. 1. Christus offerendo suam humanitatem morti, obtulit bonum infinitum: ergo qui scienter destruit Christi humanitatem destruit bonum infinitum. Nam tantum bonum destruit, qui scienter Christum occidit, quantum bonum suâ morte obtulit Christus. 2. Occisio infinitorum hominum reipsâ inferret infinitum damnum; sed vita humana Christi excedit vitas infinitorum hominum, *Anselmo teste*; Ratio sola vita humana Christi ratione dignitatis personalis excedit quamcumque vitam creatam, etiam infinitorum hominum: ergo eius destructio infert infinitum damnum. quia damnum mensuratur ex bono ipso, quo actio proximè damnificatiua subiectum priuat.

55. *Confirm. 1.*

56. *Confirm. 2.*

Obijcies. Occisio Christi non destruit, nisi vnionem naturalem inter animam & corpus Christi: sed hæc est finita; non enim est vnita Verbo, cùm nequeat vnio vnius extremi fieri vnio alterius extremi: ergo si vnio naturalis est tantùm nexus inter animam & corpus Christi, non poterit fieri vnio & nexus eiusdem animæ & corporis cum Verbo, cùm vnio essentialiter sit addicta suis extremis. 57. *Dices.*

Resp. dist. minor. vnio naturalis in Christo est finita physicè, concedo; moraliter, nego, vti nec ipsi actus Christi sunt infiniti physicè: & tamen qui destrueret vnum actum Christi, destrueret bonum infinitum, propter infinitam dignitatem moralem, quam accipit à personâ Verbi. Ad probat. dist. antec. vnio naturalis non est vnita Verbo immediatè, concedo; mediatè, sicut quiuis actus Christi, nego: mediâ enim humanitate, tam vnio naturalis, quàm quæuis proprietas, vel accidens vnitur Verbo: quæ vnio mediata sufficit ad communicandam infinitam dignitatem extremo vnito, vt constat de actibus meritorijs Christi, qui non nisi mediatè vniuntur Verbo, & tamen infinitam dignitatem moralem accipiunt à personâ Verbi. 58. *Resp. vnio naturalis est infinita moraliter.*

Confirm. 1. nec B. Virgo produxit vnionem hypostaticam, *vt infra*, sed solam naturalem inter animam & corpus Christi, si verum est matrem actiuè concurrere ad productionem prolis, de quo *suo loco*; & tamen dicitur produxisse bonum infinitum, quia produxit Deum, cuius fuit vera Mater. Ergo qui destruit solam vnionem naturalem inter animam & corpus Christi, destruit bonum moraliter infinitum; scilicet id, quod Mater Dei produxit, vt bonum infinitum. Dices: non ideò B. Virgo produxit bonum infinitum, quia produxit totum compositum, producendo vnionem copulantem partes inter se. Sed contrà; etiam qui occidit Christum, destruit totum compositum ex partibus constitutum; quia destruit vnionem copulantem partes, non minùs quàm illud producat, qui producit vnionem partes formaliter copulantem; nec solùm destruit vnionem inter animam & corpus, sed etiam principium vegetandi, sentiendi, discurrendi, infinitè ab increatâ personâ Verbi dignificatum: nam omnia hæc principia in homine pendent ab vnione naturali inter animam & corpus, quâ solutâ, soluuntur & illa: ac proinde soluitur in Christo infinita dignitas moralis, quæ his principijs communicabatur à personâ Verbi. Confirm. 2. vnio hypostatica non aliâ ex causâ dicitur infinita, nisi quia moraliter dignificatur ab infinitâ personâ Verbi, cui seipsâ immediatè vnitur: nam non est infinita physicè, cùm sit modus finitus; ergo tantùm moraliter, quà infinitam dignitatem moralem accipit à perso-

59. *Confirm. 1.*

60. *Dices.*

Resp. à pari.

61. *Mediata vel immediata vnionis cum verbo par dignitas moralis.*

Personâ Verbi. At non minùs ab infinitâ personâ Verbi infinitam dignitatem moralem accipit vnio naturalis inter animam & corpus: cùm non minùs hæc quàm illa vniatur cum personâ Verbi, licet hæc mediatè, illa immediatè: quod discrimen non impedit, quo minùs idem valor & dignitas infinita personæ vtrique communicetur.

62. *Christicidium infinita culpa & malitia.* DICO 8. Totum damnum occisionis Christi imputatur Christicidæ ad culpam, & consequenter ad infinitam. Fundam. peccatum occisionis Christi ex certa scientiâ Diuinitatis Christi patratum, continet malitiam infinitam, desumptam ex infinito damno, quod infert Christo: sed tota hæc malitia est Christicidæ voluntaria; quia tota cognoscitur: igitur tota hæc imputatur illi ad culpam, tota enim imputatur ad culpam, cuius moralis causa sumus. Maior probatur: causa accipit suam malitiam ex effectu, quem causat, vel apta est suâ naturâ causare: ergo si in effectu est malum & damnum infinitum, etiam in causa erit malitia infinita: cùm igitur in passiuâ occisione Christi sit infinitum damnum morale, erit infinita malitia in actiua occisione eiusdem causaliter per ordinem ad infinitum damnum.

63. *Confirm.* Confirm. Peccatum Christicidij non constituitur ex solâ voluntate internâ, sed ex ipsâ etiam liberâ actione occidendi: sed hoc compositum ex voluntate internâ & actione liberâ occidendi Christum includit infinitam malitiam ad culpam causaliter imputabilem: quia tanta est malitia causæ, quanta est malitia effectus ex ea secuti, vel apti sequi: ergo qui vult causam, ex qua præuidet secuturum infinitum damnum, vult damnum ipsum in causa virtute contentum: proinde tota malitia causæ imputatur ei ad culpam. Maior probatur, non minùs proxima causa occisionis passiuæ, quàm interna voluntas occidendi moraliter est ab occidente: ergo non minùs ex vnâ quàm ex aliâ consurgit peccatum occisionis. Ideò enim voluntas occidendi imputatur ad culpam, quia cùm sit ex obiecto mala, liberè à volente exercetur: ergo similiter ideò actio occidendi imputabitur ad culpam, quia cùm sit ex suo effectu mala, liberè ab occidente ponitur. *Obijcies.* Damnum ex Christicidio secutum non est formaliter

64. *Dupliciter considerare est damnum ex Christicidio.* peccatum sed effectus peccati: nec potest ad culpam imputari, nisi quod est formaliter peccatum. Resp. ex 5. assertione considerari potest damnum ex Christicidio, & ex quocumque alio homicidio secutum, vno modo vt passiuè receptum in Christo, vel in quocumque alio puro homine; alio modo vt causaliter & virtute contentum in liberâ actione occidentis. 1. modo imputatur tantum vt effectus ex peccato secutus, quo pacto peccatum non [illegible] 2. modo non solùm imputatur vt effectus interioris voluntatis occidendi, sed etiam vt [illegible] & integrans formaliter peccatum [illegible] quod completè constituitur tam ex interiori voluntate, quam ex actione liberâ occidentis, non vt passiuè recepta in occiso, sed vt [illegible] existente in occidente, quæ liberè imperata ab interna voluntate occidendi, [illegible] causatiuam homicidij, in qua [illegible] & virtute continetur totum damnum homicidij, totum illud imputatur ad [illegible] non minùs actio ipsa [illegible] occidendi, quàm interna voluntas [illegible] ac liberè [illegible] [illegible]

65. DICO 9. Non solùm qui re ipsa occidens Christum cum certa notitia Diuinitatis ipsius, sed etiam, qui occidens [illegible] hominem, inuincibiliter putaret se Christum [illegible] ad culpam imputabilem. Fundamentum [illegible] mala imputatur peccatori secundùm eam malitiam, quâ ab ipso cognoscitur & liberè exercetur: sed eo casu homicidium puri hominis cognosceretur, & liberè exerceretur vt Christicidium: ergo imputaretur illi vt Christicidium, ac proinde secundùm infinitam malitiam damni, quod Christicidium per se infert. *Minor cum consequentia constat.* Maior probatur, secundùm eam malitiam nobis peccatum imputatur, quâ illius causa moralis sumus, cùm nihil aliud sit peccatum, quàm moralis effectus liberè à peccatore procedens: qui autem occidens purum hominem inuincibiliter putaret se occidere Christum, esset moralis causa Christicidij: igitur imputaretur ei infinita malitia, quam continet Christicidium. Confirm. Qui accedit ad solutam, inuincibiliter putans esse nuptam, non committit simplicem fornicationem, sed adulterium & de eo vt de adulterio tenetur confiteri. 66. *A pari.* Ergo qui occidit purum hominem, inuincibiliter putans esse Christum, non committit purum homicidium, sed Christicidium, & de tali confiteri tenetur. *Ratio.* Ratio; probabilis error trahit peccatum ad illud genus malitiæ, in quo esset, si reipsa in ea materia committeretur: nam cùm tota malitia peccati sumatur per ordinem ad operantem, vt comparatum ad proximam regulam rationis, quam in operando sequi tenetur, tota malitia ipsius sumitur per ordinem ad transgressionem huius regulæ.

67. *Obijcies* 1. tantùm sequitur, quòd ex tali homicidio, inuincibiliter putato Christicidio, contrahitur interna malitia Christicidij, non externa, quæ consistit in actione reipsa destructiuâ Christi. Resp. neg. sequel. nam malitia peccati imputatur, quâ cognoscitur: at tale peccatum non modo cognoscitur vt Christicidium per modum obiecti interioris voluntatis, sed etiam per modum effectus secuturi ex liberâ actione occidentis: ergo non solùm imputatur occidenti ex malitia obiectiuâ, sed etiam ex malitiâ causali, quâ ab ipso liberè exercetur. *Malitia imputatur qua cognoscitur in externâ actione.*

68. *Sequela dua vera.* *Obijcies* 2. sequeretur, illum, qui inuincibiliter putaret interno odio se annihilaturum Deum, contracturum malitiam annihilationis Dei; 2. tale peccatum fore simpliciter infinitum, & altioris ordinis, quàm Christicidium, & quodcumque aliud. 3. nec peccatum occisionis Christi fore infinitum 3. in [illegible] quodcumque aliud [illegible] moraliter. 4. nec posse [illegible] 4. [illegible] Christi satisfactione [illegible] Christi in tantum infinitam [illegible] Dei putatiuè esset infinita physicè. Respondeo [illegible] primam & 2. sequel. ad 3. dico, hoc peccatum fore in alio ordine diuerso, quàm esset [illegible] patratum, & quod [illegible] Christi. Nam Christicidium est supremum in genere læsionis ac [illegible] moralis, eo quod [illegible] *Ad tertiam quaedam [illegible] ex tribus in sua ordine infinitam.* vitam humanam Christi infinitè [illegible] tum moraliter à personâ increatâ Verbi. Peccatum [illegible] liter peccatum [illegible] Dei [illegible] supremum in genere [illegible] physicè [illegible] quodcumque aliud est supremum in [illegible] contra [illegible] quodque ex his est in suo genere & ordine supremum ac infinitum [illegible] nullum aliud in suo genere admittit sub eodem ordine superius. Vt si daretur [illegible] ad dimensione infinita, quæuis dimensio [illegible] esset infinita, nec aliam sub eodem ordine admitteret maiorem se, sed vnaquæque in suo [illegible] esset suprema, supra quam non posset dari maior. Ita quodlibet peccatum ex his

tribus

[illegible] est in suo ordine [illegible]emum, supra [illegible] sub eâdem serie offensæ non admittit gra[illegible]

Ad 4. Vltima seq. neg. de quâ *infrà*, cùm de Christi sat[is]factione.

70. *Auctores vtrinsque sent. conciliare est.* Conciliari pot[e]st vtraque sentent. qui concedunt, mortale esse infinitæ mali[tiæ] explicandi sunt de duplici infinitate, tam ordin[is], quam damni, quod mortale condignè infert. [illegible]

[illegible]

80. [illegible] de red[illegible] cum ho[illegible] decrele[illegible]

[illegible] tum [illegible] Quod [illegible] culpa [illegible]

[illegible] mala

mala sunt respectu eiusdem semper ex rectâ ratione, eligibilius est minus: quando verò sunt respectu diuersorum; vt in proposito malū priuationis vnionis hypost. est respectu creaturæ, malum peccati est respectu Dei, cuius increata maiestas peccato contemnitur; non attenditur grauitas mali secundùm se, sed relatè ad personas: vnde quò dignior est persona, cuius bonum læditur, eò grauius est malum; Et quia peccato læditur bonum Dei, priuatione vnionis hypost. bonum creaturæ, ideò semper maius, grauiusque malum est peccatum, quàm priuatio cuiuscumque boni, respectu creaturæ, adeoque ex rectâ ratione eligibilius est quodcumque malum creaturæ, quàm vel minimum peccatum quo bonum Dei offenditur. Sed contrà: etiam

92. *Sed contrà.* casu quo nulla foret offensa Dei, vt casu inuincibilis ignorantiæ Dei, adhuc eligibilius esset, quodcumque malum etiam infinitum pœnæ, quàm vel leue malum culpæ; nam etiam tunc recta ratio dictaret, subeundam potiùs esse quamcumque pœnam, priuationemque boni etiam infiniti, quàm vel leue mendacium committere. Ratio igitur su-

93. *Ratio vera.* menda est ex essentiali obligatione, quam ab intrinseco secum affert peccatum. Nam hoc ipso quod est contra naturam rationalem, per intrinsecum dictamen, ipsam obligat ad illud vitandum, nec esse committendum propter quodcumque aliud damnum incurrendum, vel bonum acquirendum. Vnde *August. in Enchir. cap.* 24. appellat illud, *Primum creaturæ rationalis malum:* quia inter omnia mala est primum, quod creaturam rationalem obligat, ad ipsum vitandum: adeò vt illud comparatiuè, ad omnia mala excogitabilia propositum, præ omnibus debeat primum vitari, etiamsi propter vitationem ipsius, debeant cætera omnia mala sustineri. Et hoc ex intrinsecâ naturâ mali moralis vt sic, non modò quà offensa Dei est, sed etiam quà rationis læsio & deuiatio est. Hinc apparet non solùm quantum malum sit peccatum, sed etiam quantum bonum sit, bonum morale rationis, cuius vel minima læsio postponenda est cuicumque læsioni; & cuius integra conseruatio præferenda est cuicumque alteri bono.

94. *In mortali fundamenta æstimabilitatis infinitæ malitiæ.* Ex his euidens est, in mortali esse sufficiens fundamentum æstimabilitatis infinitæ offensæ. Nam quod maius, quàm quòd vel vna mortalis offensa in grauitate & malitiâ contra Deum, superet infinitas offensas inferioris ordinis contra personas creatas digniores in infinitum? quòd vel vna mortalis noxa excedat infinitas venialium? & quod inde sequitur, eligibilius sit, committere infinita venialia, quàm vel unum mortale? quòd nulla possit quacumque perfectiori, imò & infinitâ puræ creaturæ satisfactione condignè resarciri? quòd condignè illatiuum sit infiniti damni? omnia enim ista cogunt prudentem intellectum ad æstimandum offensam mortalis esse infinitæ grauitatis: esto adhuc illa in ratione offensæ non sit infinita, vel essentialiter & extensiuè, vel accidentaliter & intensiuè, sed tantùm ordine & eminenter, per comparationem ad quascumque alias offensas, contra quascumque personas creatas digniores commissas. *Vide cit. disput. 23. tom. 3.*

SECTIO II.

An possit pura creatura viribus proprijs pro suo peccato mortali satisfacere.

PVRA creatura capitur, vno modo pro creaturâ non vnitâ hypostaticè Deo; alio, pro creaturâ secundùm vires dumtaxat naturales, spoliatâ omni auxilio gratiæ. In vtroque sensu disputo, an possit pura creatura pro suo peccato mortali condignè satisfacere? Nunc in posteriori sensu, in sequenti sectione in priori. 95. *Dupliciter capitur pura creatura.*

I. Sententia affirmat: *Rubio. in 6. dist. 15. quæst. 3. art. 2. conclus. 3.* Fundam. potuit Deus statuere, vt quicumque de proprio peccato commisso viribus naturæ contereretur, statim ei offensa remitteretur. Hâc autem promissione factâ, talis contritio fuisset condigna satisfactio pro offensâ illatâ Deo: quia tantùm Deo placuisset contritio naturæ viribus elicita, quantum displicuisset opposita offensa. Eandem sententiam docere tenentur, qui putant, actum satisfactorium fieri condignum ex acceptatione extrinsecâ Dei. 96. *I. Sentent. Fundam.*

SECVNDA sent. negat. *quæ* communior est & vera. Fundam. nulla contritio (de hâc enim tantùm posset esse difficultas) solius naturæ viribus elicita potest esse condigna satisfactio pro offensâ mortali. Prob. 1. de facto nulla contritio solius naturæ viribus elicita, est condigna peccati satisfactio: ergo nec de possibili. Anteced. definitur in *Trident. sess. 6. can. 3.* vbi contra Pelag. statuitur, *hominem ad pœnitendum sicut oportet, ad gratiam iustificationis consequendam, egere S. Spiritûs adiutorio.* Conseq. prob. si contritio solius naturæ viribus, elicita, posset esse condigna peccati satisfactio, Deus perfectiorem per vires gratiæ elicitam à peccatore non exigeret. Sicut quia cum sacramento Pœnitentiæ ad iustificationem sufficit attritio, contritionem non exigit: quia Deus non recusat, quod per se est condignum ad peccati satisfactionem. DICES: non ideò talem contritionem pro peccati satisfactione à Deo non acceptari, quia de se condigna non est, sed quia nequit solius naturæ viribus elici, sed necessariò requirere auxilium adiuuantis gratiæ. Sed contrà; illi contra quos disputo, admittunt illam elici posse solius naturæ viribus: 2. esto, non possit, saltem elici posset sine auxilio gratiæ ordinis supernaturalis, sed tantùm ordinis naturalis, ex solo motiuo Dei finis naturalis, quæ neque, *vt mox*, ad condignam satisfactionem pro offensâ mortali Deo irrogatâ, sufficiens est. 97. *2. Sentent. vera omninò. Fundam. A posteriori.* 98.

Prob. 2. Omnis condigna satisfactio resarcire debet totum honorem læsum personæ offensæ: contritio ex solo motiuo Dei finis naturalis elicita, non resarcit totum honorem Dei, per peccatum hoc statu commissum, læsum: nam per peccatum hoc statu commissum, non solùm læditur honor Dei finis naturalis, sed etiam finis supernaturalis. Homo enim peccando, non solùm contemnit Deum vt finem naturalem, sed etiam vt finem supernaturalē, quia non solùm offendit illum, vt benefactorem bonorum naturalium, sed etiam vt bonorū supernaturalium. Satisfactio autem, quæ exhibetur per obsequium in recognitionem læsi honoris personæ offensæ, non resarcit totum honorem læsum, nisi exhibeatur in recognitionem totius honoris læsi. Si enim quis offen- 99. *Ratio à priori. Quæ condigna satisfactio r*

dit Pe-

dit Petrum vt publicam personam, non satisfacit illi adæquatè si tantùm illi obsequium præstet vt priuatæ personæ. Nequit autem honor læsus, per obsequium adæquatè resarciri, nisi cognoscatur ille gradus dignitatis, qui fuit læsus: nam quod per obsequiosam actionem, iniuriæ retractatiuam, resarcitur, adæquatè resarciri nequit, nisi tota iniuria illata retractetur: nequit tota retractari, nisi cognoscatur dignitas læsa & gradus; cùm talis satisfactio non fiat, nisi per actum voluntatis, quo illata offensa displicet: & per consequens cognosci debeat dignitas læsa secundùm omnem gradum, qui fuit læsus. Cùm igitur contritio ex solo motiuo Dei finis naturalis, non procedat ex cognitione dignitatis Dei finis supernaturalis, quæ per peccatum fuit læsa, non poterit tota iniuria peccato illata retractari, ac proinde esse adæquata satisfactio pro offensâ illatâ.

100. *Confirm.* Confirm. condigna satisfactio per obsequium Deo exhibita, non solùm debet retractare offensam, quâ Deû læsit vt benefactorem bonorum natur. sed quâ bonorum supernat. sed per contritionem solius naturæ viribus elicitâ non potest creatura retractare offensam contra Deum benefactorem bonorum supernaturalium: quia nequit ita retractari, nisi cognoscatur vt auctor talium bonorum. Cùm igitur contritio naturalis non procedat ex cognitione Dei auctoris bonorum supernaturalium, non poterit per hanc contritionem peccator retractare offensam illatam contra Deum auctorem bonorum supernatur. Eadem veritas à fortiori constabit ex *sect. seq.*

101. *Dices.* DICES: sequitur, neque actum contritionis ex solo motiuo Dei, finis naturalis, & auctoris bonorum dumtaxat naturalium, à Christo elicitum, fuisse condignam satisfactionem pro peccato aliorum, commisso contra Deum finem & auctorem bonorum supernaturalium: nam neque talis actus ex solo motiuo Dei finis & auctoris naturalis à Christo elicitus, vice aliorum retractâsset offensam factam contra Deum finem & auctorem supernaturalem: quia neque ex tali motiuo à Christo elicitus, processit ex cognitione Dei finis & auctoris supernaturalis.

102. *Resp.* Resp. neg. sequel. nam licet talis actus à Christo elicitus non habuisset condignitatem ad satisfaciẽdum pro offensâ aliorum, factâ contra Deum finem & authorem supernaturalem, ex parte obiecti; habuisset tamen condignitatem ex parte personæ operantis, à quâ omnis condignitas ad satisfaciendum pro peccatis hominum in actibus Christi desumebatur.

103. *Ad fund. 1.* Ad fundam. Rubio. nego, solam extrinsecam acceptationem Dei reddere posse satisfactionem condignam, si ex se condigna non est: cùm per extrinsecam acceptationem Dei nihil recipiat in se, per quod ex non condignâ fiat condigna.

SECTIO III.

An possit pura creatura viribus gratiæ pro suo peccato mortali condignè satisfacere.

104. *1. Sentent.* PRIMA sententia affirmat: *Alens. 3. p. q. 1. memb. 5. art. 1. Scoti in 3. d. 20. q. vn. §. Contra ea, & in 4. d. 15. q. 1. art. 2. Mayro. qu. 1. Argent. q. 1. art. 1. Palud. in 3. d. 20. qu. 2. art. 2. Lycheti ibid. §. Præterea: Fauent. in 3. disp. 47. c. 2.*

Fundam. Fundam. Contritio viribus gratiæ elicita æquiualet bono, quod peccatum abstulit: ergò est condigna pro peccato satisfactio; quæ est redditio æquiualentis pro æquiualente. Anteced. prob. peccatum hæc omnia causat: 1. auertit à bono incommutabili, & conuertit ad bonum commutabile. 2. priuat subiectum gratiâ & amicitiâ Dei obiecti & finis supernaturalis. 3. Reddit subiectum dignum odio diuino. 4. Lædit honorem Dei. 5. Inducit reatum pœnæ æternæ. Sed hæc omnia perfectè resarcit supernaturalis contritio. Resarcit primum, quia per detestationem peccati, conuertit creaturam ad Deum finem supernaturalem, & quidem perfectiùs, quàm ab eo auerterat peccatum; quia auerterat tantùm virtualiter & interpretatiuè; contritio conuertit formaliter & expressè, detestando peccatũ propter Deum summè dilectum. Resarcit 2. restituendo loco gratiæ & charitatis habitualis, quam abstulerat peccatum, charitatem & amicitiam actualem erga Deum finem supernaturalem, quæ non est minoris valoris & meriti apud Deum, quàm charitas habitualis. Resarcit 3. reddendo subiectum dignum amore Dei. Resarcit 4. quia cõtritio supernaturalis est perfectissimum obsequium, quod creatura præstare potest Deo. Resarcit 5. tollendo reatum pœnæ æternæ, hoc ipso quod delet maculã, & resarcit offensam Dei.

105. *Confirmat Scotus.* Confirm. quantum bonum natum fuit inesse actui meo, quo tenebar peccatum vitare, tantum bonum, & non plus abstulit peccatum: sed tantumdem bonum potest inesse actui meo: ergo per talem actum redditur pro peccato æquiualens.

106. *2. Sentent.* SECVNDA sententia negat: *S. Tho. 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. & in 3. dist. 20. q. 1. art. 2. & alibi. Alber. art. 1. fine: Bonau. q. 3. & 4. Richar. art. 1. q. 4. & 5. & in 4. dist. 15. art. 1. q. 2. Duran. in 3. dist. 20. q. 2. & in 4. dist. 15. q. 1. Capreo. in 4. dist. 15. quæst. vn. art. 1. concl. 1. Maior. in 4. dist. 14. fine. Caiet. 3. p. qu. cit. art. 2. §. Ad horum euidentiam. Ferrar. 4. cont. gent. cap. 54. §. Circa id, & seq. Sot. in 4. dist. 19. q. 1. art. 2. ad 3. & lib. 3. de natura & gr. c. 6. Almai. in 4. dist. 15. q. 1. art. 2. Bacho. in 4. dist. 1. q. 6. art. 1. ad argum. Palat. in 4. dist. 15. disput. 2. Ioan. Medin. cod. de satisfact. quæst. 1. Barthol. Med. 3. p. qu. 1. art. 2. §. sequitur, Suar. 3. p. tom. 1. disp. 4. sect. 7. concl. 2. & sect. 8. Vasq. disput. 2. cap. 5.*

107. *Hæc est omninò vera sent.* Omninò vera; ex illo Patrum principio, necessariam fuisse Verbi Incarnationem ad condignam satisfactionem pro peccato. Quam necessitatem fusè explicat Anselm. vtroque lib. *Cur Deus homo*, cæterique Patres passim. Si autem posset homo per contritionem viribus gratiæ elicitam, condignè pro suo peccato satisfacere, necessaria non fuisset diuini Verbi Incarnatio ad condignam satisfactionem; cùm potuissent singuli homines pro suo originali contracto, aut personali commisso per contritionem auxilio gratiæ elicitam, condignè Deo satisfacere. Controuersia grauior est in assignandâ efficaci ratione.

108. *Prima ratio expenditur.* I. Ratio *Caiet. & Barthol. Medinæ*: contritio viribus gratiæ elicita supponit gratiam à Deo creditore factam: nulla satisfactio in gratiâ creditoris fundata, potest esse condigna & æqualis offensæ; nam hæc debet esse ex bonis proprijs ipsius satisfacientis. Sed contrà; hæc ratio ad summum probat, non posse contritionem viribus gratiæ elicitam esse satisfactoriam ex iustitiâ, non ex condignitate, quæ solùm attendit æqualitatem operis ad offensam. Confirm. hoc modo neque satisfactio Christi fuisset condigna pro peccato, quia, *vt infrà*, etiam satisfactio Christi fundabatur in gratiâ creditoris.

109. II. Ratio *Duran. Maioris, Almains, Ioan. Medin.* ideo nullam puræ creaturæ satisfactionem esse condignam pro peccato, quia omnis satisfactio tanti, & non pluris apud Deum valet, quanti ab ipso acceptatur: ergò ex se nulla est condigna.

digna. Sed contrà: *vt infrà*, satisfactio Christi independenter ab acceptatione Dei fuit ex se condigna pro offensâ Deo illatâ: ergo non tota condignitas satisfactionis prouenit ab extrinsecâ acceptatione Dei. Confirm. sicut in humanis datur satisfactio ex naturâ suâ condigna culpæ illatæ, nempe quæ prudentum æstimatione, attentis omnibus circumstantijs, habet tantum valorem in ratione obsequiosæ actionis, vt non possit offensus rationabiliter eâ non esse contentus; ita dari possit similis satisfactio pro offensâ illatâ à Deo. III.

110. *Tertia aliorum.* Ratio: Ideò contritio, etiam viribus gratiæ elicita, non est condigna offensæ satisfactio, quia non est perfecta maculæ absterſio, aut subiecti sanctificatio. Sed contrà: licet hæc ratio sit vera, quia quod non est sufficiens ad tollendam maculam peccatoris, multò minùs erit sufficiens ad extinguendam offensam contra Deum, quæ in macula fundatur, & addit rationem iniuriæ & contemptûs Dei; non est tamen vniuersalis, cùm multi admittant, contritionem viribus gratiæ elicitam esse perfectam maculæ absterſionem, & subiecti sanctificationem; & tamen non admittant, illam esse condignam offensæ satisfactionem. IV. Ratio *Vasquez*. Illa non

111. *Quarta Vasquez.* est condigna satisfactio, quæ non compensat totum, sed partem debiti, altera parte debiti gratis condonata: talis est nostra satisfactio pro peccato proprio siue personali, siue originali: quia cùm ad satisfaciendum per contritionem nobis donari debeat auxilium gratiæ, quod merito vtriusque peccati perdidimus, non solùm gratis accipimus à creditore, vnde satisfaciamus, sed etiam cum quâdam gratuitâ condonatione partis debiti. Ergo etiamsi contritio suâ naturâ peccati maculam abstergat, & offensam extinguat, quia tamen vniuersum debitum, quod peccato contraximus, non soluit, sed aliquam illius partem, per auxilij excitantis atque adiuuantis gratuitam infusionem, supponit condonatam, condigna atque integra satisfactio non est; esset, si eam posset homo proprijs viribus elicere; non quia ea non esset ex gratis acceptis, vt *Caiet.* dicebat, nam hoc non obest condignitati, etsi obesse possit iustitiæ, sed quia non esset ex acceptis per alicuius debiti gratuitam condonationem. Ex quo colligit, satisfactionem Chri-

112. *Deducta de contritione.* sti fuisse perfectam & condignam, quia soluit totum debitum, nullâ vel minimâ parte debiti sibi condonatâ: item opera iustorum facta in gratiâ esse condignè meritoria vitæ æternæ: quia licet ex gratis acceptis illam promereamur, opera tamen ipsa in gratiâ facta non egent fauore extrinseco, vt acceptētur ad gloriam: nam semel remisso priori debito, per primum auxilium gratis à Deo collatum, reliqua bona opera nullâ egent acceptatione aut fauore, vt fiant condigna præmio æternæ vitæ. Quin ipsa contritio, si in instanti iustificationis referatur ad gloriam vt ad mercedem, habet rationem meriti de condigno, quia supponit primum debitum carendi auxilio gratiæ, condonatum. Eadem verò contritio si referatur ad debitum carendi gloriâ, quod peccato contraximus (vtriusque enim carentiam peccato contraximus) erit imperfecta satisfactio, quia vt sic comparatur ad totum debitum carendi gratiâ & gloriâ; si ad solum debitum carendi gloriâ, condonato priori debito carendi gratiâ, referatur, erit perfecta satisfactio; sicut etiam est perfecta satisfactio pro solâ maculâ peccati. Cæterùm absolutè dicenda est satisfactio imperfecta, quia peccatum absolutè dicit vtrumque debitum, & carendi auxilio gratiæ, & carendi gloriâ, atque amicitiâ Dei.

Sed contrà: in communiori sentent. mortale 113. *Contra hanc rationem 1.*
formaliter non consistit in priuatione auxiliorum, sed amicitiæ dumtaxat diuinæ: ergo si contritio est formalis amicitia Dei, & in sententia Vasquez formalis amicitia Dei per modū operationis, est perfecta satisfactio, contritio ipsa erit perfecta peccati satisfactio. Anteced. prob. adhuc sublato debito carendi primo auxilio gratiæ per merita Christi, manet integra ratio culpæ & maculæ originalis in nobis: ergo culpa non dicit formaliter debitum carendi auxilio, sed ad summum connotat illud vt pœnam. Etenim non cuiuscumque doni priuatio integrat maculam mortalis formaliter, sed illius dumtaxat, quod coniungit nos amicabiliter cum Deo: alioqui originale non solùm consisteret in priuatione gratiæ habitualis, sed etiam doni ipsius iustitiæ originalis, cuius debitum per originale omnes contraximus. Vnde vlteriùs sequeretur, per Baptismum non deleri integram macu- *Ab absurdo.*
lam peccati originalis, quia non restituitur nobis donum iustitiæ originalis; macula autem in sententia *Vasquez* non deletur, nisi per formam adæquatè oppositam peccato. Esto igitur cōtritio non soluat debitum carendi primo auxilio; quia tamen hoc debitum non integrat formaliter peccatum, sed tantùm est pœna consequens peccatum; si alioqui per *Vasquez* contritio suâ naturâ tollit priuationem amicitiæ diuinæ, & extinguit offensam, erit perfecta peccati satisfactio, esto non sit totius pœnæ perfecta solutio; quia pœna non integrat, sed consequitur peccatum. 2. esto, in sent. *Vasquez* 114. *Contrà secundò.*
contritio supponat condonatam partem debiti, per gratuitam collationem primi auxilij, quia tamen contritio vt actus distinctus ab auxilio, liberè à nobis ex restituto auxilio elicitur, erit sufficiens solutio, etiam pro debito antecedenter cōdonato; ac proinde dici debet condigna & adæquata satisfactio pro toto debito: nam etiam relata ad debitum condonatum, est pro illo sufficiens solutio, cùm habeat tantum valoris in se, vt possit etiam pro illo esse sufficiens solutio. Velut si creditor dando ali- *A pari.*
quam pecuniam suo debitori, remittat illi partem debiti, si posteà debitor ex acceptâ pecuniâ lucraretur tantum, quantum perfectè satisfacere posset pro toto debito, & reipsâ tantum offerret, quātum sat esset pro toto debito soluendo, talis solutio dicenda esset perfecta & condigna pro toto debito, etiamsi includeret partem pecuniæ gratis à creditore datæ. Nam esto, talis solutio dici non possit ex iustitiâ, de quâ nunc non disputo, saltem ex perfectâ condignitate negari non posset. Pari igitur modo, condonatâ peccatori parte debiti per collationem primi auxilij, quia tamen ex illo peccator lucraretur contritionem, quæ sat esset ad totum debitum etiam ad illud quod gratis supponitur cōdonatum & totam illam offert Deo, etiamsi intrinsecè includat primum auxilium gratis sibi à Deo collatum, dicenda foret condigna satisfactio totius debiti, saltem condignitate æqualitatis, esto dicenda non esset condigna condignitate iustitiæ.

Ratio V. Ideò nulla puri hominis obsequia, et- 115. *Quinta quorundam Recentiorum.*
iam in infinitum syncategorematicè multiplicata posse vel pro vnâ offensâ mortali contra Deum illatâ, condignè satisfacere, non quia peccatum secundùm se spectatum infinitam exigat satisfactionem, sed tum propter grauitatem offensæ, tum propter periculum, quo ob summam facilitatem, quam habet homo ad peccandum, exponeretur Deus ad nouas offensas ab homine patiendas, si sciret homo, se suis obsequijs condignè pro tali offensâ satisfa-

cere posse, Deumque sibi ex irato propitium reddere. Et quia condignitas satisfactionis spectanda est, etiam penes quantitatem periculi, quod subest ex facili placatione; finita satisfactio non est offensæ æqualis, spectato simul cum grauitate offensæ eo
A pari. periculo: ita nec offensa diuina de se condignè meretur pœnam quoad durationem simpliciter infinitam, ad deterrendos tamen homines à tantâ culpâ, condignè pro quolibet peccato statuta est pœna quoad durationem simpliciter infinita. Ratio: illa est satisfactio, aut pœna simpliciter condigna, quâ positâ maiorem rationabiliter non potest offensus exigere: sed quacumque satisfactione, aut pœnâ finitâ positâ, semper potest Deus ad homines à tantâ culpâ deterrendos maiorem in infinitum rationa-
116. *Contrà 1.* biliter exigere: ergo. Sed contrà: 1. hæc sentent. saltem admittit satisfactionem puræ creaturæ, quæ comparata cum intrinseca dumtaxat grauitate offensæ diuinæ, esset illi æqualis; contra *Patres & Schol.* qui hanc impotentiam satisfaciendi in purâ creaturâ, referũt ad solam intrinsecam grauitatem offensæ diuinæ, præciso omni periculo nouas offensas multiplicandi. Vnde in hâc sent. si post æqualia obsequia pro priori offensâ exhibita, nullum amplius esset periculum nouas committendi, vel quia statim homo post exhibitam cõdignam satisfactionem, poneretur in termino, vel confirmaretur in gratiâ, non posset Deus aliam satisfactionem exigere: nam eatenus posset, quatenus subesset periculũ, ne nouæ committerentur offensæ: cùm ergo id sublatum esset, & condigna satisfactio exhibita pro priori offensâ, non posset rationabiliter aliam exi-
117. *Contrà 2. maximè.* gere. 2. Ex hac sentẽtia sequitur, posse puram creaturam condignè pro offensâ contra Deum, satisfacere, adhuc vitato periculo in hominibus nouas offensas committendi ex facilitate peccandi, quam
3. conciperent ex facili placatione Dei: 3. contra *Patres & Schol.* non fuisse ad cõdignam satisfactionem pro offensâ diuinâ Incarnationem Verbi simpliciter necessariam; quia potuisset Deus creare purum hominem caput reliquorum cum infinitâ gratiâ accidentali, vel certè cum tantâ, quam nulla vnquam alterius hominis obsequia adæquare potuissent; cũ obsequia hominis in hâc vitâ, in quâ tantùm sunt satisfactoria, non possint esse nisi finita; Tunc enim satisfactio talis hominis esset condigna pro offensâ contra Deum ab alijs illatâ, & nullus alius redderetur procliuior ad peccandum per spem, quam haberet, se suorum obsequiorum multiplicatione pro commisso peccato condignè satisfacturum; quia nulla obsequiorum multiplicatio in valore æquare posset satisfactionem talis hominis cõstituti capitis
118. *Dices.* omnium. Dices: saltem vilesceret tunc in apprehensione hominum offensæ diuinæ grauitas, si scirent, posse illi à puro homine cõdignè satisfieri, quæ tamen non vilescit nunc ex eo quòd à solo homine Deo Christo, condignè satisfactum sit. Cùm hinc potiùs magis crescat æstimatio offensæ contra Deũ;
119. *Contrà 1.* quæ tanto indiguit satisfactore. Sed contrà; 1. non vilesceret, quando scirent homines, necessariam fuisse infinitâ gratiam, quam Deus non nisi vni tantùm concessisset: 2. ideò hæc maior offensæ diuinæ æstimatio necessaria est, vt homines ab eâ deterreãtur: sed non minùs ab eâ deterreri possent tunc, quàm nunc: Non enim minùs *per aduersarios* ad homines à peccato deterrendos necessaria est difficultas consequendi veniam, iuxta illud *Cypr. serm. de Passione Dom. facilitas veniæ laxat habenas peccatis,* quàm digna æstimatio grauitatis eiusdem: sed non obstante, quòd per Incarnationem Verbi sublata sit difficultas obtinendi veniam, ob tot tantaque remedia liberaliter nobis à Christo concessa, adhuc sufficienter censentur homines deterreri à committendis peccatis, per condignam æstimationem grauitatis eorumdem, quam concipiunt ex dignitate personæ, quæ necessaria fuit ad satisfaciẽdum. Ergo è conuersò, crescere posset difficultas obtinẽdi veniam per talem hominem: & tantò magis tunc essent homines à peccatis deterriti, quantò magis à peccatis vitandis ducuntur timore pœnæ, seu difficultatis obtinendi veniam, quàm amore Dei, ad quem stimulantur apprehensione grauitatis offensæ, quam concipiunt ex maiestate personæ, quæ ad illam resarciendam fuit necessaria.

Ratio igitur deducitur ex *num.* 14. *suprà, sect.* Of- 120. *Verior Ratio*
fensa mortalis ratione ordinis, in quo constituitur, *communis*
est infinita: satisfactio vt sit condigna, debet hanc *sent.*
ordinis infinitatem adæquare: nulla puræ creaturæ satisfactio valet hanc ordinis infinitatem adæquare:
Igitur nulla puræ creaturæ satisfactio est adæquatè *Conseq. euidens.*
& condignè compensatiua offensæ contra Deum illatæ. Maior constat ex *num.* 14. *suprà*: illud est ordine infinitum, quòd in eâdem ordinis lineâ non supponit superius, & infra se supponit infinita:
Talis est offensa mortalis, quæ in eâdem lineâ of- *Offensa*
fensæ moralis non supponit aliam ordine grauio- *mortalis est*
rem; cùm non sit excogitabilis dignior persona, *ordine infinita.*
quàm increata, cuius moralis iniuria est mortale: nec non infinitas sub se in eâdem lineâ moralis iniuriæ habet offensas grauiores, cõtra personas creatas digniores. Igitur offensa contra Deum in mortali inclusa, est in ordine moralis iniuriæ infinita: licet intra eundem supremum ordinem possit vna esse grauior aliâ: quia intra eundem supremum ordinem potest vna ex intensiori cognitione, expressiori affectu, & voluntario esse grauior, & in-
tensior alterâ. Confirm. Illa offensa est ordine in- 121.
finita, quæ infert offenso displicentiam, quâ grauior excogitari non potest: nam grauitas offensæ actiuæ mensuratur ex grauitate offensæ passiuæ, quam offenso infert: talis est mortalis offensa Dei: actiua enim infert Deo displicentiam, quâ grauior excogitari non potest, fundatam in opposito amore & complacẽtia, quâ increatam dignitatem amat; scilicet tantâ displicentiæ grauitate odit mortale Deus, quantâ complacentiæ dignitate amat increatam dignitatem, cuius moralis læsio & contemptus est mortale. Omne enim odium radicatur in amore oppositi boni, cuius læsio odio habetur.
Dices. Hinc sequitur, nullam satisfactionem pu- 122.
ræ creaturæ esse condignè compensatiuam offensæ venialis: nam etiam veniale odit Deus vt contrarium suæ naturæ & dignitati. Sed neg. sequel. nam *vt infrà*, veniale non est immediatè contra Deum, quia non contemnit immediatè increatam eius dignitatem, sed bonum aliquod creatum: proinde odium, & displicentia, quâ Deus prosequitur veniale peccatum, non fundatur immediatè in amore & complacentia suæ increatæ dignitatis, quæ per peccatum veniale simpliciter non læditur, sed in amore & complacentia boni creati, quod tantum per peccatum veniale propriè læditur.

Minor *ibid.* prob. quicquid liberè à nobis de- 123.
pendet, moraliter est nobis imputabile; adeoque à *Satisfactio*
nobis compensabile: nam totum illud cadit sub *vt sit condigna debet*
nostram compensationem, quod liberè à nobis cau- *ordinis of-*
satum est. Vnde non adæquatè compensat, qui to- *fensæ infini-*
tum damnum à se illatum non resarcit: ergo nec *tatem adæ-*
condignè satisfacit, qui totum id, quod in pecca- *quare.*
to includitur, non compensat. Nec dici potest, condignè resarciri posse offensam cõtra Deum, etiamsi non condignè resarciatur infinitudo ordinis eiusdẽ offensæ:

offensæ: sicut cōdignè resarciri potest culpa, etiamsi non condignè resarciatur damnum illatum culpâ: quia cùm infinitudo ordinis formaliter spectet ad offensam contra Deum, non potest condignè resarciri offensa, nisi condignè resarciatur infinitudo

124. *Nulla puræ creaturæ satisfactio valet hanc ordinis infinitatem adæquare.*

ordinis offensæ. Subsumpta prob. Nulla puræ creaturæ satisfactio est in supremo ordine satisfactionis: nam illa tantùm est in supremo ordine, quæ in genere satisfactionis nullam habet digniorem se: sed supra quamcumque satisfactionem puræ creaturæ est alia in genere satisfactionis dignior, nempe satisfactio Christi: ergo nulla puræ creaturæ satisfactio est condigna pro offensâ Dei: 1. quia supremi ordinis offensa, supremi ordinis satisfactione postulat compensari: nam ex eodem sumit offensa suam ordinis grauitatem, ex quo satisfactio sumit suam ordinis dignitatem: ex personæ offensæ Maiestate sumit offensa suam ordinis grauitatem: ex personæ autem satisfaciētis dignitate sumit satisfactio suam

125. ordinis dignitatem: 2. Vt satisfactio sit condigna offensæ, debet tantum offenso placere, quantum displicuit illi opposita offensa: at nulla satisfactio puræ creaturæ potest tantum Deo placere, quātum

Aut esse condigna offensa Deo illata.

ei displicuit ipsius offensa: ergo. Maior constat, satisfactio, præsertim quæ Deo fit, est quædam displicētiæ compēsatio, quam de offensâ sibi illatâ offensus concepit: ergo vt sit condigna, debet tantum placere offenso, quātum illi displicuit opposita offensa: alioqui semper maneret irrecompensatus ille gradus displicentiæ, qui non tollitur per impensi obsequij complacentiam. Minor prob. omnis puræ creaturæ satisfactio est infra bonum, ex cuius offensione Deus concepit contra peccatum displicētiam: nulla enim puræ creaturæ satisfactio excedit bonū creatum: bonum verò, ex cuius offensione Deus concepit contra peccatum displicētiam, est increatum, sua scil. increata Maiestas, quæ fuit peccato offensa. Igitur nulla puræ creaturæ satisfactio potest tantum Deo placere, quantum illi displicuit

126. *En cōdigna satisfactio.*

offensa. Sola igitur illa satisfactio potuit diuinam offensam adæquatè resarcire, quæ tantum potuit Deo placere, quantum ipsi placet sua naturæ dignitas, ex cuius offensione concepta fuit cōtra peccatum displicentia. Hæc autem sola potuit esse satisfactio hominis Dei, quæ tantam habet à personâ satisfaciente dignitatem, quantam habet persona offensa Maiestatem, & cuius contemptu fuit contra offensam concepta displicentia. Hinc manifestè elucet Incarnationis necessitas ad condignè resarciendam diuinam offensam, quam Patres vnanimiter docent: sicut quæuis puræ creaturæ satisfactio infinitè distat à dignitate increatâ, ex cuius cōtemptu concepta fuit contra peccatum displicentia: ita nulla puræ creaturæ satisfactio poterit displicentiam, ex offensâ increatæ maiestatis conceptam, adæquatè resarcire.

127. *Aristoteles rationem à priori assignauit.*

Ratio, ex *Arist. 5. Ethic. c. 5. init.* sicut grauitas offensæ crescit ex dignitate personæ offensæ supra dignitatem personæ offendentis; quantò. n. persona offensa est dignior offendente, tantò offensa in ordine offensæ est grauior: ita è conuerso, valor satisfactionis decrescit ex vilitate personæ satisfacientis infra personam, cui satisfit: quantò enim persona satisfaciens est vilior persona, cui satisfit, tantò eius satisfactio est minoris æstimationis: minoris quippe valoris est satisfactio exhibita à rustico Imperatori, quàm alteri rustico sibi æquali. Prætereà sicut crescit offensa ex ratione indebiti; maior quippe offensa est illata patri à filio, quam ab extero: ita contrà decrescit satisfactio ex ratione debiti: minoris enim valoris, cæteris paribus, est obsequium impensum patri à filio, qui debet quàm ab alio, qui non debet. Cùm igitur Deus sit in supremo ordine dignitatis personalis, & omnis iniuria sit illi summè indebita, omne obsequium summè debitum; creatura verò, quantáuis gratiâ prædita, sit in infimo ordine dignitatis respectu Dei, & omne eius obsequium sit maximè debitum Deo, nulla puræ creaturæ satisfactio poterit in valore æquare iniuriam peccato illatā Deo. Nam cùm iniuria sit voluntarius personalis dignitatis contemptus (iniuriam enim inferre, est personam contemnere, eiusque personalem dignitatem despicere) grauitatem sumit à dignitate personæ, quam contemnendo moraliter lædit: contrà verò satisfactio, cùm sit humilis submissio personæ in obsequium læsæ dignitatis exhibita, moralem æstimationem accipit à personâ satisfaciente. Confirm. *Ratio.*

Si posset aliqua puræ creaturæ satisfactio, vel satisfactionum multiplicatio condignè resarcire offensam vnius mortalis, possent finitæ offensæ venialium, non modò adæquare, verùm etiam superare grauitatem vnius offensæ mortalis; quia cùm ex vnâ parte talis satisfactio, vel satisfactionum multitudo, pro offensâ mortali exhibita, sit finita: ex alia verò parte, quæuis venialis offensa certam postulet satisfactionem, tot multiplicari poterunt offensæ veniales, vt satisfactio, vel satisfactionum multitudo condigna pro offensâ vnius mortalis, non sit condigna & adæquata pro finitis venialibus. Ac proinde sequitur, finita venialia quoad grauitatem offensæ excedere offensam vnius mortalis. Nam maior offensæ grauitas colligitur ex maiori digniorique satisfactione, quam ad sui condignam compensationem postulat. Inde enim colligimus maiorem offensæ mortalis grauitatem supra veniale, quia illa maiorem digniorémque postulat satisfactionem. Igitur si finita venialia maiori digniorique indigerent satisfactione ad condignam sui compensationem, excederent in grauitate offensæ offensam vnius mortalis. 128. *Confirm.* *Consequens est falsum.*

Obijcies 1. *S. Thom. in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. ad 1.* docentem, quòd sicut offensa habet quandam infinitatem ex infinitate diuinæ Maiestatis, ita satisfactio accipit quandam infinitatem ex infinitate diuinæ misericordiæ, prout est gratia informata, per quam Deo reddit homo quantum potest; ergo potest homo in sententia S. Doct. pro suo peccato condignè satisfacere. Resp. *S. Thom.* non lóqui de satisfactione perfectâ ex æqualitate operis ad debitum, sed de imperfectâ ex æqualitate virtutis satisfacientis ad opus quod reddit. Omnis quippe satisfactio, quæ adæquatur virtuti satisfacientis est ex æqualitate virtutis ad opus, etsi non semper sit ex æqualitate operis ad debitum. Quòd *S. Thom.* loquatur de hâc satisfactionis æqualitate, constat ex *corp.* vbi, *non potest*, inquit, *homo satisfacere, si ly. satis, equalitatem quantitatis importet. potest autem si importet æqualitatem proportionis reddendo quantum potest. Quia amicitia non exigit æquiualens, nisi secundum quod possibile est.* Cæterùm mens *S. Tho.* clara est pro nostra sententia: nam *3. p. cit.* docet, nullam puræ creaturæ satisfactionem condignam esse pro offensâ Deo illatâ: *Quia*, inquit, *peccatum contra Deum commissum, quandam infinitatem habet ex infinitate diuinæ Maiestatis: tantò enim offensa est grauior, quantò maior est ille, in quem delinquitur. Vnde*, concludit, *oportuit ad condignam satisfactionem, vt actus satisfacientis haberet efficaciam infinitam, vtpotè Dei & hominis existens.* 129. *S. Thomas non loquitur de satisfactione perfectâ.* 130. *Mens eius satis clara.*

Obijcies 2. Quantum crescit offensa Dei ex dignitate personæ, quam lædit, tantùm decrescit ex ignobi- 131. *Dices.*

ignobilitate obiecti, quod immediatè respicit, quod semper est aliqua creatura. Contrà verò quantum decrescit satisfactio ex vilitate personæ, quæ satisfacit, tantum crescit ex nobilitate obiecti, quod semper est Deus. Ergo licet nequeat satisfactio puræ creaturæ esse condigna pro peccato ex vilitate personæ satisfacientis, poterit esse condigna ex nobilitate obiecti, quod respicit. Nego, intra idem genus decrescere offensam Dei ex ignobilitate obiecti, quod immediatè respicit, ac crescit ex dignitate personæ, quam lædit. Similiter nego, intra idem genus crescere satisfactionem ex nobilitate obiecti, quod respicit, ac decrescit ex vilitate personæ, quæ satisfacit. Etenim offensa ex dignitate personæ crescit in genere æstimationis moralis; ex ignobilitate obiecti decrescit in genere entitatis physicæ. Contrà verò satisfactio ex vilitate personæ satisfacientis decrescit in genere æstimationis moralis; ex nobilitate obiecti in genere entitatis physicæ. Cæterùm inter offensam & satisfactionem non tam attendenda est physica, quàm moralis proportio: alioqui obsequium exhibitum à rustico Imperatori, foret equale offensæ illatæ ab eodem Imperatori, quia quantum decresceret obsequium ex vilitate personæ obsequentis, tantum cresceret ex dignitate obiecti, cui exhiberetur: & quantum creuit offensa ex nobilitate personæ offensæ, tantum decreuit ex ignobilitate obiecti, propter quod Imperatorem offendit. Quin eiusdem valoris foret obsequium ab Imperatore impensum rustico, & à rustico impensum Imperatori, quia quantum cresceret primum ex maiestate personæ exhibentis, & decresceret ex vilitate obiecti seu personæ, cui exhiberetur; tantum cresceret secundum ex nobilitate obiecti, cui exhiberetur, & decresceret ex vilitate personæ, à qua exhiberetur. Ratio: cùm offensa sit moralis læsio & contemptus personalis dignitatis, satisfactio contrà obsequiosa submissio personæ satisfacientis in compensationem dignitatis læsæ, & displicentiæ, quam persona læsa de illatâ offensâ concepit; persona autem satisfaciens non exhibeat personæ offensæ in compensationem læsæ dignitatis, & conceptæ displicentiæ, ipsam dignitatem personæ, cui satisfacit, alioqui exhiberet illi, quod suum est, sed suam personam ac personæ dignitatem; proportio inter offensam & satisfactionem non est attendenda, nisi penes personalem dignitatem læsam, & satisfacientem.

Resp. 132.

Offensæ & satisfactionis dispar ratio.

Ratio.

133. Dices, Satisfacientem non exhibere offenso ipsius offensi personalem dignitatem, sed ordinem, quem habet actus obsequiosus ad personalem dignitatem offensi, qui ordo est ipsius personæ satisfacientis. Sed transeat, hunc ordinem exhiberi à satisfaciente offenso simul cum actu obsequioso, quem exhibet offenso; nego per hunc ordinem cum ipso obsequio exhibitum à creaturâ Deo, fieri actum condignè satisfactorium pro iniuriâ illatâ Deo: alioqui etiam obsequium exhibitum à rustico Imperatori, fieret per huiusmodi ordinem actus condignè satisfactorius pro iniuriâ illatâ ab eodem Imperatori. Ratio: dignitas satisfactionis vti non sumitur ex obiecto & personâ, cui exhibetur, sed ex personâ satisfaciente; ita nec ex ordine ad obiectum seu personam, cui exhibetur, sed ex dignitate personæ satisfacientis: nam hæc tantùm moralis proportio attenditur inter satisfactionem & offensam.

Suprà assignata ratio.

Dices. 134. *Obijcies* 3. Offensa facta Deo est finita: ergo potest multiplicitatis obsequijs adæquatè compensari; quia omne finitum multiplicatione finiti potest adæquari. Anteced. prob. offensa limitatur cognitione, quâ cognoscitur persona offensa, & affectu, ac voluntario, quo offenditur, sed tam cognitio, quâ Deus à peccatore cognoscitur, quàm affectus & voluntarium, quo offenditur, est finitum; ergo etiam offensa. Confirm. Potest pretium auri altioris valoris compensari multiplicato pretio cupri inferioris valoris: ergo poterit offensa Dei altioris ordinis compensari multiplicatione obsequiorum inferioris ordinis & valoris. Concedo, offensam Deo esse finitam physicè & entitatiuè, seu quoad malitiam extensiuam, & intensiuam: nego esse finitam in ratione ordinis moralis iniuriæ, vt *suprà*. Quare nego, eam per multiplicatos actus satisfactorios finitos compensari posse; cùm nunquam actus multiplicati creaturæ adæquare valeant ordinem moralis offensæ infinitum.

Probat.

Confirm. A pari.

135. *Resp.*

Ad prob. concedo, offensam Dei limitari tam ex cognitione finitâ, quâ Deus à peccato recognoscitur, quàm ex affectu & voluntario finito, quo offenditur, in physica entitate, extensiuâ & intensiuâ malitiâ, non in ordine morali offensæ, qui sumitur ex maiestate personæ offensæ, qui ordo est idem in omni offensâ graui facta Deo: sicut ordo regiæ offensæ est idem in quâcumque iniuriâ factâ regi, etiamsi vna intra eundem regiæ offensæ ordinem, sit grauior alterâ. Ad confirm. neg. consequent. 1. quia ordo offensæ diuinæ in ratione offensæ est infinitus, cùm in ratione offensæ non sit excogitabilis altior: pretium auri in ratione pretij non est supremum, cùm dari possit altius in materiâ pretiosiore. Vnde mirum non est si hoc, cùm sit finitum, compensari possit multiplicato pretio vilioris materiæ; non ordo diuinæ offensæ, qui cùm sit infinitus, nequit vllâ finitâ obsequiorum multiplicatione adæquari. 2. Quia pretium auri in ratione pretij est eiusdem rationis cum pretio cupri, & cuiuscumque alterius vilioris materiæ. Nam hoc pendet à voluntate Principis, ordinantis valorem cuiuscumque materiæ ad eumdem finem. Vnde nobilitas materiæ ad pretium se habet omninò materialiter, æstimatio Principis formaliter. Moralis autem æstimabilitas in offensâ Dei, & in satisfactione puræ creaturæ, est diuersæ rationis, atque adeò vna per aliam compensari nequit: quia vna fundatur in dignitate personæ increatæ; altera in vilitate creatæ. Vnde sicut non pendet ex nostrâ æstimatione, sed ex reipsa quod offensa sit voluntarius contemptus & despectus personalis dignitatis, satisfactio verò obsequiosa submissio personæ satisfacientis in compensationem offensæ: ita non pendet ex nostra æstimatione, sed ex reipsa, quod offensa Dei sit altioris ordinis & æstimabilitatis, quàm sit quæcumque puræ creaturæ satisfactio. Contrà verò quæcumque materia in ordine ad valorem moralem pendet ab æstimatione & voluntate Principis, ordinantis illam ad certum pretium rerum.

136. *Ad prob. anteced.*

137. *Ad confirm. Discrimen duplex.* 1.

2.

Obijcies 4. Posset rusticus condignè satisfacere pro offensâ factâ Regi: ergo non est vniuersaliter verum, quòd nulla satisfactio inferioris sit condigna pro offensa superioris. Anteced. prob. si Rex sit in periculo mortis, & rusticus suo periculo liberet regem à morte, talis satisfactio exhibita à rustico Regi, erit condigna pro offensâ factâ Regi. Resp. tali casu obsequiosam actionem rustici esse condignam pro offensâ factâ regi, non propter exhibitionem personæ rusticæ, sed propter conseruationem Regiæ, quam suo periculo

138.

Antec. prob.

139. *Resp.*

periculo à morte liberando, moraliter regiam ipsi maiestatem, morte extinguendam, quasi de nouo conferret. Nullam autem satisfactionem potest creatura Deo impendere, nisi quæ sit per personæ satisfacientis exhibitionem, quæ tanti & non pluris valet, quanti valet persona, quæ in compensationem illatæ iniuriæ Deo offertur.

Dices. Sed contrà, etiam homo potuisset Christum à periculo mortis liberare; ac proinde etiam homo potuisset condignam satisfactionem Deo exhibere, conseruando infinitam vitam Christi.

Resp. Nego anteced. vt enim aliquis dicatur à periculo mortis alium liberare, requiritur, vt is qui liberatur, sit impotens se ipsum à morte liberare; nam tunc moraliter censetur vitam ab alio accipere, quando illam in suâ potestate non habet. Christus autem ait *Ioannis* 10. *Potestatem habeo ponendi animam meam:* &: *Nemo tollit eam à me.* Adde quod cùm inter inferiorem & superiorem creatum sit ordo & distantia finita, poterit offensa superioris admittere compensationem inferioris. Inter creaturam verò & Creatorem cùm sit ordo & distantia infinita, non poterit offensa Dei admittere condignam compensationem creaturæ.

Axioma. Vnde axioma, quòd nulla satisfactio inferioris possit esse condigna pro offensâ superioris, limitandum est ad superiorem increatum & inferiorem creatum.

140. *Obijcies* 5. Visio beatifica in genere cognitionis & formæ beantis, est in supremo ordine, & tamen compensari posset multitudine bonorum inferioris ordinis. Nam quisque fortè eligeret perpetuam gloriam corporis, & æternam Beatorum conuersationem potiùs, quàm vno dumtaxat instanti frui beatâ visione Dei, & posteà æternùm priuari omnibus bonis. Item Vnio hypostatica cum Deo est infiniti ordinis simpliciter, & tamen temporanea possessio ipsius fortè commutãda esset cum perpetuâ visione beatrice. Ergo esto offensa Dei sit in supremo ordine offensæ, adhuc compensari posset obsequiorum multitudine ordinis inferioris.

141. *Resp. ratio discriminis.* Nego conseq. nam in compensatione bonorum non tam attendenda est bonitas intrinseca & absoluta rerum, quàm respectiua & in ordine ad subiectum, quod debet perficere: potest aliquod bonum esse maius & perfectius in se, & tamen minus præ alio subiectum perficere, eò quòd vnum sit magis quàm aliud, subiecto accommodatum. Vnio igitur hypostatica vt præcisa à visione beatâ, est maius quidem & perfectius bonum absolutè & secundùm se, in ordine tamen ad subiectum, & in genere vitalis operationis, magis perficit subiectum visio intuitiua Dei, quia reddit illud perfectè beatum, quod non reddit sola vnio hypostatica, cum quâ stare posset æterna tristitia tam animi quàm corporis. Pari modo æterna iucundissimaque Beatorum conuersatio, cum perpetuâ corporis animique tranquillitate, totius mali experte, esset bonum extensiuè magis perficiens subiectum, quàm sola momentanea visio Dei.

142. *In compensatione iniuria aliud attende.* In compensatione verò iniuriæ attendenda est ex vnâ parte grauitas odij, quo offensus offensam sibi factam prosequitur; & ex aliâ qualitas complacentiæ, quâ offensus opus in compensationem iniuriæ sibi exhibitum amat. Grauior est displicentia, quâ Deus offensam sibi à creaturâ factam odit; quàm sit complacentia, quâ quodcunque opus in compensationem ab eâdem exhibitum, amet. Nam compensatio hæc fieri deberet per adæquationem odij, quo Deus offensam prosequitur, fundatam in opposito amore, quo increatam dignitatem amat.

Deducitur, nullam puræ creaturæ satisfactionem esse condignam, neque pro offensâ contra Deum, cognitum tantùm vt finem & auctorem naturalem: nam etiam vt sic est increatæ dignitatis personalis, quâ dignior excogitari non potest, adeoque offensa est in supremo ordine offensæ, quâ ordine grauior excogitari non potest. Quo fit, vt etiam offensa commissa contra Deum ab homine in purâ naturâ, sit incompensabilis à creaturâ viribus etiam gratiæ. 143. *Coroll.*

DICES: Deus cognitus vt finis & auctor supernaturalis est altioris dignitatis, quàm sit vt cognitus finis & auctor naturalis: ergo offensa contra Deum solùm vt finem & auctorem naturalem, non est suprema in ordine offensæ; cùm supra illam sit offensa contra Deum finem & auctorem supernaturalem. 144. *Dices.*

Probat anteced. Antecedens probatur, si eiusdem dignitatis esset Deus vt finis naturalis & supernaturalis eadem satisfactio, quæ condigna esset offensæ contra Deum cognitum vt finem & auctorem naturalem, esset etiam condigna offensæ contra Deum vt supernaturalem, quod *præcedenti sectione* improbatum est, vbi ostendi non posse pro offensâ commissâ contra Deum cognitum vt supernaturalem condignè satisfieri contritione naturali; quia contritio naturalis hæc non potest resarcire talem offensam; Deus enim vt finis supernaturalis est altioris dignitatis personalis, adeoque offensa contra eum in altiori ordine grauitatis, quàm sit commissa contra auctorem naturalem.

145. *Resp.* Resp. Nego antecedens: perfectio enim naturalis & supernaturalis non constituunt diuersos ordines personalis dignitatis in Deo; nam hæc sumitur ex solâ dignitate increatæ maiestatis, quæ est suprema perfectio in Deo, siue cognoscatur vt auctor naturalium, siue supernaturalium donorum; solùm istæ rationes explicant diuersos gradus perfectionis eiusdem increatæ maiestatis.

Ad prob. Quia verò satisfactio vt sit condigna offensæ, debet retractare totum, quod per offensam fuit læsum: cumque per peccatum contra Deum cognitum vt auctorem supernaturalem, non fuerit læsa increata Maiestas, etiam secundum explicitum gradum supernaturalis perfectionis, nequit naturalis contritio, quæ ad hunc explicitum gradum non se extendit, esse condigna pro offensa contra Deum cognitum vt auctorem supernaturalem.

146. *Ad fund. 1. Sentent.* Ex his constat ad fundamentum primæ, negandum antecedens, ad prob. neganda Minor: quidquid enim sit de aliis bonis, nequit saltem contritio etiam viribus gratiæ elicita, perfectè resarcire offensam mortalis contra Deum.

147. *Ad confir.* Ad confirmationem, neg. antecedens; nam longè plus abstulit peccatum meum, quàm insit vel inesse possit actui meo: 1. peccatum abstulit gratiam habitualem, quæ non inest, nec inesse potest actui meo, nec formaliter, nec æquiualenter, cùm longè perfectior sit ipsa gratia habitualis, quàm quæcunque actualis rectitudo & honestas, quæ inesse potuit actui meo. 2. iniuriam intulit Deo, quam compensare nullus valet actus puræ creaturæ, etiam à gratiâ procedens.

SECTIO IV.

An possit homo saltem vt membrum Christi pro suo mortali peccato condignè satisfacere?

148. 1. Sentent. PRIMA sententia negat: *Ioan. Medina Cod. de satisfact. quæst. 1. §. Restat*; *Palat. in 4. distinct. 15. disput. 2. fine*: *Vasquez 3. p. disput. 9. cap. 5.* sequitur ex sententiâ negantium, Christi satisfactionem fuisse æqualem offensæ illatæ Deo: nam si ea æqualis non fuit, nec nostra ei coniuncta: quia nostra per eam coniunctionem, non plus habere potest, quàm habeat Christi satisfactio. Prob. 1.

149. Prob. 1. Nulla satisfactio est condigna offensæ, nisi sit eiusdem ordinis cum personâ offensâ: sed satisfactio puri hominis, etiam vt membri Christi, non est eiusdem ordinis cum personâ offensâ, quia Christus vt caput non communicat membris suam personalem dignitatem, ex quâ ad satisfaciendum condignitas sumitur, sed solam gratiam accidentalem, quæ non est principium condignè satisfaciendi.

Secundò. 2. Si sola mystica coniunctio membrorum cum capite sufficeret, vt condignitas satisfactionis Christi tribui posset membris, dici possent illa vt membra Christi infinitè satisfacere, & vna gutta sanguinis Martyrum esse infiniti valoris, quod falsum est.

151. Tertiò. 3. Dum pro nostrâ mortali culpâ Deo satisfacimus, non sumus in gratiâ, quia hæc non præcedit, sed subsequitur satisfactionem: sine gratiâ autem non sumus viua membra Christi, cum ipso vt cum capite coniuncta: quia cum Christo non coniungimur, nisi mediâ gratiâ: & membrum nequit operari nisi virtute capitis, seu nisi sit capiti coniunctum, *Ioan. 15. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso nisi manserit in vite, sic nec vos nisi in me manseritis.*

152. 4. Trident. *sess. 6. canone* 10. damnat, qui dixerit, homines formaliter iustificari per Christi iustitiam; ergo & satisfacere per Christi satisfactionem, cùm sit eadem, *ead. sess. c.* 8. docet, nos gratis iustificari: si autem nostra iustificatio coniuncta cum Christi satisfactione esset condigna, non gratis iustificaremur.

153. 2. Sentent. SECVNDA affirmat: *Richard. in 4. dist. 15. art. 1. quæst. 2. Capreol. q. vnicâ art. 1. concl. 1. Caiet. 3. p. quæst. 1. art. 2. ad 4. dub. Medina ibid. fine, Sot. in 4. dist. 19. quæst. 1. art. 2. concl. 3. Suar. 3. p. tom. 1. disput. 4. sect. vlt.* ex *S. Thom. 3. p. quæst. 1. art. 2. ad 2. & quæst. 48. art. 1. & 2. ad 1. & quæst. 49. art.* 1.

Vera. Quæ sententia probabilior est, solaque eget explicatione, quo pacto dicatur homo vt Christi membrum pro suâ mortali culpâ condignè satisfacere.

154. Dupliciter hoc dici potest. Nota nostram satisfactionem operari in virtute satisfactionis Christi vt capitis, vno modo, quà procedit à gratiâ, quam Christus suâ passione nobis promeruit: qui modus non sufficit, vt nostra satisfactio dicatur condigna, cùm nequeat gratia hanc condignitatem, quam in se non habet, nostris operibus communicare: alio modo, quà moraliter coniuncta, cum satisfactione Christi mediâ voluntate ipsius, facit vnum opus mysticum morale satisfactorium, compositum ex nostrâ satisfactione vt instrumento, & Christi satisfactione vt causâ principali, atque vt sic offertur à Christo æterno Patri in satisfactionem nostrarũ culparum. Hic modus verus est, & sufficiens ad denominandum nostram satisfactionem condignam pro offensâ peccati. Prob. 1. ex *Trident. sess. 14. c. 8.* 155. Prob. quòd modus hic sit verus.

vbi docet, nostram satisfactionem à Christo vim habere, à quo offertur Patri, & per illum acceptatur à Patre. 2. ex *S. Tho. cit.* sicut ex Christi personâ & fidelibus, vt ex capite & membris, fit vna persona mystica, ita ex satisfactione Christi & fidelium, fit vnum opus satisfactorium mysticum: atque adeò possunt fideles dici condignè pro suis peccatis satisfacere vt membra Christi, & in virtute satisfactionis Christi, vt capitis: nam eo modo quo caput spectat ad membra eius satisfactio & opera spectabunt ad mẽbra: vnde sicut in corpore naturali manus dicitur satisfacere vt membrum capitis naturalis; ita in mystico corpore fideles dicuntur satisfacere vt membra mystici capitis. Confir. 1. sicut ratione 156. Confirm. 1.

huius mysticæ vnionis, imperfectiones membrorũ tribuuntur capiti, iuxta Psal. 21. *Longè à salute meâ verba delictorum meorum*: ita è conuerso perfectiones capitis tribuuntur membris, vt sæpe iuxta regulam *Triconij* docet August. Neque hinc inferas: Triconij regula. ergo etiam Christus vt caput coniunctum membris dici potest peccare; sicut membrum coniunctũ capiti dicitur condignè satisfacere: quoniam vt actio propriè tribuatur alicui, debet in illam actiuè influere: cùm autem Christus in peccata membrorum non influat, actiuè influat creatura vt membrũ Christi in satisfactionem, non poterit Christus vt mysticũ caput dici peccare propter peccata membrorum, poterit creatura vt membrum Christi dici condignè satisfacere: quia licet creatura non influat in satisfactionem Christi, influit tamen actiuè in satisfactionem suam quæ integrat vnam moralem cum satisfactione Christi. Quo fit vt peccata membrorum non nisi passiuè, & tantùm quoad pœnam tribui possint Christo vt capiti. 2. Sicut Sa- 157.

Confirm. 2. cerdos vt minister & instrumentum Christi dicitur à peccatis absoluere, à pœnis inferni liberare, ianuam cœli aperire; ita quilibet fidelis vt membrum Christi dici potest condignè pro suâ culpâ satisfacere.

Ad primum oppositæ, neganda Minor: satisfa- 158. Ad 1. sententiæ.

ctio puri hominis vt membri Christi includit satisfactionem Christi, sicut instrumentum causam principalem, in virtute cuius operatur & acceptatur à Deo. Cæterùm vt satisfactio nostra dicatur in virtute satisfactionis Christi capitis condignè diuinam offensam compensare, necesse non est, vt nobis personalis dignitas Christi communicetur, sed sufficit si tantùm eius satisfactio, personali dignitate condignificata: quia non dicimur condignè satisfacere solâ nostrâ satisfactione à nobis elicitâ, sed cum satisfactione Christi, vt causâ principali: sicut instrumentum non dicitur à se attingere effectum principalem, sed vt coniunctum cum concursu causæ principalis. Ad 159. Ad 2.

2. concedo sequelam; nam sicut membra Christi inuoluunt satisfactionem Christi vt capitis: ita membra Christi, dici possunt infinitè satisfacere. Pari modo dici potest vna gutta sanguinis Martyrum, vt coniuncta cum sanguine & passione Christi, esse infiniti valoris ad satisfaciendum: quia vt sic non consideratur intrinsecus tantùm valor, sed etiam extrinseca dignitas, quam habet à passione & sanguine Christi, vt à causâ principali eleuante: sicut instrumentum obedientiale, vt coniunctum cum omnipotentiâ Dei vt causa principali eleuante, dicitur 160.

Dices. infinitè potens. DICES: Non possunt dici merita nostra, etiam vt coniuncta cum meritis Christi, esse infiniti valoris: ergo nec satisfactio coniun-

Resp. ratio discriminis. coniuncta cum satisfactione Christi, Nego consequen. nam merita nostra coniuncta cum meritis Christi de facto non eleuantur ad infinitum, sed finitum præmium promerendum; quia licet gloria sit infinita quoad durationem, est tamen simpliciter finita: at satisfactio coniuncta cum satisfactione Christi eleuatur ad compensandum offensam infinitam simpliciter ordine grauitatis. Porrò virtus & efficacia instrumenti moralis in actu 2. considerata, tanta dicitur, & non maior quantus est effectus, ad quem ex voluntate assumentis ordinatur. Vnde si ad satisfaciendum pro mortali non requireretur infinita, sed sufficeret finita satisfactio, tunc nec nostra satisfactio vt instrumentum satisfactionis Christi, diceretur infiniti, sed finiti valoris & efficaciæ in actu secundo, licet dici posset infiniti valoris & efficaciæ in actu 1. sicut instrumentum coniunctum cum causa principali in actu 1. dicitur potens, quantum potens est principalis.

161. *Ad tertium.* Ad 3. vt peccator valeat tanquam Christi membrum pro suo peccato satisfacere, sufficit vt sit illi coniunctus per fidem, quæ est quædam supernaturalis vitæ inchoatio, *Hebr.* 10. *Iustus meus ex fide viuit.* De quâ coniunctione explicari potest *citat. Ioan.* 15. Aut si de coniunctione per gratiam intelligatur, tunc explica, non tantùm de operibus satisfactorijs pro peccato, sed etiam de meritoriis æternæ gloriæ, quæ gratiam sanctificantem in promerente supponunt. DICES: ergo sufficiet etiam, vt peccator tanquam Christi membrum condignè satisfaciat per omnia opera, quæ ipsius iustificationem præcedunt, & in ipso fidem supponunt: consequens est falsum; alioqui peccator fidelis per solam attritionem extra sacramentū vt Christi membrum condignè pro tuo mortali satisfaceret, adeoque de illo veniam consequeretur; cùm nequeat Deus, saltem de potentiâ ordinariâ, veniam denegare condignam satisfactionem exhibenti.

162. *Dices.*

163. *Resp. Ex parte peccatoris lex Dei posita.* Nego sequel. licet enim omnia opera peccatoris fidelis, quæ ipsius iustificationem præcedunt, supponant ipsius cum Christo, vt membri cum capite, per fidem coniunctionem, non tamen de facto à Christo omnia ad condignam satisfactionem pro ipsius peccato eleuantur, sed tantùm ea, quæ ex diuina institutione requiruntur, vt proxima dispositio ad iustificationem consequendam, cuiusmodi sunt contritio supernaturalis extra sacrament. vel attritio supernaturalis cum sacram.

Ratio. Ratio: cùm Christus pro adultis non satisfaciat, nisi ipsis etiam satisfacientibus, sicut nec meretur, nisi ipsis etiam merentibus, ea tantùm opera ad condignam ipsorum satisfactionem eleuat, & cum suâ satisfactione offert æterno Patri; quæ ex diuinâ voluntate ex parte ipsorum prærequiruntur, vt proxima dispositio ad iustificationem.

164. *Instabis.* Instas: ex hac doctrinâ sequeretur, non solùm posse fideles pro se, sed etiam pro alijs, vt Christi membra condignè satisfacere: nam si semel concedamus, fidelium opera inniti Christi meritis, semper illis innitentur: vnde siue applicata ipsi operanti, siue aliis, semper causabunt eundem effectum.

Resp. Sed negat. sequel. cùm enim hoc pendeat à voluntate Christi, potuit à Christo concedi vnum, non concesso alio; & sanè congruentius, cùm condignè pro alijs satisfacere sit proprium capitis.

165. *Ad quartum.* Ad 4. cùm dico, nos vt Christi membra condignè satisfacere in virtute satisfactionis Christi, non excludo satisfactionem nostram; vt nec excludo propria merita, cùm dico, nos mereri in virtute meritorum Christi.

Hæresis nostri temporis. Concilium solùm damnat hæreticos, qui contendunt, nos mereri & iustificari solùm meritis & iustitiâ Christi. Ad 2. locum, neg. minor: eadem quippe iustificatio dicitur gratis nobis conferri, comparata ad opera nostra satisfactoria; condignè verò, comparata ad opera satisfactoria Christi, propter quæ vt causam principalem illa nobis confertur.

SECTIO V.

An possit purus homo condignè satisfacere pro peccato, absque aduertentiâ offensæ diuinæ commisso.

Posset quis in materiâ graui peccando, non aduertere ad offensam contra Deum, vno modo inuincibiliter ignorando, Deum esse; 2. modo, cognoscendo quidem Deum esse, inuincibiliter tamen ignorando, tali peccato Deum offendi. Vtroque enim modo posset peccans aduertere ad malitiam obiecti, non aduertēdo ad malitiam offensæ diuinæ. Hîc non disputo, an de facto talis ignorantia inuincibilis offensæ diuinæ dabilis sit (negaui 3. *tom. disputat.* 17. *section.* 6. sed ex hypothesi, quod talis ignorantia daretur, an tunc posset pro malitiâ talis peccati purus homo condignè satisfacere. 166. *Duplex inaduertentia.*

PRIMA sententia negat: *Ioan. de Salas* 1. 2. *to.* 2. *tract.* 13. *disput.* 16. *sect.* 22. qui oppositam appellat improbabilem, parum tutam, periculosissimam in fide, ac perniciosissimam: quam & docti Recentiores sequuntur, & nonnulli apud *Curiel.* 1.2. *qu.* 71. *art.* 6. *dub.* 3. illam tuentur quamuis falsò *ibid.* putet, positâ hypothesi nullum omninò fore peccatum, contra quem 3. *tom.* 167. *1. Sentent.*

168. *Fundamentum duplex. 1. Commune.* Fundam. 1. ad contrahendam totam malitiam offensæ diuinæ, non requiritur aduertentia ipsius offensæ diuinæ, sed sufficit aduertentia ad solam malitiam peccati ex obiecto refusam, vt hoc ipso contrahatur tota malitia offensæ diuinæ: tota enim ratio, cur homicidium ex. gr. displiceat Deo, est, quia de se est malum, & dissonum naturæ rationali vt sic: ergo etiamsi non aduertatur ad offensam Dei, adhuc illo commisso grauiter offenditur Deus; nam positâ totâ causâ, ponitur totus effectus; scil. ideo Deus prohibet homicidium, quia de se malum est, & contra naturam rationalem: omne autem malum displicet Deo, atque adeò est offensiuum Dei: ergo antecedenter ad prohibitionem diuinam homicidium est malum & offensiuum Dei. *Prob. antec.*

169. *Confirm. 1. A pari.* Confirm. 1. Vt quis incurrat totam pœnam inferni, non est necesse, vt aduertat ad pœnam inferni, sed sufficit, vt aduertat ad malitiam peccati, ad quam consequitur pœna inferni: ergo vt quis incurrat offensam Dei, sed sufficit, vt aduertat ad malitiam peccati, ad quam consequitur displicentia Dei. Antec. prob. qui inuincibiliter ignorant pœnam inferni, si grauiter peccant, incurrunt illam.

170. *2. Ab absurdo.* 2. Si ad contrahendum malitiam offensæ diuinæ: requireretur aduertentia ipsius offensæ, sequeretur, de facto multa grauissima peccata, defectu talis aduertentiæ excusari à malitiâ offensæ diuinæ, esse venialia: per ea non incurri priuationem gratiæ diuinæ, nec inferni pœnas: pro illis de facto condignè Deo satisfieri à quouis vt pro suis peccatis venialibus scil. multi sunt, qui quando actu peccant, actu non aduertunt ad offensam Dei: multi adeò rudes ac barbari, vt vel nullam, vel leuissimam habeant notitiam de Deo: etiam sequitur, nouam malitiam

malitiam contrahi, in confessione necessariò explicandam, quoties ad aduertentiam de malitiâ peccati accedit formalis aduertentia de offensâ Dei. 3.
171. *Confirm. 3.* Hinc sequeretur, plus offendi Deum verbo otioso cum aduertentiâ ad prohibitionem Dei, quàm homicidio vel adulterio sine aduertentiâ ad prohibitionem Dei: plus ex parte creaturæ ad satisfaciendum Deo requiri pro verbo otioso, quàm pro tali homicidio, vel adulterio: nam verbo otioso cum aduertentiâ ad prohibitionem Dei offenditur leuiter Deus; homicidio vel adulterio sine tali aduertentiâ, nec leuiter offenditur Deus. Sequitur, non teneri creaturam ad satisfaciendum pro tali peccato Deo, sed tantùm homini; quia debitum satisfaciendi oritur ex iniuriâ illatâ personæ; ergo si nulla illata Deo, homicidio sine aduertentiâ ad prohibitionem Dei, nulla pro eo exhibenda est satisfactio Deo, sed tantùm homini.

172. *Fundamentum 2.* Alterum fundamentum, licet interdum defectu aduertentiæ offensæ diuinæ, non contrahatur formalis malitia offensæ diuinæ, solam tamen malitiam ex materiâ graui sumptam de se sufficientem esse, vt nequeat pro eâ pura creatura condignè satisfacere; prob. *Vt sect. praeced.* Vt satisfactio sit condigna, debet adæquare displicentiam, quam Deus de peccato concepit, nequit autem pura creatura suis obsequijs adæquare displicentiam, quam Deus de peccato in materiâ, etiam sine aduertentiâ diuinæ offensæ commisso, concepit. nam quæuis displicentia Dei est in altiori ordine moralis æstimabilitatis in ratione displicentiæ, quàm sit, vel esse possit in ratione complacentiæ quodcunque obsequium à purâ creaturâ Deo exhibitum: cùm omnis displicentia moralem æstimabilitatem suæ grauitatis sumat ex personâ, in quâ recipitur: grauior est displicentia, quam concipit Imperator, quàm alius inferior: vtpote tristitia personæ, eò grauior quò dignior persona.

173. *Probabilior sentent.* SECVNDA probabilior affirmat: ita multi recentiores apud *Ioan. de Lugo de Incarn. disput. 5. sect. 5.* quam ex antiquioribus validè deducit, oppositamque efficaciter impugnat: vt valde mirer in hac tam probabili sententiâ tam seuerum iudicem se gessisse *Io. de Salas.* quam ipse in 3. *tom.* docui: nunc eo fundam. quo *ibid.* confirmo. Tota ratio,
174. *Ratio à priori. Vt sect. 3.* cur nequeat pura creatura pro culpâ mortali condignè Deo satisfacere, est, quia culpa mortalis includit offensam Dei, quæ nulla potest puræ creaturæ satisfactione condignè compensari. Sed peccatum cum inuincibili ignorantiâ offensæ Dei commissum non contrahit malitiam offensæ Dei:
Minor prob. exemplis. vt in humanis; qui percutit Regem, inuincibiliter putans non esse Regem, nec in foro humano, nec diuino contrahit malitiam læsæ Maiestatis: qui occidit clericum inuincibiliter putans non esse clericum, non committit clericidium; nec pœnas censurasque Ecclesiastico iure clericidio impositas incurrit.

175. *A priori.* 2. Offensa per peccatum illata, est quædam iniuria & contemptus diuinæ maiestatis: nulla autem iniuria & contemptus fit personæ absque notitiâ ipsius personalis dignitatis, aut offensionis, ex communi omnium conceptione; non enim putamur offendi ab his, qui vel nos non norunt, vel qui inuincibiliter ignorant, nos tali actio-
Ratio. ne offendi. Quia cùm offensa sit actus voluntatis, quo offendens expressè vel interpretatiuè vult iniuriam inferre offenso, necessariò supponit actum intellectus, quo personam, quam vult offendere, cognoscat, eamque tali actione offendi, putat. Ergo quantumcunque peccator aduertat ad malitiam obiecti, si nullo modo aduertat ad offensam Dei, non potest coram Deo incurrere malitiam offensæ diuinæ, cùm non possit Deus ad culpam imputare, nisi quod fuit voluntarium peccatori.

DICES: hoc ipso, quòd quis voluntariè delinquit in materiâ graui etiamsi actu non aduertat ad offensam Dei incurrit malitiam illius, quia malè operando implicitè & interpretatiuè censetur velle, quidquid ex peccato per se natum est sequi: sed ex quouis peccato per se nata est sequi offensa diuina: ergo etiamsi ad illam peccans non aduertat incurrit illam. SED contrà: nihil potest ad culpam imputari, nisi quod est peccatori voluntarium, seu aliquâ notitiâ, saltem confusâ, aut dubiâ cognitum. Ergo nisi peccans dubium saltem habuerit de offensâ Dei, non potuit illam culpabiliter incurrere. Confirm. pono peccatorem, dum actu peccat in materiâ graui, non modò nullum habere dubium de offensâ Dei, sed expressum affectum non committendi tale peccatum, si sciret illo offendi Deum. Ita qui intendit occidere animal proximi, inuincibiliter ignorans, illud esse hominem, nec coram hominibus, nec coram Deo incurrit homicidium, esto operam nauet actioni peccaminosæ; qui intendit occidere hominem, inuincibiliter putans, non esse Clericum, non contrahit malitiam clericidij, esto exerceat actionem peccaminosam. ergo ad contrahendam malitiam offensionis diuinæ formaliter, non sufficit tantùm exercere actionem malam, ex quâ sequi possit offensa Dei, nisi talis offensæ sequela saltem sub dubio cognoscatur. 2. Ex oppositâ sententiâ sequeretur, posse aliquem actu amare Deum super omnia, & simul grauiter illum offendere; quod implicat: nam amare Deum super omnia includit efficax propositum vitandi omne, quod potest Deum grauiter offendere: alioqui hoc ipso, quòd non vitaret aliquid, quod posset Deum grauiter offendere, non amaret illum supra id, quod, ne Deum grauiter offenderet, non vitaret; sed potiùs supra Deum, saltem interpretatiuè, amaret id, quo cognosceret grauiter Deum offendi, & tamen non vitaret. Sequela probatur: posset quis aduertens ad solam malitiam obiecti, habere expressum propositum seruandi omnia præcepta diuina propter dilectionem Dei; & consequenter etiam hoc, nisi inuincibiliter ignoraret, hoc esse præceptum Dei. Vnde talis homo priuaretur gratiâ diuinâ; quâ verò actu charitatis diligeret Deum, esset gratus Deo dispositiuè; & hoc absurdum practicè accideret: nam per *aduersarios* sæpe de facto accidit inuincibilis inaduertentia offensionis diuinæ; vnde peccatum mortale & gratia habitualis essent simul in eodem subiecto.

176. *Obijcies.* (to "DICES")
177. *Resp.* (to "SED contrà")
Confirm.
178. *Explicatur exemplis humanis.*
179. *Ab absurdo 1.*
Secundò.

Ad primum fundamen. oppositæ, negat. assumptum, vt constat ex fundamento nostræ sententiæ. Ad probationem, tota ratio, cur displiceat homicidium Deo, non est, quia est malum in se, & difforme naturæ rationali, sed potissima, quia est immediatè offensiuum increatæ Maiestatis, scilicet quâ continet contemptum Dei, seu quâ prohibitum à Deo sub pœnâ perpetuæ suæ indignationis, & potiùs ab homicidâ eligitur perpetuò separari à Deo, quàm ab homicidio abstinere: nam ille moraliter censetur alterum contemnere, qui præ coniunctione cum alio, non curat perpetuò separari ab illo. Quam malitiam 180. *Ad 1. fund. 1. Sentent.*

tiam moralis contemptûs diuinæ Maiestatis non habet homicidium ante prohibitionem Dei; sed solam habet malitiam ex obiecto, quæ tantùm est fundamentum, vt illud sub pœnâ perpetuæ indi-

Ad prob. anteced. gnationis Deus prohibeat: vnde ad probat. antec. conced. ideo Deum prohibere homicidium, quia in se malum est, & dissonum naturæ rationali, dissonantiâ tantùm contra legem naturalem, non contra legem & auctoritatem diuinam, quam dissonantiam sortitur homicidium formaliter ex prohibitione Dei, suam auctoritatem interponentis, ne illud committatur à creaturâ. Quo fit, vt qui illud committit cum inuincibili ignorantiâ prohibitionis diuinæ, non contrahat nisi malitiam, quam homicidium habet ex solo obiecto contra legem naturalem, & naturam rationalem vt sic.

181. *Ad 1. confirm. argumentum supponit falsum.* Ad 1. Confirm. transeat totum: sed nego, quod tacitè supponit, scil. pœnam indignationis Dei ac perpetuæ separationis ab ipso, impositam esse culpæ absque aduertentiâ ad offensam Dei commissæ, vti imposita est pœna inferni cuilibet culpæ mortali contra Deum commissæ.

182. DICES: totam pœnam, quam Deus imponit homicidio, imponi propter intrinsecam ipsius malitiam; ergo totam incurri solâ aduertentiâ ad malitiam homicidij secundum se. nam pœna incurritur solâ aduertentiâ ad malitiam culpæ, propter quam imposita est pœna. Anteced. prob. ideo Deus sub tali pœnâ homicidium prohibet, quia est malum per se: ergo sola malitia homicidij secundum se mouet Deũ ad taxandam illi talem pœnam. Confirm. malitia homicidij secundùm se est causa prohibitionis diuinæ; atque adeò etiam pœnæ prohibitione taxatæ.

183. *Resp.* Nego anteced. Ad probat. homicidium sub tali ac tantâ pœnâ à Deo non prohibetur ob solam intrinsecam malitiam ex obiecto, sed maximè propter malitiam, quam contrahit, ex offensâ Dei, positâ prohibitione diuinâ: nec sola intrinseca malitia homicidij mouet Deum ad taxandam illi tantam pœnam, sed simul cum malitiâ offensionis diuinæ, cuius contractiuum est homicidium ex prohibitione Dei, increatam auctoritatem in-

Ad confirm. terponentis, ne illud à creaturâ committatur. Ad confirm. concedo, ad homicidium prohibendum sufficientem causam esse malitiam homicidij secundùm se: nego, ad tam grauem pœnam taxandam, qualis est perpetua separatio à Deo cum æternâ pœnâ sensûs, sufficientem & adæquatam causam esse solam intrinsecam malitiam homicidij secundùm se, sed etiam malitiam, cuius homicidium contractiuum est, ex offensione Dei.

184. *Ad 2. confirm. Casus est impossibilis practicè.* Ad 2. confir. neg. sequela: nam vt 3. *tom.* inuincibilis ignorantia, vel Dei, vel prohibitionis Dei, dabilis non est: cùm hoc ipso, quòd quis aduertit ad legem creatam naturalis rationis, expressè prohibentem opus malum, teneatur diligenter examinare, an talis lex, quæ tam expressè & seuerè prohibet opus malum, illud prohibeat in virtute alicuius superioris legis, quæ nobis per internum dictamen legis naturalis intimatur: cùm impossibile sit, aduertere ad legẽ naturalem, opus malum prohibẽtem, sine implicito & confuso saltem dubio de superiori aliquâ lege. Vnde ad 1. prob. esto, dum quis actu peccat, actu nõ aduertat ad offensam Dei, ad illius tamen malitiam contrahendam, sufficit, vt potuerit & debuerit aduertere, quando lex naturalis peccatorem stimulabat, ne opus malum committeret. Ad 2. nego dari posse hominẽ tam rudem ac barbarũ, qui si ratione vtatur, ex legẽ naturaliter impressâ, non possit in confusam ac dubiam saltem notitiam alicuius supremi Numinis deuenire, quæ ad offensionis diuinæ malitiam contrahendam sufficit, & statim creaturam obligat ad diligentem inuestigationem Dei, ne possit nostrâ actione offendi.

Ad 3. datâ hypothesi, nullum erit absurdum, 185. *Ad tertiam confirm.* plus Deum offendi verbo otioso, prolato cum aduertentiâ ad offensam, quamuis leuem ipsius, quàm homicidio vel adulterio cum inuincibili ignorantiâ offensæ diuinæ. Ratio: à proferente verbum otiosum cum aduertentiâ ad offensam Dei, verè offenditur, quamuis non grauiter & immediatè Deus. Ab homicidâ vel adultero, non aduertente ad offensam Dei, nullo modo offenditur Deus; nam offensa debet esse voluntaria. Hinc *Non omne quod displicet offendimur.* tamen non sequitur, homicidium vel adulterium, etiam cum inuincibili ignorantiâ offensæ diuinæ patratum, non displicere Deo; nam Deo displicet omne peccatum, licet non omni peccato offendatur. Sicut displicet Regi offensa facta alteri, etiamsi tali offensâ ipse non offendatur: plus enim est offendi, quàm esse obiectum displicentiæ: nam offensio est iniuria illata personæ, quæ necessariò supponit notitiam offensæ, & personæ, cui infertur: displicentia esse potest de quocunque obiecto malo. Ad aliam sequel. concedo, mi- 186. nùs ex parte creaturæ requiri ad satisfaciendum Deo, pro homicidio cum inuincibili ignorantiâ offensionis diuinæ commisso, quàm pro verbo otioso cum aduertentia ad leuem offensam Dei: quia pro illo nullam debet homicida Deo, quem supponitur non offendisse propter inuincibilem ignorantiam, satisfactionem; sed tantùm proximo, quem offendit, & legi naturali ac ciuili, quas læsit, operando contra expressam prohibitionem earum.

Hoc certum est, perseuerante inuincibili ig- 187. *Dubium.* norantiâ Dei, vel offensionis ipsius; controuerti potest, an postquam homo commisit homicidium cum inuincibili ignorantiâ Dei, vel offensionis ipsius, si aduertat tale homicidium esse offensiuum Dei, teneatur satisfacere Deo? Respond. negati- 188. *Responsio negatiua.* uè. Ratio: nullus tenetur alteri satisfacere, nisi pro offensâ vel damno, quod culpabiliter intu- *Maior clara ex dictis.* lit: sed homo committens homicidium cum inuincibili ignorantiâ offensæ diuinæ, nullam iniuriam, aut damnum culpabiliter intulit Deo: nam satisfactio est compensatio iniuriæ, vel damni nostrâ culpâ secuti: ergo qui nullam intulit iniuriam, vel damnum culpabiliter, ad nullam tenetur satisfactionem. Confirm. Si quis delinquat 189. *Confirm.* in materiâ graui, inuincibiliter putans, se peccare tantùm venialiter, etiamsi postea aduertat se peccasse in materiâ graui sufficiente ad contrahendam malitiam culpæ mortalis, nisi inuincibilis ignorantia intercessisset; non tenetur pro eo peccato vt pro mortali, sed vt pro veniali satisfacere; scil. pro quantitate, vel qualitate malitiæ, quam contrahimus, quando actu peccamus: ita si quando actu peccauit quis, non contraxit malitiam diuinæ offensionis; nec postea aduertens per se tenetur pro illâ satisfacere. Dixi *per se*: nam ratione dubij & incertitudinis, an reuerâ peccauerit cum inuincibili ignorantiâ offensionis diuinæ, tenetur pro tali peccato Deo satisfacere: vti etiam ratione eiusdem incertitudinis tenetur satisfacere pro peccato ac si esset mortale, qui sub dubio putabat esse veniale. DICES; Si quis 190. *Dices.* bonâ fide accepit rem alienam, inuincibiliter putans suam, aduertens postea esse alienam, tenetur illam proprio domino restituere etiamsi absque peccato illam acceperit. Ergo si quiscommisit homicidium, bonâ fide putans, illud non esse

diuinæ

diuinæ maiestatis offensiuum, si postea aduertat esse offensiuum, tenetur pro illo Deo satisfacere. Nego conseq. nam in priori casu tenetur homo reddere ius alteri, vndecunque & quomodocunque illud ad se peruenerit, cùm semper res clamet ad dominum; in posteriori, non tenetur resarcire, nisi cuius ipse fuit moralis causa. Vnde in hoc restitutio à satisfactione discriminatur, quod illa respicit adæquationem iurium simpliciter; hæc compensationem offensæ & iniuriæ, quam offensor intulit offenso. Vnde qui bonâ fide accepit rem alienam, si postea aduertat esse alienam, non tenetur nisi ad restitutionem rei acceptæ: qui verò malâ fide illã accepit, non solùm tenetur ad restitutionem rei, sed etiam ad pœnam pro satisfactione culpæ commissæ: Ergo qui homicidium commisit cum inuincibili ignorantiâ offensæ diuinæ, etiamsi posteà aduertat, illud esse offensiuum Dei, per se non tenetur pro illo Deo, sed tantùm proximo, legi naturali, & ciuili, quas læsit, satisfacere. Ratio: satisfactio est pœna, quæ non debetur nisi culpæ. Nec sufficit culpa commissa contra proximum, aut legem naturalem, vt quis teneatur satisfacere Deo: quia sicut culpa contra proximum, aut legem naturalem non reddit, positâ inuincibili ignorantiâ offensionis diuinæ, homicidium formaliter offensiuum Dei; ita nec eâdem inuincibili ignorantiâ positâ, ponit debitum satisfaciendi Deo, quia hoc immediatè oritur ex voluntariâ offensâ illatâ Deo.

191. *Resp. restitutio & satisfactio differunt.*

Ratio.

192. *Ad 2. fundamentum.* Ad 2. fundam. oppositæ, neg. assumpt. Ad prob. disting. maior: vt satisfactio sit condigna, debet adæquare displicentiam, quam offendens voluntariè intulit offenso, concedo; quam non voluntariè intulit, nego. Nam sicut quod non voluntariè inferimus, non imputatur nobis ad culpam, ita nec ad satisfaciendi debitum: cùm omne satisfaciendi debitum oriatur ex culpâ. Et falsum est, displicẽtiam, quam Deus conciperet ex homicidio cum inuincibili ignorantiâ ipsius offensionis commisso, fore incompensabilem à creatura: nam non esset ex suæ increatæ Maiestatis contemptu & læsione concepta, sed ex læsione dumtaxat rei creatæ, qualis est omnis displicentia, quam Deus de facto concipit ex quolibet peccato veniali, pro quo potest creatura condignè satisfacere, vt *seq. sect.* Sola igitur displicentia, quam Deus concipit ex contemptu & læsione suæ increatæ Maiestatis est à creaturâ incompensabilis. An grauitas displicentiæ sumenda principaliùs sit ex personâ à quâ concipitur, an ex dignitate rei ex cuius amissione aut læsione concipitur. 2. Ex vnâ parte cùm sit tristitia concepta ex amissione vel læsione boni, grauitatem principaliùs sumere videtur ex dignitate & præstantiâ boni amissi, vel læsi; ex aliâ parte, cùm sit contristatiua personæ à quâ concipitur: principaliùs grauitatem sumere videtur ex personâ à quâ concipitur: nam quò dignior est persona, à quâ concipitur, eò contristatio ipsius censenda erit grauior. Verùm distinguo: in displicentiâ grauitas est, vna ex parte obiecti ex cuius læsione concipitur: altera ex parte subiecti, in quo recipitur; Prior sumitur ex læsione præstantioris boni; grauior enim est displicentia ex parte obiecti, quam concipit Baro ex offensâ Regis quàm illa quam concipit Rex ex offensâ Baronis: Posterior sumitur ex dignitate personæ in quâ recipitur: vnde grauior subiectiuè est displicentia Regis, quam concipit de offensâ Baronis quàm contrà, cùm sit dignioris personæ contristatiua.

In controuersiam venis.

In displicentiâ grauitas duplex.

SECTIO VI.

An possit iustus condignè satisfacere pro suo peccato veniali?

PRIMA sententia negat: *Petri Soti de instit. sacerd. lect.* 18. Prob. 1. ex *S. Thom.* 3. *p. q.* 87. *artic.* 4. asserente, nullam culpam remitti posse, nisi per virtutem gratiæ; ergo nulla satisfactio pro quocunque peccato erit condigna; quia nulla satisfactio, quæ eget gratiâ creditoris, potest esse condigna, ergo si omnis eget gratiâ Dei, condigna nulla. 2. Hanc venialium remissionem quotidie petunt iusti, dum in oratione Dominicâ sibi sua debita dimitti petunt, ex Concil. *Mileuit.* 2. *can.* 7. & 8. & *Trident. sess.* 6. *cap.* 2. sed oratio est manifestum signum necessitatis gratiæ, vt contra Pelagianos docent Patres *Africani in epist.* 60. *Augu. ad Innocent.* ergo sine gratiâ veniale non remittitur: consequenter nulla iusti satisfactio pro veniali erit condigna. 3. Veniale est propria offensa Dei: nullus autem puræ creaturæ actus est condigna offensæ Dei satisfactio: ergo nulla iusti satisfactio erit pro suo veniali condigna. Maior constat, 1. est sufficiens materia confessionis. 2. peculiari præcepto prohibetur à Deo *Leuit.* 19. vbi prohibetur simplex mendacium; quod à Deo prohibetur, si fiat, erit contra voluntatem ipsius, ac proinde eius offensa: 3. Nullum veniale Deus remittit sine gratiâ: ergo veniale est offensa Dei, alioqui remitti posset sine gratiâ, quia quidquid non offendit Deum, non auertit Deum à nobis; ergo vt remittatur, non eget conuersione Dei ad nos. Minor prob. omnis offensa Dei est in altiori ordine, quàm sit quæcumque puræ creaturæ satisfactio; nam offensa grauitatem sumit ex dignitate personæ offensæ; satisfactio valorem accipit ex personâ satisfaciente. Nulla pura creatura in dignitate personali est in eodem ordine cum personâ diuinâ: nulla puræ creaturæ satisfactio pro offensâ veniali condigna.

193. *1. Sentent. Prob. 1.*

194. *Secundò.*

195. *Tertiò.*

SECVNDA affirmat: *Paludan. in* 4. *distinct.* 16. *quæst.* 1. *art.* 2. *ante* 3. *concl. Suar.* 3. *p. tom.* 1. *disput.* 4. *sect.* 2. *Vasquez disput.* 3. *cap.* 3. *Cabr. disput.* 15. à fortiori sequitur ex sententiâ eorum, qui docent, condignè pro veniali solâ pœnæ temporalis solutione satisfieri.

196. *2. Sentent.*

DICO 1. Dabilis est condigna satisfactio à iusto pro suo veniali. Probat *Vasquez*: Si contritio nullam supponeret debiti condonationem, esset condigna pro mortali satisfactio; ergo à fortiori pro veniali. Sed contritio à iusto pro suo veniali exhibita, nullam supponit debiti condonationem: quia per veniale non incurrit debitum carendi in perpetuum auxilio gratiæ, quo possit à veniali iustificari, sicut incurrit per mortale personale, aut originale; alioqui iure posset Deus tale auxilium in perpetuum iustis negare, atque adeò in perpetuum eos beatitate priuare. SED CONTRA: falsum est iustum per veniale nullum incurrere debitum carendi aliquo auxilio. nam sicut veniale aduersatur feruori charitatis, ita incurrit debitum carendi auxilio feruoris charitatis; sicut quia mortale aduersatur amicitiæ Dei, incurrit debitum carendi amicitiâ Dei. Etenim illius doni debitum peccando peccator incurrit, quod per negationem oppositi actus tenebatur conseruare; at iustus per negationem venialis tenebatur conseruare feruorem charitatis: ergo venialiter peccando incurrit debitum carendi auxilio talis feruoris. Confirm. alioqui

197. *Vasquez probat.*

Ab absur.

198. *Contrà.*

199. *Confirm.*

qui explicari non posset macula, quam veniale causat in anima,& nobiscum admittit *Vasq.* 1.2.*disp.*139. *cap.*4. quia cùm veniale non priuet gratiã habituali, vel aliquo gradu ipsius, nisi saltem priuet actuali, ex cuius carentiã anima cõtrahat priuationem perfectæ conformitatis cum Deo vltimo fine, explicari non poterit eius macula. 200. *Ad absurd.* Ad absurdum, quod *Vasquez* infert, si veniale causaret debitum carendi aliquo auxilio, posset Deus tale auxiliũ in perpetuum negare iusto; Resp. spectato supremo dominio in creaturas, posset; spectatã lege amicitiæ, quę postulat vt amicus succurrat amico indigenti, non posset.

201. *Ratio assertionis.* Ratio vera: offensa venialis non sumit ordinem à personã increatã, vti mortalis; sed ab aliquo bono creato, quo tantùm priuat; quod sic probo: Ab illo peccatum sumit ordinem offensæ, quod voluntariè contemnit: veniale non contemnit Deũ, sed aliquid Dei, nempe feruorem, qui versatur circa Deũ: nam contemnere Deum, est deserere Deum vt vltimum finem, eumque creaturæ postponere: sed per veniale non deserimus Deum vltimum finem, sed tantùm feruorem circa Deum, qui est aliquid creatum: proinde contemptus, qui in veniali virtualiter includitur, non versatur circa increatam maiestatem Dei, quem per veniale non deserimus, sed circa modum creatum, quem tantùm deserimus. 202. *Explicatur amplius hæc ratio.* Explicatur: Offensa actiua sui ordinis grauitatem sumit ab offensã passiuã: sed passiua, quam veniale infert Deo, est diuersi ordinis à passiuã, quam Deo infert mortale: ergo offensa actiua vnius est diuersi ordinis ab actiuã alterius. Maior prob. actiua quoad ordinis grauitatem specificatur à personã offensã, vt offensã formaliter; nam hoc est formale specificatiuũ offensæ actiuæ; persona enim quæ offenditur solùm materialiter se habet, & vt subiectum ad specificandam offensam actiuam, cùm tota ratio specificatiua formaliter sit offensio ab offendente illata personæ offensæ. *Ratio.* Ratio: offensio actiua est moralis læsio boni debiti illata personæ: ergo ordinem sumit à dignitate boni læsi; atque adeò à passiuã offensã illatã personæ. Minor ostend. offensa passiua, quam infert veniale, est displicentia, quã Deus concipit ex læsione boni creati prohibiti: offensa passiua, quam infert mortale, est displicentia, quam Deus cõcipit ex læsione boni increati: quæ cùm sint diuersi ordinis, diuersas moraliter causant læsiones, atque adeò displicẽtias in Deo. *Mortalis ac venialis contemptus discrimen.* Assump. probo: per mortale cõtemnitur immediatè Deus secũdùm se, dum à peccatore deseritur & postponitur creaturæ. per veniale nõ contemnitur Deus ipse immediatè, nec posthabetur creaturæ, cùm ille adhuc cum veniali maneat coniunctus per gratiam & charitatem habitualem cum peccatore: sed solùm per veniale contemnitur feruor charitatis, quem operans debebat in suã operatione adhibere. Vnde contemptus mortalis immediatè cadit in personam increatam, quæ à peccatore deseritur & postponitur creaturæ, præ cuius amore relinquitur Deus: contẽptus venialis immediatè tantùm cadit in bonũ creatum, in feruorem scilicet charitatis, qui tantùm per veniale contemnitur. Nam in id tantùm cadit immediatè contemptus, quod voluntariè deseritur: sed per mortale voluntariè deseritur Deus secũdùm se, per veniale feruor tantùm charitatis circa Deum: igitur contemptus mortalis immediatè cadit in personam increatam Dei, venialis in feruorem tantùm charitatis: displicentia, quam Deus concipit de iniuriã sibi factã per mortale, est de contemptu & morali læsione suæ increatæ maiestatis, quę per mortale voluntariè deseritur & postponitur creaturæ: displicentia, quam concipit de offensã per veniale sibi factã, est tantùm de contemptu feruoris charitatis, quem operãs tenebatur adhibere in suã operatione.

203. *Illustratur exemplo ducto ab humanis.* Illustratur exemplo: altioris ordinis offensa est lęsio regię Maiestatis in propriã personã facta, quàm læsio facta in bonis tantùm extrinsecis Regis: nam prior ordinis grauitatem sumit ex regiã maiestate, quam immediatè lædit; à quã etiam ordinis grauitatem sumit offensa passiua regis, & displicentia, quam de læsione regiæ maiestatis sibi factã, concipit: posterior ordinis grauitatem sumit ex re extrinsecã Regis, quæ læditur: quod à posteriori colligitur ex diuersitate pœnarum; nã grauiori pœnã punitur prior, quàm posterior offensa. 204. Nec refert, quòd vtraque offensa, tã per mortale, quàm per veniale illata, passiuè sit in Deo: nam vtraque concipitur in Deo secundùm eam grauitatem, quam habet ab obiecto, seu bono læso: Cùm igitur diuersi ordinis sint bonũ, ex cuius læsione Deus concipit displicentiã sibi moraliter per mortale causatam, & bonum, ex cuius læsione concipit displicentiam per veniale sibi illatam; diuersi quoque ordinis erunt displicentia, quam ex mortali concipit, & displicentia, quam concipit ex veniali, ac proinde mortalis offensa erit diuersi ordinis à veniali.

205. *Eadem ratio est S. Thom.* Hęc ratio sumitur ex doctrinã, quam vbique tradit *S. Thom.* scilicet veniale non esse cõtra vltimum finem, quia ab illo non separat: non contrariari charitati Dei, quia illam non tollit: nec propriè dicendam esse offensam Dei, sed tantùm secundùm quid, quia non offendit immediatè personam increatam Dei: esse tantùm deuiationem à medijs, quia solùm deuiat à feruore debito charitatis, non à fine; qui adhuc coniunctus manet cum creaturã venialiter tantùm peccante. 206. *Coroll. euidens.* Ex his sequitur, posse à iusto condignam pro suo veniali satisfactionem offerri: quia cùm veniale non sit in eo ordine offensæ, in quo est dignitas personæ increatæ, sed in quo est dignitas boni creati, poterit à iusto habẽte gratiam habitualem, quæ in ratione boni creati est omnium dignissima, condignè compensari. Nam tota ratio, cur non possit creatura pro suo mortali condignè Deo satisfacere, est, quia nullã suã actione, etiã habituali gratiã condignificatã, potest infinitatem ordinis, quæ in mortali propter contemptum increatæ Maiestatis includitur, adæquatè compensare: quæ ordinis infinitas, cùm in veniali non reperiatur, poterit pro eo iustus condignè satisfacere.

207. *Dices.* *Obijcies* 1. veniale est immediatè contra voluntatem Dei: ergo est immediatus contemptus Dei, quamuis leuis, & per actionem iusti expiabilis: cùm idem sit contemnere Deum, & contemnere ipsius voluntatem. *Probat. anteced.* Antec. prob. veniale est immediatè cõtra prohibitionem Dei: nam expressè prohibetur à Deo: ergò est immediatè contra voluntatem Dei: nam ideò mortale est immediatè cõtra voluntatem Dei, atque adeò contra Deum, quia est immediatè contra prohibitionem Dei. 208. *Confirm.* Confirm. vt mortale sit immediatè contra prohibitionem & voluntatem Dei, non est necesse, vt expressè peccator intendat facere contra prohibitionem ac volũtatem Dei, sed sufficit, si committat id, quod est prohibitum à Deo: nam hoc ipso interpretatiuè censetur facere contra voluntatem Dei. Ergo pariter vt veniale sit immediatè contra prohibitionem & voluntatem Dei, necesse non est, vt expressè peccans intendat facere contra prohibitionem & voluntatem Dei, sed sufficit, si committat id, quod est prohibitum à Deo.

209. *Resp. mortalis ac venialis p. discrimen.* Resp. neg. anteced. Falsum enim est, veniale simpliciter esse contra voluntatem Dei secundùm se, sed solùm contra probitionem voluntatis Dei: nam illud est simpliciter contra voluntatem Dei secundùm se & immediatè, quod deserit simpliciter ipsam

E volun-

voluntatem Dei: porrò veniale non deserit simpliciter voluntatē Dei: quia ab illâ nō separat; nec illam deserit in alijs præceptis: sed tantùm est contra prohibitionē ipsius in hac determinatâ materiâ; at mortale est etiam contra voluntatem Dei immediatè & secundùm se; illam simpliciter deserit, non tantùm in hac determinatâ materiâ, sed virtualiter & interpretatiuè in omnibus.

210. *Ad probat. anteced. mortale est contra voluntatem Dei.* AD prob. antec. neg. conseq. nam licet veniale sit contra prohibitionem Dei, non est tamen immediatè contra ipsam voluntatem Dei, quia non est contra prohibitionem, ex cuius transgressione deseratur ipsa voluntas Dei secundùm se, cùm illa maneat habitu vnita cum peccāte venialiter, sed solùm in ordine ad hanc rem prohibitam, quatenus venialiter peccans non exequitur voluntatem Dei in ordine ad hanc. *Veniale contra prohibitionem.* Nego igitur, ideò mortale immediatè esse contra voluntatem Dei, quia est contra ipsius prohibitionem simpliciter; sed quia per mortale deseritur ipsa voluntas Dei secūdùm se simpliciter: Potest autem quis non modò habitu, verùm etiam actu manere coniunctus cum volūtate Dei, per actualem dilectionem ipsius, & simul venialiter peccando facere contra eius prohibitionem.

211. *Ad confirm.* Ad confirm. concedo, vt mortale sit contra voluntatem Dei, necesse non esse, vt peccans expressè intendat facere contra voluntatem Dei, necesse tamen est, vt illam omninò deserat, quando sciens per mortale se à Deo vltimo fine & amico separari, nihilominus illud committit, præferendo illud Deo vltimo fini & amico. Qui venialiter peccat, non deserit voluntatem Dei, tantùm in ordine ad hanc rem prohibitam, cuius amor non separat ab amore Dei, proinde non dicitur facere contra voluntatem Dei simpliciter.

212. *Veniale est contra voluntatem Dei.* Responderi posset, 2. admittendo, quòd veniale sit contra voluntatem Dei, negādo, quod sit eiusdem ordinis cum offensâ mortali: nam vna est ordinis creati resultans ex læsione feruoris charitatis, quē venialiter peccans debebat Deo: altera ordinis increati, resultans ex læsione maiestatis increatæ; licet vtraque sit contra voluntatem Dei, quia vtraque displicet Deo, vtraque moraliter causat passiuam offensam in Deo. Vnde dici potest, veniale esse contra voluntatem Dei non prohibētem exercitè contemptum & desertionem sui, sed contemptum & desertionem boni dumtaxat creati; mortale esse cōtra voluntatem Dei, exercitè prohibentem contemptum & desertionem sui. *A pari.* Sicut delinquēs in personam Regis, facit contra voluntatem legis prohibentem læsionem & iniuriam suæ regiæ Maiestatis; delinquens in bona extrinseca Regis, facit contra voluntatem Regis prohibētem tantùm læsionem bonorum externorū Regis. Vnde diuersi ordinis est offensa facta personæ Regis, & bonis extrinsecis Regis, etsi vtraque sit contra voluntatem Regis.

213. *Dices.* DICES: qui venialiter peccat, actu deserit voluntatem Dei, eamque leuiter saltem contemnit: hoc enim est actu facere contra ipsius leuem prohibitionem: sicut simpliciter deserit voluntatem Dei eamque grauiter contemnīt, qui actu facit contra grauem ipsius prohibitionē, ab eaque per priuationem gratiæ, etiam habitu recedit. *Confirm.* Confirm. Ideò mortaliter peccans contemnit grauiter Deum, quia ipso actu peccati præfert amorem creaturæ authoritati Dei grauiter prohibentis: ergo ideò peccans venialiter leuiter saltem contemnit Deum, quia ipso veniali præfert amorem creaturæ authoritati Dei leuiter prohibentis.

214. *Resp.* Nego antec. nam deserere propriè, est simpliciter ab illo separari, vt & cōtemnere: non enim dicitur amicus amicum deserere, eumque cōtemnere, qui leuiter tantùm illum lædit. Fundatur hæc resp. in proloquio Concil. & Patrum. *Nunquam Deus deserit, nisi deseratur à creaturâ*: vbi τὸ *deseratur* sumitur pro omnimodâ separatione à Deo. Cùm igitur venialiter peccans à voluntate Dei simpliciter non separetur, cùm maneat habitu, & possit etiam actu dilectionis manere cum illâ coniunctus, non dicetur ab illâ separari, vel illâ propriè contemnere. Ad prob. antec. deserere vel contemnere volūtatem Dei non est facere contra illius prohibitionem, sed ab illâ omninò separari, & in alio vltimū finem simpliciter constituere. *Ad prob. antec.*

215. *Ad confirm.* Ad confirm. nego, ideò formaliter peccātem mortaliter, contemnere Deū, quia in materiâ graui præfert amorem creaturę prohibitioni Dei, sed quia præfert amorem creaturæ amori ipsius Dei: nam si Deus eamdem materiā prohiberet, & non sub pœnâ suæ indignationis, & perpetuę separationis, qui contra talem prohibitionem faceret, præferret quidem amorem creaturæ prohibitioni Dei in materiâ graui, non tamen necessariò præferret ipsi amori Dei; quia posset talis habere expressum affectum, nunquam se contra talem prohibitionem facturum, si sciret se fore separandum à Deo vltimo fine; imò posset faciendo contra talem prohibitionem, actu diligere Deum.

216. *Constituere sibi vltimū finem in re creatâ quid sit?* Deducitur, peccantem venialiter non constituere sibi vltimū finem in re creatâ, præ cuius amore trāsgreditur leuem prohibitionem Dei: hoc enim non est tantùm exercere actum, qui nō sit ordinabilis ad Deum vltimum finem, velut amorem sui actûs præferre amori præceptionis diuinæ; sed est exercere actum simpliciter incompossibilē cum Deo amico & fine vltimo, seu amorem sui actûs præferre amori Dei secundùm se; quod solùm præstat mortale.

217. *Dices.* *Obijces* 2. neque offensa mortalis est immediatè contra Deum, sed cōtra ipsius amicitiam. Ideò enim mortale contemnit Deum, quia contēnit ipsius gratiam quæ est quid creatum.

218. *Resp.* Nego antec. etenim non ideo formaliter offensa mortalis est in altiori ordine & immediatè contra increatam maiestatē Dei, quia est immediatè contra ipsius amicitiam, & multò minùs quia est contra charitatē proximi, aut dictamen rationis creatæ, sed quia est cōtemptus increatæ maiestatis, quæ mortali cōtempta, posthabetur creaturę. Offensa verò venialis sistit in contemptu feruoris charitatis circa Deum, quia per veniale nō deseritur Deus secundùm se, nec posthabetur creaturæ, sed tantùm modus feruoris circa Deū: ex quâ desertione feruoris, resultat aliqua offensa contra Deum, diuersi tamen ordinis ab offensâ, quę ex contēptu Dei.

219. *Dices.* *Obijces* 3. tam in rebus extrinsecis possumus grauiter, quàm in intrinsecâ dignitate personali, leuiter offendere Deum: ergo nec semper specificatiuū offensæ mortalis est immediatus contemptus Dei, nec specificatiuum venialis semper est bonum extrinsecum Dei. Antec. prob. possumus in furto, quę est res extrinseca Dei, grauiter; & cōtrà in odio & blasphemiâ indeliberatâ, quæ immediatè versatur contra Deum, leuiter offendere Deum.

220. *Resp.* Nego antec. non enim bonum extrinsecum Dei dicitur res creata, in cuius materiâ peccatur, cùm etiā in materiâ rei creatæ peccari possit cum virtuali contemptu Dei, qui tantùm intrinsecè moraliter versatur circa increatam dignitatem Dei. Sed dicitur in bonis extrinsecis offendi Deus, quando non Deus peccato deseritur, sed solus modus circa Deū. Odiū & blasphemia indeliberata non sunt graues offensę, esto immediatè versentur contra Deum, quia non cōputantur inter actus humanos simpliciter, cùm nō sint perfectè voluntarij. Quare sicut non habēt voluntariū simpliciter; ita nec morale specificatiuū simpliciter in ratione offensæ, quæ à voluntario potissimùm pendet.

Obij-

211. *Dices.* *Obijcies* 4. Sicut potest rex,& in suâ personâ,& in
rebus extrinsecis,& grauiter,& leuiter à rustico of-
fendi;ita potest Deus,& in suâ personali dignitate,&
in rebus extrinsecis, grauiter & leuiter à creaturâ
212. *Resp.* 1. offendi.Resp. 1. nego,posse regem in regiâ perso-
nâ leuiter à rustico offendi;nam omnis contemptus,
quantumuis minimus regiæ maiestatis à rustico fa-
ctus,est grauis & incompensabilis à rustico.Patet ex
eo,quia quæcumque etiam minima legis transgres-
sio,in contemptum regiæ maiestatis facta,æstimatur
213. *Resp.* 2. grauis offensa regis. 2. esto,dari possit leuis offensa
contra personam regis,adhuc nego, dari posse con-
tra Deum,propter infinitam distantiam,quæ est in-
ter creaturam offendêtem,& Deum offensum, quæ
non est inter rusticum & regem. Maior enim aut
minor distãtia facit, vt idem contemptus factus vni
sit grauis,factus verò alteri sit leuis,vt humanis exẽ-
214. *Dupliciter offenditur rex.* plis constat. Cæterùm potest in rebus extrinsecis of-
fendi rex, 1. per sublationem tantùm rerum exter-
narum: 2. per virtualem contemptum regiæ maie-
statis.Prima offensa quatenus sistit & consummatur
in solâ oblatione rei externæ, est lõgè diuersæ ratio-
nis ab offensâ factâ regi in contemptum ipsius per-
sonæ;estque à rustico compensabilis,quamuis possit
esse leuis,aut grauis intra suum ordinem. Secunda
semper est grauis, & altioris ordinis, quàm possit à
rustico compensari; quia tangit dignitatem regiæ
maiestatis,per virtualem contemptum ipsius. Deus
autem nequit in rebus extrinsecis grauiter offendi,
Ratio. seclusio virtuali contemptu increatæ maiestatis,quia
nulla res eximi potest à dominio Dei,vti eximi po-
test à dominio regis: proinde quantumcumque co-
netur creatura res extrinsecas auferre Deo, nunquã
illas eximit à perfecto dominio Dei. Quare solùm
dicitur Deus in rebus extrinsecis leuiter offendi,
quando contemptus rei extrinsecæ non inuoluit
contemptum Dei: quod est, quoties peccato non
deseritur Deus vt vltimus finis, nec posthabetur
creaturæ.

215. *2. Assertio.* Dico 2. nequit actus solius naturæ viribus eli-
citus, esse condigna satisfactio pro offensâ veniali,
contra aliquos Schol. & à fortiori contra *Scot. in* 4.
*dist.*21.*qu.*1.§. *In ista quæst. vers. De* 2.*dubit. Mayro.qu.*
1. *Rubio.quæst.*1.*art.*2.*Gabriel.dist.*16.*qu.*5.*art.*1.§.*Pri-
ma opinio,& art.*3.*dub.*1. opinantes debitum venialis
condignè solui, solius pœnæ temporalis solutione.
Quam opin.*cit.Suar.*ait,errorẽ sapere Pelagij. No-
stra assertio colligitur ex *Concilio Mileuit.* 2. *can.*6.
7.*& 8.& Trid.sess.*6.*cap.*11.quæ docent per illa, *Di-
mitte nobis debita nostra,* à iustis peti remissionẽ suo-
rum venialium:ergo agnoscunt eam esse à Deo, ac
proinde ex speciali auxilio ipsius. Ratio: condigna
216. *Fundam.* satisfactio debet esse in eodem ordine cum offensâ;
sed offensa venialis cùm sit contemptus feruoris cir-
ca Deum finem supernat.est ordinis supernat. actus
autem solius naturæ viribus elicitus, est ordinis na-
turalis;cùm neque ex auxilio,quo elicitur,neque ex
gratiâ habituali, quæ non dignificat nisi actus super-
naturales à se elicitos, vllam habeat supernaturali-
217. *Dices.* tatem. Dices. Ea satisfactio pro veniali sufficit,quæ
apta est restituere obiectiuam complacentiã, quam
Deus habuisset de opposito actu, quo vitari potuis-
set veniale:at veniale vitari potuit opposito actu vir-
tutis,etiam naturæ viribus producto: ergo. Maior
prob. id tantùm debet condigna satisfactio resarci-
re,quod abstulit offensa:ergo si offensa non abstu-
lit obiectiuam complacentiam supernaturalis, sed
tantùm naturalis virtutis,satisfactio per actum vir-
tutis naturalis exhibita, erit sufficiens & condigna
218. *Resp.* pro veniali. Resp. Condignam satisfactionem esse
illam,quæ non solùm est apta resarcire id,quod im-
mediatè,sed etiam id, quod mediatè & consequen-
ter abstulit peccatum:veniale etsi immediatè tãtùm
abstulit obiectiuam complacentiam virtutis natu-
ralis, mediatè tamen & consecutiuè etiam abstulit
obiectiuam complacentiam specialium auxiliorum
supernat.requisitorum ad perfectam familiaritatem
creaturæ cum Deo:quę specialia auxilia negat Deus
venialiter peccanti in pœnam peccati: & cõsequen-
ter creatura per veniale tollit obiectiuam compla-
centiam virtutis naturalis (quã vitare potuisset idẽ
veniale) & specialium auxiliorum supernat.quæ à
Deo præparata habebat, si veniale actu aliquo vir-
tutis vitasset. Sicut mortale non solùm tollit obie-
ctiuam complacentiam honestatis moralis, quâ vi-
tari potuisset mortale ; sed etiam supernaturalem
gratiæ & virtutum infusarum,quas Deus in pœnam
peccati aufert à peccatore.

Dico 3. Supernaturalis attritio non est condi- 219. *3. Assertio.*
gna satisfactio pro offensâ culpæ venialis,licet possit
esse condigna eiusdem maculæ abstersio. Prior pars
est *Suar. & Vasqu.cit.* vbi pro condignâ venialis sa-
tisfactione assignant solum actum cõtritionis,adeo-
que videntur à condignâ satisfactione excludere
actum attritionis. Fundam. condigna satisfactio est 230.
obsequiosa actio intuitu offensi exhibita: in com- *Fundam.*
pensationem honoris læsi: attritio non est actio in-
tuitu Dei offensi exhibita,sed intuitu ipsius tantùm
attriti elicita: nam est dolor de peccato,vel propter
malum quod peccator incurrit,vel propter bonum,
quo priuatus est ; ergo non elicitur intuitu offensi,
sed ipsius offendentis. Dices 1. Ad condignam sa- 231.
tisfactionem sufficit,vt tantum ponat,quantum su- *Dices.*
stulit offensa : sed attritio supernat.tantùm ponit,
quãtum sustulit offensa venialis:nã hæc sustulit ho-
nestatem saltem naturalem ab actu, & supernat. bo-
nitatem specialium auxiliorum supernat. & à Deo
complacentiam,quam de oppositâ honestate virtu-
tis,& bonitate supernat.auxiliorum supernat.habe-
bat. Sed attritio restituit honestatem supernat. in
actu,& consequenter etiam auxilia supernat.in pœ-
nam peccati sublata; ac proinde resarcit totum ob-
iectum complacentiæ respectu Dei, qui necessariò
sibi complacet de omni actu bono. Confirm. non 232.
tenetur maius bonum per satisfactionem peccator *Confirm.*
resarcire , quàm debuisset actus oppositus peccato
ponere: sed actus oppositus veniali, non debuisset
ponere bonum honestum contritionis; nam illud
tantum bonum debuisset ponere , quod sat fuisset
ad vitandum veniale;hic autem sufficiẽs fuisset qui-
uis actus moraliter honestus. Resp. Ad condignam 233.
satisfactionem nõ sat esse,ponere, quod abstulit of- *Resp.*
fensa,sed etiam compensare,quod intulit : offensa
venialis non solùm abstulit feruorem charitatis ab
actu,& complacentiam à Deo;sed etiam intulit po-
sitiuam displicentiam in Deum, dum per peccatum
posuit obiectum positiuæ displicentiæ respectu vo-
luntatis diuinæ. Quamuis igitur attritio supern. re-
stituat & honestatem in actu, auxilia supernat. &
complacentiam in Deo, nõ tamen compensat posi-
tiuã displicentiam, quã venialis offensa intulit Deo.
Vnde etiam in humanis ad condignam satisfactio-
nem non sat est,restituere quod offensã sublatũ est,
sed etiam compensari debet positiua displicentia,
quam offensa intulit offenso;quod compensari solet
vel obsequiosã actione,exhibitã saltem apparenter
& in foro externo,in quo tantùm homines iudicant,
in gratiam offensi,vel alicuius pœnę solutione.Tota 234.
hæc resp.est Anselm.lib.1. *Cur Deus homo* cap.2.vbi: *Responsio ad verbum*
*Quamdiu,*inquit,*non soluit quod rapuit, manet in cul- sumpta ex*
pa: nec sufficit solummodo reddere,quod ablatum est,sed Anselm.
pro contumeliâ illatâ plus habet reddere, quàm abstulit.

Sicut enim qui lædit salutem alterius, non sufficit si salutem restituat, nisi pro illatâ doloris iniuriâ recompenset aliquid: ita qui honorem alicuius violat, non sufficit honorem reddere, si non secundùm exhonorationis factam molestiam aliquid, quod placet illi, quem exhonorauit, restauret. Vnde concludit: *Sic ergo debet omnis qui peccat, honorem, quem rapit, Deo soluere: & hæc est satisfactio, quam omnis peccator debet Deo facere.* Ex quibus *Ad confirm.* patet ad confirm. nam præter bonum, quod abstulit peccatum, tenetur peccator resarcire malum displicentiæ, quod intulit peccatum.

235. *Dices.* Dices 2. Si attritio ex se non sufficit ad condignè satisfaciendum Deo pro offensâ veniali, nec illa sufficiet elicita à Christo: Vnde sequitur per solos actus supernat. dilectionis Dei Christum æterno Patri pro nobis condignè satisfecisse; cùm soli sint obsequia intuitu ipsius Dei exhibita. Consequens falsum est, cùm omnes Patres & Schol. doceant, Christum per quemcumque actum virtutis cõdignè pro nobis satisfecisse. Nego sequel. Etenim quicumque

236. *Resp.* vel minimus actus honestus Christi, ratione personalis dignitatis, à quâ procedebat, eminenter continebat, quicquid perfectionis continet non modò quicumque actus perfectissimus, sed etiam infiniti à purâ creaturâ eliciti, imò nullus erat in Christo actus inferioris virtutis, qui non esset imperio charitatis in obsequium Dei ordinatus.

237. *Dices.* Dices 3. Displicentia, quâ veniale infert Deo, est finita non solùm intensiuè, & essentialiter, sed etiam ordine, cùm non sit immediatè contra Deum, vt *Assert.* 1. ergo compensari potest multiplicatis actibus finitis attritionis, cùm omne finitum adæquari possit alio finito. Nego conseq. nam licet dis-

238. *Resp.* plicentia, quam veniale Deo infert, sit omni ex parte finita, est tamen diuersæ rationis, vt nequeat multiplicatis actibus attritionis resarciri. Sicut licet læsio, quam quis in famâ passus est, sit finita, nequit tamen pecuniâ, vel alijs rebus resarciri; quia fama est alterius rationis; ita moralis displicentia de veniali est diuersæ rationis, quàm vt possit vllo attritionis actu aut multiplicatione actuum condignè resarciri, nam tales actus solùm multiplicabunt obiectum complacentiæ, non tollent obiectiuam displicentiam, quę consistit in voluntariâ elongatione peccatoris à perfectâ familiaritate Dei moraliter perseuerante, quæ non est apta condignè tolli, nisi per formalem vel virtualem retractationem ipsius, quæ fit actu contritionis, vel dilectionis Dei.

239. *Assertionis pars poster. prob.* Posterior pars est conformior *Trident. sess. 14. c. 5.* docenti, venialia multis alijs remedijs extra sacramentum confessionis expiari posse; scilicet saltẽ per modum abstersionis maculæ à venialibus relictæ,

Ratio. quia cùm macula dicat ordinem ad subiectum, est enim priuatio debitæ pulchritudinis, sufficit ad eam tollendam tantùm ponere in subiecto, quantum ab eodem sustulit peccatum, esto per se non compenset displicentiam offensi: at attritio ponit in subiecto, quantum abstulit veniale, scilicet honestatem in actu, & auxilia ad familiaritatem cum Deo requisita; ergo tollit maculam, licet per se non tollat displicentiam Dei. Dices: stante displicentiâ Dei, stat

240. *Attritio non tollit displicentiã satisfactoriè, tollit per incompossib.* macula in subiecto; quia repugnat subiectum purgari à maculâ, & adhuc displicere Deo. Resp. licet attritio non sit sufficiens tollere displicẽtiam à Deo satisfactoriè, & per modum condignę compensationis, poterit esse idonea illam tollere per incompossi-

241. bilitatem: quia positâ in subiecto, tollitur veniale incompossibiliter, atque adeò obiectum ipsum displicentiæ diuinæ. Sicut posita gratiâ habituali in subiecto, tollitur, non satisfactoriè per modum condignæ compensationis, sed incompossibiliter, mortale, & obiectum displicentiæ, quam Deus de mortali conceperat.

Dico 4. Sola contritio, aut dilectio Dei super omnia finis supernat. est condigna satisfactio pro offensâ veniali à iusto exhibita. Prob. hæc sola habet omnia ad eam requisita; restituit charitatis feruorem; per eum reordinat voluntatem ad familiaritatem cum Deo; compensat positiuam displicentiam, exhibendo perfectissimum opus in obsequiũ Dei: etsi illa dilectio Dei non includat explicitè detestationem peccati, tamen dum fertur in Deum super omnia, implicitè & virtute includit detestationem omnium peccat. si actu menti occurrerent. Infero, cõtritionem de solis mortalibus, aut de vno tantùm veniali, vel dilectionem, quæ actu non se extenderet ad detestanda omnia venialia, non esse sufficientem satisfactionem pro omnibus venialibus, sed pro ijs dumtaxat, quorum esset formalis aut virtualis detestatio. Ratio: ad actionem condignè satisfactoriam requiritur, vt fiat intuitu offensi in compensationem illatæ offensæ: non fit, si nec formaliter, nec virtualiter illatam offensam detestetur. 242. *4. Assertio.* 243. *Coroll.* *Ratio.*

Obijcies 1. ad condignam satisfactionem requiritur, vt rationabiliter nõ possit ab offenso recusari, vel recusata non teneatur offendens ad alias satisfactiones exhibendas: sed quâcumque cõtritione pro veniali à iusto oblatâ, potest Deus rationabiliter alias exigere, & iustus tenetur illas exhibere: igitur nulla est de se condigna. Resp. Maior est vera de cõdignitate satisfactionis ex iustitiâ, non ex æqualitate operis ad offensam: nulla creaturæ satisfactio potest esse condigna offensæ illatæ Deo ex iustitiâ, sed tantùm ex æqualitate operis ad offensam. Ratio: quãdo opus satisfactorium supponitur alijs titulis obligatum offenso, potest offensus illud pro offensâ nõ acceptare, sed pro alijs titulis, pro quibus est sibi obligatum: & tunc semper offendens tenebitur aliud opus exhibere, etiamsi prius quod obtulit, fuerit ex se condignum ad offensam extinguendã. At contritio nostra pro veniali oblata, multis alijs titulis est obligata Deo; ergo poterit pro veniali oblata à Deo non acceptari, sed alia exigi, esto prior de se digna fuerit ad offensam extinguendam. Non enim, *vt infra*, repugnat, vt opus sit de se condignum pro offensâ, & simul alijs titulis obligatum offenso; quia condignitas solùm spectat æqualitatẽ operis ad offensam, esto illud sit aliunde offenso debitum. Infero: necessaria fuit Dei promissio de acceptandâ iusti satisfactione pro suo veniali oblatâ, non quidem ad reddendam illam condignam, cùm potiùs supponat illam condignam, sed vt recusari pro offensa non possit. 244. *Dices.* 245. *Resp.* *Ratio.* 246. *Coroll.*

Obijcies 2. Si posset purus homo condignè satisfacere pro suis venialibus, non indigeret ad condignè pro ijs satisfaciendum redemptione Christi: nec fuisset Christus necessarius ad liberandũ hominem à venialibus; contra Patres affirmãtes, Christum nos liberâsse etiam à venialibus, & pro nobis Patri satisfecisse. Concedo; Christi redemptio non fuit simpliciter necessaria ad cõdignam satisfactionem pro venialibus, fuit tamẽ necessaria ex suppositione peccati origin. vel personalis mortalis: de quâ necessitate intelligendi sunt Patres: nam purus homo condignè satisfacere pro veniali non potest, nisi sit in gratiâ, seu nisi remisso originali, vel mortali, condignâ satisfactione, per Christum. 247. *Dices.* 248. *Resp.*

Rogas, an potuisset homo in purâ naturâ conditus condignè pro suis venialibus satisfacere? certum est, si potuisset efficacem actum dilectionis Dei authoris naturalis eo statu elicere, potuisse pro venialibus ante mortale commissis, condignè satisfacere; & quidem perfectiùs quàm nunc, 249. *Quæritur an homo in purâ naturâ conditus potuisset condignè pro suis venialibus satisfacere.*

quia

quia non fuisset tunc opus dilectione Dei authoris supernat. cùm nec peccatum eo statu commissum, fuisset contra Deum authorem supernat. cuius nulla fuisset notitia: nam sub eo titulo exhibenda est offenso satisfactio, sub quo offenditur: sub eo titulo offenditur, sub quo cognoscitur, cùm offensa essentialiter sit actus volũtatis: Dixi, *ante mortale commissis:* nam pro venialibus commissis post mortale, non potuisset nec per efficacem dilectionem Dei condignè satisfacere: quia nulla satisfactio à purâ creaturâ exhibita, est cõdigna pro mortali: existente autem mortali, nulla satisfactio posset esse condigna pro veniali; cùm nequeat satisfactio, quæ per modum gratiosi obsequij exhibetur, esse grata & accepta Deo ab inimico oblata, ergo nec satisfacere pro venialibus post mortale cõmissis. Dixi, *& quidẽ perfectiùs quàm nunc:* nam tunc homo nullum habuisset debitum, quod sibi priùs gratis remittẽdum fuisset; nunc saltem habet originale, quod priùs debet gratis peccatori remitti, quàm actu supernat. contritionis possit pro venialibus condignè satisfacere; nam eadem est ratio de originali ac de mortali: cùm originale grauem inuoluat offensam contra Deum, vt constat ex æternâ pœnâ damni; & quod transfunditur in membra, includit respectum ad peccatum, quod fuit in capite, non secus ac habituale personale respectum inuoluit ad actuale, personale, à quo suam grauitatem moralis æstimabilitatis desumit.

250. 251.

252. *Controuersia pendet ex aliâ.* His ex hypothesi certis, controuersia rursus pendet ex aliâ, an potuisset in eo statu homo cum solo concursu generali, debito naturæ rationali, elicere actum efficacis dilectionis Dei authoris naturalis. Dixi, *Efficacis:* quia hæc tantùm est condigna satisfactio pro veniali, efficaciter retractãs offensam, per actum detestationis, cuius vitaretur offensa, si iterum occurreret. Ergo quoad efficacem actum dilectionis Dei, dico, illum non potuisse ab homine in purâ naturâ condito, cùm solo generali concursu debito naturæ rationali, elici potentiâ morali, licet potuisset physicâ, quæ tamen nunquam, aut rarissimè productura fuisset in actũ, absque aliquo speciali auxilio intra eundem ordinem naturæ. Fundamentum: si potuisset tunc homo absque speciali auxilio, saltem intra eundem ordinem naturæ, talem actum elicere, posset etiã nunc: nam eædẽ vires naturæ sunt nunc, quæ fuissent tunc: nam per peccatum originale, quod natura lapsa supra purã addit, nihil virium natur. sublatum est in homine, sed tantùm sublatæ vires supernatur. quibus faciliùs natura exercuisset actus honestos, naturales; quos tamen non faciliùs exercuisset tunc sine peccato originali, quàm illos exerceat nunc cum originali: quod non ponit in naturâ positiuam inclinationem ad malum, quam homo non habuisset in purâ naturâ. Fateor, maiorem difficultatem habere hominem nunc in mortali personali existentem ad actum efficacis dilectionis Dei eliciendum, quam habuisset tunc ante vllum mortale, propter positiuam inclinationem ad malum, quam personale relinquit in subiecto. Dices: perfectiùs potuisset homo in purâ naturâ pro suo veniali satisfacere, quàm possit nunc in naturâ lapsâ: ergo esto nunc non valeat potentiâ morali, absque speciali auxilio indebito actum efficacis dilectionis Dei elicere, non sequitur, eundem actum non potuisse in purâ naturâ elicere. Distinguo antec. potuisset perfectiùs pro veniali satisfacere, hoc est perfectiori actu, aut faciliùs, quàm nunc, nego: perfectius, hoc est nullo debito antecedenti gratis remisso, concedo; quia nunc requiritur gratuita remissio originalis. Nec sequitur, quòd si nunc potentiâ morali nõ possit elicere actum efficacis dilectionis Dei, quòd potuisset tunc; quia non fuissent maiores vires naturæ tunc sine originali, quàm sint nunc, sublato originali per gratiam. Dixi, *potentiâ morali, non physicâ:* quia talis actus cùm sit naturalis, continetur intra sphæram obiecti potentiæ physicæ, extra sphæram obiecti potentiæ moralis; quæ licet habeat omnia principia ad physicam actionem requisita, propter antecedentem tamen difficultatem, quæ physicam potentiam efficaciter ab agendo remouet, dicitur moraliter impotens: quia spectato connaturali modo operandi potentiæ liberæ, nunquam, aut rarissimè operatur cum tantâ difficultate: cùm naturalis modus operandi ipsius sit, ferri in obiectum, quod illi efficaciùs & faciliùs proponitur. Vnde nisi accedat peculiaris illustratio mẽtis, quę huiusmodi in operando difficultatem emolliat, nunquam operabitur. Ex his decisa manet principalis controuersiæ difficultas, nempe non potuisse hominem in purâ naturâ pro suis venialibus ante mortale commissis condignè Deo satisfacere, absque speciali auxilio intra eundem ordinem naturæ, quod Deus tunc homini dedisset ad suum finem consequendum. Angelus in purâ naturâ conditus, potuisset pro suis venialibus ante mortale commissis condignè Deo satisfacere; vt qui sensuum pondere solutus faciliùs potest ad Deum cognoscendum amandumque ferri, quàm possit homo tot sensuum impedimẽtis irretitus; proinde etiam moraliter potuisset in purâ naturâ Deum vt finem naturalem efficaciter diligere. Idem censeo, quoad facilitatem diligendi efficaciter Deum vt authorem naturæ, de animabus, quæ hinc cum solo originali demigrarunt; cùm enim & illæ sint ab omni sensûs perturbatione liberæ; vt verius puto, de facto diligunt efficaciter Deum vt authorem naturæ. Ad satisfaciendum verò pro suis venialibus, si fortè hinc aliqua cum originali asportarint, sunt omninò incapaces: quippe quæ propter originale, nequeunt vllam pro veniali, & multò minus pro originali, condignam satisfactionem Deo exhibere; cùm ad eam requiratur status gratiæ.

253. *Assertio.*

Fundam. ex 3. tom. disp. 26. sect. 5.

254. *Dices.*

255. *Resp.*

256. *Potentia physica à morali discrimen.*

Principalis controu. decisio.

257. *Alia ratio de Angelo.*

258. *Et de animab. cum solo orig.*

259. *Ad primum.* Ad 1. argum. primæ sentent. neg. conseq. Ad prob. dist. antec. nulla satisfactio, quæ in actuali solutione debiti eget gratiâ Creditoris, est condigna, concedo; antecedenter ad ipsam solutionem debiti, nego. Contritio pro veniali à iusto exhibita, etsi gratiâ creditoris egeat antecedenter, nõ tamen concomitanter in actuali debiti solutione; cùm positâ gratiâ Dei antecedenter, ex se sit condigna ad talem offensam extinguendam. De hac gratiâ antec. explicantur scripturæ, Concilia, Doctores, cùm dicunt, venialia dimitti, non solui: cùm solui non tam importare videatur condignitatem operis ad debitum ex æqualitate, quàm ex iustitiâ, quæ alios titulos strictiores excludit. Ex his patet ad auth. *S. Thom. & Concil.* quæ docent, venialia per gratiam remitti, cuius gratuitæ remissionis signum est oratio, quâ quotidie à Deo petimus, nobis venialia dimitti; vt Deus infundat nobis gratiam anteced. ex quâ, & cum quâ valeamus condignam satisfactionem pro venialibus exhibere. Ad 3. neg. minor. Cuius probat. antec. verum tantùm est de offensa mortali, quæ moralem suæ grauitatis æstimabilitatem sumit immediatè ex personâ increatâ, quæ per mortale contemnitur, non de offensâ veniali, quæ moralem æstimabilitatem in ratione offensæ non sumit immediatè ex personâ increatâ, quæ veniali non contemnitur, sed ex omissione boni creati, quòd tantùm contemnitur.

Ad auctor.

260. *Ad tertium.*

SECTIO VII.

An potuerit purus homo constitutus caput reliquorum pro peccatis totius generis humani condignè Deo satisfacere.

261. *Hæc superest difficultas.* SI talis hominis satisfactio ex capitali gratiâ accidentali procedens, est condigna, necessaria non fuit Verbi Incarnatio, cùm saltem potuisset hic homo tot actus elicere, quot futura fuissent peccata omnium hominum, esto singuli actus huius hominis non fuissent, nisi pro singulis peccatis condignè satisfactorij.

262. *1. Sentent. affirm.* PRIMA sententia affirmat: *Scot. in 3. dist. 20. qu. vnic. §. Contra ea, & §. Contra illud. Et in 4. distinct. 15. quæst. 1. art. 2. Lycher. in 3. distinct. 20. §. Præterea: Palud. in 3. dist. 20. quæst. 2. art. 2. Mayro. in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. Rub. in 3. dist. 20. quæst. 2. art. 1. & in 4. distinct. 15. quæst. 3. art. 2. conclus. 3. Soto in 4. distinct. 1. quæst. 5. artic. 4. §. Igitur, Fauent. in 3. disp. 47. cap. 2. Caiet. 3. p. quæst. 1. art. 2. §. Ad horum euid. & §. Ad primi, Vega lib. 3. in Trident. cap. 5.*

263. *Fundamentum.* Fundamentum tantam bonitatem habet opus charitatis ex gratiâ procedens ad Deum placandum, quantam malitiam habet peccatum ad Deum offendendum. Confirm. potuit Adam vt caput omnium suo peccato condignè inficere omnes; ergo potuit merito suo condignè satisfacere pro omnibus.

264. *2. Sentent. Vera negat.* SECVNDA negat: *Alens. 3. p. q. 1. memb. 6. art. 2. Albert. in 3. distinct. 20. art. 1. ad 3. & art. 3 Bonauent. qu. 3. & 4. S. Thom. 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. & in 3. distinct. 20. q. 1. art. 2. & 4. contra gentes cap. 54. fine, & 55. ad 21. Ferrar. ibid. Durandi in 3. dist. 20. quæst. 2. Richardi art. 1. quæst. 4. Ioan. Medin. cod. de satisfactione quæst. 1. Barthol. Medin. 3. p. q. 1. art. 2. §. Sequitur, & concl. 2. Suarez ibid. disp. 4. sect. 7. Vasquez disp. 4. cap. 3. Ioan. de Lugo disp. 5. sect. 8.* Quæ sententia longè probabilior est, & communis inter Recentiores. Grauis difficultas in assignandâ ratione.

265. *Reijcitur 1. huius sententiæ ratio.* PRIMA fit, mortale infert infinitum damnum, priuat æternâ beatitudine, meretur perpetuam pœnam: nulla pura creatura resarcire valet damnum infinitum, aut condignè satisfacere pro pœnâ infinitâ; cùm nulla offerre valeat opus infiniti valoris.

266. Sed contrà 1. esto, non valeat offerre opus æquale damno extensiuè, posset æquale intensiuè: opus enim dignificatum gratiâ posset æquiualere intensiuè toti damno, quod mortale infert; sicut condignè meretur beatitudinem supernaturalem, quâ mortale priuat, ita & remissionem pœnæ æternæ, quam peccatum meretur: cùm tamen neque opus creaturæ habentis infinitam gratiam accidentalem, esset condignum pro peccato, *vt infrà*.

267. 2. Saltem hæc ratio tacitè admittit, posse purum hominem condignè satisfacere pro offensâ illatâ Deo, (esto non possit pro toto damno) quod est contra Patres, qui hanc impossibilitatem fundant in offensâ contra Deum.

268. *2. Ratio.* SECVNDA: originale de se aptum est damnare infinitos homines, si propagarentur: nullum autem opus puræ creaturæ de se aptum est liberare infinitos homines: nam omne opus puræ creaturæ est finiti valoris.

269. *Reijcitur.* Sed contrà 1. originale non sumit grauitatem suæ malitiæ ex damno, quod posset inferre ijs hominibus, qui ex naturâ humanâ propagari possent, sed qui de facto propagabuntur: nam peccatum non *Ex 1. Sect.* sumit malitiam; nisi ex priuatione boni, quod peccans tenebatur conseruare. Adam autem tenebatur conseruare iustitiam originalem pro ijs dumtaxat, qui de facto propagandi erant; & cùm sint finiti, posset finitum damnum illorum à purâ creaturâ sufficienter reparari. 2. Saltem potuisset opus puræ creaturæ esse condignum ad liberandos omnes homines, qui de facto ex naturâ humanâ, originali infectâ, propagandi sunt: & de facto non fuisset necessaria Incarnatio ad liberandum nos condignè ab originali.

270. *3. Ratio. Vasquez.* Tertia *Bonauent. quæst. 4. cit. & Vasquez cap. 5.* Gratia adoptionis non potest esse de se principium condignè merendi alijs auxilia gratiæ & remissionem peccatorum. 1. quia de facto illa in nobis non est principium condignè merendi gratiæ augmentum nisi tantùm subiecto illam habenti: neque ad hoc sufficit peculiaris lex & promissio Dei, quia hæc, cùm sit extrinseca, non mutat naturam gratiæ, vt illam reddat condignè meritoriam alijs, si ex se non est. 2. si posset gratia adoptionis esse condignè meritoria alijs, non esset ratio, cur id negaretur Apostolis, & Deiparæ, qui illam in gradu perfecto acceperunt.

271. *Contrà 1.* Sed contrà: hæc ratio tantùm probat de facto & connaturaliter, non de possibili & diuinitus: cùm enim de facto gratia adoptionis sit in subiecto, quod est in viâ ad perfectionem, & cui perfectio, ad quam tendit, non est debita naturaliter, sed ex meritis, de facto & connaturaliter non est condignè meritoria, nisi subiecto illam habenti; de possibili autem posset esse condignè meritoria alijs, *Quid de possibili?* 1. Si constitueretur caput aliorum homo beatus; hic enim mereri posset per actiones liberas, vt Christus: quæ actiones, quia non supponerent subiectum in viâ, sed in termino suæ perfectionis, non essent meritoriæ, & satisfactoriæ ipsi merenti & satisfacienti, sed alijs, quorum ex pacto & lege constitutus esset caput: 2. Si constitueretur homo purè viator cum plenitudine gratiæ, & simul cum pacto & lege, vt sua opera dirigeret ad merendum & satisfaciendum pro alijs: talia enim opera, positâ plenitudine gratiæ in merente, & pacto ex parte Dei, essent condignè meritoria alijs: 1. quia non minùs demeritum nocet personæ demerenti, quàm meritum prosit personæ merenti: sed posito pacto, potuit Adam suo peccato condignè demereri alijs: ergo posito pacto poterat condignè mereri alijs: 2. quia, cùm supponatur subiectum habere totam plenitudinem gratiæ, quam de potentiâ ordinariâ posset, etiam per propria merita acquirere, non essent tales actiones meritoriæ, vel satisfactoriæ ipsi merenti, aut satisfacienti, cùm ipse non egeret, sed alijs, qui indigerent: 3. condignè mereri seu satisfacere apud aliquem ex *S. Thom. 3. p. q. 48. art. 2.* est exhibere illi in obsequium aliquid, quod ei æquè placet, ac illi displicuit offensa. 272. *A priori.* Sed in sententia, *Vasquez*, purus homo in gratiâ constitutus, posset in obsequium exhibere Deo aliquid, quod æquè illi placeat, ac ei displicuit offensa: scilicet contritio seu dilectio Dei super omnia, nisi de facto supponeret condonationem debiti carendi primo auxilio, esset condignè abstersiua maculæ, & satisfactiua offensæ, in eius sententia nec est propria iniuria, sed aliquid in nobis, quod Deo displicet: at posset hic homo iustus, constitutus caput aliorum, elicere actum charitatis sine vllâ condonatione debiti; nô enim esset productus viâ seminali ex Adamo, sed miraculosè à Deo; vel etiamsi debitum ex Adamo contraxisset, potuisset posteà, eo semel condonato, condignè pro alijs remissionem promereri. Nec obstat, quòd talis actus offeratur pro alijs: nam ex hoc

273. *Contrà rationem 3.* hoc non minuitur eius valor & condignitas. 2. Potest purus homo de facto condignè mereri alijs remissionem pœnæ, vt de facto vnus alteri remissionem temporalis: ergo etiam remissionem culpæ, si lex intercedat, & grauitas offensæ non obstet, vt non obstat in sententiâ *Vasquez*: nam ideò gratia adoptionis de facto potest esse principium condignè merendi remissionem pœnæ temporalis pro alijs, quia merens non defraudatur præmio condignè respondente suo merito: at posset etiam condignè mereri satisfactionem pro alijs, absque eo quòd merens defraudaretur præmio condignè respondente suo merito: sicut ex eodem opere iusti potest pro alijs applicari valor ad condignè remittendam pœnam temporalem, non applicato valore eiusdem operis ad condignè merendum augmentum gratiæ pro alijs: cùm isti valores sint diuersi, & possit communicari vnus, non communicato alio.

274. *Ad fundamentum Vasquez.* Ad fundamentum *Vasquez* ideò de facto gratia adoptionis in nobis non est condignè meritoria alijs, 1, quia non intercedit pactum; 2. quia est in viatore ad vlteriorem perfectionem tendente, cui tantùm, & non alijs connaturaliter fructificare debet: cùm omnis perfectio connaturaliter prius perficiat subiectum, in quo est, quando illud est perfectibile. Neque hinc sequitur, quod *Vasquez* inferebat, extrinsecam legem variare naturam gratiæ; cuius opera æquè sunt accepta Deo, & condigna æternæ vitæ, siue illa pro te ipso, siue pro alijs offeras; sed tantùm lex concedit facultatem, vt ea possis pro alijs offerre. Quòd autem de facto hæc facultas nulli puræ creaturæ concessa sit, non arguit impossibilitatem, sed solam congruitatem: quia non decebat, alium salutis authorem genus humanum agnoscere, quàm Christum, cui tantùm est connaturale alijs sua merita communicare, quippe qui essentialem gloriam non obtinuit ex meritis, sed iure filiationis diuinæ, ratione cuius erat perfectus Dominus omnis gratiæ, cuius non est purus homo: nec expediebat hominem, qui de facto ad vlteriorem perfectionem tendit proprijs meritis, defraudari præmio condignè respondente suis meritis.

275. *4. Ratio refutata sect. 2.* QVARTA quorundam Recent. ideò non posse purum hominem pro mortali condignè satisfacere, ne talis offensæ æstimatio vilescat apud homines, hoc ipso quod sciant, illam posse à puro homine condignè compensari; impugnata est *suprà*.

276. *Duplex ratio pro 2. part. 1.* Ratio assignatur, alia fundata in Concilijs & Patribus, Ephes. *p.1. tom.1. p.2. in homil. Proculi Episcop.* ostendit, non potuisse puram creaturam, siue hominem, siue Angelum nos à peccato redimere, sed necessariam fuisse Verbi Incarnationem; *quia posse saluare virium puri hominis non erat.* Et circa finem, *Homo purus saluare non poterat.* Et *parte 3. in hom. 1. Theod. Episc. Ancirani* habentur hæc: *Omnis creatura infirma erat ad salutem nostram.* Cyprianus de passione Christi: *Cùm originali morti*, inquit, *nullum nisi in Christi morte potuerat esse remedium: nec reconciliare Deo potuit exules & damnatos qualibet oblatio, nisi sanguinis huius singulare sacrificium. Et sine hoc holocausto poterat Deus tantùm condonasse peccata.* Ambrosius siue *author in cap. 9. ad Hebr.* post med. *Tantum fuit peccatum nostrum, vt saluari non potuissemus* (intellige per condignam satisfactionem) *nisi vnigenitus Filius Dei pro nobis moreretur.* Fulgentius de Incarn. *cap. 4. Nullatenus namque humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi vnione Verbi Dei.* Leo sermone *de Natiuitate. Nisi esset verus Deus non afferret remedium.* Anselmus *lib. de conceptu virginali cap. 17. Ideo Deus factus est homo, quia non sufficeret ad redimendos alios homo non Deus*: idem vtroque lib. *Cur Deus homo*, & reliqui Patres passim. Alia ratio: Offensa mortalis est immediatè contra Deum personam increatam; vt contemptus vltimi finis, præferens creaturam creatori: ergo nequit condignè compensari vllâ puri hominis quantâcumque gratiâ præditi, satisfactione; Aristot. principio: Offensa moralem æstimabilitatem, atque iniuriæ ordinem sumit ex dignitate personæ offensæ; satisfactio contrà ex dignitate personæ satisfacientis: sed nulla pura creatura, quantâcumque gratiâ ornata, attingere potest moralem æstimabilitatem & ordinem personæ increatæ; nam omnis gratia communicabilis puræ creaturæ, est ordinis creati. Axioma prob. cùm offensa sit moralis læsio personalis dignitatis, moralem æstimabilitatem & ordinem iniuriæ sumit ex dignitate personæ læsæ. Nam omnis priuatio tanti æstimatur in ratione mali, quanti æstimatur bonum, quo priuat: ergo proportionaliter tanti æstimatur offensa Dei, quæ est moralis priuatio personalis dignitatis Dei, quanti æstimatur dignitas personæ diuinæ. 277. *1. Ratio ex grauitate offensæ mortalis.* *Axioma ab omnibus receptum.*

278. *Propositio.* Dixi, *proportionaliter*; quia cùm peccatum non destruat physicè personalem dignitatem Dei, sed tantùm moraliter & per affectum, non eam omninò æstimabilitatem in ratione moralis mali habet peccatum, quam in ratione boni habet personalis dignitas increata Dei: participat tamen illam proportionaliter, cùm non ab alio, quàm ab increatâ Maiestate, vt moraliter læsâ specificetur. Neque talis offensa poterit condignè compensari vllâ actuum puræ creaturæ multiplicatione: quia nulla multiplicatio adæquare poterit infinitam grauitatem ordinis, in quâ est quælibet offensa mortalis.

279. *Corollar. 1.* Infertur 1. non modò viâ condignæ satisfactionis, sed neque viâ condigni meriti, potuisse purum hominem remissionem peccatorum alijs promereri, contra aliquos Recentiores, distinguentes satisfactionem à merito; quòd satisfactio authoritatem requirat in satisfaciente respectu eius, cui satisfacit; & ideò satisfaciens per se requirit æqualitatem personalem cum eo, cui satisfacit: contrà verò meritum authoritatem & subiectionem respectu eius, apud quem promeretur; & ideò merens non requirit per se æqualitatem personalis dignitatis cum remunerante, sed sufficit æqualitas operis cum præmio.

280. *Contra Recent.* Sed contrà: non minùs ad condignè merendum requiritur æqualitas operis cum præmio, quàm ad condignè satisfaciendum æqualitas obsequij cum offensâ: ergo si nullum puræ creaturæ obsequium est condignum ad satisfaciendum pro offensâ illatâ Deo, nullum eiusdem puræ creaturæ opus erit condignum ad promerendam condonationem eiusdem offensæ illatæ Deo. Confirmatur, offensa non solùm est in altiori ordine respectu cuiuscumque satisfactionis puræ creaturæ, sed etiam respectu cuiuscumque meriti puri hominis: at ex eo quòd offensa sit in altiori ordine respectu cuiuscumque satisfactionis puræ creaturæ, nullâ puræ creaturæ satisfactione condignè compensari potest: ita ex eo quòd sit in altiori ordine respectu cuiuscumque meriti puri hominis, nullo puri hominis merito poterit condignè remitti.

281. *Corollar. 2.* Infertur 2. Potuisse purum hominem pro aliorum venialibus condignè satisfacere: nam quicquid potest purus homo pro se, posset pro alio, intercedente pacto & promissione Dei: at purus homo pro suis venialibus condignè satisfaceret; ergo. *Sect. praeced.* cùm ad condignè satisfaciendum pro veniali sufficiat actus contritionis, vel dilectionis Dei à personâ iustâ elicitus. Nec refert quòd ad remissionem venialis

nialis requiratur retractatio peccatoris, quâ positâ extinguitur peccatum: nam actus, qui sufficit ad retractandum, non sufficit ad condignè satisfaciendum, vt patet in mortali: ergo adhuc positâ sufficienti retractatione venialis, posset non poni condigna satisfactio, pro eodem.

182. *Ad fund. 1. sent.* Ad fundam. primæ, neg. antec. ad Confirmationem, neg. conseq. nam potuit peccatum vnius hominis constituti capitis omnium, condignè perdere omnes; non potuit opus vnius puri hominis, constituti capitis omnium, condignè redimere omnes: nam plus mali est in peccato propter offensam Dei, quàm sit boni in quolibet opere puri hominis: potest homo plus mali inferre, quàm boni adferre: quia malum grauitatem sumit ex personâ, cui infertur; bonum ex personâ, à quâ exhibetur.

183. Cæterùm si maculam original. ab offensâ diuinâ secernas, potuisset purus homo constitutus caput omnium condignè impetrare abstersionem maculæ omnibus Adæ posteris. nam macula, præcisâ offensâ Dei, solùm dicit priuationem sanctitatis debitæ, quæ cùm sit donum creatum finitum, potest actu puræ creaturæ, procedente à gratiâ sanctificante, condignè promereri: vti de facto promeruisset Adam primam gratiam condignè transfundendam in posteros, si pacto stetisset; cùm hæc non supponat culpam.

SECTIO VIII.

An satisfactio Christi fuerit ex se condigna offensæ illatæ Deo & debito totius generis humani?

184. Demonstrato, nullam puræ creaturæ satisfactionem condignam esse potuisse pro offensâ illatâ Deo, disputo, an satisfactio Christi fuerit condigna, vt hinc eluceat Incarnationis necessitas ad condignè satisfaciendum.

185. *Duplex modus condignæ satisfact.* Dupliciter dici potest satisfactio condigna; 1. ex se, quæ tantùm valoris & dignitatis in se habeat, vt comparata cum offensâ, sit illi morali æstimabilitate æqualis: 2. ab extrinsecâ voluntate acceptantis, quia offensus est illâ contentus, etiamsi ex se non sit sufficiens ad offensam extinguendam.

186. *Omnes conueniunt.* Scholastici conueniunt, de facto Deum acceptâsse Christi satisfactionem vt sufficientem pro toto debito generis humani per peccatum contracto: hoc ad minimum docent Scripturæ, quæ munus redemptoris Christo tribuunt, *ad Titum 2. Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate.* Apocal. 5. *Redemisti nos Deo in sanguine tuo,* definitur in Tridentino *sess. 6. can. 21.* Redemptor autem est, qui soluto pretio rem perditam recuperat. Cùm igitur de fide sit, Christum pretio sui sanguinis nos Deo reconciliâsse, à potestate diaboli eripuisse, paradisi ianuam suâ morte reserâsse, de fide quoque erit, Deum vt sufficientem pro toto debito generis humani per peccatum contracto, Christi satisfactionem acceptâsse.

187. Cæterùm etsi Christus per singula opera suæ vitæ pro nobis condignè Deo satisfecerit, quia singula eius vitæ opera fuerunt à Deo pro nostris offensis acceptata, suam tamen satisfactionem non nisi morte consummauit, *Lucæ vlt. Nonne hæc oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam?* totâ epistolâ *ad Hebræos*, quâ contendit *Paulus*, debuisse Christum per sacrificium suæ passionis nos Deo reconciliare, proprioque sanguine à peccatis emundare: *Decebat enim*, inquit cap. 2. *eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare*, siue vt alia versio habet, *consummari.* Scholastica concertatio est; an Christi satisfactio fuerit condigna ex se ad totum debitum contractum soluendum, an tantùm ex acceptatione Dei, quia illam voluit vt sufficientem acceptare. *Sola concertatio.*

Prima sententia negat, satisfactionem Christi fuisse ex se condignam, sed ex diuinâ tantùm acceptatione: *Caluin. lib. 2. instit. cap. 17. Scoti in 3. distinct. 19. quæst. vnicâ §. In istâ quæstione, Lycheti. ibidem: Gabrielis artic. 1. notabili 3. Almaini notabili 3. & conclus. 3. Durandi distinct. 20. quæst. 2. & in 4. distinct. 15. quæst. 1. num. 7. Mayronis in 3. distinct. 17. quæst. 2. Marsilij quæst. 12. art. 2. parte 2. ad 4. contra 2. conclus. Ioan. Medin. codice de satisfactione qu. 1. §. Restat.* 188. *1. Sentent.*

Fundamentum *Caluini.* Christus satisfecit pro nobis vt homo Deus: sed vt fieret homo Deus, non habuit ex suis meritis, sed ex Dei misericordiâ & ordinatione: ergo Christi satisfactio non ex se, sed ex Dei ordinatione fuit pro illatâ offensâ condigna. Fundamentum *Scoti.* Satisfactio Christi considerata per omnes circumstantias & respectus ad suppositum increatum, fuit finita, quia essentialiter dependens à principio finito: sed debitum naturæ humanæ est infinitum extensiuè, sicut infiniti sunt homines ex Adamo propagabiles; igitur satisfactio Christi non fuit condigna ex se, sed ex extrinsecâ acceptatione Dei: etsi circumstantia suppositi habuerit rationem extrinsecam, vt de congruo à Deo acceptari potuerit pro infinitis. Fundamentum *Durandi*, non potuit Christus reddere æquiualens Deo pro beneficijs acceptis, nec pro suo peccato condignè satisfacere, si per impossibile peccâsset, quem tamen ipse, præcisâ visione beatificâ, putat *in 3. distinct. 12. quæst. 2.* peccare potuisse: ergo multò minùs condignè satisfacere potuit pro alijs, & maximè pro omnibus, quia non minor requiritur satisfactio pro alijs, quàm pro se, cæteris paribus. 189. *Fundam. Caluini.* 190. *Scoti.* 191. *Durandi.*

Secunda affirmat, Christi satisfactionem fuisse ex se ab intrinseco valore condignam: *Alensis 3. p. quæst. 1. memb. 7. Altissiodor. lib. 3. summa tract. 1. cap. 8. S. Thomæ 3. parte quæst. 1. art. 2. ad 2. & quæst. 48. art. 2. quarto contra gentes cap. 55. ad 24. in 3. distinct. 20. quæst. 1. artic. 2. & art. 3. ad 2. quodlibeto 2. artic. 2. Bonauentura in 3. distinct. 20. quæst. 3. & 5. ad vltim. Richardi in 4. distinct. 15. artic. 1. quæst. 2. Capreoli in 3. distinct. 18. quæstione vnicâ conclus. 2. & in 4. distinct. 15. quæst. vnicâ artic. 1. conclus. 1. & artic. 3. ad argum. Scoti & Durandi, Soti in 4. distinct. 1. quæst. 5. artic. 4. & distinct. 19. quæst. 1. artic. 2. & lib. 3. de naturâ cap. 6. Palatij in 4. distinct. 15. disput. 2. §. Porrò, Caietani 3. parte quæst. 1. artic. 2. ad 3. dub. Ferrariensis 4. contra gentes cap. 55. §. Ad euidentiam. Vega lib. 7. in Trident. cap. 8. & 9. Medina 3. parte quæst. 1. art. 2. Suarez disp. 4. Sect. 3. Vasqu. disp. 5. à cap. 2.* 192. *2. Sentent. omninò vera.*

Quæ sententia est vera ex illo *ad Roman. 5. Non sicut delictum ita & donum.* Vbi Apostolus præfert meritum Christi demerito Adæ; sed demeritum Adæ fuit ex se sufficiens & condignum ad perdendum omnes: ergo & meritum Christi ad saluandum omnes, alioquin efficacius fuisset demeritum Adæ ad perdendum, quàm meritum Christi ad saluandum. Nam cùm hæc maioritas & prælatio, quam *Paulus* asserit, in merito Christi supra demeritum Adæ saluari nequeat in maiori efficaciâ 193. *Colligitur 1. Ex Paulo.*

quoad

quoad actum 2. quia demeritū Adæ quoad actum 2. communicatur omnibus, non Christi meritum, quia illud per naturalem generationem, hoc per voluntariam regenerationem, quæ requirit cooperationem regenerandi; saluari debet in maiori efficaciâ quoad actum 1. vt scilicet potentius sit meritum Christi ad saluandum quotquot ex Adamo propagabiles sunt, quàm demeritum
294. *Dices.* Adæ ad perdendum. Dices, Saluari hanc in merito Christi prælationem per vberiora auxilia, & donorum spiritualium copiam, vt *ibidem Paulus*,
Contrà. indicat. Sed contrà: non solùm præfert meritum Christi demerito Adæ in effectu vberiori, sed etiam in virtute efficaciori, vt notârunt, *Leo serm.12. de pass.* vbi validius, ait, esse donum libertatis, quàm debitum seruitutis, Christique sanguinem appellat diuitem ad pretium, quod efficaciam denotat in se: *Chrysostomus homil.* 10. in hunc locum, Christi meritum comparat pelago, nostrum debitum guttulæ exiguæ: *Hieronymus ibidem, non sicut delictum, ita & donum, ne in formâ*, inquit, *æqualitas putaretur.* Anselmus in eundem: *Non sic est efficax peccatum Adæ ad damnationem, vt gratia Christi ad saluationem.* Et infrà ex his colligit, Christi donum non solùm esse copiosius quoad effectum, quem causat, sed etiam in seipso: quod autem demeritum Adæ ex se fuerit condignum, absque imputatione Dei, ad damnandum omnes, admittit ipse *Durandus in 3. di-*
Probatur. *stinct. 20. quæst. 2.* & probatur, peccatum ex se est dignum tali pœnâ; ergo posito quòd Adam fuerit constitutus caput omnium, eius peccatum naturâ suâ fuit dignum damnare omnes, alioqui non iustè Deus ex peccato Adæ damnâsset omnes.

295. *Probat. 2. concl.* Probatur 2. ex 5. *Hebræor.* vbi dicitur Christus exauditus pro reuerentiâ suâ, eò quòd esset filius Dei: non igitur sola voluntas acceptantis, sed Maiestas personæ orantis causa fuit, vt Christus exaudiretur à Patre. *Vult*, inquit, *homil.*8. *in hunc locum*, Chrysostomus, *ostendere, quod gestum est, magis esse opus suum, quàm Dei gratia; tanta enim fuit eius reuerentia, ac pietas, vt ideo eum reueretur Deus.*

296. *Probat. 3.* Tertiò ex Patribus, qui affirmant, necessariam fuisse Incarnationem ad homines perfectè redimendos: si enim satisfactio Christi non esset ex se condigna, sed ex solâ acceptatione Dei, non fuisset ad perfectam redemptionem simpliciter necessaria; nam etiam satisfactio puri hominis potest esse condigna ex acceptatione Dei: Tum ex ijs, qui apertè docent, satisfactionem Christi fuisse condignam ad debitum soluendum ex vnione ad Verbum, non igitur ex solâ acceptatione Dei: nam vnio ad Verbum non est extrinseca, sed intrinseca satisfactioni Christi. Vnde Cyril-
Cyrill. lus Alexandrinus *lib. ad Reginas ante med.* inde probat, Christum sufficiens pretium pro nostrâ salute dedisse, *Quia naturâ Deus Verbum ex Patre est, & proprium eius corpus fuit quod pro nobis in odorem*
Theodot. *suauitatis Deo & Patri oblatum est.* Theodotus *Episcopus Ancyranus homil. 2. de natiuitate in Concilio Ephesino parte 1. pag.389. fine. Mortis*, inquit, *tyrannidem soluit, quoniam simul Deus & homo erat.*
Damasc. Damascenus, *3. de fide cap.15. Patienti*, inquit, *carni concessa erat diuinitas, salutares cruciatus efficiens.*
Clemen. VI. Clemens VI. *in extrauagante Vnigenitus*, docet, modicam tantùm Christi sanguinis guttam sufficere pro redemptione totius generis humani, propter vnionem ad Verbum. Demùm omnes ferè Patres affirmant, satisfactionem Christi non modò adæquâsse, sed excessisse debitum naturæ humanæ; non potuisset ex solâ extrinsecâ acceptatione: quia Deus non acceptauit illam, nisi in ordine ad peccata, quæ de facto futura erant; ergo ex valore intrinseco.

Grauior difficultas est in assignandâ radice, vnde opera Christi sufficientem suum valorem ad condignè satisfaciendum pro singulis hominum offensis, & debito totius generis humani, acceperint. 297. *Inquiritur radix.*

Prima. Opera Christi sufficientis fuerunt valoris, quia ad illa physicè influebat Verbum. Sed contrà: nullum suppositum creatum, cuius vicem gerebat Verbum, physicè influit in operationes naturæ, nisi quatenus substantialiter complet illam, in quo tantùm sensu actiones dicuntur esse suppositorum. 2. nullum suppositum diuinum habet proprium influxum ad extra, qui non sit illi communis cum reliquis personis, eò quòd principium agendi ad extra in Deo, non est relatio, sed natura. 3. cùm talis influxus attemperandus foret actui creato finito, esset creatus & finitus, sicut est actus ipse: ergo conferre non posset, nisi valorem finitum ordinis creati. 298. *Prima ratio impugnatur.*

Secunda. Opera Christi valoris condignitatem ad satisfaciendum pro omnibus offensis sumpserunt ex voluntate increatâ Verbi, à quâ, simul & à voluntate humanâ Christi proficiscebantur: ex vtriusque enim voluntatis actu vna componebatur infinitæ dignitatis operatio, quæ *theandrica*, hoc est Dei virilis, eò quòd à Deo viro, procedit, dicitur. Sed contrà: dupliciter potest ex duabus operationibus fieri vna, 1. in genere naturæ, 2. in genere moris: neutro modo potest ex operatione increatâ Verbi, & creatâ naturæ fieri vna. Non primo; nam implicat duo entia completa coalescere in vnum: nulla enim fieri potest physica compositio, nisi aliqua intercedat perfectibilitas in extremis componibilibus; sed operatio increata Verbi, & creata humanitatis, sunt duo entia ambo in genere operationis completa & totalia, quia vtraque operatio habet suum principium completum, à quo procedit, nempe operatio creata naturam humanam, operatio increata naturam diuinam; completa principia formalia operationum: neque ex earum vnione in vnâ personâ desinunt esse completæ & totales, quia non vniuntur ad componendum vnum in ratione naturæ. 299. *2. Ratio.* 300. *Impugnatur.* *Nequit ex operationib. 1. in genere naturæ vna fieri.*

Nec secundo: nam vt ex duabus operationibus fiat vna in genere moris, requiritur, vt vel tota libertas vnius deriuetur in alterum, vt apparet in operatione exteriori; quæ quia totam libertatem accipit ab actu interiori, facit vnum in esse moris cum illo: vel vt vna operatio imperetur ab alia: neutro autem modo potest operatio humanitatis Christi facere vnum in esse moris cum operatione increatâ Verbi. Non primo; quia operatio humana Christi non est libera formaliter ex operatione increatâ Verbi, sed ex voluntate creatâ humanitatis, à quâ immediatè elicitur vt à causâ proximâ. Non secundo; quia operatio humana Christi immediatè non imperatur ab increatâ, sed à creatâ voluntate humanitatis: quia Verbum non nititur humanitati in ratione naturæ, sed in ratione suppositi, relinquens humanitati plenam potestatem ad suos actus imperandos. Neque ex eo, quòd aliquando illam præcipit, propriè imperat illam: nam præcipit illam, relinquendo ei plenum imperium ad se ipsam operi imperato applicandam: vti 301. *Nec in genere moris nisi &c.*

præci-

diuinæ maiestatis offensiuum, si postea aduertat esse
191. offensiuum, tenetur pro illo Deo satisfacere. Nego
Resp. restitutio & satisfactio differunt. conseq. nam in priori casu tenetur homo reddere ius alteri, vndeeunque & quomodocunque illud ad se peruenerit, cùm semper res clamet ad dominum; in posteriori, non tenetur resarcire, nisi cuius ipse fuit moralis causa. Vnde in hoc restitutio à satisfactione discriminatur, quod illa respicit adæquationem iurium simpliciter; hæc compensationem offensæ & iniuriæ, quam offensor intulit offenso. Vnde qui bonâ fide accepit rem alienam, si postea aduertat esse alienam, non tenetur nisi ad restitutionem rei acceptæ: qui verò malâ fide illâ accepit, non solùm tenetur ad restitutionem rei, sed etiam ad pœnam pro satisfactione culpæ commissæ: Ergo qui homicidium commisit cum inuincibili ignorantiâ offensæ diuinæ, etiamsi posteà aduertat, illud esse offensiuum Dei, per se non tenetur pro illo Deo, sed tantùm proximo, legi
Ratio. naturali, & ciuili, quas læsit, satisfacere. Ratio: satisfactio est pœna, quæ non debetur nisi culpæ. Nec sufficit culpa commissa contra proximum, aut legem naturalem, vt quis teneatur satisfacere Deo: quia sicut culpa contra proximum, aut legem naturalem non reddit, positâ inuincibili ignorantiâ offensionis diuinæ, homicidium formaliter offensiuum Dei; ita nec eâdem inuincibili ignorantiâ positâ, ponit debitum satisfaciendi Deo, quia hoc immediatè oritur ex voluntariâ offensâ illatâ Deo.

192. Ad 2. fundam. oppositæ, neg. assumpt. Ad prob.
Ad 2. fundamentum. disting. maior: vt satisfactio sit condigna, debet adæquare displicentiam, quam offendens voluntariè intulit offenso, concedo; quam non voluntariè intulit, nego. Nam sicut quod non voluntariè inferimus, non imputatur nobis ad culpam, ita nec ad satisfaciendi debitum: cùm omne satisfaciendi debitum oriatur ex culpâ. Et falsum est, displicētiam, quam Deus conciperet ex homicidio cum inuincibili ignorantiâ ipsius offensionis commisso, fore incompensabilem à creatura: nam non esset ex suæ increatæ Maiestatis contemptu & læsione concepta, sed ex læsione dumtaxat rei creatæ, qualis est omnis displicentia, quam Deus de facto concipit ex quolibet peccato veniali, pro quo potest creatura condignè satisfacere, vt *seq. sect.* Sola igitur displicentia, quam Deus concipit ex contemptu & læsione suæ increatæ Maiestatis est à creaturâ incompensabilis. An grauitas displicen-
In controuersiam venit. tiæ sumenda principaliùs sit ex personâ à quâ concipitur, an ex dignitate rei ex cuius amissione aut læsione concipitur. 2. Ex vnâ parte cùm sit tristitia concepta ex amissione vel læsione boni, grauitatem principaliùs sumere videtur ex dignitate & præstantiâ boni amissi, vel læsi; ex aliâ parte, cùm sit contristatiua personæ à quâ concipitur: principaliùs grauitatem sumere videtur ex personâ à quâ concipitur: nam quò dignior est persona, à quâ concipitur, eò contristatio ipsius censenda erit grauior. Verùm distinguo: in displicen-
In displicentiâ grauitas duplex. tiâ grauitas est, vna ex parte obiecti ex cuius læsione concipitur: altera ex parte subiecti, in quo recipitur; Prior sumitur ex læsione præstantioris boni; grauior enim est displicentia ex parte obiecti, quam concipit Baro ex offensâ Regis quàm illa quam concipit Rex ex offensâ Baronis: Posterior sumitur ex dignitate personæ in quâ recipitur: vnde grauior subiectiuè est displicentia Regis, quam concipit de offensâ Baronis quàm contrà, cùm sit dignioris personæ contristatiua.

SECTIO VI.

An possit iustus condignè satisfacere pro suo peccato veniali?

PRIMA sententia negat: *Petri Soti de instit. sacerd. lect.* 18. Prob. 1. ex *S. Thom. 3. p. q.* 87. 193. *1. Sentent. Prob. 1.*
artic. 4. asserente, nullam culpam remitti posse, nisi per virtutem gratiæ; ergo nulla satisfactio pro quocunque peccato erit condigna; quia nulla satisfactio, quæ eget gratiâ creditoris, potest esse condigna, ergo si omnis eget gratiâ Dei, condigna 194.
nulla. 2. Hanc venialium remissionem quotidie *Secundò.*
petunt iusti, dum in oratione Dominicâ sibi sua debita dimitti petunt, ex Concil. *Mileuit. 2. can.* 7. *&* 8. *& Trident. sess. 6. cap.* 2. sed oratio est manifestum signum necessitatis gratiæ, vt contra Pelagianos docent Patres *Africani in epist.* 60. *Augu. ad Innocent.* ergo sine gratiâ veniale non remittitur: consequenter nulla iusti satisfactio pro veniali erit condigna. 3. Veniale est propria offensa 195.
Dei: nullus autem puræ creaturæ actus est condi- *Tertiò.*
gna offensæ Dei satisfactio: ergo nulla iusti satisfactio erit pro suo veniali condigna. Maior constat, 1. est sufficiens materia confessionis. 2. peculiari præcepto prohibetur à Deo *Leuit.* 19. vbi prohibetur simplex mendacium; quod à Deo prohibetur, si fiat, erit contra voluntatem ipsius, ac proinde eius offensa: 3. Nullum veniale Deus remittit sine gratiâ: ergo veniale est offensa Dei, alioqui remitti posset sine gratiâ, quia quidquid non offendit Deum, non auertit Deum à nobis; ergo vt remittatur, non eget conuersione Dei ad nos. Minor prob. omnis offensa Dei est in altiori ordine, quàm sit quæcumque puræ creaturæ satisfactio; nam offensa grauitatem sumit ex dignitate personæ offensæ; satisfactio valorem accipit ex personâ satisfaciente. Nulla pura creatura in dignitate personali est in eodem ordine cum personâ diuinâ: nulla puræ creaturæ satisfactio pro offensâ veniali condigna.

SECVNDA affirmat: *Paludan. in* 4. *distinct.* 16. 196.
quæst. 1. *art.* 2. *ante* 3. *concl. Suar.* 3. *p. tom.* 1. *dispu.* *2. Sentent.*
4. *sect.* 2. *Vasquez disput.* 3. *cap.* 3. *Cabr. disput.* 15. à fortiori sequitur ex sententiâ eorum, qui docent, condignè pro veniali solâ pœnæ temporalis solutione satisfieri.

DICO 1. Dabilis est condigna satisfactio à iu- 197.
sto pro suo veniali. Probat *Vasquez*: Si contritio *Vasquez probat.*
nullam supponeret debiti condonationem, esset condigna pro mortali satisfactio; ergo à fortiori pro veniali. Sed contritio à iusto pro suo veniali exhibita, nullam supponit debiti condonationem: quia per veniale non incurrit debitum carendi in perpetuum auxilio gratiæ, quo possit à veniali iu- *Ab absur.*
stificari, sicut incurrit per mortale personale, aut originale; alioqui iure posset Deus tale auxilium in perpetuum iustis negare, atque adeò in perpetuum eos beatitate priuare. SED CONTRA: falsum 198.
est iustum per veniale nullum incurrere debitum *Contrà.*
carendi aliquo auxilio. nam sicut veniale aduersatur feruori charitatis, ita incurrit debitum carendi auxilio feruoris charitatis; sicut quia mortale aduersatur amicitiæ Dei, incurrit debitum carendi amicitiâ Dei. Etenim illius doni debitum peccando peccator incurrit, quod per negationem oppositi actus tenebatur conseruare; at iustus per negationem venialis tenebatur conseruare feruorem charitatis: ergo venialiter peccando incurrit debi- 199.
tum carendi auxilio talis feruoris. Confirm. alio- *Confirm.*
qui

qui explicari non posset macula, quam veniale causat in anima,& nobiscum admittit *Vasq.* 1.2. *disp.*139. *cap.*4. quia cùm veniale non priuet gratiâ habituali, vel aliquo gradu ipsius, nisi saltem priuet actuali, ex cuius carentiâ anima cõtrahat priuationem perfectæ conformitatis cum Deo vltimo fine, explicari
200. *Ad absurd.* non poterit eius macula. Ad absurdum, quod *Vasquez* infert, si veniale causaret debitum carendi aliquo auxilio, posset Deus tale auxiliũ in perpetuum negare iusto; Resp. spectato supremo dominio in creaturas, posset; spectatâ lege amicitiæ, quę postulat vt amicus succurrat amico indigenti, non posset.

201. *Ratio assertionis.* Ratio vera: offensa venialis non sumit ordinem à personâ increatâ, vti mortalis; sed ab aliquo bono creato, quo tantùm priuat; quod sic probo: Ab illo peccatum sumit ordinem offensæ, quod voluntariè contemnit: veniale non contemnit Deũ, sed aliquid Dei, nempe feruorem, qui versatur circa Deũ: nam contemnere Deum, est deserere Deum vt vltimum finem, eumque creaturæ postponere: sed per veniale non deserimus Deum vltimum finem, sed tantùm feruorem circa Deum, qui est aliquid creatum: proinde contemptus, qui in veniali virtualiter includitur, non versatur circa increatam maiestatem Dei, quem per veniale non deserimus, sed circa modum creatum, quem tantùm deserimus. Explicatur: Of-
202. *Explicatur amplius hac ratio.* fensa actiua sui ordinis grauitatem sumit ab offensâ passiuâ: sed passiua, quam veniale infert Deo, est diuersi ordinis à passiuâ, quam Deo infert mortale: ergo offensa actiua vnius est diuersi ordinis ab actiuâ alterius. Maior prob. actiua quoad ordinis grauitatem specificatur à personâ offensâ, vt offensâ formaliter; nam hoc est formale specificatiuũ offensæ actiuæ; persona enim quæ offenditur solùm materialiter se habet,& vt subiectum ad specificandam offensam actiuam, cùm tota ratio specificatiua formaliter
Ratio. sit offensio ab offendente illata personæ offensæ. Ratio: offensio actiua est moralis læsio boni debiti illata personæ: ergo ordinem sumit à dignitate boni læsi, atque adeò à passiuâ offensâ illatâ personæ. Minor ostend. offensa passiua, quam infert veniale, est displicentia, quã Deus concipit ex læsione boni creati prohibiti: offensa passiua, quam infert mortale, est displicentia, quam Deus cõcipit ex læsione boni increati: quæ cùm sint diuersi ordinis, diuersas moraliter causant læsiones, atque adeò displicẽtias in Deo.
Mortalis ac venialis contemptus discrimen. Assump. probo: per mortale cõtemnitur immediatè Deus secũdùm se, dum à peccatore deseritur & postponitur creaturæ: per veniale nõ contemnitur Deus ipse immediatè, nec posthabetur creaturæ, cùm ille adhuc cum veniali maneat coniunctus per gratiam & charitatem habitualem cum peccatore: sed solùm per veniale contemnitur feruor charitatis, quem operans debebat in suâ operatione adhibere. Vnde contemptus mortalis immediatè cadit in personam increatam, quæ à peccatore deseritur & postponitur creaturæ, præ cuius amore relinquitur Deus: contẽptus venialis immediatè tantùm cadit in bonũ creatum, in feruorem scilicet charitatis, qui tantùm per veniale contemnitur. Nam in id tantùm cadit immediatè contemptus, quod voluntariè deseritur: sed per mortale voluntariè deseritur Deus secũdùm se, per veniale feruor tantùm charitatis circa Deum: igitur contemptus mortalis immediatè cadit in personam increatam Dei, venialis in feruorem tantùm charitatis: displicentia, quam Deus concipit de iniuriâ sibi factâ per mortale, est de contemptu & morali læsione suæ increatæ maiestatis, quę per mortale voluntariè deseritur & postponitur creaturæ: displicentia, quam concipit de offensâ per veniale sibi factâ, est tantùm de contemptu feruoris charitatis, quem operãs tenebatur adhibere in suâ operatione.

Illustratur exemplo: altioris ordinis offensa est 203. *Illustratur exemplo ducto ab humanis.*
lęsio regię Maiestatis in propriâ personâ facta, quàm læsio facta in bonis tantùm extrinsecis Regis: nam prior ordinis grauitatem sumit ex regiâ maiestate, quam immediatè lædit; à quâ etiam ordinis grauitatem sumit offensa passiua regis,& displicentia, quam de læsione regiæ maiestatis sibi factâ, concipit: posterior ordinis grauitatem sumit ex re extrinsecâ Regis, quæ læditur: quod à posteriori colligitur ex diuersitate pœnarum; nã grauiori pœnâ punitur prior, quàm posterior offensa. Nec refert, quòd vtraque 204.
offensa, tã per mortale, quàm per veniale illata, passiuè sit in Deo: nam vtraque concipitur in Deo secundùm eam grauitatem, quam habet ab obiecto, seu bono læso: Cùm igitur diuersi ordinis sint bonũ, ex cuius læsione Deus concipit displicentiã sibi moraliter per mortale causatam,& bonum, ex cuius læsione concipit displicentiam per veniale sibi illatam; diuersi quoque ordinis erunt displicentia, quam ex mortali concipit,& displicentia, quam concipit ex veniali, ac proinde mortalis offensa erit diuersi ordinis à veniali.

Hęc ratio sumitur ex doctrinâ, quam vbique tra- 205. *Eadem ratio est S. Thom.*
dit *S. Thom.* scilicet veniale non esse cõtra vltimum finem, quia ab illo non separat: non contrariari charitati Dei, quia illam non tollit: nec propriè dicendam esse offensam Dei, sed tantùm secundùm quid, quia non offendit immediatè personam increatam Dei: esse tantùm deuiationem à medijs, quia solùm deuiat à feruore debito charitatis, non à fine; qui adhuc coniunctus manet cum creaturâ venialiter tantùm peccante. Ex his sequitur, posse à iusto con- 206. *Coroll. euidens.*
dignam pro suo veniali satisfactionem offerri: quia cùm veniale non sit in eo ordine offensæ, in quo est dignitas personæ increatæ, sed in quo est dignitas boni creati, poterit à iusto habẽte gratiam habitualem, quæ in ratione boni creati est omnium dignissima, condignè compensari. Nam tota ratio, cur non possit creatura pro suo mortali condignè Deo satisfacere, est, quia nullâ suâ actione, etiã habituali gratiâ condignificatâ, potest infinitatem ordinis, quæ in mortali propter contemptum increatæ Maiestatis includitur, adæquatè compensare: quæ ordinis infinitas, cùm in veniali non reperiatur, poterit pro eo iustus condignè satisfacere.

Obijcies 1. veniale est immediatè contra volun- 207. *Dices.*
tatem Dei: ergo est immediatus contemptus Dei, quamuis leuis,& per actionem iusti expiabilis: cùm idem sit contemnere Deum, & contemnere ipsius voluntatem. Antec. prob. veniale est immediatè cõ- *Probat. anteced.*
tra prohibitionem Dei: nam expressè prohibetur à Deo: ergò est immediatè contra voluntatem Dei: nam ideò mortale est immediatè cõtra voluntatem Dei, atque adeò contra Deum, quia est immediatè contra prohibitionem Dei. Confirm. vt mortale sit 208. *Confirm.*
immediatè contra prohibitionem & voluntatem Dei, non est necesse, vt expressè peccator intendat facere contra prohibitionem ac volũtatem Dei, sed sufficit, si committat id, quod est prohibitum à Deo: nam hoc ipso interpretatiuè censetur facere contra voluntatem Dei. Ergo pariter vt veniale sit immediatè contra prohibitionem & voluntatem Dei, necesse non est, vt expressè peccans intendat facere contra prohibitionem & voluntatem Dei, sed sufficit, si committat id, quod est prohibitum à Deo.

Resp. neg. anteced. Falsum enim est, veniale sim- 209. *Resp. mortalis ac venialis p. discrimen.*
pliciter esse contra voluntatem Dei secundùm se, sed solùm contra probitionem voluntatis Dei: nam illud est simpliciter contra voluntatem Dei secundùm se & immediatè, quod deserit simpliciter ipsam volun-

voluntatem Dei: porrò veniale non deserit simpliciter voluntatē Dei: quia ab illâ nō separat; nec illam deserit in alijs præceptis: sed tantùm est contra prohibitionē ipsius in hac determinatâ materiâ; at mortale est etiam contra voluntatem Dei immediatè & secundùm se; illam simpliciter deserit, non tantùm in hac determinatâ materiâ, sed virtualiter & interpretatiuè in omnibus.

210. *Ad probat. anteced. mortale est contra voluntatem Dei.* Ad prob. antec. neg. conseq. nam licet veniale sit contra prohibitionem Dei, non est tamen immediatè contra ipsam voluntatem Dei, quia non est contra prohibitionem, ex cuius transgressione deseratur ipsa voluntas Dei secundùm se, cùm illa maneat habitu vnita cum peccāte venialiter, sed solùm in ordine ad hanc rem prohibitam, quatenus venialiter peccans non exequitur voluntatem Dei in ordine ad hanc. *Veniale contra prohibitionem.* Nego igitur, ideò mortale immediatè esse contra voluntatem Dei, quia est contra ipsius prohibitionem simpliciter; sed quia per mortale deseritur ipsa voluntas Dei secūdùm se simpliciter: Potest autem quis non modò habitu, verùm etiam actu manere coniunctus cum volūtate Dei, per actualem dilectionem ipsius, & simul venialiter peccando facere contra eius prohibitionem.

211. *Ad confirm.* Ad confirm. concedo, vt mortale sit contra voluntatem Dei, necesse non esse, vt peccans expresse intendat facere contra voluntatem Dei, necesse tamen est, vt illam omninò deserat, quando sciens per mortale se à Deo vltimo fine & amico separari, nihilominus illud committit, præferendo illud Deo vltimo fini & amico. Qui venialiter peccat, non deserit voluntatem Dei, tantùm in ordine ad hanc rem prohibitam, cuius amor non separat ab amore Dei, proinde non dicitur facere contra voluntatem Dei simpliciter.

212. *Veniale est contra voluntatem Dei.* Responderi posset, 2. admittendo, quòd veniale sit contra voluntatem Dei, negādo, quod sit eiusdem ordinis cum offensâ mortali: nam vna est ordinis creati resultans ex læsione feruoris charitatis, quē venialiter peccans debebat Deo: altera ordinis increati, resultans ex læsione maiestatis increatæ; licet vtraque sit contra voluntatem Dei, quia vtraque displicet Deo, vtraque moraliter causat passiuam offensam in Deo. Vnde dici potest, veniale esse contra voluntatem Dei non prohibētem exercitè contemptum & desertionem sui, sed contemptum & desertionem boni dumtaxat creati; mortale esse cōtra voluntatem Dei, exercitè prohibentem contemptum & desertionem sui. *A pari.* Sicut delinquēs in personam Regis, facit contra voluntatem legis prohibentem læsionem & iniuriam suæ regiæ Maiestatis; delinquens in bona extrinseca Regis, facit contra voluntatem Regis prohibētem tantùm læsionem bonorum externorū Regis. Vnde diuersi ordinis est offensa facta personæ Regis, & bonis extrinsecis Regis, etsi vtraque sit contra voluntatem Regis.

213. *Dices.* Dices: qui venialiter peccat, actu deserit voluntatem Dei, eamque leuiter saltem contemnit: hoc enim est actu facere contra ipsius leuem prohibitionem: sicut simpliciter deserit voluntatem Dei eamque grauiter contemnit, qui actu facit contra grauem ipsius prohibitionē, ab eaque per priuationem gratiæ, etiam habitu recedit. *Confirm.* Confirm. Ideò mortaliter peccans contemnit grauiter Deum, quia ipso actu peccati præfert amorem creaturæ authoritati Dei grauiter prohibentis: ergo ideò peccans venialiter leuiter saltem contemnit Deum, quia ipso veniali præfert amorem creaturæ authoritati Dei leuiter prohibentis.

214. *Resp.* Nego antec. nam deserere propriè, est simpliciter ab illo separari, vt & cōtemnere; non enim dicitur amicus amicum deserere, eumque cōtemnere, qui leuiter tantùm illum lædit. Fundatur hæc resp. in proloquio Concil. & Patrum. *Nunquam Deus deserit, nisi deseratur à creaturâ*: vbi τὸ *deseratur* sumitur pro omnimodâ separatione à Deo. Cùm igitur venialiter peccans à voluntate Dei simpliciter non separetur, cùm maneat habitu, & possit etiam actu dilectionis manere cum illâ coniunctus, non dicetur ab illâ separari, vel illâ propriè contemnere. Ad prob. antec. deserere vel contemnere volūtatem Dei non est facere contra illius prohibitionem, sed ab illâ omninò separari, & in alio vltimū finem simpliciter constituere. *Ad prob. antec.*

215. *Ad confirm.* Ad confirm. nego, ideò formaliter peccātem mortaliter, contemnere Deū, quia in materiâ graui præfert amorem creaturę prohibitioni Dei, sed quia præfert amorem creaturæ amori ipsius Dei: nam si Deus eamdem materiā prohiberet, & non sub pœnâ suæ indignationis, & perpetuę separationis, qui contra talem prohibitionem faceret, præferret quidem amorem creaturæ prohibitioni Dei in materiâ graui, non tamen necessariò præferret ipsi amori Dei; quia posset talis habere expressum affectum, nunquam se contra talem prohibitionem facturum, si sciret se fore separandum à Deo vltimo fine; imò posset faciendo contra talem prohibitionem, actu diligere Deum.

116. *Constituere sibi vltimū finem in re creatâ quid sit?* Deducitur, peccantem venialiter non constituere sibi vltimū finem in re creatâ, præ cuius amore trāsgreditur leuem prohibitionem Dei: hoc enim non est tantùm exercere actum, qui nō sit ordinabilis ad Deum vltimum finem, velut amorem sui actûs præferre amori præceptionis diuinæ; sed est exercere actum simpliciter incompossibilē cum Deo amico & fine vltimo, seu amorem sui actûs præferre amori Dei secundùm se; quod solùm præstat mortale.

217. *Dices.* *Obijcies* 2. neque offensa mortalis est immediatè contra Deum, sed cōtra ipsius amicitiam. Ideò enim mortale contemnit Deum, quia contēnit ipsius gratiam quæ est quid creatum.

218. *Resp.* Nego antec. etenim non ideo formaliter offensa mortalis est in altiori ordine & immediatè contra increatam maiestatē Dei, quia est immediatè contra ipsius amicitiam, & multò minùs quia est contra charitatē proximi, aut dictamen rationis creatæ, sed quia est cōtemptus increatæ maiestatis, quæ mortali cōtempta, posthabetur creaturę. Offensa verò venialis sistit in contemptu feruoris charitatis circa Deum, quia per veniale nō deseritur Deus secundùm se, nec posthabetur creaturæ, sed tantùm modus feruoris circa Deū: ex quâ desertione feruoris, resultat aliqua offensa contra Deum, diuersi tamen ordinis ab offensâ, quę ex contēptu Dei.

219. *Dices.* *Obijcies* 3. tam in rebus extrinsecis possumus grauiter, quàm in intrinsecâ dignitate personali, leuiter offendere Deum: ergo nec semper specificatiuū offensæ mortalis est immediatus contemptus Dei, nec specificatiuum venialis semper est bonum extrinsecum Dei. Antec. prob. possumus in furto, quę est res extrinseca Dei, grauiter; & cōtrà in odio & blasphemiâ indeliberatâ, quæ immediatè versatur contra Deum, leuiter offendere Deum.

220. *Resp.* Nego antec: non enim bonum extrinsecum Dei dicitur res creata, in cuius materiâ peccatur, cùm etiā in materiâ rei creatæ peccari possit cum virtuali contemptu Dei, qui tantùm intrinsecè moraliter versatur circa increatam dignitatem Dei. Sed dicitur in bonis extrinsecis offendi Deus, quando non Deus peccato deseritur, sed solus modus circa Deū. Odiū & blasphemia indeliberata non sunt graues offensę, etsi immediatè versentur contra Deum, quia non cōputantur inter actus humanos simpliciter, cùm nō sint perfectè voluntarij. Quare sicut non habēt voluntariū simpliciter; ita nec morale specificatiuū simpliciter in ratione offensæ, quæ à voluntario potissimùm pendet.

Obij-

221. *Dices.* *Obijcies* 4. Sicut potest rex,& in suâ personâ,& in rebus extrinsecis,& grauiter,& leuiter à rustico offendi:ita potest Deus,& in suâ personali dignitate,& in rebus extrinsecis, grauiter & leuiter à creaturâ
222. *Resp.* 1. offendi.Resp. 1. nego,posse regem in regiâ personâ leuiter à rustico offendi;nam omnis contemptus, quantumuis minimus regiæ maiestatis à rustico factus,est grauis & incompensabilis à rustico.Patet ex eo,quia quæcumque etiam minima legis transgressio,in contemptum regiæ maiestatis facta,æstimatur
223: *Resp.* 2. grauis offensa regis. 2. esto,dari possit leuis offensa contra personam regis,adhuc nego, dari posse contra Deum,propter infinitam distantiam,quæ est inter creaturam offendẽtem,& Deum offensum, quæ non est inter rusticum & regem. Maior enim aut minor distãtia facit, vt idem contemptus factus vni sit grauis,factus verò alteri sit leuis,vt humanis exẽ-
224. *Dupliciter offenditur rex.* plis constat. Cæterùm potest in rebus extrinsecis offendi rex, 1. per sublationem tantùm rerum externarum: 2. per virtualem contemptum regiæ maiestatis.Prima offensa quatenus sistit & consummatur in solâ oblatione rei externæ, est lõgè diuersæ rationis ab offensâ factâ regi in contemptum ipsius personæ;estque à rustico compensabilis,quamuis possit esse leuis,aut grauis intra suum ordinem. Secunda semper est grauis, & altioris ordinis, quàm possit à rustico compensari; quia tangit dignitatem regiæ maiestatis,per virtualem contemptum ipsius. Deus autem nequit in rebus extrinsecis grauiter offendi,
Ratio. secluso virtuali contemptu increatæ maiestatis,quia nulla res eximi potest à dominio Dei,vti eximi potest à dominio regis: proinde quantumcumque conetur creatura res extrinsecas auferre Deo, nunquã illas eximit à perfecto dominio Dei. Quare solùm dicitur Deus in rebus extrinsecis leuiter offendi, quando contemptus rei extrinsecæ non inuoluit contemptum Dei: quod est, quoties peccato non deseritur Deus vt vltimus finis, nec posthabetur creaturæ.

225. 2. *Assertio.* DICO 2. nequit actus solius naturæ viribus elicitus, esse condigna satisfactio pro offensâ veniali, contra aliquos Schol. & à fortiori contra *Scot. in* 4. *dist.* 21. *qu.*1.§. *In ista quæst. vers. De* 2. *dubit. Mayro. qu.* 1. *Rubio. quæst.*1. *art.*2. *Gabriel. dist.*16. *qu.*5. *art.*1.§. *Prima opinio, & art.*3. *dub.*1. opinantes debitum venialis condignè solui, solius pœnæ temporalis solutione. Quam opin. *cit. Suar.* ait, errorẽ sapere Pelagij. Nostra assertio colligitur ex *Concilio Mileuit.* 2. *can.*6. 7. *&* 8. *& Trid. sess.*6. *cap.* 11. quæ docent per illa, *Dimitte nobis debita nostra*, à iustis peti remissionẽ suorum venialium:ergo agnoscunt eam esse à Deo, ac proinde ex speciali auxilio ipsius. Ratio: condigna
226. *Fundam.* satisfactio debet esse in eodem ordine cum offensâ: sed offensa venialis cùm sit contemptus feruoris circa Deum finem supernat. est ordinis supernat. actus autem solius naturæ viribus elicitus, est ordinis naturalis;cùm neque ex auxilio,quo elicitur,neque ex gratiâ habituali, quæ non dignificat nisi actus supernaturales à se elicitos, vllam habeat supernaturali-
227. *Dices.* tatem. DICES. Ea satisfactio pro veniali sufficit,quæ apta est restituere obiectiuam complacentiã, quam Deus habuisset de opposito actu, quo vitari potuisset veniale:at veniale vitari potuit opposito actu virtutis,etiam naturæ viribus producto: ergo. Maior prob. id tantùm debet condigna satisfactio resarcire,quod abstulit offensa:ergo si offensa non abstulit obiectiuam complacentiam supernaturalis, sed tantùm naturalis virtutis,satisfactio per actum virtutis naturalis exhibita, erit sufficiens & condigna
228. *Resp.* pro veniali. Resp. Condignam satisfactionem esse illam,quæ non solùm est apta resarcire id,quod immediatè,sed etiam id, quod mediatè & consequenter abstulit peccatum: veniale etsi immediatè tãtùm abstulit obiectiuam complacentiam virtutis naturalis, mediatè tamen & consecutiuè etiam abstulit obiectiuam complacentiam specialium auxiliorum supernat. requisitorum ad perfectam familiaritatem creaturæ cum Deo: quę specialia auxilia negat Deus venialiter peccanti in pœnam peccati: & cõsequenter creatura per veniale tollit obiectiuam complacentiam virtutis naturalis (quã vitare potuisset idẽ veniale) & specialium auxiliorum supernat. quæ à Deo præparata habebat, si veniale actu aliquo virtutis vitâsset. Sicut mortale non solùm tollit obiectiuam complacentiam honestatis moralis, quâ vitari potuisset mortale; sed etiam supernaturalem gratiæ & virtutum infusarum, quas Deus in pœnam peccati aufert à peccatore.

229. 3. *Assertio.* DICO 3. Supernaturalis attritio non est condigna satisfactio pro offensâ culpæ venialis, licet possit esse condigna eiusdem maculæ abstersio. Prior pars est *Suar. & Vasqu. cit.* vbi pro condignâ venialis satisfactione assignant solùm actum cõtritionis,adeoque videntur à condignâ satisfactione excludere
230. *Fundam.* actum attritionis. Fundam. condigna satisfactio est obsequiosa actio intuitu offensi exhibita: in compensationem honoris læsi: attritio non est actio intuitu Dei offensi exhibita,sed intuitu ipsius tantùm attriti elicita: nam est dolor de peccato, vel propter malum quod peccator incurrit, vel propter bonum, quo priuatus est; ergo non elicitur intuitu offensi, sed ipsius offendentis. DICES 1. Ad condignam sa-
231. *Dices.* tisfactionem sufficit, vt tantum ponat, quantum sustulit offensa: sed attritio supernat. tantùm ponit, quãtum sustulit offensa venialis: nã hæc sustulit honestatem saltem naturalem ab actu, & supernat. bonitatem specialium auxiliorum supernat. & à Deo complacentiam, quam de oppositâ honestate virtutis,& bonitate supernat. auxiliorum supernat. habebat. Sed attritio restituit honestatem supernat. in actu,& consequenter etiam auxilia supernat. in pœnam peccati sublata; ac proinde resarcit totum obiectum complacentiæ respectu Dei, qui necessariò sibi complacet de omni actu bono. Confirm. non
232. *Confirm.* tenetur maius bonum per satisfactionem peccator resarcire, quàm debuisset actus oppositus peccato ponere: sed actus oppositus veniali, non debuisset ponere bonum honestum contritionis; nam illud tantum bonum debuisset ponere, quod sat fuisset ad vitandum veniale; hic autem sufficiẽs fuisset quiuis actus moraliter honestus. Resp. Ad condignam
233. *Resp.* satisfactionem nõ sat esse, ponere, quod abstulit offensa, sed etiam compensare, quod intulit: offensa venialis non solùm abstulit feruorem charitatis ab actu, & complacentiam à Deo; sed etiam intulit positiuam displicentiam in Deum, dum per peccatum posuit obiectum positiuæ displicentiæ respectu voluntatis diuinæ. Quamuis igitur attritio supern. restituat & honestatem in actu, auxilia supernat. & complacentiam in Deo, nõ tamen compensat positiuã displicentiam, quã venialis offensa intulit Deo. Vnde etiam in humanis ad condignam satisfactionem non sat est, restituere quod offensã sublatũ est, sed etiam compensari debet positiua displicentia, quam offensa intulit offenso; quod compensari solet vel obsequiosâ actione, exhibitâ saltem apparenter & in foro externo, in quo tantùm homines iudicant, in gratiam offensi, vel alicuius pœnę solutione. Tota
234. *Responsio ad verbum sumpta ex Anselm.* hæc resp. est Anselm. lib. 1. *Cur Deus homo* cap. 2. vbi: *Quamdiu*, inquit, *non soluit quod rapuit, manet in culpa: nec sufficit solummodo reddere, quod ablatum est, sed pro contumeliâ illatâ plus habet reddere, quàm abstulit.*

Sicut enim qui lædit salutem alterius, non sufficit si salutem restituat, nisi pro illatâ doloris iniuriâ recompenset aliquid: ita qui honorem alicuius violat, non sufficit honorem reddere, si non secundùm exhonorationis factam molestiam aliquid, quod placet illi, quem exhonorauit, restauret. Vnde concludit: *Sic ergo debet omnis qui peccat, honorem, quem rapit, Deo soluere: & hæc est satisfa-*
Ad confirm. *ctio, quam omnis peccator debet Deo facere.* Ex quibus patet ad confirm. nam præter bonum, quod abstulit peccatum, tenetur peccator resarcire malum displicentiæ, quod intulit peccatum.

235. Dices. DICES 2. Si attritio ex se non sufficit ad condignè satisfaciendum Deo pro offensâ veniali, nec illa sufficiet elicita à Christo: Vnde sequitur per solos actus supernat. dilectionis Dei Christum æterno Patri pro nobis condignè satisfecisse; cùm soli sint obsequia intuitu ipsius Dei exhibita. Consequens falsum est, cùm omnes Patres & Schol. doceant, Christum per quemcumque actum virtutis cõdignè pro
236. Resp. nobis satisfecisse. Nego sequel. Etenim quicumque vel minimus actus honestus Christi, ratione personalis dignitatis, à quâ procedebat, eminenter continebat, quicquid perfectionis continet non modò quicumque actus perfectissimus, sed etiam infiniti à purâ creaturâ eliciti, imò nullus erat in Christo actus inferioris virtutis, qui non esset imperio charitatis in obsequium Dei ordinatus.

237. Dices. DICES 3. Displicentia, quã veniale infert Deo, est finita non solùm intensiuè, & essentialiter, sed etiam ordine, cùm non sit immediatè contra Deum, vt *Assert.* 1. ergo compensari potest multiplicatis actibus finitis attritionis, cùm omne finitum adæ-
238. Resp. quari possit alio finito. Nego conseq. nam licet displicentia, quam veniale Deo infert, sit omni ex parte finita, est tamen diuersæ rationis, vt nequeat multiplicatis actibus attritionis resarciri. Sicut licet læsio, quam quis in famâ passus est, sit finita, nequit tamen pecuniâ, vel alijs rebus resarciri; quia fama est alterius rationis; ita moralis displicentia de veniali est diuersæ rationis, quàm vt possit vllo attritionis actu aut multiplicatione actuum condignè resarciri, nam tales actus solùm multiplicabunt obiectum complacentiæ, non tollent obiectiuam displicentiam, quę consistit in voluntariâ elongatione peccatoris à perfectâ familiaritate Dei moraliter perseuerante, quæ non est apta condignè tolli, nisi per formalem vel virtualem retractationem ipsius, quæ fit actu contritionis, vel dilectionis Dei.

239. Assertionis pars poster. prob. Posterior pars est conformior *Trident. sess.* 14. *c.* 5. docenti, venialia multis alijs remedijs extra sacramentum confessionis expiari posse; scilicet saltẽ per
Ratio. modum abstersionis maculæ à venialibus relictæ, quia cùm macula dicat ordinem ad subiectum, est enim priuatio debitæ pulchritudinis, sufficit ad eam tollendam tantùm ponere in subiecto, quantum ab eodem sustulit peccatum, esto per se non compenset displicentiam offensi: at attritio ponit in subiecto, quantum abstulit veniale, scilicet honestatem in actu, & auxilia ad familiaritatem cum Deo requisita; ergo tollit maculam, licet per se non tollat displi-
240. Attritio non tollit displicentiã satisfactoriè, tollit per incompossib. centiam Dei. DICES: stante displicentiâ Dei, stat macula in subiecto; quia repugnat subiectum purgari à maculâ, & adhuc displicere Deo. Resp. licet attritio non sit sufficiens tollere displicẽtiam à Deo satisfactoriè, & per modum condignę compensationis, poterit esse idonea illam tollere per incompossi-
241. bilitatem: quia positâ in subiecto, tollitur veniale incompossibiliter, atque adeò obiectum ipsum displicentiæ diuinæ. Sicut positâ gratiâ habituali in subiecto, tollitur, non satisfactoriè per modum condignæ compensationis, sed incompossibiliter mortale, & obiectum displicentiæ, quam Deus de mortali conceperat.

DICO 4. Sola contritio, aut dilectio Dei super omnia finis supernat. est condigna satisfactio pro offensâ veniali à iusto exhibita. Prob. hæc sola habet omnia ad eam requisita; restituit charitatis feruorem; per eum reordinat voluntatem ad familiaritatem cum Deo; compensat positiuam displicentiam, exhibendo perfectissimum opus in obsequiũ Dei: etsi illa dilectio Dei non includat explicitè detestationem peccati, tamen dum fertur in Deum super omnia, implicitè & virtute includit detestationem omnium peccat. si actu menti occurrerent. Infero, cõtritionem de solis mortalibus, aut de vno tantùm veniali, vel dilectionem, quæ actu non se extenderet ad detestanda omnia venialia, non esse sufficientem satisfactionem pro omnibus venialibus, sed pro ijs dumtaxat, quorum esset formalis aut virtualis detestatio. Ratio: ad actionem condignè satisfactoriam requiritur, vt fiat intuitu offensi in compensationem illatæ offensæ: non fit, si nec formaliter, nec virtualiter illatam offensam detestetur.

242. 4. Assertio.

243. Coroll.

Ratio.

Obijcies 1. ad condignam satisfactionem requiritur, vt rationabiliter nõ possit ab offenso recusari, vel recusata non teneatur offendens ad alias satisfactiones exhibendas: sed quãcumque cõtritione pro veniali à iusto oblatã, potest Deus rationabiliter alias exigere, & iustus tenetur illas exhibere: igitur nulla est de se condigna. Resp. Maior est vera de cõdignitate satisfactionis ex iustitiã, non ex æqualitate operis ad offensam: nulla creaturæ satisfactio potest esse condigna offensæ illatæ Deo ex iustitiã, sed tantùm ex æqualitate operis ad offensam. Ratio: quãdo opus satisfactorium supponitur alijs titulis obligatum offenso, potest offensus illud pro offensã nõ acceptare, sed pro alijs titulis, pro quibus est sibi obligatum: & tunc semper offendens tenebitur aliud opus exhibere, etiamsi prius quod obtulit, fuerit ex se condignum ad offensam extinguendã. At contritio nostra pro veniali oblata, multis alijs titulis est obligata Deo; ergo poterit pro veniali oblata à Deo non acceptari, sed alia exigi, esto prior de se digna fuerit ad offensam extinguendam. Non enim, *vt infrà*, repugnat, vt opus sit de se condignum pro offensã, & simul alijs titulis obligatum offenso; quia condignitas solùm spectat æqualitatẽ operis ad offensam, esto illud sit aliunde offenso debitum. Infero: necessaria fuit Dei promissio de acceptandã iusti satisfactione pro suo veniali oblatã, non quidem ad reddendam illam condignam, cùm potiùs supponat illam condignam, sed vt recusari pro offensã non possit.

244. Dices.

245. Resp.

Ratio.

246. Coroll.

Obijcies 2. Si posset purus homo condignè satisfacere pro suis venialibus, non indigeret ad condignè pro ijs satisfaciendum redemptione Christi: nec fuisset Christus necessarius ad liberandũ hominem à venialibus; contra Patres affirmãtes, Christum nos liberâsse etiam à venialibus, & pro nobis Patri satisfecisse. Concedo; Christi redemptio non fuit simpliciter necessaria ad cõdignam satisfactionem pro venialibus, fuit tamẽ necessaria ex suppositione peccati origin. vel personalis mortalis: de quã necessitate intelligendi sunt Patres: nam purus homo condignè satisfacere pro veniali non potest, nisi sit in gratiã, seu nisi remisso originali, vel mortali, condignã satisfactione, per Christum.

247. Dices.

248. Resp.

Rogas, an potuisset homo in purã naturã conditus condignè pro suis venialibus satisfacere? certum est, si potuisset efficacem actum dilectionis Dei authoris naturalis eo statu elicere, potuisse pro venialibus ante mortale commissis, condignè satisfacere; & quidem perfectiùs quàm nunc, quia

249. Quæritur an homo in purã naturã conditus potuisset condignè pro suis venialibus satisfacere.

quia non fuisset tunc opus dilectione Dei authoris supernat. cùm nec peccatum eo statu commissum, fuisset contra Deum authorem supernat. cuius nulla fuisset notitia: nam sub eo titulo exhibenda est offenso satisfactio, sub quo offenditur: sub eo titulo offenditur, sub quo cognoscitur, cùm offensa es-
250. sentialiter sit actus volũtatis: Dixi, *ante mortale commissis:* nam pro venialibus commissis post mortale, non potuisset nec per efficacem dilectionem Dei condignè satisfacere: quia nulla satisfactio à purâ creaturâ exhibita, est cõdigna pro mortali: existente autem mortali, nulla satisfactio posset esse condigna pro veniali; cùm nequeat satisfactio, quæ per modum gratiosi obsequij exhibetur, esse grata & accepta Deo ab inimico oblata, ergo nec satisfacere pro
251. venialibus post mortale cõmissis. Dixi, *& quidẽ perfectiùs quàm nunc:* nam tunc homo nullum habuisset debitum, quod sibi priùs gratis remittẽdum fuisset; nunc saltem habet originale, quod priùs debet gratis peccatori remitti, quàm actu supernat. contritionis possit pro venialibus condignè satisfacere; nam eadem est ratio de originali ac de mortali: cùm originale grauem inuoluat offensam contra Deum, vt constat ex æternâ pœnâ damni; & quod transfunditur in membra, includit respectum ad peccatum, quod fuit in capite, non secus ac habituale personale respectum inuoluit ad actuale, personale, à quo suam grauitatem moralis æstimabilitatis desumit.

252. *Controuersia pendet ex aliâ.* His ex hypothesi certis, controuersia rursus pendet ex aliâ, an potuisset in eo statu homo cum solo concursu generali, debito naturæ rationali, elicere actum efficacis dilectionis Dei authoris naturalis. Dixi, *Efficacis:* quia hæc tantùm est condigna satisfactio pro veniali, efficaciter retractãs offensam, per actum detestationis, cuius vitaretur offensa, si iterum occurreret. Ergo quoad efficacem actum dile-
253. *Assertio.* ctionis Dei, dico, illum non potuisse ab homine in purâ naturâ condito, cùm solo generali concursu debito naturæ rationali, elici potentiâ morali, licet potuisset physicâ, quæ tamen nunquam, aut rarissimè proditura fuisset in actũ, absque aliquo speciali
Fundam. ex 3. tom. disp. 26. sect. 5. auxilio intra eundem ordinem naturæ. Fundamentum: si potuisset tunc homo absque speciali auxilio, saltem intra eundem ordinem naturæ, talem actum elicere, posset etiã nunc: nam eædẽ vires naturæ sunt nunc, quæ fuissent tunc: nam per peccatum originale, quod natura lapsa supra purã addit, nihil virium natur. sublatum est in homine, sed tantùm sublatæ vires supernatur. quibus faciliùs natura exercuisset actus honestos naturales; quos tamen non faciliùs exercuisset tunc sine peccato originali, quàm illos exerceat nunc cum originali: quod non ponit in naturâ positiuam inclinationem ad malum, quam homo non habuisset in purâ naturâ. Fateor, maiorem difficultatem habere hominem nunc in mortali personali existentem ad actum efficacis dilectionis Dei eliciendum, quam habuisset tunc ante vllum mortale, propter positiuam inclinationem ad
254. *Dices.* malum, quam personale relinquit in subiecto. Dices: perfectiùs potuisset homo in purâ naturâ pro suo veniali satisfacere, quàm possit nunc in naturâ lapsâ: ergo esto nunc non valeat potentiâ morali, absque speciali auxilio indebito actum efficacis dilectionis Dei elicere, non sequitur, eundem actum
255. *Resp.* non potuisse in purâ naturâ elicere. Distinguo antec. potuisset perfectiùs pro veniali satisfacere, hoc est perfectiori actu, aut faciliùs, quàm nunc, nego: perfectiùs, hoc est nullo debito antecedenti gratis remisso, concedo; quia nunc requiritur gratuita remissio originalis. Nec sequitur, quòd si nunc potentiâ morali nõ possit elicere actum efficacis dilectionis Dei, quòd potuisset tunc; quia non fuissent maiores vires naturæ tunc sine originali, quàm sint nunc, sublato originali per gratiam. Dixi, *potentiâ* 256. *Potentia physica à morali discrimen.*
morali, non physicâ: quia talis actus cùm sit naturalis, continetur intra sphæram obiecti potentiæ physicæ, extra sphæram obiecti potentiæ moralis; quæ licet habeat omnia principia ad physicam actionem requisita, propter antecedentem tamen difficultatem, quæ physicam potentiam efficaciter ab agendo remouet, dicitur moraliter impotens: quia spectato connaturali modo operandi potentiæ liberæ, nunquam, aut rarissimè operatur cum tantâ difficultate ecùm naturalis modus operandi ipsius sit, ferri in obiectum, quod illi efficaciùs & faciliùs proponitur. Vnde nisi accedat peculiaris illustratio mẽtis, quę huiusmodi in operando difficultatem emolliat, nunquam operabitur. Ex his decisa manet principalis controuersiæ difficultas, nempe non potuis- *Principalis controu. decisio.*
se hominem in purâ naturâ pro suis venialibus ante mortale commissis condignè Deo satisfacere, absque speciali auxilio intra eundem ordinem naturæ, quod Deus tunc homini dedisset ad suum finem consequendum. Angelus in purâ naturâ conditus, 257. *Alia ratiõ de Angelo.*
potuisset pro suis venialibus ante mortale commissis condignè Deo satisfacere; vt qui sensuum pondere solutus faciliùs potest ad Deum cognoscendum amandumque ferri, quàm possit homo tot sensuum impedimẽtis irretitus; proinde etiam moraliter potuisset in purâ naturâ Deum vt finem naturalem efficaciter diligere. Idem censeo, quoad fa- 258. *Et de animab. cum solo orig.*
cilitatem diligendi efficaciter Deum vt authorem naturæ, de animabus, quæ hinc cum solo originali demigrarunt; cùm enim & illæ sint ab omni sensus perturbatione liberæ; vt verius puto, de facto diligunt efficaciter Deum vt authorem naturæ. Ad satisfaciendum verò pro suis venialibus, si fortè hinc aliqua cum originali asportarint, sunt omninò incapaces: quippe quæ propter originale, nequeunt vllam pro veniali, & multò minus pro originali, condignam satisfactionem Deo exhibere; cùm ad eam requiratur status gratiæ.

Ad 1. argum. primæ sentent. neg. conseq. Ad 259. *Ad primum.*
prob. dist. antec. nulla satisfactio, quæ in actuali solutione debiti eget gratiâ Creditoris, est condigna, concedo; antecedenter ad ipsam solutionem debiti, nego. Contritio pro veniali à iusto exhibita, etsi gratiâ creditoris egeat antecedenter, nõ tamen concomitanter in actuali debiti solutione; cùm positâ gratiâ Dei antecedenter, ex se sit condigna ad talem offensam extinguendam. De hac gratiâ antec. explicantur scripturæ, Concilia, Doctores, cùm dicunt, venialia dimitti, non solui: cùm solui non tam importare videatur condignitatem operis ad debitum ex æqualitate, quàm ex iustitiâ, quæ alios titulos strictiores excludit. Ex his patet ad auth. *S. Thom. &* *Ad auctor.*
Concil. quæ docent, venialia per gratiam remitti, cuius gratuitæ remissionis signum est oratio, quâ quotidie à Deo petimus, nobis venialia dimitti; vt Deus infundat nobis gratiam anteced. ex quâ, & cum quâ valeamus condignam satisfactionem pro venialibus exhibere. Ad 3. neg. minor. Cuius probat. 260. *Ad tertium.*
antec. verum tantùm est de offensa mortali, quæ moralem suæ grauitatis æstimabilitatem sumit immediatè ex personâ increatâ, quæ per mortale contemnitur, non de offensâ veniali, quæ moralem æstimabilitatem in ratione offensæ non sumit immediatè ex personâ increatâ, quæ veniali non contemnitur, sed ex omissione boni creati, quòd tantùm contemnitur.

SECTIO VII.

An potuerit purus homo constitutus caput reliquorum pro peccatis totius generis humani condignè Deo satisfacere.

261. *Hac superest difficultas.* SI talis hominis satisfactio ex capitali gratiâ accidentali procedens, est condigna, necessaria non fuit Verbi Incarnatio, cùm saltem potuisset hic homo tot actus elicere, quot futura fuissent peccata omnium hominum, esto singuli actus huius hominis non fuissent, nisi pro singulis peccatis condignè satisfactorij.

262. *1. Sentent. affirm.* PRIMA sententia affirmat: *Scot. in 3. dist. 20. qu. vnic. §. Contra ea, & §. Contra illud. Et in 4. distinct. 15. quæst. 1. art. 2. Lycher. in 3. distinct. 20. §. Præterea: Palud. in 3. dist. 20. quæst. 2. art. 2. Mayro. in 4. dist. 15. quæst. 1. art. 2. Rub. in 3. dist. 20. quæst. 2. art. 1. & in 4. distinct. 15. quæst. 3. art. 2. conclus. 3. Soti in 4. distinct. 1. quæst. 5. artic. 4. §. Igitur, Fauent. in 3. disp. 47. cap. 2. Caiet. 3. p. quæst. 1. art. 2. §. Ad horum euid. & §. Ad primi, Vega lib. 3. in Trident. cap. 5.*

263. *Fundamentum.* Fundamentum tantam bonitatem habet opus charitatis ex gratiâ procedens ad Deum placandum, quantam malitiam habet peccatum ad Deum offendendum. Confirm. potuit Adam vt caput omnium suo peccato condignè inficere omnes; ergo potuit merito suo condignè satisfacere pro omnibus.

264. *2. Sentent. Vera negat.* SECVNDA negat: *Alens. 3. p. q. 1. memb. 6. art. 2. Albert. in 3. distinct. 20. art. 1. ad 3. & art. 3. Bonauent. qu. 3. & 4. S. Thom. 3. p. q. 1. art. 2. ad 2. & in 3. distinct. 20. q. 1, art. 2. & 4. contra gentes cap. 54. fine, & 55. ad 21. Ferrar. ibid. Durandi in 3. dist. 20. quæst. 2. Richardi art. 1. quæst. 4. Ioan. Medin. cod. de satisfactione quæst. 1. Barthol. Medin. 3. p. q. 1. art. 2. §. Sequitur, & concl. 2. Suarez ibid. disp. 4. sect. 7. Vasquez disp. 4. cap. 3. Ioan. de Lugo disp. 5. sect. 8.* Quæ sententia longè probabilior est, & communis inter Recentiores. Grauis difficultas in assignandâ ratione.

265. *Reijcitur 1. huius sententiæ ratio.* PRIMA sit, mortale infert infinitum damnum, priuat æternâ beatitudine, meretur perpetuam pœnam: nulla pura creatura resarcire valet damnum infinitum, aut condignè satisfacere pro pœnâ infinitâ; cùm nulla offerre valeat opus infiniti valoris.

266. Sed contrà 1. esto, non valeat offerre opus æquale damno extensiuè, posset æquale intensiuè: opus enim dignificatum gratiâ posset æquiualere intensiuè toti damno, quod mortale infert; sicut condignè meretur beatitudinem supernaturalem, quâ mortale priuat, ita & remissionem pœnæ æternæ, quam peccatum meretur: cùm tamen neque opus creaturæ habentis infinitam gratiam accidentalem,

267. esset condignum pro peccato, *vt infrà.* 2. Saltem hæc ratio tacitè admittit, posse purum hominem condignè satisfacere pro offensâ illatâ Deo, (esto non possit pro toto damno) quod est contra Patres, qui hanc impossibilitatem fundant in offensâ contra Deum.

268. *2. Ratio.* SECVNDA: originale de se aptum est damnare infinitos homines, si propagarentur: nullum autem opus puræ creaturæ de se aptum est liberare infinitos homines: nam omne opus puræ creaturæ est finiti valoris.

269. *Reijcitur.* Sed contrà 1. originale non sumit grauitatem suæ malitiæ ex damno, quod posset inferre ijs hominibus, qui ex naturâ humanâ propagari possent, sed

Ex 1. Sect. qui de facto propagabuntur: nam peccatum non sumit malitiam; nisi ex priuatione boni, quod peccans tenebatur conseruare. Adam autem tenebatur conseruare iustitiam originalem pro ijs dumtaxat, qui de facto propagandi erant; & cùm sint finiti, posset finitum damnum illorum à purâ creaturâ sufficienter reparari. 2. Saltem potuisset opus puræ creaturæ esse condignum ad liberandos omnes homines, qui de facto ex naturâ humanâ, originali infectâ, propagandi sunt: & de facto non fuisset necessaria Incarnatio ad liberandum nos condignè ab originali.

Tertia *Bonauent. quæst. 4. cit. & Vasquez cap. 5.* 270. *3. Ratio. Vasquez.*
Gratia adoptionis non potest esse de se principium condignè merendi alijs auxilia gratiæ & remissionem peccatorum. 1. quia de facto illa in nobis non est principium condignè merendi gratiæ augmentum nisi tantùm subiecto illam habenti: neque ad hoc sufficit peculiaris lex & promissio Dei, quia hæc, cùm sit extrinseca, non mutat naturam gratiæ, vt illam reddat condignè meritoriam alijs, si ex se non est. 2. si posset gratia adoptionis esse condignè meritoria alijs, non esset ratio, cur id negaretur Apostolis, & Deiparæ, qui illam in gradu perfecto acceperunt. Sed contrà: hæc ratio tantùm probat 271. *Contrà 1.*
de facto & connaturaliter, non de possibili & diuinitus: cùm enim de facto gratia adoptionis sit in subiecto, quod est in viâ ad perfectionem, & cui perfectio, ad quam tendit, non est debita naturaliter, sed ex meritis, de facto & connaturaliter non est condignè meritoria, nisi subiecto illam habenti; de possibili autem posset esse condignè meritoria alijs, 1. Si constitueretur caput aliorum homo beatus; *Quid de possibili?*
hic enim mereri posset per actiones liberas, vt Christus: quæ actiones, quia non supponerent subiectum in viâ, sed in termino suæ perfectionis, non essent meritoriæ, & satisfactoriæ ipsi merenti & satisfacienti, sed alijs, quorum ex pacto & lege constitutus esset caput: 2. Si constitueretur homo purè viator cum plenitudine gratiæ, & simul cum pacto & lege, vt sua opera dirigeret ad merendum & satisfaciendum pro alijs: talia enim opera, positâ plenitudine gratiæ in merente, & pacto ex parte Dei, essent condignè meritoria alijs: 1. quia non minùs demeritum nocet personæ demerenti, quàm meritum prosit personæ merenti: sed posito pacto, potuit Adam suo peccato condignè demereri alijs: ergo posito pacto poterat condignè mereri alijs: 2. quia, cùm supponatur subiectum habere totam plenitudinem gratiæ, quam de potentiâ ordinariâ posset, etiam per propria merita acquirere, non essent tales actiones meritoriæ, vel satisfactoriæ ipsi merenti, aut satisfacienti, cùm ipse non egeret, sed alijs, qui indigerent: 3. condignè mereri seu satisfacere apud aliquem ex *S. Thom. 3. p. q. 48. art. 2.* est 272. *A priori.*
exhibere illi in obsequium aliquid, quod ei æquè placet, ac illi displicuit offensa. Sed in sententiâ, *Vasquez*, purus homo in gratiâ constitutus, posset in obsequium exhibere Deo aliquid, quod æquè illi placeat, ac ei displicuit offensa: scilicet contritio seu dilectio Dei super omnia, nisi de facto supponeret condonationem debiti carendi primo auxilio, esset condignè abstersiua maculæ, & satisfactiua offensæ, in eius sententia nec est propria iniuria, sed aliquid in nobis, quod Deo displicet: at posset hic homo iustus, constitutus caput aliorum, elicere actum charitatis sine vllâ condonatione debiti; nõ enim esset productus viâ seminali ex Adamo, sed miraculosè à Deo; vel etiamsi debitum ex Adamo contraxisset, potuisset posteà, eo semel condonato, condignè pro alijs remissionem promereri. Nec obstat, quòd talis actus offeratur pro alijs: nam ex hoc

273. Contrà rationem 3. hoc non minuitur eius valor & condignitas. 2. Potest purus homo de facto condignè mereri alijs remissionem pœnæ, vt de facto vnus alteri remissionem temporalis: ergo etiam remissionem culpæ, si lex intercedat, & grauitas offensæ non obstet, vt non obstat in sententiâ *Vasquez*: nam ideò gratia adoptionis de facto potest esse principium condignè merendi remissionem pœnæ temporalis pro alijs, quia merens non defraudatur præmio condignè respondente suo merito: at posset etiam condignè mereri satisfactionem pro alijs, absque eo quòd merens defraudaretur præmio condignè respondente suo merito: sicut ex eodem opere iusti potest pro alijs applicari valor ad condignè remittendam pœnam temporalem, non applicato valore eiusdem operis ad condignè merendum augmentum gratiæ pro alijs: cùm isti valores sint diuersi, & possit communicari vnus, non communicato alio.

274. Ad fundamentum Vasquez. Ad fundamentum *Vasquez* ideò de facto gratia adoptionis in nobis non est condignè meritoria alijs, 1. quia non intercedit pactum; 2. quia est in viatore ad vlteriorem perfectionem tendente, cui tantùm, & non alijs connaturaliter fructificare debet: cùm omnis perfectio connaturaliter prius perficiat subiectum, in quo est, quando illud est perfectibile. Neque hinc sequitur, quod *Vasquez* inferebat, extrinsecam legem variare naturam gratiæ; cuius opera æquè sunt accepta Deo, & condigna æternæ vitæ, siue illa pro te ipso, siue pro alijs offeras; sed tantùm lex concedit facultatem, vt ea possis pro alijs offerre. Quòd autem de facto hæc facultas nulli puræ creaturæ concessa sit, non arguit impossibilitatem, sed solam congruitatem: quia non decebat, alium salutis authorem genus humanum agnoscere, quàm Christum, cui tantùm est connaturale alijs sua merita communicare, quippe qui essentialem gloriam non obtinuit ex meritis, sed iure filiationis diuinæ, ratione cuius erat perfectus Dominus omnis gratiæ, cuius non est purus homo: nec expediebat hominem, qui de facto ad vlteriorem perfectionem tendit proprijs meritis, defraudari præmio condignè respondente suis meritis.

275. 4. Ratio refutata sect. 2. QVARTA quorundam Recent. ideò non posse purum hominem pro mortali condignè satisfacere, ne talis offensæ æstimatio vilescat apud homines, hoc ipso quod sciant, illam posse à puro homine condignè compensari; impugnata est *suprà*.

276. Duplex ratio pro 1. punct. 1. Ratio assignatur, alia fundata in Concilijs & Patribus, Ephes. *p.1. tom.1. p.2. in homil. Proculi Episcop.* ostendit, non potuisse puram creaturam, siue hominem, siue Angelum nos à peccato redimere, sed necessariam fuisse Verbi Incarnationem; *quia posse saluare virium puri hominis non erat.* Et circa finem, *Homo purus saluare non poterat.* Et *parte 3. in hom. 1. Theod. Episc. Anciran*i habentur hæc: *Omnis creatura infirma erat ad salutem nostram.* Cyprianus de passione Christi: *Cum originali morti*, inquit, *nullum nisi in Christi morte potuerat esse remedium: nec reconciliare Deo potuit exules & damnatos qualibet oblatio, nisi sanguinis huius singulare sacrificium. Et sine hoc holocausto poterat Deus tantùm condonâsse peccata.* Ambrosius siue *author in cap. 9. ad Hebr.* post med. *Tantum fuit peccatum nostrum, vt saluari non potuissemus* (intellige per condignam satisfactionem) *nisi vnigenitus Filius Dei pro nobis moreretur.* Fulgentius de Incarn. *cap. 4. Nullatenus namque humana natura ad auferendum peccatum mundi sufficiens atque idonea fieret, nisi vnione Verbi Dei.* Leo sermone *de Natiuitate. Nisi esset verus Deus non afferret remedium.* Anselmus *lib. de conceptu virginali cap. 17. Ideo Deus factus est homo, quia non sufficeret ad redimendos alios homo non Deus*: idem vtroque lib. *Cur Deus homo*, & reliqui Patres passim. Alia ratio: Offensa mortalis est immediatè contra Deum personam increatam; vt contemptus vltimi finis, præferens creaturam creatori: ergo nequit condignè compensari vllâ puri hominis quantâcumque gratiâ præditi, satisfactione; Aristot. principio: Offensa moralem æstimabilitatem, atque iniuriæ ordinem sumit ex dignitate personæ offensæ; satisfactio contrà ex dignitate personæ satisfacientis: sed nulla pura creatura, quantâcumque gratiâ ornata, attingere potest moralem æstimabilitatem & ordinem personæ increatæ; nam omnis gratia communicabilis puræ creaturæ, est ordinis creati. Axioma prob. cùm offensa sit moralis læsio personalis dignitatis, moralem æstimabilitatem & ordinem iniuriæ sumit ex dignitate personæ læsæ. Nam omnis priuatio tanti æstimatur in ratione mali, quanti æstimatur bonum, quo priuat: ergo proportionaliter tanti æstimatur offensa Dei, quæ est moralis priuatio personalis dignitatis Dei, quanti æstimatur dignitas personæ diuinæ. Dixi, *proportionaliter*; quia cùm peccatum non destruat physicè personalem dignitatem Dei, sed tantùm moraliter & per affectum, non eam omninò æstimabilitatem in ratione moralis mali habet peccatum, quam in ratione boni habet personalis dignitas increata Dei: participat tamen illam proportionaliter, cùm non ab alio, quàm ab increatâ Maiestate, vt moraliter læsâ specificetur. Neque talis offensa poterit condignè compensari vllâ actuum puræ creaturæ multiplicatione: quia nulla multiplicatio adæquare poterit infinitam grauitatem ordinis, in quâ est quælibet offensa mortalis.

277. 2. Ratio ex grauitate offensæ mortalis.

Axioma ab omnibus receptum.

278. Proportio.

279. Corollar. 1. Infertur 1. non modò viâ condignæ satisfactionis, sed neque viâ condigni meriti, potuisse purum hominem remissionem peccatorum alijs promereri, contra aliquos Recentiores, distinguentes satisfactionem à merito; quòd satisfactio authoritatem requirat in satisfaciente respectu eius, cui satisfacit; & ideò satisfaciens per se requirit æqualitatem personalem cum eo, cui satisfacit: contrà verò meritum authoritatem & subiectionem respectu eius, apud quem promeretur; & ideò merens non requirit per se æqualitatem personalis dignitatis cum remunerante, sed sufficit æqualitas operis cum præmio. Sed contrà: non minùs ad condignè merendum requiritur æqualitas operis cum præmio, quàm ad condignè satisfaciendum æqualitas obsequij cum offensâ: ergo si nullum puræ creaturæ obsequium est condignum ad satisfaciendum pro offensâ illatâ Deo, nullum eiusdem puræ creaturæ opus erit condignum ad promerendam condonationem eiusdem offensæ illatæ Deo. Confirmatur, offensa non solùm est in altiori ordine respectu cuiuscumque satisfactionis puræ creaturæ, sed etiam respectu cuiuscumque meriti puri hominis: at ex eo quòd offensa sit in altiori ordine respectu cuiuscumque satisfactionis puræ creaturæ, nullâ puræ creaturæ satisfactione condignè compensari potest: ita ex eo quòd sit in altiori ordine respectu cuiuscumque meriti puri hominis, nullo puri hominis merito poterit condignè remitti. 280. Contra Recent.

281. Corollar. 2. Infertur 2. Potuisse purum hominem pro aliorum venialibus condignè satisfacere: nam quicquid potest purus homo pro se, posset pro alio, intercedente pacto & promissione Dei: at purus homo pro suis venialibus condignè satisfaceret; ergo. cùm ad condignè satisfaciendum pro veniali sufficiat actus contritionis, vel dilectionis Dei à personâ iustâ elicitus. Nec refert quòd ad remissionem venialis Sect. praeced.

quoad actum 2. quia demeritū Adæ quoad actum 2. communicatur omnibus, non Christi meritum, quia illud per naturalem generationem, hoc per voluntariam regenerationem, quæ requirit cooperationem regenerandi; saluari debet in maiori efficaciâ quoad actum 1. vt scilicet potentius sit meritum Christi ad saluandum quotquot ex Adamo propagabiles sunt, quàm demeritum

194. *Dices.* Adæ ad perdendum. Dices, Saluari hanc in merito Christi prælationem per vberiora auxilia, & donorum spiritualium copiam, vt *ibidem Paulus*, indicat. Sed contrà: non solùm præfert meritum Christi demerito Adæ in effectu vberiori, sed etiam in virtute efficaciori, vt notarunt, *Leo serm.12. de pass.* vbi validius, ait, esse donum libertatis, quàm debitum seruitutis, Christique sanguinem appellat diuitem ad pretium, quod efficaciam denotat in se: *Chrysostomus homil.* 10. in hunc locum, Christi meritum comparat pelago, nostrum debitum guttulæ exiguæ: *Hieronymus ibidem, non sicut delictum, ita & donum, ne in formâ*, inquit, *æqualitas putaretur.* Anselmus in eundem: *Non sic est efficax peccatum Adæ ad damnationem, vt gratia Christi ad saluationem.* Et infrà ex his colligit, Christi donum non solùm esse copiosius quoad effectum, quem causat, sed etiam in seipso: quod autem demeritum Adæ ex se fuerit condignum, absque imputatione Dei, ad damnandum omnes, admittit ipse *Durandus in 3. distinct. 20. quæst. 2.* & probatur, peccatum ex se est dignum tali pœnâ; ergo posito quòd Adam fuerit constitutus caput omnium, eius peccatum naturâ suâ fuit dignum damnare omnes, alioqui non iustè Deus ex peccato Adæ damnâsset omnes.

Contrà.

Probatur.

295. *Probat. 2. concl.* Probatur 2. ex 5. *Hebræor.* vbi dicitur Christus exauditus pro reuerentiâ suâ, eò quòd esset filius Dei: non igitur sola voluntas acceptantis, sed Maiestas personæ orantis causa fuit, vt Christus exaudiretur à Patre. *Vult*, inquit, *homil.*8. *in hunc locum*, Chrysostomus, *ostendere, quod gestum est, magis esse opus suum, quàm Dei gratia; tanta enim fuit eius reuerentia, ac pietas, vt ideo eum reuereretur Deus.*

296. *Probat. 3.* Tertiò ex Patribus, qui affirmant, necessariam fuisse Incarnationem ad homines perfectè redimendos: si enim satisfactio Christi non esset ex se condigna, sed ex solâ acceptatione Dei, non fuisset ad perfectam redemptionem simpliciter necessaria; nam etiam satisfactio puri hominis potest esse condigna ex acceptatione Dei: Tum ex ijs, qui apertè docent, satisfactionem Christi fuisse condignam ad debitum soluendum ex vnione ad Verbum, non igitur ex solâ acceptatione Dei: nam vnio ad Verbum non est extrinseca, sed intrinseca satisfactioni Christi. Vnde Cyrillus Alexandrinus *lib. ad Reginas ante med.* inde probat, Christum sufficiens pretium pro nostrâ salute dedisse, *Quia naturâ Deus Verbum ex Patre est, & proprium eius corpus fuit quod pro nobis in odorem suauitatis Deo & Patri oblatum est.* Theodotus *Episcopus Ancyranus homil. 2. de natiuitate in Concilio Ephesino parte 1. pag. 389. fine. Mortis*, inquit, *tyrannidem soluit, quoniam simul Deus & homo erat.* Damascenus, *3. de fide cap. 15. Patienti*, inquit, *carni concessa erat diuinitas, salutares cruciatus efficiens.* Clemens VI. *in extrauagante Vnigenitus*, docet, modicam tantùm Christi sanguinis guttam sufficere pro redemptione totius generis humani, propter vnionem ad Verbum. Demùm omnes ferè Patres affirmant, satisfactionem Christi non modò

Cyrill.

Theodot.

Damasc.

Clemen. VI.

adæquâsse, sed excessisse debitum naturæ humanæ; non potuisset ex solâ extrinsecâ acceptatione: quia Deus non acceptauit illam, nisi in ordine ad peccata, quæ de facto futura erant; ergo ex valore intrinseco.

Grauior difficultas est in assignandâ radice, vnde opera Christi sufficientem suum valorem ad condignè satisfaciendum pro singulis hominum offensis, & debito totius generis humani, acceperint. 297. *Inquiritur radix.*

Prima. Opera Christi sufficientis fuerunt valoris, quia ad illa physicè influebat Verbum. Sed contrà: nullum suppositum creatum, cuius vicem gerebat Verbum, physicè influit in operationes naturæ, nisi quatenus substantialiter complet illam, in quo tantùm sensu actiones dicuntur esse suppositorum. 2. nullum suppositum diuinum habet proprium influxum ad extra, qui non sit illi communis cum reliquis personis, eò quòd principium agendi ad extra in Deo, non est relatio, sed natura. 3. cùm talis influxus attemperandus foret actui creato finito, esset creatus & finitus, sicut est actus ipse: ergo conferre non posset, nisi valorem finitum ordinis creati. 298. *Prima ratio impugnatur.*

Secvnda. Opera Christi valoris condignitatem ad satisfaciendum pro omnibus offensis sumpserunt ex voluntate increatâ Verbi, à quâ, simul & à voluntate humanâ Christi proficiscebantur: ex vtriusque enim voluntatis actu vna componebatur infinitæ dignitatis operatio, quæ *theandrica*, hoc est Dei virilis, eò quòd à Deo viro, procedit, dicitur. Sed contrà: dupliciter potest ex duabus operationibus fieri vna, 1. in genere naturæ, 2. in genere moris: neutro modo potest ex operatione increatâ Verbi, & creatâ naturæ fieri vna. Non primo; nam implicat duo entia completa coalescere in vnum: nulla enim fieri potest physica compositio, nisi aliqua intercedat perfectibilitas in extremis componibilibus; sed operatio increata Verbi, & creata humanitatis, sunt duo entia ambo in genere operationis completa & totalia, quia vtraque operatio habet suum principium completum, à quo procedit, nempe operatio creata naturam humanam, operatio increata naturam diuinam; completa principia formalia operationum: neque ex earum vnione in vnâ personâ desinunt esse completæ & totales, quia non vniuntur ad componendum vnum in ratione naturæ. 299. *2. Ratio.* 300. *Impugnatur.* *Neque ex operationib. 2. in genere naturæ vna fieri.*

Nec secundo: nam vt ex duabus operationibus fiat vna in genere moris, requiritur, vt vel tota libertas vnius deriuetur in alterum, vt apparet in operatione exteriori; quæ quia totam libertatem accipit ab actu interiori, facit vnum in esse moris cum illo: vel vt vna operatio imperetur ab alia: neutro autem modo potest operatio humanitatis Christi facere vnum in esse moris cum operatione increatâ Verbi. Non primo; quia operatio humana Christi non est libera formaliter ex operatione increatâ Verbi, sed ex voluntate creatâ humanitatis, à quâ immediatè elicitur vt à causâ proximâ. Non secundo; quia operatio humana Christi immediatè non imperatur ab increatâ, sed à creatâ voluntate humanitatis: quia Verbum non nititur humanitati in ratione naturæ, sed in ratione suppositi, relinquens humanitati plenam potestatem ad suos actûs imperandos. Neque ex eo, quòd aliquando illam præcipit, propriè imperat illam: nam præcipit illam, relinquendo ei plenum imperium ad seipsam operi imperato applicandam: vti præci- 301. *Nec in genere moris nisi &c.*

præcipit nobis, relinquendo plenum ac liberum dominium nostræ voluntati ad se ipsam operi præcepto applicandam.

302. *3. Ratio.* TERTIA. Humanæ operationes Christi condignum valorem ad satisfaciendum habuerunt ex affectu voluntatis diuinæ, in quâ coniungebantur in theandricâ operatione: scilicet natura humana Christi erat instrumentum coniunctum diuinitatis, ad omnes actiones humanas exercendas: instrumentum suum valorem & efficaciam sumit à causâ principali, à quâ immediatè mouetur: igitur operationes humanæ Christi valorem, quem ad condignè satisfaciendum habuerunt, immediatè acceperunt ex affectu diuinæ voluntatis, à quâ vt à causâ principali imperabantur: sicut operatio corporalis moralem dignitatem sumit ab animâ rationali, à quâ vt à causâ principali immediatè mouetur corpus. Probant ex *Sophronio Patriarchâ Ierosolymitano*, qui in *Epistolâ* approbatâ in 6. Synodo docet, ipsum velle Christi fuisse deificatum: ex *Damasceno lib. 3. fidei cap. 15.* vbi post allatum exemplum de gladio ignito feriente, quo vtriusque Christi naturæ actionem explicat, ita concludit: *Sic & in Christo diuinitatis eius diuina & omnipotens actio: humanitatis autem eius, ea quæ secundum humanitatem, operationis absolutio. Humanitatis quidem, quod tenuit puellam manu & erexit: Diuinitatis viuificatio. Aliud enim hoc, & illud aliud, etsi ab inuicem inseparabiles sunt in Dei verâ actione.* Et infrà: *Agit igitur Christus secundùm vtriusque naturam, & agit vtraque in ipso natura cùm alterutrius communicatione: Verbo quidem operante quæ sunt Verbi, propter authoritatem & potestatem diuinitatis, quæcumque sunt præcipua & regia: corpore verò absoluente quæcumque sunt corporis munia: ad voluntatem Verbi, quod ipsi vnitur, cuius & factum est proprium. Non enim à seipso ad naturales passiones alacritatem operabatur, neque ipsam ex tristibus occasionem & refutationem, aut ea, quæ extrinsecus accidunt, passus est: sed mouebatur secundùm obsequium naturæ, Verbo volente & permittente secundùm dispensationem pati ipsam, & agere propria, vt per opera, natura crederetur veritas.*

Coniunctio humanæ operationis Christi cum voluntate Dei explicatur ab his.

Hæc Damasc.

303. *3. Ratio vera de operationibus miraculosis.* SED contrà: etsi hæc opinio vera sit de operationibus miraculosis, falsa tamen est de satisfactorijs, quia priores cùm sint supra omnem naturam creatam, tribui non poterant humanitati, vt causæ principali, sed diuinæ voluntati, cuius nutu & imperio exercebantur: in quo sensu interpretatur *Sophronium Vasquez disput. 5. cap. 5.* & loquitur *Damascenus*: quamquam eos interpretari possimus de deificatione morali deriuatâ ex personâ increatâ Verbi: & intentum Damasceni *loco citato* fuerit, ostendere contra *Eutychetem*, in Christo fuisse duplices operationes, humanam, & diuinam, quæ duplicem ostendebant naturam. *De satisfactorijs falsa.* Posteriores verò operationes principaliter erant ab humanitate: quia neque in physicâ entitate, neque in modo, quo fiebant, excedebant illius virtutem & habitus supernaturales, & alioqui valor moralis, qui in his actionibus erat præcipuus, deriuari poterat ex ipsâ diuinitate, quatenus antecedebat omne velle diuinum: nam positâ vnione humanitatis ad Verbum, suâ naturâ hic valor deriuabatur in omnem humanam Christi operationem.

304. *Ratio vtriusque.* Ratio, cur priores operationes suam efficaciam sumant ex diuinâ voluntate, posteriores ex naturâ diuinâ, antecedente omnem actum diuinæ voluntatis, etiamsi ad vtrumque genus operationum concurrat diuina voluntas, ea est: quia in illis non tam spectatur moralis valor, quàm physicus effectus, qui cùm sit supra omnem naturam creatam, non potest nisi à diuinâ voluntate principaliter oriri: quia Deus non operatur miracula, sicut & cætera opera ad extra, quatenus est, alioqui necessariò illa operaretur; sed quatenus vult, quia liberè illa operatur. *Ac discrimen.* In his posterioribus operationibus præcipuè spectatur moralis valor personalis, qui etsi principaliter & totaliter sumatur à Verbo, non tamen ab illo sumitur, quatenus vult, sed quatenus est. Quia hic nil aliud est, quàm moralis effectus formalis proueniens ex personâ increatâ hypostaticè coniunctâ humanitati. Omnis autem forma suum effectum formalem tribuit subiecto, non quatenus vult, sed quatenus est; quia tribuit illum physicâ vnione, non liberâ actione. Itaque si per impossibile Verbum non concurreret per affectum voluntatis ad satisfactorias operationes, adhuc illæ forent condignæ, ex eo præcisè, quod essent actiones naturæ humanæ Verbi. Contra verò si Deus non concurreret suâ voluntate ad miraculosas operationes, etiamsi alioqui essent operationes naturæ coniunctæ diuinitati, non idcirco ad illas deriuaretur vis & efficacia ad effectus supra naturam patrandos. 305. *Coroll.* Ex quo sequitur, humanitatem solùm fuisse instrumentum coniunctum diuinitati in ordine ad actiones miraculosas, non in ordine ad satisfactorias, *Ratio.* quia de ratione instrumenti est, ab alio ad operandum determinari: humanitas autem non determinabatur ad eliciendas actiones satisfactorias immediatè à diuinitate, sed à propriâ voluntate, ad cuius liberam determinationem sequebatur vt effectus formalis in eius operationem condignitas valoris ex personâ operante: ad opera verò miraculosa non à seipsâ, sed à diuinitate immediatè applicabatur. Hinc patet ad exemplum de actione corporali, quæ totam suam moralem dignitatem sumit ab animâ: nam hæc non habet libertatem à corpore, sed ab animâ, & ideò mirum non est, si ab illâ sumat suam moralem dignitatem.

306. *4. Ratio.* Quarta. Opera Christi sufficientem valorem sumpserunt ex gratiâ accidentali infinitâ: nam quò maior est gratia in subiecto, eò maiorem valorem communicat operi ab ipsâ procedenti: ergo infinita gratia infinitum communicabit valorem: infinitus autem valor non modò est sufficiens, verùm etiam superexcedens ad totius humani generis debitum, cùm hoc sit finitum fundamentum in actione peccaminosâ finitâ.

307. *Refellitur.* Sed contrà: implicat gratia accidentalis infinita. Et esto, daretur; adhuc sufficiens non esset ad satisfaciendum pro culpâ mortali, quæ est in altiori ordine scilicet increato in ratione offensæ, quàm sit gratia accidentalis in ratione operis satisfactorij, quæ est in ordine creato: vnde neque in infinitum aucta sufficiens erit.

308. *Vera ac solida ratio omnium ferè Schol.* Vera ratio, quam *citati* Patres assignant, est; ideò opera Christi fuisse condigni valoris ad satisfaciendum pro offensâ illatâ Deo, ac pro toto debito generis humani, quia erant opera personæ increatæ, quæ per assumptam naturam operabatur.

309. *Duplex valor in actibus Christi.* Pro explicatione, distingui debet in actibus Christi valor, alter physicus & intrinsecus operi, proueniens ab intrinsecâ entitate physicâ actus, per ordinem ad obiectum quod respicit, & ad principium à quo immediatè producitur: alter moralis & extrinsecus, refusus à personâ operante. Prior, cùm desuma-

desumatur à formâ creatâ finitâ, nempe ab ipsâ honestate intrinsecâ actus, quam habet ab obiecto, circumstantijs, & creatâ voluntate Christi, non est pro offensâ illatâ Deo condignus: nam ratione huius valoris actus Christi non discriminantur ab actibus puræ creaturæ, quos suprà ostendi, non esse sufficientes ad satisfaciendum pro offensâ Dei, quæ in ratione iniuriæ est in ordine increato. Posterior, refusus à personâ increatâ Verbi, condignus fuit ad omnem offensam & debitum soluendum. Quod autem huiusmodi valores in morali æstimabilitate inter se distinguantur, clarum est: nam eadem actio quoad omnia physicè & intrinsecè inuariata, exercita à personâ priuatâ, nullum aut exiguum habet valorem; exercita verò ab eâdem vt publicâ personâ, magnam habet æstimabilitatem.

Morali æstimabilitate distinct.

310. *Valor à personâ operante increatâ.*

Quòd verò hic valor sumptus à personâ operante, debeat in satisfactione Christi comparari cum offensâ illatâ Deo, constat: tum ex ipsâ satisfactione humanâ, cuius condignitas ad illatam offensam non tam attenditur penes intrinsecam honestatem operationis, quàm penes extrinsecam dignitatem personæ satisfacientis. Quo fit, vt idem opus exhibitum à personâ nobili, sit condignum pro offensâ illatâ; non sit condignum exhibitum ab ignobili personâ. Tum quia per satisfactionem satisfaciens non solùm offert offenso in compensationem iniuriæ, suum opus, sed eo mediante suam personam in obsequium offensi. Ergo potissimus valor, qui in satisfactione attenditur, sumitur ex dignitate personæ satisfacientis, seipsam offerentis in obsequium offensi.

311. *Extinguit debitum naturæ humanæ. Primum offensæ diuinæ.*

Tandem quòd valor satisfactionis Christi sumptus à personâ increatâ Verbi, sit sufficiens & condignus ad extinguendum totum debitum naturæ humanæ, sic ostendo: Christi satisfactio sufficiens fuit ad condignè soluendum debitum offensæ: nam, vt satisfactio sit condigna offensæ, sufficit vt sit in eo ordine moralis æstimabilitatis, in quo fuit offensa: at satisfactio Christi est in eodem ordine moralis æstimabilitatis, in quo fuit offensa illata Deo; scilicet offensa in ratione iniuriæ est in eodem ordine moralis æstimabilitatis, in quo est persona ipsa increata, cuius est offensio: sed in eodem ordine moralis æstimabilitatis est satisfactio Christi: nam in eo ordine moralis æstimabilitatis est satisfactio, in quo est persona satisfaciens, scilicet increatæ, vt prob. 1. ex ipsâ satisfactione humanâ, quæ est eiusdem æstimabilitatis cum persona satisfaciente: nam quò crescit persona satisfaciens in dignitate, eò crescit ipsius satisfactio in morali æstimabilitate: maioris æstimabilitatis est satisfactio exhibita à personâ publicâ, quàm à priuatâ; à Rege, quàm à Comite. 2. vt offensa participat eundem ordinem proportionalem æstimabilitatis, in quo est persona offensa, ita & satisfactio ordinem æstimabilitatis, in quo est persona satisfaciens: quia sicut offensa malitiam sumit à dignitate personæ, quam contemnit; ita satisfactio à dignitate personæ, quæ satisfacit. 3. persona ad operationes naturæ concurrit vt intrinsecum & substantiale complementum: ergo moraliter dignificat illas dignitate eiusdem ordinis, saltem proportionalis, quam habet in se, quia dignificat illas in genere causæ formalis hypostaticæ, forma autem nequit alterius ordinis dignitatem conferre, quàm habet in se.

Persona satisfaciens increata æstimabilitatis.

312. *Mediatè vnita operationib.*

Nec refert 1. quòd Verbum non sit immediatè vnitum cum operationibus naturæ assumptæ: nam sufficit, vt sit cum illis vnitum mediâ naturâ assumptâ: sicut nec persona creata est immediatè vnita cum suis operationibus, sed mediante naturâ, à quâ tantùm physicè procedunt, & in quâ tantùm immediatè subiectantur: cùm tamen persona creata dignificet suas operationes eodem ordine moralis dignitatis, quo ipsa est in se. 313. Nec refert 2. quòd altior sit valor & dignitas in personâ Verbi, quàm in operationibus naturæ assumptæ, eo quòd in personâ Verbi sit physicè & intrinsecè, in operationibus extrinsecè & denominatiuè: nam hoc ad summum probat, hos valores esse quidem diuersi ordinis, vtrumque tamen esse increatum, & in suo genere supremum & infinitum, vnum in ordine valoris physici, alterum in ordine valoris moralis. Cùm nec dari queat altior valor physicus valore personæ increatæ, nec altior valor moralis valore actuum eiusdem personæ increatæ per assumptam naturam operantis: eadem quippe forma, quæ reddit personam infinitè dignam physicè, reddit ipsius actus infinitè dignos moraliter. 314. Cô-firmatur, licet valor satisfactionis Christi sit inferioris ordinis valore personæ eiusdem Christi, est tamen ordinis increati, quia immediatè participatur ab ipsâ personâ increatâ, quæ cùm communicet formaliter, non potest communicare nisi valorem ordinis increati, cuius ipsa est; licet quia illum non communicat physicè, sed tantùm moraliter & extrinsecè, non communicet eiusdem ordinis, sed inferioris, intra eundem tamen ordinem increatum.

Valor duplex ordinis increati.

315. *Extinguit debitum pœnæ duplex.*

2. Probo, satisfactionem Christi fuisse condignam pro debito pœnæ, quam natura peccando contraxit: contraxit autem priuatiuam gratiæ, gloriæ, omniumque supernaturalium auxiliorum & donorum, quæ gratis à Deo in primo parente posteris transfundenda acceperat: & fuit priuatio boni creati finiti; satisfactio Christi fuit ordinis increati infiniti; longè dignior, quàm fuerint bona omnia peccato amissa: 316. Alteram positiuam sensus: hæc autem licet sit in ratione actualis tristitię & pœnalitatis infinita extensiuè, Christi passio in ratione actualis tristitiæ & pœnalitatis finita, adhuc tamen fuit pro illâ sufficiens & condigna, tum propter dignitatem personæ patientis, tùm propter nobilius excellentiusque bonum, quo Christus moriendo priuatus est, scilicet vitâ Dei, quę est longè nobilior, quàm sint vitæ omnium, imò etiam infinitorum simul, cuius vnius vitæ vel ad tempus priuatio apta est causare infinitam tristitiam intensiuam, si possibilis esset: quod egregiè docuit *Anselm. lib. 2. Cur Deus homo, cap. 14.* vbi probat, maius bonum, adeoque magis amabilem fuisse vitam Christi, quàm sint odibilia peccata, etiam in infinitum multiplicabilia.

Vita Dei infinitum bonum.

317. *Dices.*

DICES: Satisfactio Christi non compensat infinitum excessum, qui est inter personas offendentem, & offensam: est enim à personâ æquali erga æqualē; offensa est à personâ vilissimâ contra dignissimam: at satisfactio condigna & æqualis debet omnia, quæ sunt in offensâ, resarcire. 318. Distinguo antec. non compensat formaliter, concedo; nô compensat æquiualenter, nego: nam exhibendo pretium infiniti valoris moralis, eo valore compensat infinitum excessum inter personam offendentē & offensam, præsertim cùm iste infinitus excessus in offensâ limitetur à cognitione finitâ offendentis: vnde materialiter tantùm concurrit ad offensam: cùm tamen persona Christi satisfaciens formaliter concurrat ad satisfactionem, quia illa non dignificat vt cognita, sed vt physicè vnita cum naturâ operante.

319. *Ad fund. Caluini.*

Fundamentum *Caluini* ad summum probat, opera Christi non fuisse condigna ex iustitiâ, non ex æqualitate satisfactionis ad offensam, quæ tantùm spectat æqualitatem valoris operis satisfa-

satisfa-

satisfactorij in morali æstimabilitate cum offensâ.

320. Scoti. Fundam. *Scoti* solùm probat de valore physico, non morali, refuso à personâ increatâ in opera creata: qui valor licet extrinsecus operibus, in morali tamen æstimatione plurimum valet, vt patet tum in personâ creatâ, quæ etsi extrinseca operi, quò tamen dignior est, eò maiorem communicat suo operi valoris æstimabilitatem: Tum in actu attritionis, qui vt antecedens gratiam habitualem in subiecto peccatore, non habet valoris condignitatem ad gloriam, quam habet positâ gratiâ. Cùm igitur operationes naturæ assumptæ ante omnem extrinsecam acceptationem, sint personaliter operationes filij Dei, ante omnem erunt condignæ ad omnem offensam & debitum soluendum, etiam pro infinitis hominibus, etsi illa de facto exhibita non fuerit, nisi pro finitis, qui de facto ex Adamo propagandi erant.

321. Durandi. Ad fundamentum *Durandi*, nego antecedens, de quo infrà; & consequentiam: nam plus requirebatur ad compensanda beneficia à Christo accepta, quàm ad condignè pro nobis satisfaciendum, eo quòd altioris ordinis fuerint dona, quæ Christus vt homo acceperat, scilicet personam increatam, quàm debitum totius naturæ humanæ, quod tam in ratione offensæ, quàm maculæ & pœnæ, est inferioris ordinis. Esto igitur non potuerit reddere æquiualens pro beneficijs acceptis, adhuc potuit condignè pro peccatis satisfacere: & esto non potuisset condignè pro suo, adhuc potuisset pro aliorum peccatis: Siue quia grauius altiorisque ordinis fuisset proprium, quàm aliorum peccatum: siue quia per proprium amisisset vnionem hypostaticam, quâ amissâ non potuisset ampliùs, nec pro suo, nec pro alieno peccato condignè satisfacere: siue quia, adhuc eâ cum peccato retentâ, non fuisset eius satisfactio ita Deo accepta, vti nunc est.

SECTIO IX.

Quid formaliter sit moralis iste valor in operibus Christi?

322. 1. Sentent. PRIMA sententia affirmat, esse respectum realem ad suppositum Verbi, ratione cuius omnes humanæ operationes Christi sunt increati ac infiniti valoris: *Cabrer. 3. parte disputat. 5. conclus. 3.*

323. Contrà 1. Sed contrà: hic respectus est creatus & finitus; ergo nequit conferre valorem ordinis increati & infiniti. Neque dicas, valorem immediatè conferri ab ipso supposito increato: nam hoc modo frustraneus esset iste respectus, cùm sufficiat vnio humanarum operationum cum Verbo, vt cum supposito operante, *vt infrà.* 2. nullus est actus creatus in Christo, qui fieri non possit ab eâdem naturâ in proprio subsistente: Ergo nullus actus creatus in Christo dicit realem respectum ad Verbum: nam talis respectus si esset, esset intrinsecus & inseparabilis ab actu, quia fundaretur in entitate actûs. Vnde si omnis actus creatus in Christo dicit realem respectum ad Verbum, nullus fieri posset à supposito creato, scilicet cum intrinseco respectu ad Verbum.
3. 3. ad illud tantùm principium habet actus realem respectum, à quo realiter causatur: nullus autem actus creatus in Christo realiter causatur à Verbo: quia Verbum non influit realiter in actus suæ humanitatis, sed solùm illos moraliter dignificat, quæ moralis dignificatio non fit per realem influxum, sed per solam coniunctionem cum illis, vt cum actibus propriæ naturæ.

SECVNDA docet, esse ens rationis. Sed contrà: ens rationis formaliter non est, nisi dum actu fingitur: at, nullo intellectu fingente actus humani Christi sunt increati valoris & æstimabilitatis. Confirmatur, Deus æstimat illos vt actus increati valoris, *Hebræorum 5.* Christus *exauditus est pro suâ reuerentiâ:* at Deus nullum fingit ens rationis, cùm omnia intelligat sicuti sunt: igitur valor operum Christi non est ens rationis formaliter, quamuis præbeat humano intellectui fundamentum fingendi ens rationis. 324. Secunda sententia.

DICO 1. Valor operum Christi est moralis quædam æstimabilitas infinitæ ac increatæ dignitatis, necessariò consurgens ex infinitâ & increatâ Maiestate personæ operantis. Fundamentum, cùm hunc valorem non possimus in operibus Christi fundare in aliquâ formâ intrinsecâ, cùm sit creata & finita, recurrere debemus ad formam extrinsecam, quæ illa non physicè, sed moraliter tantùm dignificet: hæc autem alia esse non potest, quàm ipsa increata ac infinita persona Verbi, quæ facta propria hypostasis huius naturæ, dignificat omnia opera ipsius, non minùs ac si esset naturalis hypostasis ipsius. Vnde sicut omnia opera huius naturæ dicuntur verè & propriè esse opera huius personæ, illa per assumptam humanitatem, vt per suam naturam, exercentis: ita eadem opera vt sua propria dignificat, eadem dignitate, quâ digna est persona operans; cùm non minùs persona Verbi per vnionem hypostaticam faciat sibi sua omnia opera huius humanitatis, quàm quæuis persona faciat sibi sua opera omnes operationes suæ naturæ: Ergò sicut quæuis persona dignificat opera suæ naturæ, eâdem dignitate, quâ digna est ipsa operans: ita increata Verbi dignificat omnia opera suæ naturæ assumptæ, eâdem dignitate, quâ digna est ipsa. Imò tantò perfectiùs persona Verbi dignificat opera suæ naturæ assumptæ, quàm quæuis persona creata opera suæ propriæ naturæ, quantò persona Verbi non extrinsecè & ex humanâ deputatione, vti fieri solent dignæ personæ creatæ, sed intrinsecè & ex propriâ suâ naturâ, est supremæ ac infinitæ dignitatis. 325. Assertio. 1. Fundam. Persona dignificat opera sua naturæ.

An Verbum non solùm dignificet dignitate increatæ æstimabilitatis, operationes immanentes & in naturâ assumptâ receptas, sed etiam transeuntes & in alieno subiecto productas? 326. Superest difficultas.

Affirmant *Suarez 3. parte tomo 1. disput. 4. sect. 4. Cabre. disput. 5. §. 5.* nam eò magis æstimatur donum, quò à digniori personâ confertur: sed donum est extrinsecum donanti: ergo non solùm operationes immanentes & in se receptas, sed etiam transeuntes, quibus Christus sua dona hominibus conferebat, erant increatæ dignitatis & valoris. 327. Affirm. fundam.

Nota, duplex hîc quæstio; altera, an eâdem moralis dignitatis æstimabilitate Verbum dignificet operationes immanentes, ac transeuntes? altera, an etiamsi dignificet transeuntes, non tamen eâdem moralis dignitatis æstimabilitate, quâ dignificat immanentes & in se ipso receptas? 328. Duplex quæst.

DICO 2. Verbum etsi transeuntes operationes dignificet, non tamen eâdem moralis dignitatis æstimabilitate, quâ immanentes, scilicet actio non solùm 329. 2. Assertio. Ratio à priori alla- ti fundam.

lùm respicit subiectum, in quo recipitur, sed etiam agens, à quo procedit: ergo non solùm sumit dignitatem à subiecto, in quo est, sed etiam ab
330. agente, à quo fit. Tum verò eos actus magis moraliter dignificat, quos facit suos personaliter: at eos tantùm actus facit suos personaliter, quos sibi personaliter vnit: solos autem actus immanentes sibi
A pari. personaliter vnit. Maior colligitur ex Patribus Schol. à pari: nam maioris æstimabilitatis sunt actus immanentes increati in Deitate existentes, quàm transeuntes; non eiusdem moralis æstimabilitatis actiones creatæ, quibus Deus sua dona largitur,
A priori. ac diuinæ processiones ad intra. A priori: eò maioris dignitatis & moralis æstimabilitatis est actio, quò est magis coniuncta cum suo principio & formâ dignificante: actio immanens est magis in Christo coniuncta cum suo principio & formâ dignificante, quæ est persona Verbi, quàm actio transiens: igitur maioris æstimabilitatis est actio Christo immanens, quàm à Christo transiens. Maior prob. propterea dignitas physica increata Verbi est maioris valoris, quàm dignitas moralis communicata à personâ Verbi operibus naturæ assumptæ, quia illa est magis intrinseca Verbo, cùm sit per identitatem, hæc tantùm per vnionem.

331. *Propria Verbi actiones multipliciter.* *Obijcies* 1. Etiam operationes transeuntes Christi sunt propriæ Verbi, quia ad illas concurrit vt causa particularis: ergo non minùs illas dignificat, quàm immanentes. Resp. Dici proprias Verbi effectiuè, quæ est quædam proprietas extrinseca, quo pacto omnes actiones supernat. creatæ dicuntur propriæ Dei, quia ad illas concurrit Deus vt causa particularis; non autem subiectiuè, quæ est proprietas intrinseca, necessaria ad participandam adæquatam dignitatem personæ operantis.

332. *Obijcies* 2. Si Verbum dignificat operationes transeuntes; ergo dignificat illas eâdem dignitate, quâ immanentes: ergo eâdem morali æstimabilitate.
Modus dignificandi diuersus ab eâdē formâ dignificāte. Nego vlt. conseq. nam moralis æstimabilitas operationis non tantùm sumitur ex formâ dignificāte, sed etiam ex modo, quo est coniuncta cum formâ dignificante: non est idem modus coniunctionis operationis transeuntis & immanentis cum personâ Verbi, nec eadem moralis æstimabilitas vtriusque. Confirm. eadem Deitas dignificat operationes immanentes, & transeuntes; cùm tamen longè diuersæ æstimabilitatis sint operationes immanentes & transeuntes.

333. *Obijcies* 3. Satisfactio Christi vt capitis eleuat satisfactiones membrorum ad eandem moralem dignitatem, in quo est ipsa, quippe quæ eleuat illas ad satisfaciendum condignè pro offensâ illatâ Deo. Ergo Verbum eleuat actiones transeuntes ad eandem moralem dignitatem, in quâ eleuat immanen-
334. *Dispar ratio dignificandi voluntate ac vnione.* tes. Nego conseq. nam satisfactio Christi vt capitis eleuat satisfactiones membrorum ad eandem moralem dignitatem & valorem, in quo ipsa est, quatenus Christus suâ voluntate moraliter coniungit satisfactiones nostras cum suâ, easque vt sic moraliter coniunctas offert in compensationem peccatorum Patri. Verbum non volūtate, sed vnione dignificat operationes: & quia diuersa est vnio transeuntis, ac immanentis operationis, cùm vna sit extrinseca & moralis, altera intrinseca & physica; cumque ex diuerso vnionis modo operationis cum principio dignificante sumatur valor, diuersus refunditur in operationem immanentem, ac in transeuntem.

335. *Dices.* DICES: sufficit extrinseca & moralis coniunctio nostræ satisfactionis cum Christi satisfactione, vt dicatur nostra satisfactio esse eiusdem valoris cum satisfactione Christi: ergo pariter sufficiet extrinseca & moralis coniunctio operationis transeuntis cum personâ Verbi, vel cum operatione immanente eiusdem Verbi, vt dicatur esse eiusdem æstimabilitatis cum illâ. Nego conseq. nam satis- 336. *Resp.*
factio nostra voluntate Christi non eleuatur ad eundem valorem cum valore satisfactionis Christi formaliter, sed tantùm causaliter, quatenus vt instrumētum satisfactionis Christi eleuatur ad causandum eundem effectum cum satisfactione Christi. Actio verò transiens formaliter & in se esset eiusdem valoris cum valore actionis immanentis.
Instas: vt instrumentum dicatur æquè potens, ac 337. *Instabis.*
causa principalis, sufficit, vt sit cum illâ moraliter tantùm coniunctum: ergo vt actio transiens dicatur æqualis valoris cum immanente, sufficit, vt sit cum illâ moraliter tantùm coniuncta. Ne- 338. *Resp.*
go conseq. nam ad 1. sufficit sola coniunctio, quæ connectat duas causas in ordine ad eundem effectum causandum, qualis est coniunctio per subordinationem causæ inferioris ad superiorem: ad 2. necessaria est coniunctio, quæ sufficiens sit, vt vnum possit æstimari eiusdem perfectionis moralis, ac aliud, ad quod non sufficit extrinseca tantùm coniunctio, *vt suprà*.

SECTIO X.

An Verbum dignificet operationes naturæ assumptæ vt persona operans, an vt forma moralis?

PRIMA sententia *Vasquez disp. 5. cap. 5. fine* do- 339. *1. Sentent. Vasquez.*
centis, opera Christi non fuisse condigna quatenus erant à supposito diuino operante & sustentante formaliter; sed quatenus erant ab humanitate sanctificatâ Deitate, vt formâ morali. Duplex enim munus exercet Verbum in naturâ assumptâ; alterum, esse substantiale complementum naturæ, & consequenter principium *quod* operandi & sustentandi actiones mediâ humanitate: alterum, esse formam moralem immediatè sanctificantem naturam: positâ enim vnione personæ diuinæ cum naturâ, natura immediatè sanctificatur sanctitate increatâ Verbi, excellētiori modo, quàm sanctificaretur quâcumq; formâ creatâ supernat. Hoc 2. modo, non 1. docet Vasquez, personam increatam dignificare opera Christi. Fundam. sicut sanctitas acci- 340. *Fundam.*
dentalis vnita subiecto facit, vt operationes talis subiecti, quæ ex se dignæ non erant, nisi laude humanâ, dignæ fiant altiori præmio beatitudinis supernaturalis: ita sanctitas increata hypost. vnita humanitati facit, vt operationes humanitatis dignæ fiant quouis præmio possibili, quæ de se tali præmio dignæ non erant. Confirmat: fieri posset, vt 341. *Confirm.*
humanitas sustentaretur à Verbo, & non sanctificaretur à Deitate, ratione alicuius peccati habitualis personalis, aut originalis, quod humanitas retinere posset cum vnione ad Verbum: quo casu opera humanitatis essent opera suppositi diuini, & tamen non essent meritoria apud Deum, quia essent à naturâ peccatrice.

SECVNDA communior sequenda affirmat, ope- 342. *Secunda sentent.*
ra Christi fuisse condigna, quatenus erant à personâ diuinâ operante & sustentante illa mediâ humanitate, vt naturâ factâ propriâ Verbi: ex Patri- *Colligitur ex Patr.*
bus asserentibus, operationes Christi fuisse condignas, quia erant personæ increatæ, exercentis illas mediâ naturâ assumptâ. Theodotus Ancyr. *homil.* *Theodotus.*
2. de Natiuit. in Concil. Ephes. tom. 1. Concil. parte 2. pag. 389.

*pag.*389.fine ita scribit: *In se suscepit crucem, suam fecit alapam, vincula sua fecit, vt Dei propria effecta passiones aduersùs passiones acciperent potestatem.* Fiunt autem passiones propriæ Dei, quatenus illas operatur & recipit mediâ naturâ sibi hypostaticè vnitâ.
343. *Prob. 2. ratione.* 2.Si Verbum condignificâsset operationes humanitatis,non vt erat suppositum illius,sed vt erat forma moralis immediatè sanctificans naturam, sequeretur, non omnes operationes Christi fuisse valoris diuini,sed eas dumtaxat, ad quas diuinitas concurrebat vt causa particularis: Consequẽs est falsum; quia Christus non solùm meruit per actus virtutum supernatur. ad quos tantùm diuinitas concurrebat vt causa particularis, sed etiam per actus virtutum moralium naturalium,quorum
Maior propos. particularis causa erat sola humanitas. Sequela probatur, quando forma non vnitur, vt pars naturæ, integrans vnum cum aliâ comparte, non dignificat nisi actus, ad quos ipsa per se, vel per suas potentias vt particularis causa influit. Sed Verbum vt forma moralis non vnitur humanitati vt pars naturæ,integrans vnum cum illâ: ergo non potest dignificare nisi operationes,ad quas ipsum per se,vel per sua instrumenta, vti sunt habitus supernat.vt causa particularis concurrit.Minor patet:implicat, Deum vniri ad componendum vnum in ratione naturæ cum creaturâ,*vt infrà:*& ex duobus entibus completis in esse naturæ, cuiusmodi sunt diuinitas & humanitas, fieri vnum per se completum in esse
344. *Prob. à pari.* naturæ. Maior prob.1. gratia habitualis vnita subiecto, non dignificat nisi actus supernaturales, ad quos medijs habitibus infusis veluti potentijs influit, non actus naturales,ad quos non influit.Nec sufficit ipsius vnio cum subiecto ad dignificandos illos, alioqui dignificaret etiam actus indifferentes: quin etiam macula peccati habitualis, propter sui cum subiecto vnionem, macularet omnes actiones.
A priori. 2. Quando forma non vnitur vt pars naturæ, sed vt natura integra in suo genere, non componit vnum in esse cum subiecto,cui vnitur: consequenter non potest suum valorem in subiecti actionem deriuare, nisi medio aliquo influxu, quo talis actio coniungatur cum tali formâ, cùm non sit alius modus, quo possit suum valorem cõmunicare.Cùm igitur actio moralis naturalis Christi non coniungatur peculiari influxu cum diuinitate vt formâ sanctificante, sicut cum eâ coniunguntur reliquæ actiones supernaturales, non
345. *Verbum cõplet naturam in esse & operari.* poterit ab illa valorem accipere.Si verò dicas,Verbum vt suppositum formaliter tribuere valorem operibus Christi, rectè saluas, quo pacto non solùm operibus supernaturalibus, sed etiam naturalibus moralibus tribuat dignitatem valoris diuini: quia vt suppositum vnitur naturæ vt principium omnium operationũ tam supernaturalium, quàm natur. vnitur enim vt substantiale complementum naturæ, faciens vnum completum in esse substantiæ, & consequenter in esse operatiui, nam operatio sequitur ad esse: ergo quâ ratione complet naturam in esse substãtiali, eandem complet in esse operatiuo,non per physicum influxum, sed per substantiale complementum, sine quo natura non esset proximè operatiua.

346. *Dices.* *Obijcies* 1. Natura diuina non vnitur humanitati vt forma physica operatiua, sed vt forma moralis sanctificatiua: ergo vt ipsius operationes dignificet, non requirit peculiarem influxum physicum in illas, sed sufficit vnio cum humanitate.
Confirm. Confirm.solâ vnione cum humanitate deificat omnia accidentia tam spiritualia, quàm materialia
347. *Resp.* humanitatis; ergo & operationes eiusdem. Nego conseq. ad confirm. distinguo duplex genus accidentium, vnum per modum operationis proficiscentis à principio; alterum per modum formæ inhærentis subiecto: ad dignificandum hoc secundum genus accidentium, sufficit vnio cum naturâ humanâ sanctificatâ Deitate vt formâ, quæ immediatè deificat humanitatem, eâque mediante omnia accidentia ipsi inhærentia: ad dignificandum primum genus accidentium, non sufficit coniunctio operationis cum subiecto, vt patet in operatione morali naturalis virtutis, coniunctâ cum subiecto sanctificato per gratiam habitualem, sed requiritur etiam coniunctio operationis cum principio operante. Quia vnio debet *Ratio.*
esse proportionata vnibili, vt eâ mediante recipere possit effectum formalem vniti: Deitas in ratione formæ sanctificantis non vnitur humanitati,vt principium operatiuum humanarum actionum; nec potest illas dignificare in ratione operationis à se proficiscentis; etsi eas dignificet vt formas physicè inhærentes humanitati: suppositum vnitur vt complementum substantiale & principium operatiuum *quod* earum,& eas formaliter dignificat in ratione operationis.

Obijcies 2. si hoc esset, etiam operatio Christi 348.
transiens esset valoris increati, quia etiam cum illâ coniungitur Verbum in ratione principij operatiui. Distinguo conseq. etiam operatio Christi 349. *Resp.*
transiens esset valoris increati moraliter intrinseci, & eiusdem æstimabilitatis cum actione immanente, nego: esset valoris increati moraliter extrinseci,& minoris æstimabilitatis, ac est actio immanens, concedo, vt *præced. sect.*

Deducitur,Verbum non solùm dignificare ope- 350.
rationes humanitatis vt principium operatiuum *Coroll.*
quod, sed etiam vt subiectum receptiuum seu sustentatiuum *quod:* quia non solùm complet naturam in ratione principij operatiui, sed etiam subiecti receptiui, ac sustentatiui: nam tam operatio, quàm receptio supponit naturam substantialiter completam subsistentiâ, sine quâ nec ad operandum,nec ad recipiendum esset idonea.

Ad fundamentum *Vasquez*, neg. anteced. Fal- 351. *Ad fundamentum Vasquez.*
sum enim est, ex 3. *tom.* gratiam habitualem vnitam subiecto, sine vllo influxu eleuare actiones naturales ad præmium beatitudinis supernaturalis,quæ ex se dignæ non erant, nisi præmio laudis humanæ: quia vt forma operatiua non dignificat, nisi actiones ad quas ipsa per se, vel per suos habitus supernaturales, vt per proprias potentias influit: vt forma verò sanctificatiua, non dignificat illas in ratione operationis, sed tantùm formæ subiecto inhærentis. Ad confirm. nego, hu- 352. *Ad confir.*
manitatem cum vnione ad Verbum retinere posse peccatum vllum, siue originale, siue personale habituale: nam hoc ipso tale peccatum fieret proprium Dei, vt causæ particularis sustentantis. Quâ igitur ratione implicat, Deum esse causam particularem efficientem peccati; eâdem implicabit,esse causam particularem sustentantem in propriâ naturâ assumptâ, *vt infrà*.

SECTIO XI.

An Christi operatio sufficientem valorem ad satisfaciendum pro peccato habuerit ex solâ personalitate relatiuâ Verbi?

PRIMA sent. negat, operationem Christi suffi- 353.
cientem valorem ad satisfaciendum pro pec- *1. Sentent.*
cato

cato habuisse ex solâ personalitate relatiuâ Verbi, sed ex naturâ diuinâ, quæ mediante personalitate Verbi vnita fuit humanitati. Hanc docent, qui negant, relationes diuinas, quibus increatæ personæ formaliter constituuntur, aliquam importare perfectionē: cùm in hac sententia nequeat proprietas relatiua Verbi, quâ formaliter cōstituitur vt persona distincta à reliquis, vllam operi assumptæ naturæ tribuere perfectionē, cùm in se vt persona relatiua est, nullam perfectionē habeat: at quia hoc fundam. ex 1. *to. disp. 19. sect.* 8. suppono falsū, aliter prob. sent.
354. *Prob. ex Patr.* hæc: 1. ex Patribus, qui asserūt, ideò Christi satisfactionem fuisse condignam, quia fuit hominis Dei: est autem Christus formaliter Deus, non ratione proprietatis relatiuæ præcisè, sed ratione Deitatis: ergo Christi satisfactio in sententiâ Patrum suam condignitatem accepit à naturâ diuinâ, mediante personalitate vnitâ humanitati.
355. *Ratione.* 2. Offensa mortalis immediatè est contra Deum, vt vltimum finem, scilicet quâ Deus est formaliter: ergo condigna satisfactio pro illâ est à Deo vt Deo. Alioqui in altiori ordine iniuriæ esset offensa, quàm in ratione compensationis esset satisfactio: nam offensa esset in ordine diuino simpliciter, satisfactio in ordine diuino secundùm quid, & in certo tantùm genere, nempe perfectionis relatiuæ.
356. *Confirm.* Confirm. per peccatum non solùm læditur dignitas relatiua diuinarum personarum, sed ipsa etiam Deitas, quia læditur Deus vt vltimus finis: igitur vt sit condigna satisfactio, debet exhiberi à personâ increatâ Verbi secundùm perfectionem absolutam naturæ.

357. *2. Sentent. probabilior.* SECVNDA affirmat, satisfactionem Christi sufficientem valorem ad offensam compēsandam sumpsisse ex solâ proprietate relatiuâ personali Verbi: non quòd de facto valorem etiam non sumpserit ex naturâ, quæ mediante proprietate vnita est humanitati, sed quia, etiamsi nullum ex naturâ diuinâ valorem sumpsisset, adhuc ex solâ proprietate, condignum accepisset.

358. *Explicatur.* DICO 1. Satisfactio Christi à solâ proprietate relatiuâ Verbi condignificata, sufficiens fuit pro quacumque offensâ contra Deum, extra personam
Fundam. Christi illatâ. Fundam. licet peccatum sit contra Deum vt Deum, non tamen per intrinsecam læsionem, sed per extrinsecum contemptum; satisfactio autem Christi fuit per intrinsecam submissionem personæ diuinæ sese humiliantis & submittentis in obsequium & compensationem Dei of-
Discrimen. fensi: ergo licet Verbum solâ proprietate relatiuâ seipsum in obsequium Patri pro satisfactione hominum obtulisset, adhuc eius satisfactio fuisset condigna pro offensâ: nam grauitas offensæ sumpta ex contemptu naturæ diuinæ, suppletur ex perfectiori modo, quo personalitas Verbi seipsam offert in obsequium offensi, nempe per intrinsecam exhibitionem sui. Pluris enim moraliter æstimatur humilis exhibitio personæ increatæ, quam quæcumque iniuria illata Deo; quia hæc tantùm extrinsecè, & solo affectu contemnit Deum, illa re ipsâ mediâ actione propriâ Verbi submittit personam diuinam in compensationem extrinseci despe-
Confirm. ctûs illati Deo. Confirm. satisfactio attingit immediatè personam Verbi, dum offert Deo vitam humanam immediatè suppositatā ipsâ hypostasi Verbi: offensa non attingit immediatè Deum vt terminum intrinsecum, sed solùm vt terminum, & obiectum extrinsecum.

359. *Dices.* *Obijcies* 1. In altiori ordine est Deus, quàm proprietas relatiua Verbi: sed peccatum grauitatis ordinem sumit à Deitate; quam immediatè offendit: ergo satisfactio à solâ proprietate relatiuâ Verbi condignificata, non est sufficiens pro peccato: quia vt sit condigna satisfactio, debet esse in eodem ordine moralis æstimabilitatis cum offensâ. Maior prob. Deus est in ordine infiniti simpliciter, & in totâ latitudine essendi, proprietas autem relatiua Verbi est in ordine infiniti secundùm quid ad certam perfectionem limitati. Ne- 360. *Resp.*
go conseq. nam esto Deitas sit in ordine infiniti simpliciter & in totâ latitudine essendi; proprietas relatiua Verbi solùm in ratione filiationis diuinæ; adhuc conueniunt in ordine diuini. Vtraque perfectio est increata & à se; grauitas offensæ, quæ in peccato sumitur ex altiori dignitate Deitatis, suppletur ex perfectiori modo, quo personalitas Verbi seipsam submittit in obsequium Dei, immediatâ exhibitione sui.

Obijcies 2. Si potest persona Verbi per solam 361. *Dices.*
proprietatem relatiuam inferiorem deitate, condignè satisfacere offensæ contra Deum, per perfectiorem tantùm modum submittendi se Deo, poterit etiam persona creata, saltem cum infinitâ gratiâ, satisfacere Deo. Nego sequel. quia persona 362. *Resp. ratio*
Verbi, etiam ex præcisâ proprietate relatiuâ, est *discriminis.*
ordinis diuini cum Deo, quæ ordinis vnitas inter personam satisfacientem & offensam est necessaria ad condignam satisfactionem: persona verò creata, neque cum infinitâ gratiâ est eiusdem ordinis cum Deo.

An talis satisfactio foret condigna pro pecca- 363. *Maior difficultas.*
to occisionis Christi scienter patrato? Ratio dubitandi pro parte neg. est: vt satisfactio sit con- *Ratio negandi.*
digna, debet resarcire totum damnum, quod peccatum abstulit: at satisfactio à solâ personalitate relatiuâ Verbi dignificata, non resarciret totum damnum, quod abstulisset peccatum occisionis Christi cum certa scientia diuinitatis patratum: nam hoc maius infert damnum, quàm boni contineat Christi opus à solâ relatiuâ personalitate Verbi dignificatum; scilicet destruendo naturalem vnionem inter animam & corpus, destruit vitam humanam Christi dignificatam etiam à naturâ absolutâ Dei.

Confirm. maioris æstimabilitatis moralis est o- 364. *Confirm.*
pus dignificatum simul à perfectione relatiuâ Verbi & absolutâ Deitatis, quàm opus dignificatum à solâ perfectione relatiuâ Verbi: ergo pariter maioris valoris erit natura dignificata simul à perfectione relatiuâ & absolutâ Deitatis, quàm à solâ relatiuâ Verbi. Sed si natura esset dignificata à solâ perfectione relatiuâ Verbi, contineret æstimabilitatem, quam opus dignificatum à solâ perfectione relatiuâ Verbi: ergo dignificata simul à perfectione relatiuâ Verbi, & absolutâ Deitatis, maiorem continet moralem dignitatis æstimabilitatem, quàm opus dignificatum à sola perfectione relatiua Verbi. Igitur opus dignificatum à sola perfectione relatiua Verbi, non condignè compensaret totum damnum illatum Christo, per destructionem vitæ humanæ, dignificatæ etiam à perfectione absoluta naturæ Diuinæ.

DICO 2. Satisfactio Christi à solâ personalita- 365. *2. Assertio.*
te relatiua Verbi dignificata, foret condigna satisfactio pro peccato occisionis Christi scienter patrato, etiam quoad totum damnum, quod Christo intulisset. Fundam. satisfactio vnâ cum actu satisfactorio simul per modum obsequij in compensationem iniuriæ & damni illati offert offenso personam satisfacientis: est enim satisfactio humilis ac obsequiosa submissio, quâ satisfaciens seipsum offert offenso in compensationem iniu-

riæ, & damni illati. Sed satisfactio à solâ perfectione relatiuâ Verbi dignificata in compensationem iniuriæ & damni illati Christo, offert Deo vnà cum actu satisfactorio perfectionem relatiuam increatæ personalitatis Verbi, longè perfectiorē eo bono ac perfectione, quam occisio Christi scienter commissa auferret à Christo; vt constat de omni perfectâ satisfactione, quâ offensor seipsum voluntariè subijcit offenso ad omne id, quod placuerit offenso; & bonum quod occisio Christi auferret à Christo, esset vita humana moraliter tantùm dignificata à personâ & naturâ creatâ Verbi: bonum autem, quod in compensationem huius vitæ sublatæ offerret Christus per opus satisfactorium à solâ perfectione relatiuâ Verbi dignificatum, esset increata personalitas relatiua Verbi, quæ longè perfectior, altiorisque ordinis est, quàm vita humana Christi moraliter tantùm dignificata à personâ & naturâ Diuinâ Verbi: nam hæc est tantùm perfectio Diuina moralis; illa est Diuina physicè & entitatiuè. Nec refert, quòd illa habeat duplicem infinitatem moralem refusam & à personalitate relatiuâ Verbi, & à naturâ Diuinâ: nam sola physica infinitas relatiua personalitatis Verbi per opus satisfactorium in compensationem exhibita excedit hanc duplicem infinitatem moralem: cùm illa sit essentialiter & intrinsecè Diuina; hæc tantùm extrinsecè & denominatiuè.

Physica ac moralis perfectionis discrimen.

366. *Dices.* *Obijcies*: Sicut satisfaciens non re ipsa sed affectu tantùm offert suam personam per modum obsequij offenso in compensationē iniuriæ: ita Christicida affectu etiam aufert personam Verbi ab humanitate Christi. *Confirm.* Confirm. Satisfactio Christi est opus creatum moraliter tantùm dignificatum à personâ increatâ: ergo non plus habet perfectionis, quàm habet vita humana Christi. Negο, eodem modo satisfactionem offerre per modum obsequij in recompensam iniuriæ personam satisfacientis, ac Christicida aufert personam Verbi à Christo: nam illa re ipsa cum opere satisfactorio subijcit personam satisfacientis voluntati offensi, ratione cuius subiectionis offensus vti potest personâ satisfacientis ad omne opus & obsequium, quod sibi placuerit. At Christicida re ipsa non aufert personam Verbi ab humanitate Christi, cùm illa maneat, vti anteà, hypostaticè vnita cum partibus. Nec sufficit, quòd affectu vellet illam re ipsa auferre: quia cùm talis affectus re ipsa non sit causa destructiua personæ Verbi, & non teneamur ad resarciendum damnum, quod inferre vellemus, sed quod de facto inferimus, nil obstat talis affectus, quò minùs possit pro eo condignè satisfieri per satisfactionem exhibentem solam personalitatem relatiuam Verbi.

367. *Resp. discrimen euidēs.*

368. *Ad confirm.* Ad confirm. nego, satisfactionem Christi secundùm totum quod in concreto dicit, esse quid creatum; includit enim personalitatem relatiuam Verbi, cum quâ componit vnum opus perfectum in ratione obsequij. Occisio Christi solùm per modum termini & effectus dicit destructionem vitæ humanæ Christi moraliter tantùm dignificatæ à personalitate & naturâ Verbi. Patet ad rationem dubit. ad confirm.

369. *Ad rationē neg.* conced. Si natura humana Christi dignificaretur à solâ personalitate relatiuâ Verbi, eandem dignitatem habituram, quam habet opus dignificatum à solâ relatiuâ perfectione Verbi per modum obsequij exhibitum Deo; nego, totam illam dignitatem auferendam fore à peccato occisionis Christi, sed solam dignitatem moralem refusam à personalitate relatiuâ Verbi, non physicam ipsam perfectionem relatiuam Verbi: nam hæc mansisset cum ipsâ animâ & corpore separatis.

An talis satisfactio esset condigna pro peccato Christicidij inuincibiliter putato, vt destructiuo personæ Verbi? Ratio dubit. pro parte affirm. est: licet Christicida inuincibiliter putet liberâ suâ actione destructurum personam Christi, quia tamen re ipsa illam non destruit, non tenetur ad talis damni recompensam: nam illud tantùm damnum compensare tenemur, quod re ipsa liberâ actione inferimus: qui enim putabat se furari mille, si reipsa non nisi centum furetur, non tenetur nisi ad centum. In oppositum est: peccatum cū malitiâ & damno à Deo imputatur, cuius nos non tantùm realis, sed etiam putatiua causa sumus. At tali casu Christicida non tantùm fuit realis causa destructionis humanæ vitæ Christi, sed etiam putatiua destructionis personæ Christi: ergo tale peccatum imputaretur secundùm damnum, etiam quod putatiuè inferret: at hoc damnum, excederet bonum, quod satisfactio à solâ perfectione relatiuâ Verbi dignificata offerret Deo; siquidem damnum putatiuè contineret destructionem relatiuæ & absolutæ perfectionis Verbi, satisfactio solam perfectionem relatiuam Verbi; ergo non esset pro illo condigna. 370. *Dubitari tandem posset.* 371. *Notabile dubium.*

Dico, saltem satisfactio dignificata tam à perfectione relatiuâ, quàm absolutâ Verbi, non tantùm esset condigna pro vno simili peccato, sed etiam pro finitis in infinitum: quia Christus vt satisfaciens non tantùm in recompensam offensæ offerret Deo suam personam increatam vt principium illius obsequij, quod de facto exhiberet, sed etiam infinitorum aliorum obsequiorum: quia dum illam perfectè submitteret Deo, obstringeret illam ad omnia obsequia, ad quæ Deus illâ vti vellet. Ad rationem dubit. licèt apud homines, qui solùm attendunt externa, non teneamur, nisi ad damnum, quod re ipsa inferimus; apud Deum tamen, qui etiam interna respicit, tenemur etiam ad damnum, quod putatiuè inferimus. *Soluitur.* 372. *Ad rationē dubit.*

Ad argum. pro primâ, respond. ad 1. cùm Patres ad condignam satisfactionem pro peccato requirunt hominem Deum, non requirere illum formaliter, quasi non foret condigna satisfactio, si tantùm esset à personalitate relatiuâ, & non à Deitate absolutâ naturæ; sed requirere solùm identicè, quia cum personalitate hypostasis Diuinæ identicè ac necessariò includitur Deitas. Cæterùm, si per impossibile separari posset personalitas Verbi à Deitate, posset Christus per solam personalitatem relatiuam Verbi condignè satisfacere pro omnibus peccatis, & resarcire omnia damna ex quocumque peccato re ipsa culpabiliter secuta, etiam ex propriâ occisione scienter patratâ. Vel certè, cùm Patres ad condignè satisfaciendum pro peccato requirūt hominem Deum, per Deum, non solùm intelligunt naturam Diuinam, sed etiam relatiuam proprietatem personæ assumentis. 373. *Ad argumenta. Explicantur Patres. Ratio allata est.*

Ad 2. neg. consecq. eiusque prob. Ad confirm. neg. consecq. nam iniuria illata toti Deitati est in inferiori ordine, quàm foret satisfactio exhibens per modum obsequij ipsam personalitatem increatam personæ Diuinæ, vt *seq. disp. clarius.* 374. *Ad 2.*

DISPV-

DISPVTATIO VI.

De perfectione & infinitate satisfactionis Christi.

SECTIO PRIMA.

An valor satisfactionis Christi fuerit altioris ordinis quàm sit peccati iniuria illata Deo?

1. *1. Sentent.* PRIMA sententia affirmat, altioris ordinis in ratione iniuriæ esse peccatum, quàm satisfactionem Christi: *Ioan. Medin. Cod. de satisfact. q.* 1. *Fundam.* scil. ex omni capite peccati iniuria est altioris ordinis, quàm Christi satisfactio: 2. 1. in ratione damni & recompensæ: quia peccatum de se aptum est priuare Deum proprio esse, & essentiali beatitudine; cùm sit contristatiuum Dei, aptum consequenter tollere à Deo essentialem fælicitatem, quæ nullam tristitiam secum compatitur; cumque fælicitas Dei, sit esse Dei, consequenter ex se aptum erit priuare Deum proprio esse. Satisfactio verò Christi de se apta non est, dare esse Deo, vel causare essentialem beatitudinem in Deo, sed ad summum, accidẽtale gaudium, quo non beatur. 3. 2. In ratione malitiæ & bonitatis: nam iniuria peccati immediatè est contra increatam dignitatem & maiestatem Dei: Satisfactio Christi immediatè tantùm est à naturâ humanâ, quia Christus non satisfecit vt Deus, sed vt homo. 4. 3. In ratione pœnalitatis: pœna enim debita peccato est infinita intensiuè, & extensiuè: nulla pœnalitas Christi fuit infinita intensiuè & extensiuè voluntariè suscepta.

5. *2. Sentent.* SECVNDA docet, Christi satisfactionem fuisse eiusdem ordinis cum offensâ. *Ex Scoto in 4. dist. 15. q. 1. §. de secundo*, vbi opinatur, satisfactionem Christi fuisse eiusdem ordinis cum satisfactione puri hominis, & hanc esse æquiualentem offensæ illatæ Deo: sequitur, satisfactionem Christi, fuisse eiusdem ordinis cum offensâ. Prob. non datur altior ordo increato: at *ex 1. sect. disput.* 5. peccatum in ratione offensæ, est in ordine increato; nam in eo ordine est offensa, in quo est dignitas personæ offensæ; & alioqui posset pro illâ pura creatura condignè satisfacere.

6. *3. Sentent. probabilior.* TERTIA affirmat, Christi satisfactionem fuisse altioris ordinis quàm peccati iniuriam: *Suar. 3. p. to. 1. disput. 4. sect. 3. §. sed hic:* vbi tantùm obiter hanc sent. indicat, quæ probabilior est. Explico: 7. *Ordo iniuriæ vnde sumendus.* Primus ordo iniuriæ, cùm ea sit volũtaria offensa illata personæ, sumẽdus erit ex dignitate personæ, cui infertur: vnde offensa irrogata Deo, ratione dignitatis personalis, est in supremo ordine offensæ; vt in humanis offensa contra Imperatorẽ, ratione dignitatis personæ, cui infertur, est inter humanas offensas suprema. Secundus ordo sumitur ex modo, quo iniuria infertur personæ; qui in humanis est duplex; Alter per moralem duntaxat contemptum personæ, vt cùm despicitur persona Regia, ipsius gratiam, amicitiam, & authoritatem posthabendo gratiæ, amicitiæ, & authoritati priuatæ personæ: Alter per physicam læsionem Regiæ Maiestatis, vt cùm quis Regis personam immediatè lædit. *Respectu Dei ordo triplex offensæ.* Respectu Dei adhuc triplex ordo offensæ distingui potest: 1. per moralem despectum, vt cùm peccator in ratione vltimi finis præponit creaturã Deo: 2. per modum physicæ læsionis, vt si quis scienter Deum læsisset in assumptâ naturâ: 3. si quis inuincibiliter putans, Deum peccaminosâ actione in naturâ Diuinâ lædi posse, eum putatiuè læderet. Etenim cùm iniuria sit personalis dignitatis læsio, eò erit in altiori ordine, quò est dignior persona, quæ læditur. Cùm igitur in Deo triplex distingui possit dignitas personalis; 1. per modum vltimi finis & amici: 2. per modum suppositi subsistentis in naturâ assumptâ: 3. vt subsistentis in naturâ propriâ, triplex consequenter consurgit ordo iniuriæ contra Deum: primus per modum moralis contemptûs, postponendo illum in ratione vltimi finis creaturæ: 2. per modum physicæ læsionis realis in naturâ assumptâ: 3. per modum physicæ læsionis inuincibiliter putatæ in naturâ propriâ. Contrà verò satisfactio, cùm sit exhibitio rei in recompensam illatæ iniuriæ, ordinem sumit, tum ex ipsâ re, quæ exhibetur; tum ex modo, quo exhibetur: vnde quò res, quæ in recompensam exhibetur, est in altiori ordine, eò satisfactio erit valoris altioris. 8. *Ordo satisfactionis vnde?*

9. *Assertio 1. ex Patrib.* DICO 1. quælibet Christi satisfactio est altioris ordinis quacumque offensâ per modum moralis contemptûs contra Deum factâ. Colligitur ex Patribus communiter asserentibus, Christi satisfactionem, non modò adæquasse, sed etiam excessisse debitum ex peccato contractum: non potuisset autem illud excedere, vel per multiplicationem actuum, cùm multò plura fuerint hominum peccata, quàm satisfactorij actus Christi; vel per infinitum valorem communicatum à personâ infinitâ satisfaciente, quia etiam peccatum moraliter, ratione ordinis, est infinitum; & multi Patres dicunt, vel vnum actum Christi in valore superasse omnia peccata etiamsi fuissent infinita: igitur hunc excessum non fundant in solâ infinitate valoris, sed in valore altioris ordinis. nam in casu, quo peccata forent infinita, nõn posset vnus actus Christi omnia illa excedere, sed ad summum adæquare.

10. *Ratio assertio. à priori duplex.* Ratio: Christus suâ satisfactione in recompensam exhibet Deo suam increatam personam; iniuria verò per modum moralis contemptûs Deo illata, non includit Deum per modum termini vel in propriâ, vel in assumptâ naturâ læsum, sed solùm per modum obiecti extrinsecè terminantis moralem contemptum peccatoris: nam per satisfactionem Christus non modò obtulit suos actus creatos moraliter dignificatos infinitâ personalitate Verbi, sed simul cum illis personam increatam, illam totâ intrinsecâ perfectione & dignitate perfectè subijciendo Deo. Igitur satisfactio Christi in ratione recompensæ & obsequij intrinsecè includebat personam increatam totâ intrinsecâ maiestate: iniuria non nisi extrinsecè, & per modum termini extrinsecè terminantis moralem contemptum peccatoris. Igitur altioris ordinis est satisfactio Christi quàm iniuria per modum moralis contemptûs Deo illata.

11. *Confirm.* Confirm. magis placet Deo satisfactio Christi, quàm eidem displiceat iniuria, sibi per modum moralis contemptûs illata: quia illa placet Deo, quantum eidem placet persona Diuina, quam satisfactio per modum obsequij exhibet & subijcit Deo: hæc verò displicet, quantum eidem displicet affectus peccatoris, qui cùm sit finitus, limitatus cognitione finitâ, non nisi finitè displicere potest Deo.

12. *Altera ratio à priori.* Altera ratio sumitur ex diuerso modo, quo dignitas personæ satisfacientis includitur in opere satisfa-

satisfactorio, & dignitas personæ offensæ in actione iniuriosâ. Nam in opere satisfactorio includitur vt forma hypostatica physicè vnita cum naturâ operante; in offensâ vt terminus & obiectum extrinsecè terminans moralem contemptum peccatoris. Forma hypostatica physicâ vnione coniuncta cum natura, non limitat suum effectum formalem, sed totam quoad totum intrinsecum esse & perfectionem se illi communicat. Obiectum non se communicat actui voluntatis, nisi limitatè mediâ cognitione finitâ: quia non se communicat se ipso constituendo vnum cum illo, sed solùm vt terminus extrinsecus moralis contemptûs peccatoris.

13. *Dices.* *Obijcies.* Offensa eò est altioris ordinis, quò fit à personâ viliori contra digniorem: satisfactio contrà eò est altioris ordinis, quò exhibetur à digniori erga viliorem. At offensa fit à creaturâ personâ vilissimâ contra Deum personam dignissimam: Satisfactio Christi exhibetur à personâ æquali erga æqualem: igitur altioris ordinis est offensa, quàm Christi satisfactio.

14. *Resp.* 1. Resp. 1. etiam in Christi satisfactione compensatum fuisse hunc excessum offendentis & offensi, qui reperitur in offensâ creaturæ contra Deum: nam Christus non solùm submisit & humiliauit se Deo, sed etiam creaturis, voluntariè sustinẽdo ab ipsis offensas propter Deum.

15. *Resp.* 2. 2. Hunc excessum compensari potuisse tum ex intimiori modo, quo persona Verbi concurrebat ad ad læsionem recipiendam, per intrinsecam subiectationem in naturâ assumptâ, quo pacto non concurrit Deus ad iniuriam sibi factam sustinendam: tum ex digniori bono, quod Christus in recompensam offerebat Deo, quæ erat persona increata Verbi totâ suâ intrinsecâ perfectione & Maiestate: cùm tamen per offensam à creaturâ illatam Deo nulla perfectio Dei re ipsâ lædatur.

16. *2. Assertio ex primâ deducta.* Dico 2. Satisfactio Christi est altioris ordinis quâuis offensâ illatâ Christo, etiam cum certâ scientiâ Diuinitatis ipsius. Fundam. satisfactio Christi includit personam Verbi totâ suâ increatâ perfectione & Maiestate, quam per modum obsequij in recompensam Christus offerebat Patri: occisio verò Christi solùm pro termino & effectu habebat destructionem humanæ vitæ Christi, vt moraliter tantùm dignificatæ à personâ increatâ Verbi. Vnde sicut inferioris ordinis bonum est, infinita dignitas tantùm moralis, quàm infinita dignitas & moralis & entitatiua simul; ita altioris ordinis fuit satisfactio Christi, quæ vtramque dignitatem personæ increatæ includebat, quàm fuerit offensa scienter illata Christo, quæ solùm pro termino & effectu habebat destructionem infinitæ dignitatis moralis vitæ humanæ Christi.

17. *Dices.* Dices: saltem occisio Christi ab ipso Christo sibi ipsi per impossibile illata fuisset eiusdem ordinis cum satisfactione Christi: nam hæc saltem offensa intrinsecè includeret personam offendentem.

18. *Resp.* Nego anteced. nam neque hæc includeret destructionem increatæ personæ Verbi, sed solius vnionis hypost. cum naturâ humanâ. Vnde quamuis in ratione damni illati, foret eiusdem ordinis, quia re ipsâ auferret personam increatam quoad totam moralem & entitatiuam perfectionem & dignitatem à naturâ assumptâ, respectu cuius illam quasi destrueret; in ratione tamen offensæ contra Deum, esset inferioris ordinis, quia non haberet pro termino destructo personam increatam, sicut satisfactio habet pro dono exhibito per modum obsequij & recompensæ eandem personam increatam Verbi. Cæterùm offensa non requirit coniungi cum personâ offendente, sed cum personâ offensâ.

19. *3. Assertio.* Dico 3. Satisfactio Christi non fuit altioris, sed eiusdem ordinis cum peccato occisionis Christi inuincibiliter putato destructiuo increatæ personæ Verbi.

Fundam. Fundam. in tali peccato putatiuè est tantum malum causaliter, quantum bonum per modum doni & obsequij continetur in opere satisfactorio Christi: nam occisio Christi inuincibiliter putata destructiua increatæ personæ Christi, causaliter putatiuè contineret destructionẽ increatæ personæ Christi quoad totam suam dignitatem, & moralem, quam communicaret naturæ assumptæ; & physicam, quam haberet in se. Igitur tantum malum contineret causaliter putatiuè tale peccatum, quantum bonum continet satisfactio Christi: cùm hæc non maiorem perfectionem per modum obsequij contineat, quàm personam Verbi quoad vtramque dignitatem, moralem in actum refusam, & physicam in se.

20. *Obijcies* 1. Satisfactio Christi intrinsecè coniungitur cum personâ Christi: læsio autem etiam inuincibiliter putata destructiua personæ Christi, nõ nisi extrinsecè coniungeretur cum personâ offendente: ergò adhuc altioris ordinis est Christi satisfactio, quàm foret eiusdem occisio inuincibiliter putata destructiua increatæ personæ Verbi.

21. *Resp.* Nego conseq. nam læsio seu offensa passiua non debet coniungi cum personâ offendente, sed cum personâ offensâ: contrà satisfactio per se requirit coniungi cum personâ satisfaciente, non cum eâ, cui satisfit. Igitur vt læsionis offensa sit eiusdem ordinis cum satisfactione, non requirit coniunctionem cum offendente, sed cum offenso, modò bonum per læsionem destructum, sit eiusdem perfectionis & ordinis cum bono per satisfactionem exhibito.

Ratio. Ratio: passiua læsio ex fine & intentione lædentis per se dirigitur ad lædendum alterum: ergo per se non debet coniungi cum offendente, sed cum offenso. Contrà verò satisfactio est obsequiosa submissio & honorifica exhibitio facta offenso in compensationem offensæ: submissio autem & honor per se debent esse in eo, qui alteri se submittit, & honorat.

22. *Obijcies* 2. Satisfactio Christi re ipsâ includit per modum obsequij infinitum bonum increatæ personæ Verbi, quæ in compensam exhibetur Deo: peccatum occisionis Christi inuincibiliter putatum destructiuum increatæ personæ Verbi, nonnisi putatiuè contineret destructionem infiniti boni: ergo altioris ordinis est satisfactio Christi, quàm huiusmodi peccatum.

23. *Resp.* Nego conseq. nam coram Deo eiusdem malitiæ esset hoc peccatum, ac si re ipsâ talem destructionem inferret. nam coram Deo omnis, ac tota illa malitia, & damnum inde secutum nobis ad culpam imputatur, cuius nos moralis causa sumus, etiam putatiuè, cùm etiam peccatum putatum sit Diuinæ Maiestatis offensiuum: ergo eâ grauitate erit peccatum Diuinæ Maiestatis offensiuum, quâ vt tale à peccatore cognoscitur & putatur.

24. *Coroll.* Infertur, peccatum occisionis Christi cum certâ scientiâ patratum, esse altioris ordinis quouis alio peccato extra personam Christi cõtra Deum commisso: peccatum verò occisionis eiusdem cum inuincibili ignorantiâ quòd in re ipsâ foret destructiuum personæ Verbi, adhuc fore altioris ordinis quolibet alio peccato.

25. *Dices.* *Obijcies.* Ex eo quòd occisio Christi scienter patrata intrinsecè lædat Deum in assumptâ naturâ, non sequitur quòd sit peccatum altioris ordinis, quàm

quàm reliqua: quia peccatum in ratione peccati non cõstituitur læsione, quæ recipitur in læso, hæc enim est tantùm effectus & damnum secutum ex peccato, sed actione, quæ exercetur à lædente. Actio autem quâ quis sciens occidit Christum, non constituit peccatum in ratione peccati in diuerso ordine à reliquis. nam etiam reliqua peccata, quorum malitia principaliter consummatur in actione externâ, constituuntur ex actione interiori voluntatis & exteriori membrorum, liberè exercitâ

26. *Resp.* à peccatore. Nego sequel. nam licet peccatum occisionis Christi non constituatur, in ratione peccati formaliter, læsione passiuâ, constituitur tamen læsione actiuâ vt virtute & causaliter continente passiuam: nam actiua, vt continens passiuam, integrat vnum actum humanum cum actu interno peccatoris volendi occidere, & vt sic constituit peccatum in ratione offensæ diuinæ in diuerso ordine à reliquis peccatis, quæ tantùm extrinseco contemptu & intentionali affectu tendunt in Deum.

27. *Ad prob. minor.* Itaque concedo, reliqua peccata, quorum malitia principaliter cõsummatur in actione externâ, constitui ex actione internâ & externâ: nego tamen ea esse eiusdem ordinis cum occisione Christi: nam reliqua non constituuntur ex actione internâ & externâ, virtute & causaliter continente physicam læsionem Christi, sed dumtaxat proximi, & extrinsecam iniuriam Dei.

28. *Ad rat. dubitandi pro parte affir.* Patet ad rationem dubitandi: nam licet coram hominibus, qui solùm externa attendunt, non teneamur, nisi ad damnum, quod re ipsâ nostrâ actione intulimus, coram Deo tamen, qui aspicit etiam interna, tenemur ad damnum etiam quod inuincibiliter putamus nostrâ actione inferri. Vnde nec satisfaceremus nostræ conscientiæ, si non compensaremus totum illud damnum, quod inuincibiliter putabamus liberâ nostrâ actione inferre proximo. *Dices.* DICES: Non tenemur resarcire damnum putatiuè tantùm proximo illatum, postquam nouimus, nullum damnum proximo re ipsâ nos intulisse: ergo nec tenemur Deo satisfacere pro damno putatiuè tantùm ipsi illato, vbi nouerimus, nos nullum damnum re ipsâ Deo intulisse.

Ratio discriminis. Resp. neg. conseq. nam proximo non tenemur, nisi de damno re ipsâ illato, quia non tenemur nisi de nocumento illi facto: at Deo tenemur etiam de damno putatiuè tantùm illato, quia tenemur ei satisfacere de displicentiâ, quam ex nostris etiam internis & putatiuis peccatis concipit: pro quibus tamen non tenemur proximo satisfacere, qui nullam de internis nostris peccatis displicentiam concipit.

29. *Ad fund. Medinæ.* Ad fundam. *Medinæ* neg. Minor. Ad 1. prob. nego peccatum propriè & physicè, sed tantùm moraliter de se esse contristatiuum Dei, aut destructiuum felicitatis eiusdem: vt non dicitur ignis combustiuus cœli, quia ad hoc requiritur capacitas termini; ita nec Deus est capax cõtristationis, destructionisve. Contrà verò satisfactio Christi reipsâ est exhibitiua & submissiua increatæ Maiestatis in obsequium Dei, quia in concreto reipsâ Christus offert suam increatam personam, & tanquam principium operationis, & tanquam materiam obsequij.

30. *Dices.* DICES: ergo neque peccatum inuincibiliter putatum destructiuum Deitatis erit infinitæ malitiæ & damni, quia neque reipsâ infert infinitum damnum Deo, sed tantùm per affectum.

Resp. Resp. neg. conseq. nam licet reipsâ non inferat infinitum damnum Deo, infert tamen putatiuè, *Affectûs dispar ratio.* quod sufficit vt talis malitia imputetur peccatori, quæ ab eo cognoscitur. Affectus autem, quo peccator vellet, si posset, destruere Deum, cùm nec reipsâ, nec putatiuè infinitum damnum inferat Deo, non imputatur ei ad damnum infinitum, vel ad malitiam talis damni causatiuam, sed solùm ad eam malitiam, quam continet affectus in se, quæ cùm sit limitata ex limitatâ conditione, non potest esse nisi finita. Ratio: catenus affectus contrahit malitiam damni, quatenus componit vnum actum moralem cum actione damnificatiuâ: vt autem componat, debet vel reipsâ, vel saltem putatiuè talis actio liberè à peccatore poni: non potest, ne putatiuè quidem, liberè à peccatore poni, dum cognoscitur impossibilis.

Ad 2. nego satisfactionem Christi, fuisse à Christo tantùm vt homine, sed vt homine Deo: nam duo ad satisfactionem requiruntur, & physica entitas actus, & moralis dignitas personæ operantis. 31. *Ad secundam n. 3.* Prior est ab humanitate, posterior deriuatur à supposito diuino in physicam entitatẽ actus perfectiori modo, quàm in actû peccati à personâ offensâ deriuetur iniuria: quia hęc deriuatur tantùm vt obiectũ extrinsecè terminans actum iniuriosum; illa verò vt forma hypostatica physicè vnita cum naturâ operantis, & per modum obsequij inclusa in ipso opere satisfactorio. Ad 3. nego pœnam, quam pertulit Christus, non fuisse morali æstimatione, maiorem quâcunque pœnâ debitâ peccatis. 32. *Ad 3. prob. num. 4.* Omnis enim pœna formaliter consistit in priuatione alicuius boni sibi debiti; Christus autem per mortem priuatus est excellentiori bono, quàm priuari queat vlla pura creatura; quia priuatus est vitâ Dei, quæ antecellit omne bonum creatum, imò etiam bonum increatum, quo fruuntur beati: nam ad hoc non nisi extrinsecè concurrit Deus, ad vitam autem humanam Christi intrinsecè concurrebat Verbum. Ad fundam. secundæ, nego, satisfactionem puri hominis, aut esse eiusdem ordinis cum offensâ per peccatum illatâ Deo, aut æquiualentem satisfactioni Christi, *vt suprà.* 33. *Ad fund. 2. Sentent.*

SECTIO II.

An valor operum Christi fuerit infinitus simpliciter?

QVadrifariam ex *S. Tho. 3. p. q.* 48. considerari possunt opera Christi: vt meritum, vt satisfactio, vt sacrificium, vt redemptio: 1. modo respiciunt præmium, quod sibi & nobis promeruerunt; 2. debitum, cui satisfecerunt; 3. Dei honorem, quem à creaturâ læsum resarserunt; 4. hominem captiuum, quem redemerunt. nam hæc omnia Christi passio nobis præstitit; meruit enim nobis gratiam & gloriam, satisfecit debito pœnæ & culpæ ex peccato contracto; diuinum honorem læsum resarsit, humanum genus captiuum redemit: ad quæ omnia, superabundans fuit ipsius operum valor. Vlteriùs quærimus, an ille in ratione valoris fuerit infinitus simpliciter? 34.

PRIMA Sententia negat: *Scoti in 3. dist. 19. q. vn. §. In istâ quæst. Lycheti ibid. Gabr. ibid. art. 2. concl. 3. Durandi in 3. dist. 20. q. 2. num. 6. & in 4. distinct. 15. q. 1. nu. 7. Marsil. in 3. quæst. 12. art. 2. in resp. argu. Ioan. Medinæ Cod. de satisfact. quæst. 1. & reliq.* opinantium, opera Christi ex solâ acceptatione fuisse satisfactoria. 35. *1. Sentent.* Fundam. *Scoti*: Opera Christi in ratione meriti & satisfactionis fuerunt finita, quia à principio finito: ergo eorum valor fuit finitus. 36. *Fundam. Scoti.* Quia valor est proprietas consequens bonitatem moralem operationis: sed bonitas moralis operum

operum Christi fuit finita, quia consequebatur
37. *Confirm.* entitatem finitam: ergo. Confir. 1. Si Christi meri-
tum esset infinitum, æquè placeret Deo, ac ei pla-
cet suum velle increatum, cùm vtrumque sit infini-
38. *Secundò.* tum: consequens est falsum. 2. Si meritum Chri-
sti esset infinitum, aut vnum infinitum esset maius
alio, aut certè non plùs Deo placerent omnia ope-
ra Christi, quàm vnum tantùm: sicut non plus
Deo placent sua essentia & creaturæ simul, quàm
39. *Tertiò.* sua essentia tantùm, quia infinitum additum infini-
to non facit maius. 3. Si meritū & satisfactio Chri-
sti esset infinita, exhausta esset omnipotentia Dei
in ordine ad meritum & satisfactionem, cùm non
40. *2. Sentent.* posset efficere meritum & satisfactionem maiorem.

SECVNDA quorumdam Recentiorum affir-
mat, meritum Christi formaliter & secundum se
non esse infinitum simpliciter, sed tantùm secun-
dùm quid; esse autem infinitum simpliciter, con-
Probant primum. sideratum materialiter & causatiuè, in ordine ad
præmium merendum. Probant 1. illud tantum me-
ritum formaliter & secundùm se est infinitum sim-
pliciter, quo maius in ratione meriti excogitari
nequit: quolibet autem merito Christi assignato,
semper potest maius assignari: nam meritum Chri-
sti componitur ex actu finito, & infinitâ dignita-
te personæ merentis: sed quolibet actu Christi as-
signato, assignabilis est perfectior; ac proinde per-
fectius meritum simpliciter: nam, vt crescat me-
41. *Confirmat.* ritum in ratione meriti, sufficit, vt ex vnâ tantùm
parte crescat. Confir. non minùs componitur pec-
catum ex infinitâ dignitate personæ offensæ, & co-
gnitione affectuque finito offendentis, quàm Chri-
sti meritum ex infinitá maiestate personæ meren-
tis, & actu finito naturæ elicientis: at ex eo quòd
peccatum crescere potest ex maiori cognitione af-
fectuque offendentis, esto crescere nequeat ex
maiori dignitate personæ offensæ, non dicitur in-
finitum simpliciter: ergo similiter ex eo quòd me-
ritum Christi crescere potest ex opere meritorio,
seu satisfactorio, esto crescere non possit ex digni-
tate personæ merentis seu satisfacientis, non dice-
tur infinitum simpliciter, sed secundum quid & in
certo genere.

42. *Probant secundum.* Probant secundum: nullum est excogitabile
præmium, ad quod promerendum quiuis actus
Christi, quantumuis minimus, non sit condignum
meritum: scil. quiuis actus Christi de se est condi-
gnè meritorius alicuius magni præmij: quantitas
enim præmij condigni non tam pensanda est ex o-
pere meritorio, quàm ex personâ præmiandâ &
præmiante: idem facinus gestum à Duce, maius
meretur præmium, quàm gestum à simplici milite;
maiusq; meretur prēmium, si debeat ab Imperatore,
quàm ab alio inferiori Principe remunerari. At cùm
hic tam præmians, quàm præmiandus sit Deus, non
potest quicunque vel minimus actus à Christo eli-
citus, non esse magni præmij meritorius apud
Deum: nullum autem præmium respectu Christi
merentis potest esse magnum: nam attentâ maie-
state præmiantis & præmiandi (vterque enim est
Deus infinitæ dignitatis) nullum præmium datum
à Deo in remunerationem cuiuscúque actûs Chri-
sti, potest esse condignum, ne quidem vnio hypo-
An præmiū respectu Christi magnum? statica. Nam licet hæc ratione termini in donum
collati sit infinita, quia includit personam infinitæ
dignitatis, quia tamen donum non tam attendi de-
bet secundùm se, quàm in ordine ad eum, cui
datur, cumque persona diuina detur naturæ crea-
tæ mediâ vnione finitâ, ideo persona diuina, et-
iam hypostaticè communicabilis creaturæ, limita-
tur ad donum & præmium finitum. Sicut licet Deus
vt obiectum beatificum sit infinitus, quia tamen
communicat se Beatis visione finitâ, donum est sim-
pliciter finitum. Contrà verò in remuneratione
attenditur persona operans; & quia hæc in Christo
non participat Deitatem finito, sed infinito modo,
scil. essentialiter (est enim Christus essentialiter
Deus) ideo persona Christi, vtpotè infinitæ digni-
tatis, quolibet suo opere digna est maiori præmio,
quàm sit vnio hypostatica cum naturá creatâ: cùm
quænis includat personam diuinam in ratione do-
ni finito modo; persona Christi in ratione prin-
cipij operantis, infinito modo includat Dietatem.

Multa in hac sententiâ displicent. 1. quod meri- 43. *In hâc sent. quamuis ingeniosâ displicet 1.*
tum Christi in ratione meriti formaliter, sit simpli-
citer finitum. Nam in hac sententiâ meritum for-
maliter in suâ adæquatâ & totali ratione mouendi
præmiantem, consistit in solo opere honesto an-
tecedenter ad personam operantem, à quâ non ac-
cipit opus honestum formalem rationem meriti,
sed solùm se habet vt terminus, in ordine ad quem
mensuranda est quantitas præmij condigni, quod
tali operi in ordine ad talem personam merentem
debetur. Quare tota ratio meritoriè mouēs Deum
in opere Christi, est finita, nempe ipsa bonitas mo-
ralis intrinseca operi, quæ finita est; cùm persona
operans non concurrat vt antecedenter mouens ad
præmium, sed tantùm vt terminus, in ordine ad
quem regulanda est mensura præmij condigni. 2. 44. *Displicet 2.*
Sequitur ex hac sententiâ, nullam posse condignam
pœnam assignari pro mortali: quod est contra *au-
ctorem*, docentem, pœnam condignam mortali es-
se finitam in infinitum: contrà verò præmium con-
dignum merito Christi causatiuè & materialiter
sumpto, esse infinitum simpliciter. Sequel. prob.
non minùs *per aduersarios* offensa mortalis includit
infinitam Maiestatem personæ offensæ, quàm me-
ritum Christi infinitam Maiestatem personæ ope-
rantis: nec minùs in taxandâ pœnâ demerenti, ha-
betur ratio personæ offensæ, quàm in taxando præ-
mio promerenti, habetur ratio personæ operantis:
cùm non minùs grauitas offensæ, ac proinde quan-
titas pœnæ sumenda sit ex dignitate personæ offen-
sæ, quàm magnitudo præmii ex persona operante:
sed ex eo quòd persona operans est infinitæ Maie-
statis, nullum præmium potest esse tali operi con-
dignum: ergo ex eo quòd persona offensa est in-
finitæ maiestatis, nulla pœna poterit esse tali offen-
sæ condigna.

DICES: offensam limitari ex cognitione & affe- 45. *Dices.*
ctu finito offendentis, atque adeò licet sit contra
personam infinitam, non habere tamen malitiam
infinitam, ac proinde nec illi debitam esse pœnam
infinitam. Sed contrà: etiam meritum Christi for- 46. *Contrà.*
maliter sumptum limitatur ex cognitione & affectu
finito voluntatis Christi; est enim opus elicitum ex
cognitione & voluntario finito. Confir. sicut meri- *Confirm.*
tum Christi, etiamsi in ratione meriti formaliter sit
finitum, tamen mouet ad præmiū simpliciter infini-
tum, eo quòd quantitas præmij mensurāda est non
ex finitate operis, sed ex infinitate personæ merētis:
ita demeritum, etiamsi in ratione demeriti & offen-
sæ sit finitum, mouere tamen ad pœnam simplici-
ter infinitam, cùm etiam quantitas pœnæ non tam
mensuranda sit ex actu offendentis, quàm ex di- 47. *Discrimen sufficiens nullum.*
gnitate & maiestate personæ offensæ. Nec dici po-
test, ideo meritum Christi esse condignum quo-
cumque præmio excogitabili, quia licet vt meri-
tum formaliter sit finitum, habet tamen valorem
simpliciter infinitum: offensa autem mortalis nec
est infinita, nec habet condignitatem ad pœnam
infinitam. Nam non ideo *per aduersarios* meritum
Christi

Christi habet valorem simpliciter infinitum, quia in se est infinitum, sed quia propter Maiestatem personæ operantis, exigit præmium simpliciter infinitum, vnde dicitur infinitus tantùm causaliter. ergo offensa etiamsi in se finita, propter Maiestatem exiget pœnam simpliciter infinitam.

48. *3. Maximè displicet.* 3. Displicet, quod hæc sententia asserit, nullum actum Christi condigno præmio potuisse à Deo remunerari. nam hinc sequitur infinitam omnipotentiam Dei exhaustam fuisse à quolibet vel minimo actu Christi, imò vel vnius actus Christi valorem in infinitum excessisse omnia præmia, quæ Deus infinitâ omnipotentiâ conferre potest. Vnde infinitæ vniones hypostaticæ non essent in hac sententiâ condignæ ad præmiandum vel vnicum actum Christi: nam infinitis in præmium datis, idem actus vlteriori præmio dignus esset. Confir. 1. potest vnus Rex æqualis potentiæ & maiestatis adæquatè præmiare meritũ alterius Regis eiusdem potentiæ & Maiestatis: ergo poterit Deus adæquatè remunerari meritũ Christi. nam ita se habent duo Reges æqualis potentiæ & maiestatis in ratione merentis & præmiantis, sicut Christus & Deus. Antec. ostẽdo: sicut meritum vnius Regis ratione personæ merentis dignũ est præmio regia Maiestate proportionato: ita meritum Christi ratione personæ merentis dignum est præmio increatâ maiestate proportionato. 2. Posset persona Patris incarnari, & in præmium vnius actus Christi exhibere suum obsequium; sed tale obsequium Patris Christo exhibitum, esset præmium æquale Christi merito: nam sicut *per aduers.* meritum Christi ratione personæ operantis, dignum est quocunque præmio excogitabili: ita obsequium Patris Christo exhibitum, propter eamdem personæ obsequẽtis maiestatem, dignum erit quocumque præmio excogitabili, & consequenter vt acceptetur. Quod si concedatur hoc casu, obsequium Patris incarnati esse condignum præmium respectu meriti Christi, falsum erit simpliciter, meritum Christi nullo posse præmio excogitabili condignè remunerari:

49. *Possibile est præmium æquale merito Christi.*

50. *Confirm. 2. à pari.*

51. *Displicet 4.* 4. Displicet in hac sent. quòd vnio hypostatica terminata ad personam diuinam, etiam vt includens personam diuinam formaliter, non sit condignum præmium, sed infinitè inferius respectu vnius actus meritorij Christi; tum quia hinc sequitur, de facto Deum per Incarnat. non communicasse naturæ humanæ infinitum donum simpliciter: quod est contra Patres loquentes de hoc dono vt de dono infinito simpliciter: tum quia ideo vnio hypostatica, etiam vt includens personam diuinam, non est in ratione doni *per aduers.* infinita, quia persona diuina, quæ datur in donum, limitatur ab vnione finitâ: sicut quia, inquiunt, obiectum beatificum infinitum limitatur à visione finitâ, non est in ratione doni infinitum. At hoc falsum est: 1. quia persona diuina per vnionem hypostaticam communicat se naturæ creatæ vt forma hypostatica intrinseca, constituens vnum substantiale cum naturâ: ergo communicat se illi ex totâ suâ dignitate ac maiestate, sicut quæuis forma subiecto, cum quo constituit vnum. Nec obstat quòd vnio sit finita: nam licet hæc limitare possit concursum sustentatiuũ, haud tamen limitare potest effectum formalẽ, quia hic nihil aliud quàm forma vnita subiecto. Nec est par ratio de visione beatâ limitante obiectum beatificum infinitum, quia visione beatâ non communicat se Deus intrinsecè & substantialiter creaturæ, sed tantùm extrinsecè & obiectiuè.

An vnio hyp. post. esset condignum præmium?

52. *Confirm.* Confirm. Si persona diuina vnione limitaretur, vt non totâ suâ dignitate se communicaret naturæ, posset aliâ vnione perfectiùs se communicare; sicut quia obiectum beatificum limitatè se communicat beatis visione, potest perfectiùs in ratione obiecti beantis se communicare: intelligibile autem non est, quòd eadem persona diuina in ratione termini suppositantis possit se perfectiùs communicare naturæ: sicut neque *per aduers.* intelligibile est, quòd eadem persona in ratione suppositi operantis, possit se perfectiùs eidem naturæ communicare. 53. *Contra authorem.* 2. Sequeretur, personam Christi etiam limitatè se communicare naturæ operanti ac merenti, ac proinde non deberi illi præmium simpliciter infinitum: quia præmium non debetur personæ secundum se, sed vt operanti ac merenti formaliter ratione humanitatis; ergo si humanitati non est vnita per identitatem, sed per vnionem non debetur illi vt operanti ac merenti per humanitatem, præmium simpliciter infinitum. 54. *Confirm.* Confirm. Si persona Christi communicaret se humanitati per identitatem, maiori præmio esset digna: ergo de facto non meretur omne præmium excogitabile siquidem excogitari posset maius, quod responderet personæ operanti per humanitatem sibi identificatam. Sequela prob. præmium non debetur soli personæ, aut soli naturæ, sed vtrique simul, cùm vtraque per se ad meritum concurrat: at maius præmium debetur personæ operanti per naturam sibi identificatam; quia sicut persona perfectiùs se communicat naturæ per identitatem, ita & operationi per naturam sibi identificatam exercitæ: vt patet in eâdem personâ Verbi perfectiùs operante cum naturâ diuina sibi identificatâ. Vnde si posset per talem operationem esse capax præmij, longè altioris præmij esset digna, quàm vt operans per naturam à se distinctam.

55. *Vltimò sic argumentor.* Vlti. argu. Si valor satisfactorius operum Christi fuisset condignus quolibet præmio excogitabili, fuisset etiam condignus, vt ante vllam promissionem Dei, extingueret totum debitum generis humani, & ius quod propter illud Deus habebat in homines: at non fuit Christi satisfactio ad hoc cõdigna: ergo hoc esset præmium excogitabile maius. Minor est *aduers.* scil. etiam oblatâ infinitâ satisfactione à Christo, nisi intercessisset promissio, adhuc mãsisset in Deo ius exigendi aliam satisfactionem ab hac numero personâ, quæ peccauit. Maior prob. etiam hoc in sent. *aduers.* cadere potest sub præmium; ergo si hoc non habuit satisfactio Christi, non fuit condigna omni præmio excogitabili. Antec. prob. ipsi dicunt, posse Deum condonare totum peccatum, nullo actu à peccatore requisito: ergo potuit totum hoc ante vllum pactum Christi satisfactio obtinere.

56. *3. Sentent. sequenda.* Tertia affirmat, meritum Christi fuisse simpliciter infinitum: *Alens. 3. p. quæst. 17. memb. 4. art. 2. Bonau. in 3. dist. 13. art. 1. quæst. 2. S. Thom. 3. p. quæst. 1. artic. 2. ad 2. & quæst. 7. artic. 11. ad 2. & quæst. 48. art. 2. ad 3. & quodl. 2. ar. 2. & in 3. dist. 20. quæst. 1. art. 2. Palud. q. 2. art. 2. Capreol. art. 1. concl. 2. & 3. Aureol. q. 1. Argent. q. 1. ar. 2. Richar. dist. 13. art. 1. quæst. 2. Ferrar. 4. cont. gent. cap. 55. §. Ad eund. Caiet. 3. p. q. 1. art. 2. ad 3. dub. Sot. lib. 3. de grat. cap. 6.* & omnes ferè Recentiores. 57. Quæ sententia omninò vera est. Multa afferri solent testimonia Patrum; vnicum illam efficaciter probat, *Clemen. VI. in extrauag. Vnigenitus*: vbi Pontifex expressè docet, infinitum thesaurum suis meritis Christum nobis thesaurizasse, vt propterea de eius consumptione formidandum non sit, *Propter infinita*, inquit, *Christi merita*, absolutè & sine vllâ limitatione.

Probant

58. *Prima ratio pro 3. sent. 1. Prob.* Probant ex eo, quòd Christi satisfactio non modò sit condigna pro quâcunque iniuriâ grauiori in infinitum; sed etiam pro quocunque numero iniuriarum possibilium, & pœnis illis debitis: sicut ex effectibus perfectioribus in infinitum, ad quos se extendere potest omnipotentia Dei, arguitur infinita virtus productiua in Deo; ita ex iniurijs grauioribus in infinitum, ad quas per modum condignæ satisfactionis se extendere potest satisfactio Christi, argui debet infinitus valor illius in ratione satisfactionis.
59. *2. Prob.* Et quotiescunque effectus multiplicatus, maiorem requirit virtutem in causâ, si in infinitum multiplicetur effectus, in infinitum quoque augebitur virtus in causâ. nam sicut quiuis effectus determinatam poscit virtutem in causâ, ita infiniti infinitam; sed quæuis iniuria determinatam postulat satisfactionem; ergo infinitæ infinitam; ergo si quilibet actus Christi se extendere valeat ad infinitas iniurias condignè compensandas, actu continet valorem infinitarum satisfactionum, quas requirerent infinitæ iniuriæ.

60. *Reijcitur 1. Ratio.* Verùm ex hoc discursu non infertur, nisi valor ordine tantùm infinitus, qui intra eumdem ordinem finitus, sufficere posset pro iniurijs & pœnis infinitis, vt de offensâ contra Deum *sect. 1. praced. disput.* Hîc autem contendo, valorem satisfactionis Christi non solùm esse infinitum ordine, sed etiam intra eumdem ordinem moralis bonitatis, esse infinitum.
61. *Ad 1. prob. negatur paritas. Vera calculandi ratio.* Vnde ad 1. prob. ex infinitis effectibus perfectioribus calculamus infinitos gradus virtutis productiuæ eiusdem ordinis in Deo; ex infinitis autem iniuriis & pœnis non calculamus infinitos gradus virtutis satisfactiuæ in actibus Christi, sed tantùm vim satisfactiuam supremi ordinis, quæ sufficiat ad infinitas iniurias condignè compensandas. Rectè igitur ex infinitis possibilibus arguimus infinitam potentiam in Deo; non ex infinitis iniuriis & pœnis possibilibus infinitum valorem in actibus Christi. nam vt calculetur infinita virtus, debet calculatio fieri per additionem virtutis ad virtutem eiusdem ordinis; vbi autem calculatio non fit per gradum ad gradum eiusdem ordinis, sed vel transcenditur ex vno ordine virtutis ad alium, vel tota calculatio effectuum possibilium non excedit finitam virtutem causæ superioris ordinis, non necessariò calculatur virtus infinita.
62. *Antec. prob.* Antec. prob. quilibet effectus vt creabilis ex modo, quo producitur independēter à subiecto, requirit in causâ virtutem productiuam supremi ordinis, emersam ab omni potentialitate, per modum actus puri: igitur infiniti effectus creabiles perfectiores quoad entitatem, calculabunt infinitos gradus virtutis productiuæ eiusdem ordinis actus puri in Deo. nam quiuis effectus, ratione productionis, requirit virtutem per modum actus puri in causâ; ratione verò entitatis perfectioris & perfectioris, requirit perfectiorem & perfectiorem virtutem intra eumdem ordinem actus puri.
63. *Altior actu puro gradus non datur.* Nec potest saluari per virtutem productiuam altioris ordinis, quia non datur ordo altior actu puro. infinitæ verò iniuriæ grauiores, aut sumuntur in ordine ad creaturas, contra quas fieri possunt; & tunc sistendo in grauissimâ contra Deum, sicut hæc est infinita tantùm ordine, finita intra eumdem ordinem; ita infinitam tantùm ordine, non perfectione ac valore requiret satisfactionem. Aut sumuntur infinitæ iniuriæ grauiores tantùm contra Deum: & tunc neque illæ calculabūt infinitam satisfactionem: quia cùm omnes istæ iniuriæ sint inferioris ordinis, quàm Christi satisfactio, poterit hæc quamuis finita, esse sufficiens pro iniurijs infinitis; cùm nulla iniuria ex se pro adæquatâ compensatione poscat Christi satisfactionem, quæ longè superioris ordinis est, quàm quæuis iniuria contra Deum: ergo neque infinitæ poscent Christi satisfactionem intra suum ordinem infinitam, sed poterunt condignè compensari Christi satisfactione in suo ordine finitâ.

64. *Ad 2. prob.* Maior secundæ prob. vera tantùm est, quando effectus, qui multiplicatur, vel est in eodem ordine cum suâ causâ, vel saltem requirit in illâ, vt adæquatam vim productiuam sui, virtutem supremi ordinis: iniuria autem illata Deo non est eiusdem ordinis cum satisfactione Christi, nec illam postulat vt adæquatam compensationem sui, sed longè excellentiorem. Vnde in Minori, quælibet iniuria determinatam postulat satisfactionem, intellige de iniuriâ, quæ sit eiusdem ordinis cum satisfactione.

65. *Altera ratio.* Secundò posset hæc infinitas valoris satisfactionis Christi colligi ex condignâ satisfactione pro peccato occisionis Christi sciēter patrato: sicut hoc peccatū non solùm est infinitum ordine, sed etiam intra eumdem ordinem, ratione damni quod infert, est infinitum simpliciter, eo quòd priuat vita Christi, quæ est infinitæ dignitatis simpliciter; ita etiam satisfactio pro tali peccato & damno illato condigna, erit infinita simpliciter.
66. *Hac ratio reijcitur.* Verùm neque hæc ratio rectè concludit: quippe quæ supponit, vitam humanam Christi moraliter dignificatam personalitate Verbi, esse infinitæ dignitatis simpliciter: atque adeò damnum, quod ex peccato occisionis Christi infertur, esse infinitum simpliciter: cùm tamen eadem sit ratio de valore & dignitate deriuatâ ex personâ Verbi in humanam Christi vitam ac in eius operationes.

67. *Vera ratio, quâ communiter vtuntur Schol.* Ratio huius sententiæ hæc est. Ideo opera Christi sunt infiniti valoris simpliciter, quia sunt opera personæ infinitè dignæ: nam, *teste Philos. actiones sunt suppositorum*: eius est agere, cuius est perfectè subsistere, quia agere supponit completum esse: eius est perfectè subsistere, quod vltimò & completè existit. at suppositum est, quod vltimò & complete existit: igitur suppositi est agere. cùm ergo natura humana Christi vltimò & complete existat per suppositum Verbi, operationes Christi erunt operationes Verbi. Nec est necesse, vt suppositum dicatur operari actiones naturæ, quam terminat: vt vel simul cum naturâ formaliter influat in illas, vel vt immediatè eas recipiat in se: nullum quippe suppositum formaliter influit in actiones naturæ, aut illas immediatè recipit in se, sed sufficit, vt substantialiter compleat naturam, vt per illam tanquam principium *quo*, denominetur agere vt principium *quod*. At opera personæ infinitè dignæ sunt infiniti valoris, nam persona est vna ex circumstantiis actûs humani, vt cum *Arist. 3. Eth. cap. 1.* docent Theologi: circumstantiæ autem vt *ex eod.* tradit *S. Tho. 1. 2. qu. 18. ar. 3.* suam bonitatem vel malitiam influunt in actum, quē circumstant: ergo persona infinita Verbi infinitàm influit dignitatem in actiones humanas Christi: igitur opera Christi ex circumstantiâ personæ operantis infinitum sortiuntur valorem.
68. At cur sola circumstantia personæ, non finis & obiecti tribuit totam dignitatem actui? non enim actus, qui versatur circa Deum finem & obiectum infinitum, est infinitæ dignitatis.
69. *Ratio cur finis & obiecti circumstantia non tribuat totam dignitatē actui.* Ratio sumitur ex diuerso modo, quo persona, finis, obiectum concurrunt ad actum: persona concurrit vt forma actus, obiectum & finis vt terminus habitudinis actus: forma intrinsecè includitur in suo effectu formali, vt albedo in albo; proinde persona, quæ moraliter digni-

gnificat suum actum, moraliter includitur in illo, vt forma in suo effectu formali: Terminus non includitur intrinsecè in habitudine actus, quem terminat: vnde tota dignitas & perfectio actus non sumitur formaliter ex obiecto, sed ex habitudine ad obiectum; alioqui non possent circa idem obiectum plures distingui specie actus: sicut quia dignitas & valor actionis sumitur ex personâ, non possunt plures actiones, vt ab eâdem personâ proficiscentes specie differre; nam quamuis illæ differant in proprio valore physico, penes diuersa obiecta & circumstantias extrinsecas; in morali tamen proueniente à dignitate personæ non differunt, sed sunt omnes æquales. Et hoc ideo, quia persona vt forma suæ operationis immediatè & per seipsam dignificat illam: nam eâ mediante seipsam offert ex totâ suâ dignitate in obsequium alterius, iuxta illud 1. *ad Timoth.* 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus*: Finis verò & obiectum solùm terminando habitudinem actus ad se: vnde ex diuersâ habitudine ad obiectum diuersa consurgit perfectio & dignitas in actu, quia obiectum non comparatur ad actum vt forma componens vnum morale cum illo, sicut persona; sed vt terminus extrinsecè terminans habitudinem actus ad se.

70. *Confirm.* Confir. Obiectum concurrit ad actum voluntatis limitatum cognitione finitâ, quia concurrit ad illum vt cognitum, & sub ratione, quâ cognoscitur. Persona verò ad actum meritorium non cōcurrit vt limitata, vel à cognitione, cùm non debeat cognosci, vt suos actus dignificet; vel ab vnione finitâ, quia vnio non potest limitare formam, quin se totam communicet subiecto.

71. *Calculus infinitus.* Ex his patet, cur ex infinitâ personâ ad operationem concurrente calculetur infinitus valor in operatione, & ex infinito obiecto terminante bonitatem vel malitiam actus non calculetur infinita bonitas aut malitia in actu: quia in priori calculatione persona concurrit ad suam operationem vt forma moralis intrinseca, & cōsequenter tribuens illi immediatè seipsam suamq; totam dignitatem; in posteriori verò obiectum concurrit vt terminus & forma extrinsecæ habitudinis actus ad se: & quia nō eâ proportione arithmeticâ, quâ crescit obiectum, crescit habitudo actus ad obiectum; crescente infinitè obiecto, non crescit infinitè bonitas, vel malitia actus ad tale obiectum. Est aliud discrimen:

72. *Aliud discrimen inter personam & obiectum.* persona est perfectio & bonum ipsius operantis, quod alteri in obsequium exhibet mediâ operatione propriâ; obiectum non est bonum & perfectio operantis; nec potest operans vt proprium bonum illud in obsequium ipsi obiecto amato offerre. Qui enim alteri obsequitur, non obsequitur exhibendo illi bonum ipsius, cui obsequitur, sed bonum suum proprium: præcipuum autem bonum obsequentis, est ipsa dignitas personæ, quæ tota offertur in obsequium alterius. Confir. Quan-

73. *Confirm.* tò vna persona in dignitate superat aliam, tantò ipsius operatio in dignitate superat operationem alterius: sed persona Verbi infinitâ dignitate & maiestate superat quamcūque personam creatam: ergo & ipsius operatio infinitâ dignitate superabit operationem cuiuscunque personæ creatæ. Quod autem excessu infinitæ dignitatis superat aliud, est infinitæ dignitatis in se: ergo operatio Christi infinito excessu dignitatis superans operationem cuiuscunque personæ creatæ, est infinitæ dignitatis & valoris in se.

74. *Dices.* *Obijcies* 1. Sub eâ ratione Verbum dignificat operationes humanas Christi, sub quâ terminat seu suppositat humanitatem: sed finito modo terminat humanitatem: quia terminat mediâ vnione finitâ; *Probationes 4.* supplendo perfectionem subsistentiæ creatæ; iuxta capacitatem naturæ, quæ tanta est, quanta erat perfectio propriæ subsistentiæ, cui commensuratur: terminat quantum opus est, vt natura subsistat, ad hoc autem non est opus infinitâ perfectione. Con- 75.

Resp. ad minor. cedo, Verbum finito modo terminare naturam humanam vt *quo*: nego finito modo terminare vt *quod*, quia terminat seipso immediatè: at terminatio hypostatica vltimatè & principaliter attenditur penes terminationem vt *quod*. Nam ea terminatio principaliter attendi debet, quâ formaliter natura ipsa subsistit: natura autem non vnione, quæ tantùm est via ad subsistendum, sed ipsâ increatâ subsistentiâ Verbi formaliter subsistit. Ex his patet 76.

Ad probationes 4. ad 1. prob. ad 2. concedo, Verbum terminare supplendo perfectionem subsistentiæ creatæ: quia verò illam supplet seipso immediatè, infinitam tribuit dignitatem naturæ, eâque mediante actibus naturæ. Ad 3. concedo, Verbum terminare natu- 77.

ram iuxta capacitatem ipsius, non naturalem, quæ proportionatur potentiæ terminatiuæ personalitatis creatæ, sed obedientialem, quæ proportionatur potentiæ terminatiuæ personalitatis increatæ. Ad 4. dico, Verbum terminare quantum opus est, 78.

vt natura subsistat, non quomodocunque, sed subsistentiâ increatâ: cùm enim hoc fiat per immediatam vnionem personæ increatæ, hoc ipso, quòd hæc vnitur naturæ creatæ in ratione suppositi, implicat, vt illam faciat subsistere, quantum opus est ad subsistendum simpliciter, & non quantum opus est ad subsistendum subsistentiâ increatâ.

Obijcies 2. Sanctitas habitualis creata non digni- 79.

Dices. ficat omnes actus virtutum: ergo nec sanctitas personalis increata, quia vtraque est forma moraliter influens in actus suppositi. Antec. prob. sanctitas habitualis creata nō dignificat actus virtutum moralium, alioqui absque vllo imperio alicuius virtutis infusæ redderet illos æternæ vitæ meritorios. Aliqui negant antec. putant enim gratiam habi- 80.

tualem eleuare omnes actus virtutum, etiam moralium ad eamdem dignitatem, eosque æternæ vitæ meritorios condignos reddere. At iuxta 3. *to. disp. vlt.* nego conseq. nam sanctitas personalis vnitur *Respondeo.*

naturæ vt suppositum; quod vt complet naturam in ordine ad esse simpliciter, ita perficit illam in ordine ad omnes operationes: omnis enim operatio tribuitur supposito, quod consequenter omnes operationes ab ipso producibiles dignificat, iuxta capacitatem earum; liberas & ex obiecto bonas, sub ratione meriti & satisfactionis; necessarias, vel ex obiecto indifferentes, sub ratione dignitatis personalis tantùm. Gratia verò habitualis vnitur animæ vt accidens subiecto: accidens autem, sicut non *Virtutum infusarum & acquisitarum discrimen in dignificando.* complet subiectum in ordine ad esse simpliciter, in ordine ad quod supponit illud completum, sed in ordine ad esse secundùm quid & accidentale; ita non perficit illud, proinde nec dignificat in ordine ad omnes operationes ab ipso producibiles, sed in ordine ad eas tantùm, quarum ipsa est principium mediis habitibus infusis, vt potentijs, quibus gratia suos actus operatur: virtutum moralium actus non dignificat, saltem in ratione operationis & meriti: esto illos dignificet in ratione formæ subiecto inhærentis.

Obijcies 3. Verbum non communicat actibus 81.

humanitatis dignitatem, quam habet in se, scil. increatam physicâ, sed solùm increatâ moralem; ergo non infinitam: nam hoc ipso quòd nō communicat eandem, communicat illam limitatè, atque adeò finitam. Concedo, non eamdem dignitatem communicari

82. municari actibus humanitatis, quæ est in Verbo, nam in Verbo est physica & intrinseca, in actibus moraliter & extrinsecè: cõmunicatur tamen proportionalis & infinita in genere morali, quia nullâ cognitione limitante personalitas Verbi moraliter dignificat illos, scil. seipsâ immediatè. Quare sicut dignitas Verbi est infinita & suprema in genere dignitatis physicæ; ita dignitas satisfactionis Christi est infinita & suprema in genere moralis dignitatis: nec solùm dicit infinitam dignitatem moralem refusam à personâ Verbi, sed ipsam increatam dignitatem Verbi, quam per modum obsequij in concreto cum ipso actu creato Christus exhibebat Deo.

Dignitas physica in Verbo, extrinseca moralis in actib. hum. infinita.

83. *Obijcies 4.* Si persona infinitè digna, infinitè dignificat suam operationem: ergo persona infinitè indigna, infinitè vilificabit suam operationem, & consequenter peccator, dum peccat, committit offensam infinitè indignam contra Deum.

84. *Resp.* Nego consequ. nam dignitas est perfectio positiua, quæ hoc ipso quòd est in personâ, quæ operatur, communicatur eius operationi, indignitas verò est tantùm negatio dignitatis; dicitur enim creatura infinitè indigna, quia comparata cum Deo habet negationem infinitæ dignitatis personalis, negatio autem propriè non communicatur, licet sit fundamentum concipiendi talem offensam in supremo ordine offensæ, quò fit, vt satisfactio Christi non modò sit in supremo ordine satisfactionis, sed etiam in tali ordine infinita; quia nec supra illam excogitabilis est satisfactio maior, & intra suum ordinem accipit infinitam dignitatem à personâ infinitè dignâ: offensa verò est infinita tantùm ordine, quia supra illam non est possibilis offensa superior ordine, cùm non sit possibilis persona offensa dignior, penes quam sumitur ordo offensæ. Non est tamen infinita intra suum ordinem quia nec est infinita ratione damni, cùm nullum damnum inferat Deo: nec habet infinitum affectum contemptiuum Dei; quia hic limitatur à cognitione finitâ, quâ peccator tendit in Deum.

Creatura indigna infinitè comparatiuè ad Deum.

Offensa non est infinita intra suum ordinem, sed ordine.

85. *Obijcies 5.* Vt aliquid sit infinitum, non sat est, vt ad illud concurrat principium infinitum, sed necessarium quoque est, vt nullum concurrat principium finitum; quia potest principium infinitum limitari à comprincipio finito. Ergo vt meritum Christi sit infinitum, non sat est, vt ad illud concurrat persona infinita, sed necesse etiam est, vt ad illud nullum concurrat principium finitum.

86. *Resp.* Assumptum tantùm verificari de infinito physico, & effectu causæ efficientis, non de infinito morali, & effectu formali; in hoc enim genere infinitum non limitatur à finito ad eumdem actum concurrente: quia cùm sit concursus formalis, ex naturâ suâ illimitabilis est.

87. *Obijcies 6.* Omnis circumstantia, vt suam moralem honestatem tribuat actui, debet esse cognita; debet enim intendi, nec potest intendi, nisi cognoscatur: ergo etiam personalitas Verbi, vt suum moralem valorem tribuat actibus Christi debet esse cognita; sed cognoscitur cognitione finitâ; ergo tribuit suum valorem limitatum cognitione finitâ.

88. *Resp.* Nego vniuersaliter antecedens, solæ enim circumstantiæ tenentes se ex parte obiecti debent cognosci, vt moralem honestatem tribuant actui; non quæ se tenent ex parte personæ operantis: vt constat in homine iusto, qui etiamsi ignoret se esse iustum, adhuc honesta ipsius actio est digna præmio hominis iusti, ergo etiamsi Christus non cognouisset se esse Filium Dei, adhuc actiones ipsius fuissent dignæ præmio Filij Dei. Ratio: circumstantiæ, quæ se tenent ex parte obiecti, tribuunt bonitatem intrinsecam actui, quæ reipsâ non distinguitur ab entitate actus, nec nisi vt cognitæ, ac solis actibus voluntatis, qui non tendunt nisi circa cognitum. Circumstãtia autem personæ tribuit extrinsecum dumtaxat valorem & moralem æstimabilitatem ex dignitate personæ operantis, ad quam communicandam sufficit physica coniunctio: vnde illum communicat non solùm actibus voluntatis, sed omni subiecto physicè sibi coniuncto. Confir. reliquæ circumstantiæ non tribuunt honestatem, nisi vt intentionaliter coniunctæ cum voluntate; quia illam non tribuunt, nisi vt formæ specificantes actum in esse naturali, à quo honestas moralis non distinguitur.

Ratio discriminis.

Ad fundam. *Scoti*, Resp. opera Christi fuisse finita physicè & essentialiter, non moraliter, &, vt *Caiet.* loquitur, personaliter. Ad conseq. distinguo duplicem valorem, duplicemque bonitatem in actibus Christi, alteram essentialem, personalem alteram: prior consequebatur bonitatem essentialem fundatam in physicâ entitate actus, causatam à principio finito; posterior bonitatem personalem, fundatam in vnione actus ad suppositum diuinum, causatam à personâ increatâ in genere causæ formalis. Ad confir. nego sequel. nam meritum Christi placet Deo infinitè in genere valoris moralis, & ob coniunctionem cum personâ infinitâ: velle autem increatum Verbi placet Deo infinitè, propter se & in genere valoris physici; licet actus Christi includens in concreto personam Verbi, quæ per modum obsequij submittebatur Deo, tantum placet Deo, quantum eidem placet suum increatum velle. 89.

Ad fund. Scoti.

90. *Actus Christi includit in concreto personam.*

Ad 2. Nego 1. sequel. de maiori infinito intensiuo; concedo, de extensiuo: vt si darentur plures calores intensiui infiniti, non facerent vnum intensiorem, quia infinitum, quà infinitum, intendi nequit: ita plura opera Christi non faciebant meritum maius intensiuè, sed extensiuè: quia vnumquodque includebat eamdem formam infinitatis personæ increatæ. Ex quo patet ad 2. sequel. scil. non plus intensiuè placuerunt Deo omnia opera Christi, quàm vnum tantùm: sicut nec plus ei placet intensiuè sua essentia & creaturæ simul, quàm sua essentia tantùm. 91. *Ad 2.*

Ad 3. Nego sequel. Nam posset alias humanitates Verbum assumere, in quibus posset alia merita, satisfactionesque in infinitum exercere; neque ex eo, quòd non possit aliud meritum & satisfactionem maiorem efficere, exhausta dicenda erit eius potentia: sicut ex eo, quòd creatâ infinitâ lineâ non posset maiorem creare, non diceretur exhausta Dei potentia. Quia sufficit, quòd possit alias similes creare: quòd autem non posset maiorem, prouenit ex naturâ infiniti, quo, quà infinitum est, maius effici non potest. 92. *Ad 3.*

Ad argumen. secundæ, primum solùm probat, Christi meritum fuisse finitum ex parte valoris moralis prouenientis ex obiecto, non ex parte valoris personalis prouenientis ex personâ operante; qui solus in Christo fuit infinitus simpliciter; quia nullam habuit conditionem limitantem. 93. *Ad argum. 2. Sentent.*

Ad confir. nego, eodem modo componi peccatum ex infinitâ dignitate personæ, ac meritum Christi ex infinitâ dignitate personæ satisfacientis. Nam in peccato includitur infinitas personæ offensæ limitata per cognitionem finitam offendentis; in merito Christi includitur dignitas personæ operantis absque vllâ limitatione. vnde peccatum non solùm est finitum ex parte actus offendentis, sed etiam ex parte personæ offensæ limitatè concurrentis. Meritum 94. *Ad confirm.*

ritum Christi solùm est finitum ex parte actûs naturæ elicictis, non ex parte moralis dignitatis 95. *Cur cognitio limitet, non vnio.* personæ operantis. Cæterùm, cur cognitio limitet, ne persona offensa ex infinitâ suâ dignitate concurrat ad offensam, non vnio personam merentem, ne ex infinitâ suâ dignitate concurrat ad meritum, hæc est: quia cognitio non vnit obiectũ cum potẽtiâ immediatè in esse reali, sed in esse intentionali. Vnio vnit formam cum subiecto immediatè in esse reali. Quo fit, vt illud non possit actum voluntatis terminare, nisi secundùm illud esse, quod cognoscitur; quia illud tantùm est obiectum voluntatis. Contrà verò forma perficit & dignificat subiectum immediatè ex suo esse reali & physico, quod vni-
96. tur. Ad fundam. secundæ assert. eiusdẽ sent. nego minor. Ad prob. falsum est, vnionem hypost. limitare personam infinitam in ratione doni.

SECTIO III.

An ex infinitate rei oblatæ deriuetur infinitus valor in opera Christi.

97. *Ex triplici cap. posset sumi.* Potest operatio Christi infinitum valorem desumere; ex principio immanenter operatiuo, ex subiecto sustentante, ex re ipsa oblatâ infinitè dignâ: probatum est, infinitum accepisse à personâ infinitâ immanenter operante & subiecto sustentante: indagandum, an etiam infinitatem accipiat ex re ipsâ oblatâ infinitè dignâ, vt fuit humana
98. *1. Sentent.* ipsius vita & sanguis in passione effusus. 1. Sententia quorundam Recent. *apud Cabre. 3. p. disp. 6.* opinantium, Christi operationes in ratione satisfactionis, meriti & sacrificij accepisse valorem ex solâ personâ satisfaciente, promerente, sacrificante: in ratione redemptionis seu pretij, infinitum accepisse ex
99. *Fundam.* re oblâtâ, non ex personâ redimente. Fundam. satisfactio, meritum, & sacrificium, sunt actiones quibus vna persona reconciliatur, aut meretur gratiam apud aliam: sed ad hoc solùm conducit personæ dignitas, quâ seipsam submittit in alterius obsequium. Redemptio est actio, quâ pro re recuperandâ, pretium offertur: in pretio non attendi-
100. *2. Sentent.* tur dignitas personæ ementis, sed pretij. 2. Sententia *Suarez 3. p. to. 1. disp. 4. sect. 4. Vasq. disp. 6. cap. 2. Cabre. disp. 6.* affirmantium, operationes Christi, sub quâuis ratione consideratas, infinitatem simpliciter sumpsisse ex solâ personâ operante; ex re oblatâ non nisi infinitatem secundùm quid, eo modo, quo omnes actus, qui versantur circa obiectum infinitum, dicuntur infiniti extrinsecè & secundùm
101. *Fundam.* quid. Fundam. licet obiectum sit infinitum, actus tamen limitatur ex modo tendendi finito, vt constat in quolibet actu creaturæ tendente ad obie-
Confirm. ctum infinitum. Confirm. si ex infinitate rei oblatæ deriuaretur infinitas in actum oblationis; actus, quo B. Virgo, & Simeon Christum obtulerunt, & quo sacerdos in missâ quotidie eundem offert, esset infinitus simpliciter.

102. *1. Assertio.* Dico 1. Operationes Christi sub quâuis ratione acceptæ aliquem valorem sumunt ex re oblatâ: *S. Thom. 3. p. quæst. 48. art. 2. & 3.* vbi valorem operationum Christi non solùm considerat ex dignitate personæ offerẽtis, sed etiam ex dignitate rei oblatæ; quæ fuit vita Christi tam per modum satisfactionis, quàm per modum meriti & sacrificij pro nobis oblata. Ita *Trid. sess. 22. cap. 2.* ex identitate rei oblatæ in sacrificio crucis & missæ, colligit eosdem effectus ad nos deriuari; & efficaciam sacrificij perpendit ex dignitate rei oblatæ, quæ eadem nunc

est in sacrificio Missæ, quæ fuit in arâ crucis.

Fundam. Christus per modum satisfactionis, me- 103. *Fundam.* riti, & sacrificij, non solùm obtulit medijs suis actibus personam per modum principij operantis, & in obsequium se Deo submittentis, sed etiam vitam per modum rei oblatæ: ergo eius operatio, etiam considerata vt satisfactio, meritum, & sacrificium, aliquem valorem sumpsit ex re oblatâ. Quia non minùs ad actionem concurrit res oblata, præsertim quando intrinseca est, & sub potestate offerentis, vt fuit propria vita humana in Christo, quàm persona offerens: ergo non minùs vna, quàm altera valorem confert. Confirm. non minùs ex dignitate rei 104. *Confirm.* oblatæ, quàm personæ offerentis crescit valor satisfactionis, meriti, & sacrificij. Quò dignior enim est res oblata, eò maior est satisfactio, meritum, & sacrificium: ergo non minùs ex vnâ, quàm ex alterâ sumitur ratio valoris.

Dices: nequit infinitum fieri maius: sed opera- 105. *Dices.* tio Christi fuit infinitè digna ex personâ offerẽte, vt *ex præced. sect.* constat: ergo non potuit fieri dignior ex re oblatâ: alioqui augmentum accepisset ex quâ parte erat infinita. Resp. Infinitum non pos- 106. *Resp.* se fieri maius in eo genere, in quo est infinitum; posse tamen fieri infinitũ in alio genere, in quo non supponitur infinitum; vt infinita linea nequit fieri maior in genere lineæ, potest tamen fieri maior, aut etiam infinita in ratione superficiei. Ita operatio Christi infinita ex dignitate personæ operãtis, non potest in eodem genere infinitatis accipere augmẽtum, fierique dignior; potest tamen in alio genere, in quo non supponitur infinita, accipere augmentum, vel infinitatem: sic augeri potest in ratione bonitatis moralis prouenientis ex obiecto: eâdem ratione poterit ex parte rei oblatæ, vel augeri, vel infinitari, cùm hæc infinitas non contineatur formaliter in primâ infinitate dignitatis, deriuatâ ex personâ operante. Instas: ab eâdem personâ Verbi, vt à 107. *Instabis.* principio deriuatur dignitas operationis, & rei oblatæ, vt à termino oblationis exhibito: ergo non est diuersa dignitas sumpta ex personâ operante, & re oblatâ; cùm vtraq; dignitas sit effectus formalis formæ eiusdem seu personæ Verbi: igitur nequit Christi operatio infinita in genere dignitatis personalis, augeri vel infinitari in genere dignitatis rei oblatæ: infinitum enim quà infinitum, nequit augmentum accipere. Nego primam conseq. nam potest eadem 108. *Resp.* forma, iuxta diuersas capacitates recipientiũ, diuersos conferre effectus formales: ita gratia habitualis, confert animo effectum formalem amicitiæ & adoptionis diuinæ; operi honesto condignitatem ad merendũ; à fortiori persona Verbi confert naturæ *A pari.* assumptæ naturalẽ filiationẽ Dei; operibus honestis infinitum valorem ad merendum & satisfaciẽdum; rei oblatæ infinitam dignitatem doni. Imò eadem forma eundem effectum formalẽ multiplicare potest in diuersis subiectis; vt gratia valorem moralem ad merendum multiplicat in diuersis actibus honestis simul existentibus; ita persona Verbi infinitam dignitatem personalem communicat diuersis actibus simul existentibus. An autem plus valoris habeant tunc plures actus, quàm vnus, *infrà.*

Dico 2. Opera Christi, etiam considerata sub ra- 109. tione redemptionis, valorem sumũt à personâ redi- *Assertio 2.* mente, & non tantùm à re oblatâ. Fundam. vt *3. p.* *Fundam.* *q. 48. art. 4.* docet *S. Tho.* pretium, quo Christus nostram libertatem redemit, fuit ipsius meritum & satisfactio; satisfactio valorem sumit à satisfaciente: ergo pretium, quo Christus nos redemit, valorem sumpsit à re oblata, quæ fuit eius vita & sanguis profusus, & à Personâ redimente.

110. 3.Sentent. Prob. 1. DICO 3. Opera Christi, quocumque modo considerata, infinitum valorem sumunt etiam ab infinitate rei oblatæ. *Ex S.Thom.quæst.cit.art.2.* vbi infinitatem satisfactionis Christi deducit ex infinitâ dignitate ipsius vitæ, quam in satisfactionem Deo obtulit.
111. 2. *ex Clem.VI.Extrau.Vnigenitus*, affirmante, modicâ guttam sanguinis Christi sufficisse pro redemptione totius humani generis, propter vnionem ad Verbum: vbi Pontifex valorem infinitum meritorum Christi, de quo loquitur paulò pòst, tribuit rei oblatæ, quæ fuit sanguis Christi vnitus Verbo.
112. 3. Ex Patrib. qui promiscuè abundantem valorem operum Christi modò referunt ad dignitatem personæ operantis, modò ad dignitatem rei oblatæ. Vnde corpus & sanguinem Christi pro nobis in arâ crucis oblatum, appellant pretium ingens, superabundãs, diues ad redimendum.
113. Prob. 4. ratione. 4. Ideò operatio Christi sumit infinitum valorem à personâ operante, quia hæc intrinsecè coniungitur cum suâ operatione vt principium & forma moraliter dignificans: sed etiam res oblata vnita Verbo intrinsecè coniungitur cum oblatione Christi vt forma moraliter dignificans: quia cum actu oblationis, quem Christus eliciebat, non minùs intrinsecè coniungebatur corpus & sanguis Christi Verbo hypostaticè vnitus quàm persona Verbi: nisi quòd ille cum oblatione coniungebatur vt effectus seu terminus oblatus, intrinsecè coniunctus cùm actione offerendi; hæc vt principium offerens eandem oblationem: ergo non minùs ille quàm hæc, infinitè dignificabat oblationem. Quo fit, vt si ab operibus Christi ratione præscindas infinitum valorem prouenientem ex dignitate personæ operantis, adhuc remanet infinitus valor prouenient ex infinitate rei oblatæ.

114. Dices. DICES: ad operationem persona Verbi immediatè & directè concurrit, vt suppositum constituens vnum principium operatiuum cum naturâ; ad rem oblatam tantùm mediatè & indirectè: nam immediatè & directè per se concurrit corpus & sanguis Christi, qui sunt immediatus terminus oblationis; persona mediatè & indirectè, quà corpus & sanguinem supponitat.
115. Resp. 1. Resp. 1. Esto, persona immediatè & directè ad operationem, mediatè & indirectè ad rem oblatã concurrat, hoc discrimen non impedit, quò minùs eadem dignitas personalis cõmunicetur vtrique: sicut nec mediata vnio eiusdem operationis cũ personâ Verbi impedit, quò minùs eadẽ dignitas communicetur operationi, quæ communicatur naturæ, quæ immediatè vnitur Verbo.
116. Resp. 2. 2. Nego anteced. nam sicut ad operationem persona concurrit vt suppositum naturæ, quæ tantùm immediatè elicit operationem: ita ad rem oblatam eadem persona cõcurrit vt suppositans corpus & sanguinem, qui sunt immediatus terminus oblationis: at quia cum naturâ eliciente concurrit persona, persona dignificat operationem: ergo quia cum corpore & sanguine oblato concurrit persona, eadem dignificabit rem oblatam: nisi quòd sub diuersâ ratione dignificet operationẽ, & rem oblatam: operationẽ vt principium operatiuũ *quod*, rem oblatam vt terminus intrinsecè coniunctus cum reipsâ oblatâ.

117. Ad fund. 1. Sentent. Ad fundam. primæ, neg. minor: nam ad valorem satisfactionis, meriti, & sacrificij conducit dignitas etiam rei oblatæ: & in pretio per modum satisfactionis, attenditur dignitas etiam satisfacientis seu redimentis. Quo fit, vt etiamsi pretium vniuersaliter sumptum non includat, neque includatur in satisfactione, aut merito; pretium tamen, quod Christus obtulit, includit & includitur in satisfactione & merito eiusdem; quia meritum, satisfactio, & pretium in Christo, fuit eadem res, solo respectu diuersa. Nam meritum ad præmium promerendum, satisfactio ad iniuriam compẽsandam, redemptio ad captiuum redimendum per se ordinem dicit. Cæterùm vna eademque Christi operatio hæc omnia præstitit.

Ad fundam. secundæ, Resp. tunc actum ad obiectum infinitum, limitari ex modo tendendi, quãdo illud respicit vt purum terminum, non quando illud respicit vt effectũ moraliter operabilem; quo pacto Christi oblatio respicit rem oblatam sibi coniunctam. 118. Ad fundamentum 2. Sentent. Nam tunc, quia oblatio est moralis causa rei oblatæ, facit vnum moraliter cum illâ, proinde totam dignitatem accipit ab illâ. Licet hîc distingui possit duplex valor: alter prouenient ab honestate actûs; & hic est finitus & limitatus ex finito modo tendendi ad obiectum: alter communicatus à reipsâ oblatâ, intrinsecè coniunctâ cum actu honesto oblationis, & hic est in re oblatâ à Christo, infinitus, vt infinita erat res oblata, nempe corpus & sanguis hypostaticè vnita Verbo. Vnde hic actus in ratione virtutis formaliter, est finitus; quia limitatur ex cognitione, & modo tendendi finito; in ratione oblationis seu doni, infinitus, quia vt sic intrinsecè includit donum infinitum.

119. Ad confirm. Præcipua ratio. Ad confirm. neg. sequel. quia Christus vt res oblata, non erat intrinsecè coniunctus cum oblatione Deiparæ, Simeonis, & sacerdotis: nec est effectus moraliter operabilis per oblationẽ à creaturâ, nisi iuxta decretũ suæ voluntatis, cùm nulla creatura ius habeat in vitam Christi; qui finito modo decreuit, vt esset à creaturâ, medio ipsius actu, offeribilis.

120. Dubium soluitur. Sed quid si Christus decreuisset, vt infinito modo à creaturâ offerretur? R. Fore quidem tũc oblationem infinitam ratione rei oblatæ infinitæ, inferioris tamen ordinis oblatione Christi: quia oblatio Christi est intrinsecè coniuncta cum re oblatâ, non oblatio eiusdem à purâ creaturâ facta.

121. De agno deificato. DICES: ergo si Deus assumpsisset naturam agni, illumque hominibus sacrificandum dedisset, talis oblatio fuisset infiniti valoris, ratione rei oblatæ. R. Fore in ratione tantùm sacrificij, propter victimæ infinitatem, à quâ sacrificiũ vt sacrificium infinitatur, licet in ratione actûs virtuosi limitaretur ex finito modo tendendi ad talem victimã offerendam; 122. non tamen fore talẽ oblationem infiniti valoris in ratione satisfactionis & meriti, quia hæc requirunt infinitam dignitatem à principio liberè operante, quam nõ requirit sacrificium formaliter sumptum, quod per se tantùm spectat dignitatem victimæ.

SECTIO IV.

An satisfactio Christi foret condigna pro peccato occisionis naturæ humanæ in tripli hypostasi Diuinâ subsistentis?

123. 1. Assertio. DICO 1. fore condignam. Fundament. præter moralem dignitatem, quam habet vt actus personæ increatæ, ab ipsâ refusam, includit personam ipsam cum totâ increatâ Maiestate, per modũ obsequij: peccatum verò occisionis talis hominis non destrueret, nisi infinitam dignitatem moralem, refusam ex triplici hypostasi Diuinâ, quæ est longè inferioris ordinis, quàm sit dignitas personæ increatæ secundum se.

124. 2. Assertio. DICO 2. Satisfactio Christi, si tantùm per modum obsequij exhiberet Deo solam perfectionem relatiuam Verbi adhuc foret condigna pro occisione talis hominis. Fundam. perfectio increata Dei consi-

considerata vt existens in Deo, est altioris ordinis, quàm sit eadem communicata creaturæ; nam in Deo est talis intrinsecè & per essentiam, in creaturâ extrinsecè & per denominationem. Sed tali satisfactione exhiberetur per modum obsequij increata perfectio Dei secundùm se, suamque intrinsecam dignitatem: occisione autem talis hominis destrueretur solùm moralis dignitas denominatiuè communicata naturæ assumptæ; igitur altioris ordinis esset talis satisfactio, quàm talis hominis occisio.

125. *Dices.* *Obijcies.* Tale homicidium scienter patratum, destrueret etiam infinita obsequia, quæ talis homo exhibere posset Deo: destrueretur enim humanitas, quæ est principium obsequij: sed obsequia, quæ talis homo exhibere posset Deo, non modò essent tripliciter infinita moraliter, ratione triplicis dignitatis moralis, refusæ ex triplici hypostasi; sed etiã tripliciter infinita entitatiuè, ratione triplicis hypostasis intrinsecè inclusæ in obsequio à tali homine exhibito: igitur nulla satisfactio Christi esset pro tali peccato cõdigna; quia non continet, nisi vnius personæ infinitatem; exhibens solam personalitatem Verbi: at obsequium illius hominis, esset oblatio omnium trium Diuinarum hypostasum. Nego maior.

126. *Resp.* nam tale homicidium destrueret tantùm humanitatem triplici infinitate morali dignificatam.

Ratio. Ratio est, quia, adhuc eâ destructâ, maneret principium obsequiorũ in animâ separatâ; scil. triplex hypostasis Diuina; ac perfecta libertas exhibendi se & triplicem hypostasim Diuinam, in obsequium Deo; quæ sola ratio libertatis est formale principiũ obsequij, & maneret integrum.

127. *Maior difficultas. Ratio dub.* Sed, an satisfactio Christi foret condigna pro peccato occisionis talis hominis, inuincibiliter putato destructiuo triplicis hypostasis Diuinæ? Ratio dubit. putatiuè destrueretur principiũ infinitorum actuum, quorum quilibet per modum obsequij exhiberet triplicem hypostasim increatam Deo; proinde putatiuè destrueret infinita obsequia, quæ talis homo exhibere posset Deo.

128. Dico 3. Satisfactio Christi, si solam relatiuam personalitatem Verbi in recompensam talis damni putatiui offerat, non esset condigna pro tali peccato, vt ratio dubit. ostendit: cùm plus boni putatiuè tale peccatum destrueret, quàm boni restitueret Christi satisfactio, solam proprietatem relatiuam Verbi in recompensam exhibens. *Euidenter conuincit.*

129. Dico 4. Satisfactio Christi vt de facto fuit, totam personam Verbi in obsequium Deo submittens, condigna foret pro tali peccato, intensiuè & æquiualenter siue eminenter & virtute. Fundam. cum personâ Verbi exhibetur in obsequium natura Diuina in eâ essentialiter inclusa: sed in naturâ Diuinâ eminenter & virtute continentur omnes Diuinæ personalitates: igitur satisfactio Christi exhibens in obsequium Deo cum personâ Verbi naturam Diuinam, est condigna virtute & eminenter pro tali peccato: exhibet enim illam vt principium infinitorum obsequiorum, quorum quodlibet eminenter & virtute continet tantum boni, quantum mali putatiuè inferret tale peccatum: scil. in quolibet obsequio exhiberetur natura Diuina, vt eminenter & virtute continens omnes Diuinas hypostases, quarum destructionem putatiuè inferret occisio talis hominis. Minor prob. in naturâ Diuinâ, vt in fonte omnium perfectionum, eminenter & virtute continentur Diuinæ hypostases: non minùs quàm, præcisis imperfectionibus, in naturâ creatâ continentur omnes ipsius proprietates. vnde qui haberet naturam, eminenter & virtute haberet omnes ipsius proprietates. Similiter qui in obsequium offert Deo naturam Diuinam, eminenter & virtute in obsequium offert omnes Diuinas personalitates. *Diuina natura cum personâ exhibetur in obsequium.*

Obijcies. Nihil à Christo per satisfactionẽ offertur Deo, quod non sit ipsius Dei: at per huiusmodi peccatum putatiuè auferretur à Deo, quod est Dei: ergo nequit satisfactio Christi esse pro tali peccato condigna. 130. *Dices.* Confirm. Quidquid per satisfactionem Christus offerre potest Deo, Deus essentialiter habet ante vllam oblationem: nam per satisfactionem sibi in obsequiũ exhibetur cum ipsâ personâ Verbi sua ipsius natura, quam ante vllam obsequij exhibitionem ipse essentialiter possidet. *Confirm.* Nego conseq. nam ad cõdignitatem satisfactionis non requiritur, vt quod per eam offertur non sit eius, cui offertur, nam etsi hoc requiratur ad satisfactionẽ ex Iustitiâ, haud tamen requiritur ad satisfactionem ex condignitate; ad quam sufficit, vt tantum bonum per eam offenso exhibeatur, quantum malum per peccatũ fuit illi illatum: alioqui nulla satisfactio Christi de facto esset condigna pro quouis peccato; cùm nulla de facto offerat Deo, quod non sit ipsius Dei. 131. *Resp.* Ad confir. esto quidquid Christus suâ satisfactione in obsequium exhibet Deo, Deus ante habeat: ad rationem tamen obsequij sufficit, vt illud quod in obsequium offertur, non habeat eo titulo & modo, quo illi offertur, nempe gratiosâ & liberâ exhibitione humanæ voluntatis Christi. 132. *Ad confirm.*

SECTIO V.

An satisfactio Christi foret sufficiens pro peccato ipsiusmet, si per impossibile peccasset.

Sensus hypothesis, 1. an si peccaret humanitas Christi, eiusque cum Verbo vnione solutâ, posset Verbum in aliâ assumptâ condignè pro peccato prioris satisfacere: 2. an peccante humanitate, eiusque cum Verbo vnione retentâ, eius satisfactio foret sufficiens pro peccato ab ipsâ commisso. Prior vnum tantùm inuoluit impossibile, nempe quòd humanitas suppositata Verbo peccet: posterior, duplex; & quòd peccet, & quòd cum ipsius peccato perseueret vnio hypostatica Verbi, cui essentialiter repugnat peccatum. In vtroque sensu supponitur, nullâ hypothesi peccaturum Verbum, nisi tantùm denominatiuè & per communicationem idiomatum, vt in posteriori hypothesi, sed solam humanitatem vnitam Verbo. 133. *Explicatur hypothesis duplici sensu.*

Quoad 1. sensum ratio dubit. grauioris malitiæ foret peccatum à tali humanitate cõmissum, quàm bonitatis foret Christi satisfactio. 1. quia tale peccatum priuaret naturam humanam vnione hypost. ac personalitate increatâ Verbi: ergo ratione damni, quod naturæ assumptæ inferret, foret infinitum simpliciter. At verò satisfactio Christi non est condigna vnione hypostaticâ, nec Verbi personalitate: quia dignior est vnio ad Verbum, quàm quævis Christi satisfactio: vnio enim se ipsâ immediatè attingit Verbum, satisfactio nonnisi mediâ humanitate: & vnio essentialiter respicit Verbum, non satisfactio, cùm possit eadem numero actio satisfactoria elici à puro homine. 134. *Ratio dubitandi 1. malitia.* 2. Tale peccatum foret infinitæ iniuriæ & læsionis intrinsecæ, quia læderet intrinsecè Verbum in propriâ naturâ assumptâ, illudque priuaret humanitate infinitè à se dignificatâ: vnde grauius esset, quàm peccatum occisionis Christi: quia hoc solùm priua- 135. *Secunda.*

priuaret Verbum vnione naturali inter partes humanitatis, physicâ destructione illius: peccatum verò commissum ab humanitate vnitâ Verbo priuaret Verbum vnione hypostaticâ cum naturâ humanâ infinitè dignificatâ. *Tertia.* 3. Foret omnium grauissimum: quia humanitas cogeret quasi Verbum ad illud committẽdum, suumq; quasi faciendum: quia cùm esset suppositum talis humanitatis, cogeretur vt suppositum ad omnes eius actiones concurrere, 136. easque vt suas mediâ naturâ assumpti in se ipso recipere. *Quarta.* 4. Esset infinitæ ingratitudinis, quatenus esset contra infinitum beneficium vnionis hypostaticæ. *Quinta.* 5. Supra modum in ratione intrinsecæ malitiæ cresceret, ratione intensissimæ cognitionis tam Dei, quàm Diuinorum beneficiorum, quam talis homo haberet. *Sexta.* 6. Nulla esset pœna ei condigna: nam si cuilibet mortali condignè debetur pœna æterna, cùm id in infinitum excederet quoad malitiæ grauitatem, & damni illationẽ quodlibet aliud, nulla foret pœna illi condigna.

137. Dico 1. Potuisset Verbum in aliâ humanitate assumptâ condignè satisfacere pro peccato prioris à Verbo dimissæ. *Resp. ad rationem dub.* Fundam. resarciri posset priuatio vnionis hypost. actu infinitè digno, à personâ Verbi in compensationem talis priuationis exhibito; vt *seq. sect.* Eadem quippe persona increata infinitè dignificat actũ & vnionem: nec refert, quòd vnionem immediatè, actum mediatè: nam in ratione formæ dignificantis, vtrumque dignificat immediatè: quia licet actum dignificet mediante naturâ; hæc tamẽ non est forma immediatè dignificans, sed pura conditio, quâ positâ, persona immediatè dignificat operationes humanitatis, vt operationes propriæ naturæ. 138. *Nil foret, quod resarciri non posset.* 2. Resarciri posset læsio intrinseca, facta personæ Verbi subsistẽtis in priori humanitate, per exhibitionẽ eiusdem subsistẽtis in posteriori humanitate. Nam tanta bonitas & valor esset in hac exhibitione, quanta malitia & grauitas fuisset in læsione, cùm per hanc exhibitionem offerretur in cõpensationem personæ læsæ eadẽ maiestas personæ satisfacientis. Sicut cõdigna censeretur satisfactio, si persona regia, quæ alium Regẽ offendit, exhiberetur in cõpensationem offensæ factæ Regi. Ceterùm fateor, grauiorem iniuriam accepturum Verbum peccato à suâ humanitate commisso, quàm peccato occisionis sui à quocumque alio patrato: quia per hoc nõ amitteret nisi vnionem naturalem, per illud verò amitteret vnionem hypostaticam: vnde occisione ab alio factâ, adhuc Verbum maneret vnitum corpori & animo separatis, vt de facto vnitum mansit in triduo, destructâ vnione naturali. Adhuc tamen hoc damnum abundè compensaretur actu, quo talis homo increatam suam personam in obsequium 139. *Non tertia malitia.* offerret Deo. Malitia 3. non foret in peccato commisso ab humanitate suppositatâ Verbo, posito, quòd ad tale peccatũ fuisset dissoluta vnio hypost. quia tũc, primum esse peccati, fuisset primum non esse vnionis hypostat. proinde non fuisset tali casu Verbum principium, aut subiectum talis peccati. Nam quando incœpisset peccatũ, desijsset Verbum supponitare naturam, & consequenter tam principium, quàm subiectum talis peccati foret sola humanitas; nec denominatiuè ad id concurreret Verbum, quia non esset suppositum naturæ peccantis. 140. *Quarta esset limitata.* Quartam malitiam sumptam ex ingratitudine contra infinitum beneficium à Deo acceptum, nego fore infinitã: quia illa limitaretur ex finitâ cognitione humanitatis, quâ infinitum beneficium acceptæ vnionis hypost. cognosceretur. 141. *5. Malitia.* Quinta non modò suppleri, verùm etiam superari posset ab intensiori affectu, quo secunda humanitas suppositata à Verbo satisfaceret; cùm cognitio & affectus, ex quo peccatum prioris humanitatis processisset, fuisset quoad intensionem finitus. Tandem pœna 142. *Quid ad pœnam.* tali peccato debita, compensari condignè potuisset, voluntariâ oblatione propriæ vitæ, & mortis susceptione à personâ Christi: nã talis vita, vtpotè vita Dei, sicut in valore superat infinitas vitas hominum, imò & creaturarum possibilium, teste *Anselm. lib. 2. Cur Deus homo, cap.* 14. ita potuisset esse condignum pretium pro pœnâ tali peccato debitâ. Sequitur, non solùm Verbum in posteriori humanitate assumptâ condignè satisfacere potuisse 143. *Coroll.* pro malitiâ peccati prioris humanitatis, sed etiam pro damno tali peccato tam Verbo, quàm humanitati peccatrici illato. nam quicquid dignitatis, aut humanitati, aut Verbo in eâ subsistenti, ablatũ fuisset, condignè cõpensari potuisset per actus à Verbo in posteriori subsistente ac satisfaciente, quia tales actus essent cõdigni vt propter illos humanitati restitueretur quicquid illi fuisset peccato sublatum.

144. *Quoad alterum quæsitum.* In posteriori sensu, in quo frequentiùs dicta hypostasis proponitur, variæ sent. 1. negat tali casu Christi satisfactionem fore pro suo peccato condignam: *1. Sentent. Durandus.* *Durand. in 3. dist. 20. q. 2. nu. 6. Vasqu. 3. disp.* 5. *c.* 7. *Fundam. Vasquez.* Fundam. *Vasqu.* dignitas satisfactionis Christi non oritur ex solâ dignitate personæ, sed ex dignitate humanitatis Deitate sanctificatæ, quæ sancti-145. *2. Sentent.* ficatio peccato ab humanitate commisso tolleretur. 2. docet, ex eâ hypothesi sequi contradictoria, & quòd talis satisfactio foret condigna, cùm esset ab homine infinitè Deo grato; & non foret condigna, cùm esset ab homine inimico & offenso Deo. *Suar. 3. p. tom. 1. disp. 4. sect. 3. §. Sed hinc, fine.* Tertia affirmat, fore condignam: 146. *3. Sentent.* *Albertin. coroll.* 18. *ex princ. 1. philos. dub. 2. Veg. lib. 7. in Trid. c. 9.* hic tamen aliter hypothesim fingit, nempe si humanitas peccasset, antequam fuisset vnita Verbo; quo casu nulla esset difficultas; sola est, si peccatum cõmissum fuisset ab humanitate vnitâ Verbo, & cum eo vnione retentâ.

147. *2. Assertio. Fundam.* Dico 2. tali casu potuisset Christus condignè pro peccato suæ humanitatis satisfacere. Fundam. manente vnione cùm Verbo, maneret principium infinitè dignificans opera humanitatis, quæ est persona Verbi: ergo etiamsi peccaret humanitas, posset, retentâ vnione cum Verbo, pro suo peccato condignè satisfacere; quia peccatum non impediret condignitatem satisfactionis: manente enim vnione cum Verbo, Verbum necessariò dignificaret opera humanitatis, in genere causæ formalis, modò illa praua non sint: praua autem non essent ex eo tantùm quòd fierent ab humanitate existẽte in peccato; alioqui omnia opera facta à peccatore, essent praua; quod est hæreticum. *Confirm.* Confirm. sicut dignitas virtutis sumpta ex obiecto & circumstantijs, non impeditur à peccato existente in subiecto; attritio elicita à peccatore, bona est, vt definit *Trident. sess. 14. cap. 4.* & consequenter digna dignitate virtutis moralis: ita nec dignitas moralis eiusdem virtutis, sumpta ex circumstantiâ personæ operantis, à peccato impediretur.

148. *Dices. Confirm.* *Obijcies* 1. eo casu humanitas esset inimica Deo; ergo non possent ipsius opera placere Deo. Confirm. Si in nobis simul cum peccato perseueraret gratia, nullum opus esset condignè meritorium apud Deum; ergo neque in Christo tali casu. 2. eo casu humanitas merito sui peccati priuata esset omni auxilio gratiæ, ergo non posset condignè satisfacere. 3. id peccatum foret grauius, quàm posset Christi satisfactione eo casu compensari: nam humanitas illud committens cogeret quasi Verbum

bum ad illud committẽdum, & in seipso recipiendum. 149. *Resp. ad 1.* Ad 1. nego conseq. nam quamuis talia opera non placerent, quatenus essent ab humanitate inimicâ Deo; placerent, quatenus ab eâdem amicâ Deo: nam sicut peccatum eâ hypothesi non tolleret ab humanitate naturalem filiationem Dei, 150. *Ad confir.* ita nec amicitiam. Ad confirm. nego sequel. nam & in nobis opus profectum à gratiâ habituali, ex se foret condignum condignitate sibi proportionatâ; nec illa tolli posset à peccato; quia cùm pendeat à gratiâ vt effectus formalis à formâ, necessariò deriuatur in omne opus capax talis effectus. Etsi propter concomitantiam peccati posset Deus illam non acceptare, sicut etiam posset non acceptare satisfactionem Christi, si Christi humanitas retentâ vnione peccaret. Duplex enim effectus formalis in satisfactione distinguendus; positiuus proueniens à positiuâ sanctitate personæ: negatiuus, consistens in exclusione omnis maculæ moralis ab eodem subiecto: Priorem haberet satisfactio Christi eo euetu, & quodlibet opus supernaturale profectum à gratiâ existente simul cum peccato in eodem subiecto, non posteriorem. 151. *Ad 2.* Ad 2. nego antec. nam ratione vnionis, quam, cum peccato in eâ hypothesi retineret humanitas, debitum illi esset omne auxilium supernaturale, quia cum ratione vnionis hypostaticæ talis homo adhuc esset filius Dei naturalis, consequenter debita illi essent auxilia ad expellendum à se peccat[illegible]. 152. *Ad 3.* Ad 3. neg. anteced. Ad prob. nego, eo casu humanitatem cogere Verbum ad concurrendum positiuè ad peccatum suæ humanitatis, sed tantùm permissiuè, ex hypothesi impossibili; nec tunc faceret peccatum suum, quia non censeretur ad illud positiuè concurrere: eo modo quo docent, posse Verbum assumere naturam cum peccato habituali: tali casu non diceretur Verbum positiuè velle, sed tantùm permittere habituale peccatum in assumptâ naturâ.

153. *Ad fundamentum 1. Sentent.* Ad fundam. primæ, nego, dignitatem satisfactionis immediatè desumi ab humanitate Deitate sanctificatâ, sed à personâ operante, ex *sect.* 10. *disp.* 5. &, esto ab illâ sumeretur, adhuc nego, per peccatum humanitatem priuari personali sanctitate Verbi. Nam sicut per illud ex suppositione non priuaretur personali vnione ad Verbum, ita nec personali sanctificatione ac dignitate Verbi: nam hic est effectus formalis moralis necessariò proueniens à personalitate Verbi hypostaticè vnitâ. 154. *Ad fund. 2. Sentent.* Ad fundamentum secundæ, ex eâ hypothesi sequeretur, humanitatem fore amicam Deo ratione vnionis, & inimicam ratione peccati, haud tamen sequeretur, eius satisfactionem fore sufficientem, & non sufficientem; quia sufficientia satisfactionis sumeretur ex dignitate personæ, quæ peccato non impediretur, quò minus seipsâ opera suæ humanitatis dignificaret; quia cùm hic sit effectus formalis moralis, non potest, perseuerante vnione, impediri.

SECTIO VI.

An valor satisfactionis Christi fuerit condignus ad omne præmium possibile?

155. *Duplex distinguitur præmium.* PRæmium, vnum eiusdem ordinis cum merito Christi, vt esset Incarnatiò Patris, aut Spiritûs sancti: alterum inferioris, vt gratia, gloria, cæteraque dona, siue naturalia, siue supernaturalia, purè creata, quæ Deum includunt solùm extrinsecè per modum efficientis, vel obiecti. De secundo genere nemo dubitat ex ijs, qui nobiscum docent merita Christi fuisse infinita, quin valor operum Christi fuerit cõdignus ad omne præmium possibile, etiam infinitum, si dabile est. Tantùm ambigitur, an cum *Dubium.* ipso præmio creato potuerit Christus promereri actum increatũ diuinæ voluntatis. Affirmant *Suar.* 156. 3. *p. tom.* 1. *disput.* 4. *sect.* 4. *Vasq. disp.* 6. *cap.* 4. *num.* 31. *Solutio.* quibus assentior; quia hic actus, prout cadit sub meritum, supra entitatem actûs, non addit nisi connotationem effectûs liberè à se dependentis, quod est quid creatum, vt 1. *tom. disput.* 14. *sect.* 3. Vnde non solùm Christus, sed quæcumque pura creatura, hoc ipso quòd meretur aliquid à Deo, meretur vt Deus velit illud sibi conferre. Maior difficultas superest de primo genere.

1. Sententia aliquorum Recent. negantium, meritum Christi fuisse condignum vnione hypostat. 157. *1. Sentent.* terminatâ ad Patrem, vel Spiritum sanctũ, quia per *Fundam.* vnionem immediatè & in recto cõmunicatur persona diuina; per opus meritorium immediatè & in recto datur tantùm actio humana, mediatè & in obliquo persona: ergo maioris valoris est vnio hypostatica terminata ad personam Patris, vel Spiritûs sancti, quàm Christi meritum. Confirm. 1. per- 158. sona per vnionem immediatè communicatur na- *Confirm. 1.* turæ; operi autem meritorio non nisi mediâ naturâ: ergo immediatiùs, adeòque perfectiùs persona per vnionem coniungitur naturæ, quàm per actionem operi meritorio: ergo perfectius præmium est vnio hypost. terminata ad personam Patris, vel Spiritûs sancti quàm sit opus Christi meritoriũ. 2. Per 159. vnionem non solùm datur in præmium persona diuina vt suppositans, quæ est principium infinitæ dignitatis, sed etiã natura ipsa creata, quæ est principium infinitorũ actuum: per meritum verò Christi solùm in obsequium exhibetur actus moraliter dignificatus à personâ operante Verbi.

SECVNDA *Suar. & Vasqu. cit.* affirmantium, vni 160. operi Christi pro adæquato præmio respõdere po- *2. Sentent.* tuisse plures & plures vniones hypost. quam sentẽtiam sequuntur, qui docent, nullum esse præmium excogitabile, quod propter maiestatẽ personæ operantis, non sit debitum cuicumque merito Christi: vnde quodcumque præmium dabile, foret infinitè inferius merito Christi. Fundam. *Suar.* Quilibet 161. actus Christi, vel formaliter, vel eminenter cõtinet *Fundam. Suar.* quicquid perfectionis est in quouis præmio possibili, aut in quâuis præmiorũ multitudine: ergo sufficiens est ad promerẽda quæcumque præmia possibiliã, non modò diuisiuè, verùm etiam collectiuè sumpta. Antec. prob. 1. Potentia simpliciter infinita *Anteced. prob. 1.* potest in quemcumque effectũ in ordine perfectissimum, & effectuum multitudinem: ergo meritum simpliciter infinitũ, vt Christi, extenditur ad quodcumque præmium in eo ordine perfectissimum, & præmiorũ multitudinem. 2. Tota perfectio meriti 162. Christi deriuatur ex dignitate personæ operãtis: sed *Secundò.* in hâc vel formaliter, vel eminenter cõtinetur quicquid perfectionis est in quouis prę mio, vel prę miorum collectione: ergo hæc eadẽ continetur in quolibet merito Christi, cui tota dignitas personæ operantis, absque vllâ limitatione communicatur. 3. In 163. vno actu Christi sunt infinitæ partes intensionis, & *Tertiò.* durationis: ergo ex vnâ parte mereri potest vnionem Patris cum vnâ naturâ, ex aliâ aliam cum aliâ &c. igitur in quouis actu est sufficiens valor ad quamcumque pręmiorum multiplicationem. Cõfirm. alioquin ita exhauriri posset vno præmio valor vnius actûs Christi, vt non posset idem actus esse condignus ad aliud præmium simul promerendum, quod falsum est. Nam si talis actus esset vt duo, esset condignus tali præmio; ego etiamsi esset

esset vt vnum, foret condignus eodem præmio:
quia etiam vt vnum, esset infiniti valoris: ergo ille
vt duo, erat sufficiens non solùm ad primum præ-
164. *Quartò.* mium,sed etiam ad secundum. 4.Idem valor est in
actu remisso Christi,ac in intenso; ergo idem va-
lor est in vno actu,ac in pluribus. nam eadem est
proportio inter remissum & intensum, ac est, in-
ter vnum & plures, quia vnus intensus æquiualet
pluribus remissis. Anteced.prob. quicquid inten-
sionis, multitudinis, perfectionisque est ex parte
actûs,est quid materiale, & compensari potest ex
dignitate personæ,in quâ tota hæc perfectio actûs
eminenter continetur; ergo siue sit remissus, siue
intensus; siue vnus, siue plures; siue in specie per-
fectâ, siue imperfectâ, habet eundem valorem di-
gnitatis infinitæ ad quodcumque præmium, vel
165. *Quintò.* præmiorum multitudinem promerendam. 5.Si tres
personæ diuinæ assumerēt eandem naturam, actus
elicitus à tribus non foret magis meritorius, nec
plurium præmiorum, quàm elicitus ab vnâ; quia
tres non sunt quid perfectius vnâ: ergo nec plures
eliciti ab vnâ, essent magis, vel plurium præmio-
rum meritorij, quàm vnus elicitus ab eâdem per-
sonâ; quia plus confert ad valorem meriti dignitas
personæ,quàm entitas actûs: ergo si illud non au-
get pluralitas personarum, neque augebit plura-
litas actuum.

166. *Assertio 1.* Dico 1. Quilibet actus Christi est condignè
meritorius Incarnationis Patris,aut Spiritûs sancti.
Fundam. Fundam. tanti valoris est actus Christi, quanti est
vnio Patris terminata ad humanitatem; nam sicut
vnio continet totam dignitatem personæ supposi-
tantis, ita actus totam perfectionem personæ ope-
rantis:& sicut suppositum mediâ vnione communi-
cat totam suam dignitatem naturæ assumptæ, ita
persona mediâ actione tribuit totam dignitatem
operi à se elicito: & vt per vnionem persona diui-
na datur in donum naturæ humanæ, ita per actio-
nem eadem persona offertur in obsequium Deo.
167. *Ad fund. opposita.* Vnde,ad fundam.oppositæ, neg.minor. nam tam
vnione, quàm actione immediatè & in recto da-
tur persona operans aut suppositans: sicut enim
vnio est medium, quo persona se dat in donum
naturæ; ita actio est medium, quo persona se dat
168. *Ad 1.confir.* in obsequium Deo. Ad 1. confirm.concedo antec.
de communicatione physicâ,nego de morali:phy-
sicè enim persona immediatiùs se communicat na-
turæ, quia mediâ vnione tantùm, operi mediâ
etiam naturâ: moraliter tamen etiam operi perso-
na se immediatè communicat, quia eo mediante
persona immediatè offertur in obsequium Deo.
Neque hæc maior immediatio physica, quâ per-
sona se communicat naturæ, facit vt sit maior va-
lor,quem persona communicat naturæ, quàm quē
communicat operi: quia hæc maior immediatio
non est physicâ identitate, sed intimiore vnitione,
quæ quoad moralitatem non causat diuersam æsti-
169. *Ad 2.confir.* mabilitatem. Ad 2. confirm. nego per opus sa-
tisfactorium Christum solùm offerre actum secū-
dum in obsequium Deo; simul cum illo offert
actum primum, quatenus est principium actûs 2.
Infertur contra *Durand. in 3.dist.20.q.2. num.6.* po-
tuisse Christum condignam gratiarum actionem,
pro donis & beneficijs suæ humanitati collatis,Deo
offerre.

170. *Casus metaph.* Dices: ponatur Spiritus sanctus cum aliâ hu-
manitate incarnatus:quo casu offerat Christus opus
virtutis pro obtinendâ vnione hypostaticâ Patris
naturæ Petri; offerat & Spiritus sanctus aliud opus
virtutis, pro non concedendâ vnione Patris natu-
ræ Petri: at eo casu opus Christi non erit condi-
gnum meritum pro tali vnione obtinendâ: ergo
nunquam erit pro illâ condignum: quia nec opus
Christi tali casu decrescit in valore, nec vnio hy-
postatica crescit in dignitate. Minor prob. si tali
casu opus Christi esset condignum pro vnione Pa-
tris obtinendâ,esset etiam condignum, ne persona
Spiritus sancti in aliâ humanitate subsistens exau-
diretur,de non communicandâ tali vnione naturæ
Petri: at æquè dignum & efficax est meritum Spi-
ritus sancti,ne talis vnio communicetur, ac meri-
tum Christi,vt talis vnio communicetur. Resp. 1. 171.
neg.consq. Ad prob. nego, tali casu non mutari *Resp. 1.*
vnionem hypost. moraliter, ratione nouæ circum-
stantiæ, alterius personæ æquè potentis ac dignæ
oppositum petentis. Sicut in humanis, plus est,
concedere Episcopatum personæ dignæ cum con-
currentiâ alterius æquè dignæ, quàm illum simpli-
citer concedere sine tali concurrentiâ: quia priori
casu cum Episcopatu conceditur etiam prælatio
vnius præ alio, quod est aliquid pretio æstimabi-
le. 2. Neg.minor.ad prob.neg.minor.nam tali casu 172.
vtraque persona esset digna, quæ exaudiretur: cō- *Resp. 2.*
parando enim opus ad præmium, vtrumque foret
tali præmio dignum: per accidens autem talia me-
rita se impedirent in ordine ad huiusmodi præ-
mia, quorum vnum includit negationem alterius.
At si Christus offerret plura merita pro vnione ob- 173.
tinendâ, quàm Spiritus sanctus pro eâdem non *Aliter formatur casus.*
conferendâ; quis tali casu potiùs exaudiretur? Qui
non plus valoris admittunt in pluribus, quàm in
paucioribus actibus Christi, putant tali casu esse
eandem rationem,quæ est in primo. In meâ senten-
tiâ, quâ plus valoris personalis extensiuè admitto
in pluribus,quàm in paucioribus, concedo, tali ca-
su ob plura merita personalia extensiuè digniora,
exauditum iri Christum. Velut si duo ad eumdem
Episcopatum obtinendum cōcurrant, alter dignus,
dignior alter: proculdubio Episcopatum obtine-
re merebitur dignior.

Dices: meritum potiùs respicit personā quàm 174.
opus: sed vtraque persona est æquè digna. Nego, *Dices. Resp.*
meritum respicere tantùm personam; simul cum
personâ opus à personâ dignificatum respicit.

Dico 2. vni actui Christi vna tantùm respon- 175.
det, vt præmium condignum & adæquatum, vnio
hypostica ad Patrem, vel Spiritum sanctum termi-
nata. Fundam. vnus actus Christi non continet for- *Fundam.*
maliter, quicquid perfectionis est in quâuis præ-
miorum multitudine: sola autem continentia emi-
nentialis ad meritum non sufficit. Maior prob. in
pluribus vnionibus hypostaticis ad plures naturas
terminatis, non solùm est vnum præmium inten-
siuè, ratione vnius personæ infinitè dignificantis,
sed etiam multiplex extensiuè,ratione multiplicis
communicationis eiusdem personæ cum diuersis
naturis; quæ habet formalem rationem præmij, & *Extensiua communicatio personæ habet rationem doni.*
persona formalem rationem doni, liberè ad extra
communicabilis,sub quâ tātùm ratione potest sub
meritum cadere. Sed hæc extensiua perfectio præ-
mij non continetur formaliter in vno actu Chri-
sti: quia hic non continet formaliter alios, quos
potest Christus elicere, nec alios numero valores
quos posset. Sicut vna communicatio personæ di-
uinæ cum naturâ creatâ non continet formaliter
infinitas alias, nec infinitos alios numero valores
& dignitates. Prob. minor: meritum essentialiter *Sola continentia eminent. ad meritum non sufficit.*
fundatur in actione liberâ; est enim actus secun-
dus liberè licitus: sed vnus actus Christi continens
eminenter omnes, non continet illos actu & forma-
liter: sed tantùm virtute, quatenus continet perso-
nam, quæ ratione suæ infinitæ dignitatis eandem
inten-

intensiuam perfectionem communicare potest aliis actibus: ergo continentia eminentialis infinitorum actuum in quolibet actu Christi non sufficit ad meritum infinitum extensiuè, sed tantùm intensiuè: sicut nec eminentialis continentia infinitarum vnionum in vnâ tantùm vnione sufficit ad infinitum præmium extensiuè, sed tantùm intensiuè.
Ratio. Ratio: cum ipsâ personâ infinitâ non communicatur formaliter omnis multiplicatio actuum vel vnionum cum quâuis naturâ creatâ; nec formalis multiplicatio valorum personalium, quæ formalem multiplicationem actuum, & vnionum essentialiter supponit: est enim valor iste personalis, moralis effectus formalis actui, vel vnioni à personâ diuinâ communicatus, qui, vt numero & extensiuè multiplicetur, necessariò requirit multiplicationem subiectorum, in quibus multiplicetur, cùm nequeat in vno tantùm actu multiplicari.

176. *Obijcies* 1. Extensiua perfectio meritorum Christi supra dignitatem personæ, non addit nisi multiplicationem actuum, qui cùm sint creati, non possunt addere condignitatem ad præmium ordinis increati. Maior prob. valor personalis, à quo tantùm habent actus Christi, vt sint condignè meritorij ordinis increati, non multiplicatur cum actibus Christi: cùm sit vnus & idem in omnibus.
177. Resp. Nego Maiorem: nam cum actibus etiam multiplicatur valor personalis. Alius enim numero personalis valor communicatur vni, ac alteri actui: sicut alia numero denominatio liberi communicatur vni ac alteri actui, licet vna & eadē sit forma denominans.
Ratio. Ratio; effectus formalis multiplicatur ad multiplicationem subiecti: si vna esset forma in pluribus subiectis, plures essent effectus formales à tali formâ subiectis communicati.

178. Meritum intensiuum, extēsiuum. *Obijcies* 2. Non plus mouent Deum omnes, quàm singuli actus Christi: mouent enim ratione personę operantis, quæ eadem est in omnibus & singulis. Resp. Non plus mouere intensiuè, mouere plus extensiuè, ratione distinctorum numero valorum personalium.

179. *Obijcies* 3. Sequitur, meritum Christi non esse infinitum simpliciter; seu quo maius ac perfectius
Resp. in eo genere excogitari non potest. Nego sequel. nam ad infinitum simpliciter sufficit, vt maius ac perfectius intensiuè in eo genere excogitari non possit. Sicut linea infinita dicitur simpliciter infinita in ratione lineæ, quia nulla excogitabilis est in ratione lineæ maior ac longior, licet multiplicari possit extensiuè, per alias lineas infinitas.

180. *Obijcies* 4. Vna satisfactio Christi, ratione personæ, quæ in obsequium Deo offertur, esset condigna pro infinitis peccatis occisionis Christi inuincibiliter putatis destructiuis increatæ personæ Christi: ergo unum meritum Christi, ratione personæ merentis, erit condignum pro infinitis vnio-
181. Par ratio satisfact. intensiua, extensiua. nibus hypostaticis. Respon. totum esse verum de condignitate intensiuâ, non extensiuâ, scil. tam in vnâ satisfactione Christi, quàm in vno merito eiusdem, ratione personæ satisfacientis, ac promerentis offertur infinita dignitas intensiua.

182. Dico 3. Vnio hypostatica ad tres personas diuinas terminata, est præmium in valore extensiuè excedens singulos actus Christi, posset tamen hic excessus extensiuus compensari multipli-
Fundam. catione plurium actuum. Fundamentum: Plus perfectionis extensiuè & formaliter continent tres vniones simul, quàm singulæ: ergo plus valoris ac dignitatis extensiuè & formaliter tribuunt naturæ assumptæ omnes simul, quàm singulæ: ergo vnio terminata ad omnes tres simul, est præmium in valore excedens singulos actus Christi. Antecedens prob. in diuinis quæuis personalitas addit propriam perfectionem relatiuam, ratione distinctam à naturâ, realiter à cæteris personalitatibus, & vna non continetur formaliter in aliâ. Prior conseq. constat: tantam dignitatem persona tribuit naturæ, quanta est perfectio ipsa, quâ formaliter vnitur; sed tres personæ simul vniuntur naturæ triplici perfectione relatiuâ formaliter, singulæ verò non nisi vnâ relatiuâ. 2. patet: vnio ter- 183. Secunda conseq. patet.
minata ad tres personas simul, continet formalem valorem prouenientem à tribus subsistentiis relatiuis, quem non continet actus Christi: quia hic non continet nisi valorem eius perfectionis, quæ se actu communicat naturæ humanæ.

Quòd hic excessus compensari posset multipli- 184.
catione actuum, prob. Sicut hic excessus in præmio non est nisi tantùm extensiuus; nam pluralitas personarum non addit nisi maiorem perfectionem extensiuam: ita compensari posset per meritum extensiuè perfectius. Dices: Vna per- 185. Duplex sensus anteced.
sona non est minùs perfecta, quàm omnes simul, quia quidquid perfectionis continent omnes continent singulæ: ergo eumdem valorem commu- 186.
nicat naturæ vna, quàm omnes simul. Anteced. de perfectione æquiualente, verum est; cùm enim quælibet persona contineat naturam, cum quâ formaliter identificantur reliquæ personalitates, æquiualenter continet reliquas personalitates: & hoc sensu negatur conseq. quia persona non vnitur naturæ creatæ eâ perfectione, quam continet æquiualenter, sed eâ quam continet formaliter, quia vnitur eâ perfectione, quâ formaliter terminat naturam. At intelligi potest de perfectione formali: sic plures perfectiones extensiuè formaliter sunt in omnibus, quàm in singulis; quia in omnibus sunt tres perfectiones relatiuæ formaliter, quæ non sunt in singulis. Hoc sensu minùs perfecta negatiuè, non priuatiuè, est vna persona, quam omnes simul.

Ex his patet ad fundamentum *Suarij*, ad 1. prob. 187. Ad fund. Suarij.
negat. conseq. nam ex eo sequeretur, etiam meritum finitum extendi posse ad plura numero præmia de condigno promerenda: sicut potentia actiua finita non solùm potest in effectum suæ virtuti adæquatum, sed in quamlibet effectuum multitudinem. Ratio: potentia refertur ad effectum Ratio discriminis.
vt actus primus ad secundum, meritum ad præmium, vt actus secundus ad alium secundum. Porrò actus primus, quà actus primus est, essentialiter respicit plures actus secundos, quia vt sic dicit virtualem continentiam illorum; actus secundus non continet formaliter perfectionem aliorum actuum. Et quia in merito attenditur formalis perfectio actus, non potest vnus actus extendi ad plura præmia respondentia pluribus actibus.
Ad 2. nego minorem quoad continentiam exten- 188. Ad 2.
siuam formalem: sicut enim persona diuina non continet formaliter extensiuam perfectionem actuum, quos potest naturâ assumptâ elicere: ita nec actus Christi participans formaliter dignitatem huius personæ, continebit formaliter extensiuam perfectionem aliorum, & consequenter non erit condignus extensiuo valore contento in multitudine præmiorum. Concedo quoad continentiam eminentialem: nego tamen illam sufficere ad rationem meriti. Ad 3. negatur consequen. Nam 189. Ad 3.
quamuis in quolibet actu Christi sint infinitæ partes, omnes tamen ordinantur ad vnum physicum actum numero componendum; & vt sic vnus physicus

ficus actus numero informatur vno numero valore morali prouenientc ex dignitate personæ. Concedo igitur, actum physicè intensum vt vnum esse sufficientem ad incarnationem Patris, nego actum physicè intensum vt duo esse sufficientem ad duplicem incarnationem, & quantum ad intensionem, & quantum ad extensionem. *Ratio.* Ratio; tam vnus gradus in actu remisso, quàm duo in actu intenso ordinantur ad componendum vnum numero actum physicum, qui vt sic vnus numero indiuisibiliter informatur vno numero valore morali: Et quod dico de intensione, idem intelligo de duratione, & specie perfectiore actus. *Par ratio durationis.* Præterea, non minùs in incarnatione Patris, quàm in actu Christi assignari possunt diuersæ partes: sicut actus Christi habent diuersas partes intensionis: ita incarnatio Patris ex parte humanitatis haberet diuersas partes extensionis. Quòd si vnio fiat in naturâ Angelicâ, in eâ saltem virtualiter possent plures partes assignari, quatenus talis vnio simplicissima æquiualeret vnioni constanti infinitis partibus cum naturâ corporeâ. Neque est absurdum, vnum actum Christi adæquari vni tantùm præmio; quia hoc non tam derogat infinito merito Christi, quàm exaltat infinitam dignitatem præmii, in quo non minùs, quàm in merito includitur Deus in recto. 190. *Ad 4.* Ad 4. negatur conseq. Ad probationem negatur paritas: vnus enim actus intensus Christi quoad omnia non æquiualet pluribus remissis: nam in pluribus remissis est multiplex numero valor personalis, qui non est in vno tantùm intenso. Ad probationem anteced. nego, quidquid se tenet ex parte actus compensari dignitate personæ; quia nequit dignitas personæ compensare formalem multiplicationem valoris moralis personalis, qui cùm sit effectus formalis à personâ diuinâ communicatus actibus, nequit compensari, nisi tantùm eminenter & intensiuè, non formaliter & extensiuè à dignitate personæ. Sicut nec potest formaliter & extensiuè, sed tantùm eminenter & intensiuè, potentia compensare formalem extensionem & multiplicationem suorum actuum. Est autem persona diuina quasi potentia moralis productiua multorum valorum personalium in multis actibus humanitatis Christi. 191. *Ad 5.* Ad 5. nego anteced. Ad prob. nego, tres personas diuinas non esse quid perfectius formaliter & extensiuè, licet non sint quid perfectius æquiualenter & intensiuè, ratione naturæ diuinæ.

SECTIO VII.

An satisfactio Christi fuerit actus propriæ & rigorosæ Iustitiæ?

192. *1. Sentent.* PRIMA sententia affirmat: *Capreo. in 4. dist. 15. quæst. vn. art. 3. ad 1. Aureoli con. 1. concl. Ferrar. 4. con. gen. cap. 54. §. Respondetur. Palat. in 4. dist. 15. disp. 2. §. Porrò; Veg. lib. 7. in Trident. cap. 8. Med. 3. p. q. 1. art. 2. §. Est alia qu. Suar. disp. 4. sect. 5. & 6. Gabr. disp. 7. & vt videtur Bacho. in 4. dist. 1. quæst. 6. art. 1. &c.* 193. *Fundam.* Fundamentum: quæ scriptura & Patres in tradendis mysteriis fidei docent, in proprio sensu sunt intelligenda, vbi manifesta absurda non cogunt ad metaphoricum cõfugere: sed docent, in nostrâ redemptione seruatam fuisse iustitiam, & nullum absurdum cogit, hæc de metaphoricâ tantùm iustitiâ interpretari. 194. *2. Sentent.* 2. negat: *Scoti in in 3. dist. 19. quæst. vn. Gabr. ibid. Durandi dist. 20. qu. 2. Ioan. Medin. de satisfact. qu. 1. Vasquez disput. 7.* ex diuerso fundamento. *Vasquez* negat perfectam iustitiam in satisfactione Christi defectu vtilitatis, quam nequit Deus ex vllo opere bono creaturæ accipere, quod tamen ipse putat essentiale ad perfectam iustitiam, quæ ex *Philos.* versatur in datis & acceptis. Reliqui negant perfectam iustitiam in satisfactione Christi defectu condignitatis seu æqualitatis operis ad debitum.

Nota 1. controuersiam intelligi posse 1. vt idem sit ex perfectâ & rigorosâ iustitiâ, quod ex perfectâ & rigorosâ condignitate solutionis ad debitum, vel ad præmium; 2. vt idem sit, quod ex speciali virtute iustitiæ, in quâ cum omni rigore seruatæ sint leges perfectæ iustitiæ. 195. *Notandum 1.* In 1. sensu *suprà* docui, iuxta communem sententiam contra *Scot.* & alios, Christi satisfactionem non modò fuisse perfectam & rigorosam, sed etiam excedentem omne debitum à nobis peccato contractum, & donum amissum; idque ex intrinsecà condignitate & valore desumpto ex personâ operante: & hoc tantùm sensu Christi satisfactionem vocant ex rigore iustitiæ antiquiores *cit.* In 2. soli Recentiores illam appellant ex rigore iustitiæ. Nota 2. Ex *S. Tho. 2. 2. qu. 58. art. 2.* Iustitiam propriam dici vno modo, vt opponitur metaphoricæ; alio, vt opponitur imperfectæ. 196. *Notandum 2.* *Iustitia propria dicitur dupliciter.* Metaphorica dicitur, quæ tantùm apparentem habet similitudinem iustitiæ, nullam participans formalem rationem illius: qualis est illa, quæ ordinat partem inferiorem ad superiorem in eodem homine. Imperfecta dicitur, quæ verè participat formalem rationem iustitiæ, non tamen omni perfectione, quâ illa in suo genere participabilis est. hæc à *S. Tho.* appellatur iustitia potestatiua, quæ participat quidem essentiales conditiones iustitiæ, deficit tamen à perfectâ participatione earum: Sicut accidens dicitur imperfectè ens, quia licet participet formalem rationem entis, deficit tamen à perfectâ participatione illius, quia non participat illud, quantum participabile est in genere entis creati. Perfecta dicitur, quæ non solùm participat essentiales conditiones iustitiæ, sed etiam perfecto modo, quo illę participabiles sunt: atque hæc dici solet iustitia formalis.

DICO 1. Satisfactio Christi fuit actus propriæ iustitiæ, vt opponitur metaphoricæ. 197. *Conuenit vtraque sentent. ex fund. prima.* Etenim nemo negat, in Christo erga Deum fuisse aliquam iustitiam potestatiuam, vt de *obedientiâ* constat *ad Philip. 2.* sed potestatiua iustitia est propria iustitia, vt opponitur metaphoricæ; ergo in Christo fuit propria iustitia. Cæterùm probabile est, illum fuisse actû Religionis, cuius non solùm proprium est exhibere debitum cultum Deo, vt primo principio, sed etiam ipsius iûs à se, vel ab alio læsum resarcire. Eiusdem quippe virtutis est, honestatem sui obiecti conseruare, & læsam resarcire.

Obijcies: Nequit eiusdem ad seipsum esse propria iustitia, teste *Philos. 5. Ethi.* sed Christus per humanitatem satisfecit sibi ipsi subsistenti in diuinitate: ergo in Christo est iustitia tantùm metaphorica. 198. *Respondent.* Negant aliqui, Christum satisfecisse sibi, sed Patri, à quo non solùm persona, sed etiam natura humana realiter distinguitur; nam quamuis non potuerit satisfacere Patri, vt subsistens in naturâ diuinâ, quia vt sic non distinguitur in proximo fundamento iuris, quod est voluntas; potuit tamen satisfacere, vt subsistens in naturâ humanâ, quâ perfectè distinguitur à Patre. Sed contrà: teste *Paulo 2. ad Corinth. 5.* Christus non solùm Patri, sed etiam sibi mundum reconciliauit: 199. *At contra.* *Deus erat*, inquit *in Christo mundum reconciliāns*

concilians sibi: nam illi exhibenda fuit satisfactio, contra quem peccatum fuit: sed peccatum fuit contra Deum vt Deum, & consequenter contra omnes diuinas personas: nam omnes ratione vnius voluntatis, supremi dominij, increatæ bonitatis, est vnus legislator, vnus Dominus, vnus finis vltimus, quem peccator offendit. Respondet 2. *Vasquez disput.* 8. *cap.* 2. & 7. Christum satisfecisse per humanitatem Deitate sanctificatam, vt per principium *quod*, non per personam diuinam, nisi per communicationem idiomatum, quatenus actiones naturæ tribuuntur supposito: hæc autem quia realiter distinguitur à Verbo, potuit inter ipsam & Verbum sufficiens intercedere alteritas, ad propriam iustitiam fundandam requisita. Sed contrà: ex Theologorum axiomate fundato in *Arist.* 2. *de Animâ*, actiones propriè sunt suppositorum; ergo non solâ humanitate vt principio *quod*, sed supposito includente humanitatem Christus satisfecit: nam licet principium formale elicitiuum operationum sit natura; quia tamen hæc non est id nisi sit completa in suo esse, per subsistentiam, id quod propriè operatur, non est natura, sed suppositum; nam operatio consequitur ad esse completum rei. 2. satisfactio Christi non minùs in ratione condignitatis & valoris moralis pendet à personâ dignificante, quàm in ratione physicæ entitatis ab humanitate eliciente; ergo non minùs ad illam concurrit Verbum, quàm humanitas: ergo non tantùm per communicationem idiomatum, sed intrinsecè & per se, vt principio moraliter dignificanti, satisfactio tribuitur Verbo. Neque obstat, quòd Christus interdum dicatur satisfacere vt homo, non vt Deus homo: nam homo implicitè importat suppositum; importat enim ex modo significandi humanitatem subsistentem: Et explicari potest de principio tantùm *quo*.

200. *Respondet Vasquez.* 201. *Sed contrà.* 202.

203. *Resp. Albertinus.* Respondet 3. *Albertin. Coroll.* 18. ex principio 1. philos. inter Christum offerentem & acceptantem sufficientem esse alteritatem: nam quamuis sit eadem persona satisfaciens & acceptans, vt tamen satisfacit, habet diuersum ius in operationes humanitatis sibi vnitæ, quod non habet quatenus acceptat. Supponit enim Verbum ratione personalis vnionis habere dominium formale supra operationes humanitatis, quod non habent cæteræ diuinæ personæ, ratione cuius potest vt subsistens in naturâ humanâ, satisfacere sibi ipsi, vt subsistenti in diuinâ. Fundamentum, potest eadem persona satisfacere sibi ipsi ex iustitiâ secundùm diuersa iura, vt patet primò in tutore satisfaciente sibi ex bonis pupilli: secundò in eo, qui ob duplex ius supra duplicem societatem, vt pars vnius satisfacit sibi ipsi, vt parti alterius societatis: tertiò si Angelus incarnaretur, posset ex iustitiâ satisfacere humanitati, & consequenter sibi, vt subsistenti in tali naturâ: quartò inter patrem & filium non emancipatum, dominum & seruum, est perfecta alteritas personarum, cùm tamen non sit perfecta iustitia, defectu alteritatis iurium: ergo iustitia non tam attendit alteritatem personarum, quàm iurium. Sed contrà. 1. falsum est, Verbum ratione personalis vnionis, habere formale dominium supra operationes humanitatis distinctum à dominio, quod in illas habet tota SS. Trinitas: nam quamuis ratione vnionis hypostaticæ Verbum influat aliquid in operationes humanitatis, quod non influunt reliquæ personæ, nempe condignitatem & valorem, eas sustentando & recipiendo in assumptâ naturâ: id tamen non facit Verbum liberè, quod requiritur ad dominium, sed necessariò; positâ enim vnione inter humanitatem & Verbum, non est in liberâ potestate Verbi, sed tantùm humanitatis, operari & non operari; neque positâ operatione, penes Verbum est, illam condignificare, aut non condignificare. Nullum igitur peculiare dominium habet Verbum, quod vel illi commune non sit cum reliquis diuinis personis, vel ei non conueniat per communicationem idiomatum. Ratio: dominium est proprietas voluntatis; Est enim teste *Bartolo L. Si quis*, ius liberè disponendi de re in omnem vsum lege permissum: Verbum autem non vnitur formaliter vt liber motor humanitatis, sic enim omnes personæ essent incarnatæ, sed vt suppositum sustentans & terminans humanitatem. Nec dici potest in *sentent. Albertin.* hoc dominium Verbi esse idem cum dominio humanitatis assumptæ; nam ipse apertè distinguit dominium Verbi, & humanitatis: & hoc ponit dependens à Deo, illud independens, vt inde probet, Verbum habere aliquid independens à cæteris personis, per quod possit illis, & sibi ex proprijs satisfacere. 2. Esto Verbum habeat hoc peculiare dominium in operationes humanas Christi, adhuc falsum est, per eas posse sibi ex iustitiâ satisfacere. Quia iustitia, vt à metaphoricâ distinguitur, essentialiter est ad alterum. Nec satisfacit dicens, posse quempiam sibi ipsi satisfacere secundùm diuersa iura: quia iustitia non attendit diuersa tantùm iura materialia, qualia sunt, quæ ab eâdem personâ per eandem voluntatem possidentur, sed diuersa iura formalia, quæ in diuersis naturis liberis existunt; alioquin nullum esset discrimen inter iustitiam, & reliquas virtutes, quæ sunt ad se; vnde etiam hæ dici possent iustitia, quatenus in vna eademque persona adæquant diuersa iura. Ratio: nequit esse iustitia, vbi nequit esse translatio, vel acquisitio dominij: sed sui ad seipsum nulla dominij translatio, vel acquisitio esse potest: nam hæc fit inter distinctas naturas liberas: quod enim dominium potest idem in seipsum transferre, vel à seipso acquirere, quod ante non habebat? vel quid refert ad propriam iustitiam, quòd hoc fiat secundùm diuersa iura? quasi verò hæc diuersa iura non sint sub dominio vnius eiusdemque voluntatis. Ad 1. exempl. Ideò potest tutor ex bonis pupilli ex iustitiâ sibi satisfacere, quia non habet dominium absolutum, sed tantum directiuum in bona pupilli. Ad 2. nego, illum, qui habet duplex ius supra duplicem societatem, vt partem vnius satisfacere sibi ipsi, vt parti alterius societatis, sed tantùm socijs in eâ inclusis. Ad 3. concedo assumpt. verum id non esset ratione vnius personæ secundùm diuersa tantùm iura spectatæ, sed secundùm distinctas naturas & voluntates. Ad 4. concedo, iustitiam non attendere per se alteritatem personarum, nisi quatenus hæc adfert alteritatem voluntatum, penes quas spectantur iura formaliter. Quòd autem inter Patrem & Filium, dominum & seruum, non sit perfecta iustitia, quamuis sit perfecta alteritas personarum & voluntatum, ea est ratio: nam ad perfectam iustitiam præter alteritatem voluntatum, requiritur etiam alteritas iurium & dominiorum, de quâ iustitia nunc non loquimur, sed tantùm de imperfectâ, vt distinguitur à metaphoricâ.

204. *Fundam.* 205. *Contrà 1.* *A priori.* 206. *Contrà 2.* 207. *Cur eiusdē ad seipsum non possit esse propria iustitia.* 208. *Ad exempla nu. 204.*

Respondet 4. *Suarez disput.* 4. *sect.* 5. inter Christum satisfacientem & acceptantem, sufficientem intercessisse alteritatem, propter diuersas naturas liberas, humanam & diuinam, quarum vnâ potuit offerre, aliâ verò liberè satisfactionem acceptare. Quæ resp. vera est: At quo pacto principium 209. *Respondet 4. Suarez.* *Vera resp.*

pium satisfaciens in Christo distinguatur ab eo, cui satisfit, cùm satisfacere & acceptare sit proprium suppositi, quod in Christo est vnum & idem;
210. *Explicatur.* sic explico: Quamuis completum principium operandi sit suppositum, formale tamen, penes quod est proxima potentia libera operandi, est natura, à quâ suppositum denominatur liberè operari: cùm ergo in Christo sint duæ naturæ perfectè liberæ distinctæ realiter, erit distinctum principium formale *quo* satisfaciendi, & cui fit satisfactio: ergo idem suppositum vnâ naturâ potest satisfacere vt debitor, & aliâ satisfactione acceptare vt creditor; quia vbi sunt diuersæ naturæ perfectè liberæ, sunt diuersa principia iurium; ergo diuersa dominia; ergo in vnâ potest esse debitum, in aliâ creditum; atque adeò potuit idem suppositum in vnâ esse debitor, & satisfactor, in
211. *Responsio differt à secundâ,* aliâ creditor & acceptator. Quæ resp. differt à secundâ, quia illa docet, completum principium satisfactionis vt *quod*, esse solam humanitatem Deitate sanctificatam; hæc verò humanitatem includentem suppositum, humanitatem in ratione proximi principij liberè elicientis, suppositum in ratione terminantis & condignificantis satisfactio-
Et à tertiâ. nem. Differt à tertiâ: nam illa affirmat, posse vnam eandemque personam secundùm diuersa tantùm iura materialia sibi ipsi satisfacere: hæc autem docet, non posse nisi secundùm diuersas naturas liberas, quod est secundùm diuersa iura formalia.

212. *Dices.* DICES: sequeretur, si anima rationalis haberet duas voluntates, illam fundare posse iustitiam sui ad seipsam. Forte quis concederet sequel. supponendo solam voluntatem esse adæquatum principium liberè operandi: nam tunc posset vna vo-
Nego sequel. luntas contra aliam agere. Sed neganda: nam adæquatum principium liberè operandi non est voluntas, sed animus rationalis, qui vt primum principium liberum determinat omnes potentias, atque adeò ipsam voluntatem ad operandum: proinde non posset inter vnam voluntatem & aliam esse sufficiens alteritas ad iustitiam fundandam: nam hæc est libertas, quæ principaliter saltem est
213. *Vrges.* in animâ. Sed contrà; hinc sequeretur, non magis voluntatem, quàm reliquas potentias animæ, esse libera principia operandi, cùm non magis anima liberè applicet ad operandum voluntatem,
Resp. quàm reliquas potentias. Nego sequel. nam voluntate anima primò se applicat ad operandum liberè, eâque mediante applicat reliquas potentias.

214. DICO 2. Satisfactio Christi non fuit actus perfectæ & rigorosæ iustitiæ ex parte Christi offerentis, non defectu condignitatis, sed iurium alte-
Fundam. Arist. ritatis. Fundamentum: perfecta iustitia ex *Arist.* includit perfectam iurium alteritatem: est enim adæquatiua iuris alterius: quantum igitur deficit à iuris alteritate, tantùm deficit à perfectâ iustitiâ. Sed ius, quod ratione voluntatis creatæ Christus habet in actus satisfactorios, non est perfectè alterum à iure, quod in eosdem actus habet Deus (scilicet illud ius dicitur perfectè alterum, quod fundatur in re moraliter distinctâ à re & iure illius, cum quo contrahenda est iustitia) fundatur enim libertate creatâ, quæ est effectus & naturalis possessio Dei, potiori iure, quàm filius sit naturalis pars patris, & seruus moralis possessio domini. Ob quam rationem nequit ex *Arist. 5. Ethic. cap. 6.* inter patrem & Filium, dominum & seruum esse perfecta iustitia.

215. *Obycies 1.* Christus vt homo habet perfectum ius libertatis in suos actus; ergo est perfectus dominus illorum; ergo potest super illos fundare perfectam iustitiam cum Deo. Nego conseq. nam 216. *Resp.*
sicut ius libertatis non facit Christum ratione naturæ humanæ moraliter perfectè alterum à Deo, quia etiam vt liber manet perfecta possessio Dei: ita tollit rationem perfectæ iustitiæ, quæ talem dependentiam excludit, & perfectam alteritatem requirit. Cùm autem dicitur, Christus est perfectus dominus suorum actuum, intelligitur de perfecto dominio libertatis eos eliciendi & non eliciendi; non de dominio illos extrahendi à iure & dominio Dei, quod necessarium est ad perfectam iustitiam.

Obycies 2. In libertate Christi est, efficere, vt 217.
Deus acquirat ius in actus liberos humanitatis; ergo potest Christus conferre Deo aliquod ius, super quod fundare potest perfectam iustitiam. Antecedens patet; in Christi libertate est, elicere hunc vel illum actum; sed Deus non acquirit ius in actum, nisi eliciatur: ergo. Resp. 1. in libertate 218. *Resp. 1. instando.*
serui est, efficere, vt dominus acquirat ius in hoc vel illud opus; multa enim pendent à voluntate serui, vt hæc vel illa fiant, & tamen cùm fiunt, non potest seruus super illa iustitiam cum domino fundare, quia eo ipso quod fiunt, cedunt in vtilitatem domini. Ergo quamuis à voluntate Christi pendeat, vt hæc vel illa opera fiant; quia tamen facta, naturali iure manent obligata Deo, non potest super illa iustitia fundari; nam ad perfectam iustitiam fundandam, non sat est vt in tuâ potestate sit, efficere, vel non efficere opus, sed vt factum, non sit sub dominio alterius: alioqui si statim factum obligetur alteri, non poteris supra illud iustitiam fundare, quia nemo iustitiam fundare potest supra id, quod est alterius. 2. Nego ante- 219.
ced. Non enim Deus acquirit ius in actus liberos, *Resp. 2.*
mediâ libertate nostrâ, vt causâ concedente ac tribuente ius, sed vt purâ conditione, quâ positâ, Deus ex se habet ius in illos, tum ratione dominij, quod habet in causam, ac proinde in omnes effectus à causâ promanabiles: tum ratione actualis concursus, quem præbet in illos. Vnde sicut hæc iura Deus habet in actus liberos creaturæ, independenter à creaturâ, vt à causâ ius conferente, ita independenter ab illâ habet ius & dominium in illos. Confirm. Sicut productio fructus ex ar- 220. *Confirm.*
bore, non est traditio iuris in dominum arboris, sed tantùm pura conditio, quâ positâ, per idem ius, quod habebat in arborem, fit dominus fructûs arboris: ita productio actûs in creaturâ, non est noua traditio iuris in Deum, sed sola pura conditio, quâ positâ per idem ius, quod Deus habebat in creaturam & actualem concursum in illum, fit dominus illius. Nec obstat, quòd illa sit productio necessaria, hæc libera; nam sicut libera productio effectûs non tollit perfectum ius in causam, ita nec ius in effectum liberè productum.

Obycies 3. Quæ dixi solùm probant, Deum ex 221.
se habere ius in actus Christi, postquam sunt eliciti, non antequam eliciantur: nam ante, vti erant sub liberâ potestate Christi eos eliciendi vel non eliciendi, ita sub pleno dominio eiusdem: ergo ratione huius antecedentis dominij, quod Christus habebat eos eliciendi vel non eliciendi in honorem Dei, poterat ex iustitiâ contrahere cum Deo.
Nego antec. Deus enim non solùm independenter 222.
à creaturâ habet plenum dominium in actus postquam sunt eliciti, sed etiam antequam eliciantur. Nam antequam eliciantur, independenter à creaturâ habet plenum dominium in causam liberè productiuam, & consequenter in actus à tali causâ

liberè

liberè producibiles. Consistit autem hoc dominium in eo, quòd etiã dum isti actus sunt in causâ, iure possunt exigi à Deo vt sui, non minùs quàm à domino exigi possint liberæ operationes à seruo. VRGES: potest Deus has operationes concedere creaturæ, quibus concessis, posset creatura ex iustitiâ contrahere cum Deo: sicut potest dominus cõcedere seruo opera sibi debita, quibus concessis, posset seruus ex iustitiâ contrahere cum domino. Resp. esto, possit Deus concedere, vt creatura non teneatur tales operationes elicere, adhuc tamen non potest se spoliare iure illas à creaturâ exigendi: quamdiu autem manet Deus cum iure eas à creaturâ exigendi, manet cum perfecto dominio earum, etiam prout sunt in causâ. Nam perfectum dominium, est potestas disponendi de re absque iniuriâ alterius. Neque ex eo, quòd creatura possit elicere vel non elicere actum erga Deum, transfert aliquod ius in Deum supra talẽ actum, quod Deus ipse independenter à creaturâ in talem actum, vel in seipso, vel in causâ consideratum, non habeat. Nam & illico productus cadit sub perfectum dominium Dei, & antequam produceretur, iure poterat exigi à Deo, adeoque liberè de illo disponere absque iniuriâ creaturæ. Nec videtur quodnam maius ius possit creatura supra talem actum in Deum transferre, quod Deus ipse ex se non habeat. Nec est par ratio de domino creato, qui spoliare se potest iure exigendi opera à seruo sibi debita, proinde supra talia opera ex iustitiâ cum seruo contrahere.

213. *Vrges.*

214. *Resp.*

Quid perfectum dominium?

225. *Obijcies* 4. In Christo fuit perfectum meritum; ergo perfecta iustitia: ex *S. Thom. 1. 2. quæst. 114. art. 1.* meritum perfectum fundatur in iustitiâ perfectâ: est enim quasi quoddã pretium, quo præmium vitæ æternæ mercamur. Nego conseq. nam meritum perfectum solùm fundatur in condignitate perfectâ operis ad præmium, & hanc *S. Thom.* appellat iustitiam perfectam, eò quòd iustitia per se primò vi nominis importat æqualitatem: in Christo autem sicut non defuit hæc conditio condignitatis operis ad præmium, ita nec meritum perfectum.

216. *Resp.*

217. DICO 3. Neque Christi satisfactio fuit actus perfectæ iustitiæ ex parte Dei acceptantis, & ex pacto illam remunerantis. Fundam. repugnat in Deo iustitia perfecta erga creaturas, tum defectu perfectæ alteritatis; quia cùm creatura sit effectus & naturalis possessio Dei, non est perfectè moraliter altera à Deo, sed quicquid ipsa est, magis Dei est, quàm suiipsius; ergo quod Deus donat, vel promittit creaturæ, non donat, vel promittit, vt perfectè moraliter alteri à se, sed vt rei à se naturaliter ac moraliter possessæ; ergo quod ei donat, non minùs manet suum, quàm maneat sua ipsa creatura, cui donat. Vnde sicut absque vllâ specie iniustitiæ annihilare potest creaturam, cui ex pacto oneroso promisit, etiam adimpletâ conditione ex parte creaturæ: ita & rem promissam, etiam postquam illam creaturæ contulit, cùm non minùs maneat sub dominio Dei res promissa, etiam postquam collata est creaturæ, quàm ipsa creatura. Tum defectu debiti legalis, quod in Deum cadere non potest: nam hoc ponit actiuum ius exigendi in creditore erga debitorem, quod in creaturâ erga Deum esse non potest: Quia factâ quâcumque promissione, semper creatura manet sub perfecto dominio Dei, vt possit de illâ perfectè disponere, ac proinde vt possit illam annihilare, vel priuare re promissâ, etiam adimpletâ quâcumque conditione ex parte creaturæ.

Fundam. est defectus alteritatis.

Et debiti legalis.

Obijcies. Simplex promissio obligat Deum ex fidelitate; ergo sub conditione operis onerosi, obligat plus quàm ex fidelitate; ergo ex perfectâ iustitia. Nego vtramque consequ. Ratio: tam opus onerosum, sub cuius cõditione fit promissio, quàm creatura, cui fit promissio, est Dei, non minùs quàm seruus domini, & filius patris: vnde sicut si dominus promitteret seruo sub conditione operis onerosi, titulo seruitutis sibi debiti; aut pater filio sub conditione obsequij, lege pietatis sibi obstricti, non tenetur nisi ex fidelitate, defectu perfectæ alteritatis; ita nec Deus creaturæ. Quia non potest transcendere limites fidelitatis ea virtus, quæ non operatur ex debito orto ex iure actiuo alterius, sed ex solâ honestate virtutis & naturali rectitudine promittentis. Eadem igitur virtus est in Deo, quæ retribuit ex simplici promissione, & ex promissione factâ sub conditione operis onerosi. Patet ad fundamentum primæ. Testimonia Scripturæ intellige de iustitiâ propriâ, vt opponitur metaphoricæ. Scholastici pro eâ citati apertè loquuntur de condignitate satisfactionis, tum ad debitum soluendum, tum ad præmium promerendum. 2. Sententia est eadem cum nostrâ, nisi quòd nitatur falso fundamento: non enim deest perfecta iustitia in Christo, aut defectu condignitatis, aut vtilitatis, quam Deus ex nostris operibus accipere non potest: est enim capax commodi honorifici, & cultûs extrinseci, quem ex nostris bonis operibus apud homines acquirit. Neque materia iustitiæ est tantùm pecunia, cuius vsus ad vtilitatem ordinatur, sed etiam honor, ex *Arist. 5. Ethic. 2.* cuius exhibitio per se tantùm respicit personæ venerationem.

218. *Resp.* *Ratio.*

219. *Ad fund. 1. Sentent.*

230. *Ad secundam sent.*

SECTIO VIII.

An saltem Christi satisfactio habuerit reliquas conditiones ad perfectam iustitiam requisitas?

QVinque aliæ, præter alteritatem, satisfactioni ex perfectâ iustitiâ conditiones assignantur. 1. vt non fundetur in gratiâ Creditoris: 2. vt fiat ex proprijs bonis satisfacientis: 3. vt fiat ex aliàs indebitis: 4. vt sit ab eadem personâ, quæ offendit: 5. vt obliget Creditorem ad acceptandum: Singulæ sunt examinandæ. 231.

Quinque conditiones examinandæ.

An satisfactio Christi fundetur in gratiâ Creditoris?

COnclusio affirmans. Fundam. satisfactio Christi fundatur in gratiâ vnionis hypostaticæ, & actualis concursus Dei ad actus satisfactorios, quorum primum gratis, & ad finem soluendi debitum generis humani, fuit à Deo huic naturæ collatum. Secundum poterat à Deo saltem de potentiâ absolutâ, absque vllâ iniustitiâ negari: ergo quod Christus in satisfactionem pro nobis obtulit, fundabatur in donis à Deo gratis ad hunc finem primariò collatis. Antecedens probo: valor operationum, per quas Christus satisfecit, sumebatur formaliter ex personâ increatâ, quæ gratis huic naturæ ad finem Deo condignè satisfaciendi, communicata est. 232.

Fundam. affirm.

Negant 1. *Capreol. in 4. dist. 15. qu. vn. art. 3. ad argum. cont. 1. conclus. Caiet. 3. qu. 1. art. 2. ad 3. dub. Medina ibid. §. Ad argum. tertij prædic. Ferrar. 4. cont. gen. cap. 54.* 233.

Negant.

cap. 54. & 55. *Sot. in 4. dist.* 19. *qu.* 1. *art.* 2. satisfactionem Christi fundari in gratia Dei Creditoris: quia quod satisfacit est suppositum, non humanitas, actiones enim sunt suppositorum: atqui suppositum Verbi, cùm sit Deus, non minus quàm Pater & Spiritus sanctus, quicquid habet, habet vt suum, non gratis acceptum; ergo quod in satisfactionem pro
234. *Contrà.* nobis offert, offert vt suum. Sed contrà: cum Verbum satisfaciat per humanitatem, cui est facta gratia, vt per principium liberum *quo* satisfaciendi, cumque in satisfactione maximè spectetur principium liberum, penes quod est formalis facultas satisfaciendi, absolutè dicendum est, principium satisfaciendi in Christo fundari in gratiâ Creditoris: propter quod non dicitur satisfacere vt Deus homo, sed vt homo Deus.

235. *Opinio Suar.* Secundò putat *Suarez disp.* 4. *sect.* 6. côditionem hanc tunc obstare perfectæ iustitiæ, quando ad illam concurrunt hæc tria: 1. vt gratia detur eo fine saltem virtuali, vt alius per eam satisfaciat: 2. vt solutio fiat ea ipsa re, quæ à Creditore gratis donetur: 3. vt gratia fiat eidem, qui debet satisfacere. Nam ea tantùm gratia minuit perfectionem
Virtualis remissio debiti. iustitiæ, quæ est virtualis remissio debiti; seu quæ includit hæc tria: sed ad satisfactionem Christi non concurrunt hæc tria: 1. quia gratia vnionis non est collata humanitati eo fine primario, vt pro peccatis satisfaciat, sed vt in eâ communicetur diuina bonitas. 2. quia Christus non satisfecit ipsâ gratiâ vnionis formaliter, sed per labores & fructus propriâ industriâ comparatos. 3. quia gratia vnionis non est facta huic homini Christo, qui propriè satisfecit, sed humanitati, quæ non satisfecit. 4. liberalis concursus Dei ad actus Christi non tollit condignitatem satisfactionis, ergo nec minuit perfectionem iustitiæ: quia licet ad illos concurrat Deus, habet tamen Christus ad eos proprium concursum, ratione cuius sunt proprij ipsius, & vt tales sufficientem habent valorem ex dignitate personæ. Sicut è contrario actus peccati, quo læditur Deus, quoad physicam entitatem pendet etiam ex concursu Dei; atque adeò in hoc est proportio inter satisfactionem & offensam: quòd sicut ad hanc non solùm concurrit peccator, vt causa particularis, sed etiam Deus, vt causa vniuersalis: ita ad illam non solùm concurrit Deus, vt causa generalis, sed etiam Christus, vt causa specialis. Et quamuis concursus ad actum supernaturalem sit altioris ordinis, est tamen Christo debitus ra-
236. *Sed contrà* 1. tione vnionis hypostaticæ. Sed contrà: 1. falsum est, etiam in sententia *Scoti*, quam sequitur *Suar.* Incarnationem in carne passibili, quâ peracta est, non esse primariò institutam in remedium peccati, ac proinde ad satisfaciendum pro peccatis. 2.
2. Nego, Christum satisfecisse per labores & fructus industriâ humanæ voluntatis liberè operâtis comparatos: nam præcipuus valor satisfactionis deriuabatur, ex diuinâ personâ Verbi, & reliquis donis
237. *Ad exemplum debitoris.* gratis huic naturæ à Deo collatis. Nec valet exemplum debitoris, qui gratis acceptâ pecuniâ à Creditore, cum eâ tantum lucratur, quantum propriâ industriâ comparet ad soluendum totum debitum creditori: quia in negotiatione humanâ præcipuus author lucri, est labor & industria negotiantis; non pecunia, quæ tantùm est instrumentum: at principalis causa valoris satisfactionis Christi, est dignitas personæ, non labor & industria humanæ voluntatis. Aptius exemplum fo-
238. *Aptius exemplum.* ret: Si Rex daret subdito non habenti vnde solueret, sigillum propriâ imagine insculptum, vt in quacunque materiâ illam imprimeret, acceptum haberet ad debiti solutionem. Verùm etiam in hoc exemplo interuenit virtualis condonatio debiti, cùm tota ratio valoris pendeat ex regio charactere, gratis ad debitum soluendum subdito concesso.
3. Concedo gratiam vnionis factam esse naturæ, nô supposito; nego tamen principium formale liberè satisfaciendi fuisse suppositum, sed naturam, quod ipse suprà concesserat. Tandem concedo, liberalem concursum Dei in actus Christi non tollere condignitatem satisfactionis; nam hæc tantùm spectat æqualitatem operis ad debitum, vt tantum sit acceptum obsequium offenso, quantum inuisa fuit offensa: nego tamen, illum non minuere perfectionem iustitiæ. Nam ex eo, quòd Deus poterat sine iniustitiâ talem concursum negare, & ex aliâ parte necessarius erat ad satisfactionem Christi, sequitur, Christi satisfactionem fundari in concursu diuino ad finem satisfactionis liberaliter concesso. Nec est eadem ratio de peccato: quia id, quo formaliter Deus offenditur in peccato, principaliter est ab homine; id autem, quo formaliter honoratur in opere satisfactorio, principaliter est à Deo, gratis concedente huic humanitati, quæ est principium formale satisfaciendi in Christo. 239. *Contrà* 3. *Peccatum & meritũ à quo principaliter.*

Tertiò putant alij, eam gratiam impedire rigorem iustitiæ, quæ fit in ipso contractu, non quæ contractum antecedit, etiamsi ordinetur ad finem solutionis: sed tam gratia vnionis, quàm liberalis concursus ad actus satisfactorios in Christo fuit gratia antecedens contractum: igitur non potuit obstare rigori iustitiæ. Maior. prob. gener ex iustitiâ satisfacit socero ex bonis, quæ ab ipso in dotem accepit: & ea tantùm gratia minuit perfectionem iustitiæ, quæ minuit æqualitatem solutionis, quia hæc tantùm est de ratione perfectæ iustitiæ. Minor prob. tam vnio hypostatica, quàm voluntas concurrendi cum volũtate humanâ Christi supponitur ad satisfactionem. nam prius est, naturam subsistere, & habere concursum paratum in actu primo, quàm operari. Confirm. Gratia antecedens non impedit iustitiam meriti, vt per eam ex iustitia mereamur præmium; ergo nec iustitiam satisfactionis, vt per eam ex iustitia Christus satisfaciat. Sed contrà: siue gratia antecedat, siue comitetur contractum, modò detur ad finem soluendi debitum, est virtualis condonatio debiti; perinde enim est quoad debiti condonationem, siue ante, siue in contractu debitum remittatur. Nec exemplum de genero est simile; nam quod gener in dotem accipit à socero, non accipit gratis, sed contractu oneroso, titulo alendi eius filiam, quam in vxorem ducit. Cæterùm quòd ea tantùm gratia minuat perfectionem iustitiæ, quæ minuit æqualitatem solutionis, falsum est, quia perfecta iustitia non solùm pendet ex æqualitate, sed ex alijs conditionibus. Ad confirm. concedo, gratiam non impedire iustitiam meriti quoad condignitatem operis ad præmium, impedire tamen quoad reliquas conditiones ad perfectam iustitiam requisitas. 240. *Probant.* *Confirmat.* 241. *Contrà.* *Ad confirm.*

An fuerit ex proprijs bonis satisfacientis?

Conditio hæc intelligi potest 1. vt satisfactio fiat ex bonis satisfacientis, quæ nullo pacto sint sub dominio Creditoris, cui est satisfaciendum: 2. vt fiat ex bonis, quæ sint sub proprio dominio satisfacientis, esto, eadem sint sub dominio etiã creditoris. Primo modo hanc conditionem requirunt ad perfectam satisfactionem, eamque in Christo defen- 242. *Dupliciter intelligitur conditio.*

defendunt, *Capreolus, Ferrar. cit.* qui ratione diuini suppositi dicunt, Christum satisfecisse per aliquid, quod erat totaliter suum. Expressiùs *Albert. cit.* peculiare dominium ponit in Verbo, ratione personalis vnionis in operationes humanitatis, quod non est in Patre & Spiritu S. & per hoc docet, satisfecisse ex proprijs sibi, & Patri. Reliqui conueniunt, Christum satisfecisse per aliquid, quod æquè vel magis principaliter erat sub dominio Dei; discrepant, an hoc sufficiat ad satisfaciendum ex perfectâ

243. *1. Sentent. Fundam.* iustitiâ. Affirmat *Suarez disput. 4. sect. 6.* Fundam. cùm satisfactio non versetur in datis & acceptis, vt restitutio, sed in actione, quæ tantùm honoris & reuerentiæ rependat offenso, quantum iniuriæ intulit offensa, non consistit in translatione alicuius dominij, sed in exhibitione obsequij; quod rectè fieri potest per operationem, quæ fit sub dominio creditoris. Negat *Vasquez disp. 8. cap. 3. 4. & 5.* nam ad sa-

244. *2. Sentent.* tisfaciendum ex perfectâ iustitiâ requiritur, vt satisfaciens faciat aliquid esse sub dominio eius, cui satisfacit, quod anteà non erat, nec iure ad ipsum pertinere poterat: nihil autem tale Christus poterat Deo tribuere, cùm omnia Christi opera sint sub perfecto dominio Dei, eique strictissimo iure religionis obligata. Maior prob. satisfactio ex perfectâ iustitiâ, fit ad resarciendum damnum illatum in famâ & honore ei, qui offensus est; hoc autem ex perfectâ iustitiâ non resarcitur, nisi per aliquid, quod fiat sub dominio eius, quod antea non

Impugnatio prioris fund. erat: quia talis satisfactio habet veram rationem restitutionis; scilicet exhibetur ad restituendam famam & honorem, quæ non sunt in actione satisfactoriâ, sed in mente aliorum, ex quâ per iniustam actionem deleta erant; ergo si nequit restitutio fieri per aliquid, quod æquè sit sub dominio eius, cui restituitur, nequit etiam satisfactio fieri per aliquid, quod æquè sit sub dominio eius, cui satisfit.

245. DICO 1. non fuit in Christi satisfactione hæc conditio in priori sensu, sed tantùm in posteriori.

Fundam. Fundam. nullum peculiare dominium habet Verbum ratione personalis vnionis in opera humanitatis, quod vel illi commune non sit cum Patre & Spiritu S. vel à totâ Trinitate non pendeat: quia omne dominium formaliter est penes voluntatem, non personalitatem, cùm sit libera facultas disponendi: Verbum autem ratione duplicis naturæ liberæ,

Duplex dominium Verbi in humana opera. quam terminat, duplex habet dominium in opera humanitatis, alterum supremum & independens, ratione naturæ diuinæ commune cum Patre & Spiritu S. alterum, ratione naturæ humanæ, quod quia creatum est, dependet à totâ Trinitate, eique competit per communicationem idiomatum; nullum igitur peculiare dominium habet Verbum distinctum à dominio Patris & Spiritûs S. ratione cuius dici possit satisfacere ex proprijs iuxta primum sensum.

246. DICO 2. Sufficit hæc conditio in hoc sensu explicata ad satisfaciendum debito ex condignitate,

Fundam. non ex rigore iustitiæ. Fundamentum, rigorosa iustitia requirit perfectam iurium alteritatem inter contrahentes, alioquin non posset inter eos seruari mutua vtilitas; sed qui se suaque omnia habet sub perfecto dominio alterius, non habet perfectam iuris alteritatem: quia quicquid est, vel habet homo, ipsum ius in suos liberos actus, est sub perfecto dominio Dei. Quod sufficiat ad perfectam condignitatem, probatur perfecta condignitas solùm attendit æqualitatem valoris ad debitum, vndecunque illa proueniat: sed in Christi satisfactione fuit æqualis, imò superexcedens valor satisfactionis ad debitum peccato contractum, igitur fuit perfecta condignitas. Hinc patet ad fundam. 247.

Ad fundamentum Suarez. Suarez ad perfectam iustitiam non sufficit, vt tantùm honoris & reuerentiæ rependat obsequium, quantum iniuriæ intulit offensa, sed prætereà requiritur perfecta iurium alteritas inter offendentem & offensum, cùm etiam inter eos fieri debeat restitutio honoris & famæ per offensam læsæ.

Obijcies 1. Si duo habeant dominium in solidum 248. ita perfectum in eandem rem, vt dominium vnius non impediat dominium alterius, quisque posset ex perfectâ iustitiâ alteri satisfacere: quia talis solutio tanti valeret, quanti si ille, cui fit solutio, non esset dominus eiusdem rei: tale est dominium quod Deus & Christus habent in operationes naturæ assumptæ. Resp. tale dominium implicare: ex lege *Possideri* §. *Ex contrario ff. de acquir. vel amitt. possess. Contra naturam quippe est*, inquit lex, *vt cùm ego aliquid teneam, tu quoque id tenere videaris.* Ratio: vel neuter dispo- 249. *Resp.* *Ratio.* nere posset absque consensu alterius, vel quilibet, altero inuito: vtrumque est cõtra perfectionem dominij, quod dicit ius vtendi re in omnem vsum solo suo consensu. Nec est eadem ratio de pluribus debitoribus in solidum; nam debitores dicuntur in solidum, quatenus quilibet tenetur ad totum, in defectum aliorum; quod si alij restituant, non tenetur ad totum, sed ad partem debiti; vnde omnes tenentur ad totum disiunctim, non copulatim: dominium verò in solidum æquè conueniret omnibus & singulis, non disiunctim, sed copulatim.

Obijcies 2. Homo peccato constituitur debitor Dei, non quia abstulit aliquid à dominio Dei, 250. sed quia substantiâ actûs, quæ sua erat & Dei, vsus est contra voluntatem & honorem Dei: ergo vt Christus ex iustitiâ satisfaciat Deo, non est necesse, vt aliquam rem, quæ Dei non sit, transferat in dominium Dei; sed sat est, si substantiâ actus tam ipsius, quàm Dei, vtatur in obsequium Dei. Concedo, hominem peccato constitui debitorem 251. *Resp.* Deo, sed debito religionis, non iustitiæ, idque defectu moralis alteritatis. Sicut filius lædẽdo patrem, *Debitum peccati est religionis, non iustitiæ.* non contrahit debitum iustitiæ, sed pietatis; quare sicut homo peccando, non contraxit debitum iustitiæ, sed religionis cum Deo: ita neque Christus, vt fideiussor hominum satisfecit Deo ex iustitiâ, sed ex religione.

Obijcies 3. Si duo habeant tale dominium in 252. eandem rem, vt neuter vti possit illâ absque consensu alterius: si alter vtatur illâ contra consensum alterius, committet iniustitiam, ad quam compensandam sufficeret reddere eandem rem vtrique communem, eâque vti in obsequium alterius: ergo homo vtendo suis actibus contra voluntatem Dei habentis ius in illos, committit iniustitiam contra Deum, ad quam compensandam sufficiet, vti illis in obsequium eius. Nego consequentiam: nam in- 253. *Resp.* ter illos est perfecta alteritas, quæ non est inter hominem & Deum: neuter enim est pars vel effectus alterius, sed sui iuris & moraliter alter: & licet conueniant in dominio eiusdem rei, in cæteris tamen sunt sui iuris & perfecti domini. Proinde quando vnus lædit alterum, lædit illum vt perfectè distinctum à se: at creatura, quia est effectus & naturalis possessio Dei, quando offendit, vel honorat Deum, non offendit, vel honorat vt alterum moraliter à se, sed vt principium sui esse: hâc enim de causâ, cùm filius offendit vel honorat Patrem, non exercet actum iniustitiæ, vel iustitiæ; sed impietatis, vel pietatis.

Obijcies 4. Dominium Dei in actus Christi non 254. impedit dominium priuatum Christi in eosdẽ actus;

ergo non impedit, quò minùs per illos Christus satisfaciat ex perfectâ iustitiâ; quæ nititur proprio dominio. Antec. constat: quia dominium Dei est dominium altum diuersæ rationis à dominio priuato creaturæ, ergo non impedit illud. Resp. non
255. *Resp. Satisfactio ex perfectâ iustitiâ nititur dominio proprio perfectâ alteritatis.* impedire perfectum dominium libertatis; sed perfectæ alteritatis ad rigorosam iustitiam requisitum; vt patet in dominio patris in obsequia filij, quod non impedit dominium libertatis in filio, sed solùm perfectæ alteritatis, in quo perfecta iustitia nititur. Nec sufficit, quòd dominium Dei sit altum & diuersæ rationis ad hoc, vt non impediat perfectum dominium creaturæ; quia non est sicut dominium altum principis creati in casu tantùm vrgentis necessitatis, sed perfectum & imbibitum in quouis dominio creato.

256. *Obijcies* 5. non est condignitas operis ad debitum, si ea non sit sub perfecto dominio satisfacientis, sed etiam sub dominio eius, cui satisfit: nam ille tantùm condignè satisfacit, qui de suo dat, quantum ad soluendum debitum satis est; qui autem de creditoris bonis dat, non de suo dat, quantum
Confirm. ad debitum soluendum opus est. Confirmatur, alioquin posset quis condignè satisfacere, soluendo partem tantùm debiti ex se, alterâ parte gratis à creditore condonatâ: perinde est, soluere totum debitum ex bonis creditoris ac soluere partem, alterâ gratis à creditore condonatâ. Nego assumpt. nam
257. *Resp.* perfecta condignitas solùm requirit æqualitatem satisfactionis ad offensam: ad prob. disting. *τὸ de suo*; qui liberè dat, quod ad debitum soluendum sat est, condignè satisfacit, concedo: nam libera donatio condignam satisfactionem, quæ per modum obsequij exhibetur, non tollit; qui de suo dat, exclusâ omni gratiâ creditoris, nego, hoc
Ad confirm. esse ad perfectam condignitatem necessarium. Ad confirmationem negatur paritas; nam in casu non supponitur in opere exhibito æqualitas valoris ad debitum, quod ad perfectam æqualitatem requiri-
258. tur. DICES: ergo saltem condignè satisfaceret, qui pro equo daret condignum pretium, quod ex alio titulo iustitiæ debitum esset vendenti equum. Concedo, in tali contractu seruari
Resp. condignitatem pretij ad rem, non iustitiam: sicut qui titulo mutui accepisset 100. ab aliquo, quibus se à præsenti periculo mortis liberâsset, restituens illa 100. satisfaceret debito iustitiæ, non gratitudinis, quo fuit à periculo mortis liberatus.

An satisfactio Christi fuerit ex aliàs indebitis?

259. *Fundam.* CONCLVSIO negans. Fundam. totum, quod Christus obtulit in satisfactionem, erat debitum Deo titulo religionis, gratitudinis, obedientiæ, aut saltem poterat Deus illud iure suo à Christo exigere vt sibi debitum; & quod non exegerit, fuit gratia facta Christo ad finem satisfaciendi. Assumpt. prob. Christus in humanitate, quâ satisfecit, vt principio formali libero *Quo*, erat perfectè subiectus Deo; ergo quicquid ex illâ deriuabatur, erat debitum Deo, vt primo principio totius esse; aut certè iure poterat illud à Deo exigi ratione supre-
260. *Contrà Suarez. Fundam.* mi dominij. *Suarez*, vt hanc conditionem saluet in Christo, docet intelligi ex aliàs indebitis titulo iustitiæ, non aliarum virtutum: Christus autem etsi sua opera debebat Deo titulo gratitudinis, vel obedientiæ, non iustitiæ; ex *August.* 13. *de Ciuit. cap.* 14. & *Anselm.* 2. *Cur Deus homo, cap.* 19. aientibus, potuisse Christum suâ morte iustè satisfacere, quia illam non debebat: quod intelligi non potest nisi de debito iustitiæ. Maior prob. potest quis vnicâ solutione satisfacere pluribus debitis gratitudinis, iustitiæ, obedientiæ, misericordiæ &c. non pluribus debitis iustitiæ; quia debita iustitiæ multiplicant res, quæ debentur: qui enim vno titulo iustitiæ debet 10. si multiplicetur alius titulus consimilis, augebitur res debita vt 20. debita verò aliarum virtutum non augent res, sed tantùm titulos eiusdem rei. Sed contrà, 1. religio, quâ homo obstrin- 261. *Ad hominem.*
gitur Deo vt primo principio, in doctrinâ *Suarez* est perfecta iustitia: sed Christus debet sua opera Deo, titulo religionis, aut saltem potest Deus hoc titulo illa à Christo exigere, & quod non exigat, est gratia, quæ fit Christo, vt satisfaciat, quod in sententiâ eiusdem obstat rigorosæ iustitiæ: ergo nequit Christus super eâdem operâ alium titulum perfectæ iustitiæ fundare. Neque dicas: potuisse opera Christi satisfacere pro infinitis titulis etiam perfectæ iustitiæ, quia erant infinita: nam tota illa infinitas erat debita Deo titulo religionis. 2. Opera Christi sub omni titulo sunt debita Deo, aut saltem possunt exigi; & quòd non exigantur est gratia ad finem perfectæ solutionis: ergo nequeunt contrahere titulum perfectæ iustitiæ. Ad 262. *Ad fundam. Suarez.*
fundamentum *Suarez*. Falsa est vniuersaliter maior: nam si distinctus titulus iustitiæ obstat perfectioni iustitiæ, quia supponit rem alio titulo iustitiæ perfectè obligatam alteri, à fortiori obstabit titulus religionis, quæ rem strictiùs obligat Deo, quàm titulus iustitiæ. Vnde non relinquit in re capacitatem ad alium titulum iustitiæ fundandum. Cùm autem *Aug. & Anselm.* dicunt, Christum suâ *August. ex presso se explicat.*
morte satisfacere potuisse, quia illam non debebat, intelligendi sunt de debito contracto ex delicto, quo tenemur nos, non ex debito virtutis, vt *cit. loco August.*

Obijcies; sequeretur, Christum nullo pacto satis- 263.
facere potuisse per id, quod erat Deo perfectè obligatum. Nego sequel. non enim potuit Christus sa- *Duplex satisfactio.*
tisfacere ex perfectâ alteritate, potuit ex perfectâ condignitate, ad quam sat est dominium libertatis, vt constat in nobis, qui non solùm per actus consilij, sed etiam præcepti de condigno meremur gloriam apud Deum: cùm tamen actus præcepti sint Deo debiti arctissimo vinculo religionis. Ratio 1. ad me- *Ratio.*
ritum & satisfactionem de condigno sufficit æqualitas meriti ad præmiũ, & satisfactionis ad debitum, cum dominio libertatis in merente & satisfaciente. DICES: etiam peccatum pendet à Deo, & tamen 264.
non debetur Deo. Sed contrà; quà peccatum est, non pendet à Deo, quia non fit volente Deo, sed tantùm permittente, & ideò quà peccatum est, non debetur Deo.

An satisfactio Christi fuerit ab eâdem personâ, quæ offendit; & an hæc conditio necessaria sit ad perfectam & rigorosam Iustitiam?

CONCLVSIO negatiua quoad 1. partem, est cer- 265.
ta: nec satisfaciunt, qui dicunt, non fuisse ab eâdem personâ in indiuiduo, sed in specie: quia cùm actiones, vt *Philos. in Ethicis*, sint particularium, non potest actio vnius tribui alteri indiuiduo, ratione communis. De 2. parte quæst. *Grauis difficult.*

Negant aliqui: fundam. Eatenus hæc conditio ad 266. *1. Sentent. Fundam.*
perfectam iustitiam requiritur, quatenus est necessaria ad perfectam iuris læsi compensationem, seu vt adæquet ius Dei: at hæc non pendet formaliter à per-

à personâ, nisi quatenus personæ dignitas redundat in valorem satisfactionis, sed ab opere satisfactorio, quod in compensationem læsi iuris offertur offenso: & opus satisfactorium Christi est perfectè iuris diuini per peccatum læsi compensatiuum: nam plus obsequij continet, quàm iniuriæ quodcumque peccatum: Ergo ex hoc capite non repugnat perfectæ iustitiæ, quod satisfactio non fuerit ab eâdem personâ, quæ offendit, exhibita. Minor prob. id, quo proximè & formaliter ius alterius adæquamus, non est persona, quæ tantùm remotè & efficienter se habet, sed opus satisfactorium, quod per modum obsequij offenso exhibemus.

267. *2. Sent. vera Ratio.* Affirmant alij: quibus magis assentior. Ratio: vt satisfactio sit ad perfectam & rigorosam iustitiam sufficiens, debet non solùm quoad substantiam, sed etiam quoad omnes circumstantias, resarcire ius læsum offensi: nam hoc ipso quod deficit ab aliquâ circumstantiâ, non est illius circumstantiæ compensatiua: nō resarcit autem quoad omnes circumstantias ius læsum offensi satisfactio, quæ non exhibetur ab eâdem personâ, quæ offendit: nam quæ ab alio exhibetur, nō resarcit indiuiduum illum honorem & reuerentiam, quam suo personali actu læsit offendens: quia cùm hic sit actus voluntarius personalis, essentialiter pendet à personâ, quæ læsit. Quamdiu autem offendens hunc actum honorificum, quem ex iustitiâ debebat Deo, non resarcit, semper Deus habet ius exigendi talem actum ab offendente.

268. *Satisfactio Christi non resarcit formaliter & in indiuiduo honorem.* Confirm. nisi restituatur id, quod in specie fuit ablatum, etiamsi restituatur aliquid perfectius, non seruatur perfecta & rigorosa iustitia, cùm semper dominus habeat ius ad rem sibi in specie sublatam: ergo nisi resarciatur id, quod in specie, vel in indiuiduo fuit læsum, etiamsi exhibeatur longè alia perfectior satisfactio, non seruatur perfecta & rigorosa iustitia, cùm semper offensus ius habeat exigendi illum indiuiduum honorem & reuerentiam, quam offendens suo personali actu ex iustitiâ debebat offenso. Licet igitur satisfactio Christi in infinitum excesserit quemcumque actum honorificum, & reuerentialem, quem creatura debebat Deo: quia tamen illum non resarcit formaliter, & in indiuiduo, semper remanet in Deo integrum ius ad illum exigendum.

269. *Obijcies* 1. Sufficit ad perfectam iustitiam, vt cōpensatio fiat per æquiualens: sed satisfactio Christi non solùm est æquiualens, sed in infinitum excedens quemcumque honorem, quem contra Deum homo peccando læserat.

270. *Resp.* Nego maior. alioqui si sufficeret compensatio æquiualens, posset Christi satisfactio ante vllum pactum extinguere totum debitum peccato contractum, nec posset Deus pro illo aliam satisfactionem à peccatore exigere: quod falsum est, ex seq.

271. *Obijcies* 2. Eatenus qui Deum offendit, tenetur Deo satisfacere, quatenus ipsius famæ in opinione hominum detraxit: sed hanc famam perfectè resarcit Christi satisfactio, maiorem conceptum & opinionem de excellentiâ Dei in hominum mentibus ingenerando, quàm offensa peccatoris abstulit.

272. *Resp. Peccator aufert Deo honorem, quem reddere nequit.* Nego, adæquatam eam esse causam; sed etiam quia peccando abstulit Deo reuerentiam, quam debebat; & cùm non compensetur formaliter, nisi actu offendentis, non tenetur Deus, aliâ satisfactione oblatâ, deponere ius, quod habes in illum personalem honorem, quem læsit offendens.

273. *Obijcies* 3. Sequeretur, neque Christi satisfactionem esse perfectè condignam: nam perfectè condigna satisfactio est, quæ resarcit totum honorem ab offendente læsum: at Christi satisfactio non resarcit illum indiuiduum honorem. Nego sequel. 274. *Resp.*

nam perfectè condigna satisfactio est, quæ propter valoris æquiualentiam de se digna est, vt acceptetur, etiam pro compensatione honoris, quem in se formaliter non continet; sicut condignum pretium dicitur illud, quod propter æquiualentiam valoris dignum est, vt acceptetur pro re, quam formaliter non continet, igitur satisfactio Christi digna est, vt pro quocumque honore Deo debito à creaturâ sublato acceptetur.

275. *Ad fund. primæ sent.* Ad fundam. oppositæ neg. vtraque minor. nam, esto iuris compensatio tantùm efficienter pendeat à personâ satisfaciente: aliquod tamen ius est, quod compensari non potest, nisi personali actione offendentis. Christi satisfactio fuit perfectè iuris diuini compensatiua æquiualenter, seu eminenter; & plus obsequij & reuerentiæ æquiualenter, seu eminenter continuit, quàm quælibet offensa peccatoris à Deo formaliter abstulit.

An satisfactio Christi coëgerit Deum ad illam acceptandam; & an necessaria sit ad perfectam Iustitiam?

276. *1. Sentent.* PRIMA sententia affirmat vtrumque: videtur *Anselm. 2. Cur Deus homo* cap. 19. *Imò*, inquit, *necesse esse video, vt Pater Filio retribuat, alioquin aut iniustus esse videretur, si nollet; aut impotens, si non posset.* Quam sequuntur Recent. aliqui apud *Vasq. disp. 9. c. 1.* Fundam. 1. ex dignitate valoris, qui in satisfactione Christi talis ac tantus fuit, vt hunc etiam defectum superauerit, vt scilicet ad debitum soluendum, pacto cum Deo non eguerit. *Fundamentum 1.* 2. ex conformitate humanæ Christi voluntatis cum diuinâ: nam obtulit Christus suam satisfactionem, vt illa à Deo acceptaretur: sed non potuit Deus ab humanâ voluntate Christi discordare; ergo nec Christi satisfactionem non acceptare. *Secundum.*

277. *2. Sentent.* Secunda *Ioan. Medina cit. & Vasq. disp. 9.* affirmantium, eam necessariam esse non modò ad perfectam satisfactionem ex iustitiâ, vt *Vasq.* sed etiam ex condignitate, vt *Medina*; eamque non fuisse in Christo, atque adeò eius satisfactionem vel non fuisse condignam, vt opinatur *Medina*; vel non ex perfectâ iustitiâ, vt *Vasq.*

278. *3. Sentent.* Tertia *Vega 7. in Trid.* negantis, eam esse necessariam ad perfectam satisfactionem, ad quam sufficit, vt satisfaciens æqualem exhibeat creditori satisfactionem, siue is teneatur, siue non teneatur eam acceptare.

279. *4. Sentent. Duplex satisfactio.* Quarta *Suar. disp. 4. sect. 5.* distinguentis satisfactionem; alteram, quæ naturâ suâ, nullo expectato consensu creditoris, extinguit debitum: alteram, quæ vt debitum tollat, eget consensu creditoris, vt cùm quis minus soluit quàm debet, aut non eandem rem in specie, aut cùm propter delictum incurrit pœnam lege taxatam, non potest tunc sine consensu Principis, per vllam satisfactionem illam ex iustitiâ compensare. Porrò Christi satisfactio non potuit ante pactum Deum ad acceptandum cogere; quia nulla actio Christi pro nobis exhibita tollit peccatum, aut pœnam peccati sine promissione Dei: adeoque ad hoc necessarium fuit pactum Dei de acceptandâ Christi satisfactione pro nobis, quo posito, & non antè, obligabatur Deus illam acceptare. Neque hoc pactum obstat satisfactioni ex rigore iustitiæ; nam illud non requiritur ad augendum valorem & condignitatem satisfactionis; sed quia fieri debet per modum contractûs, qui, etsi iustum pretium intercedat, non perficitur, nisi mutuo consensu partium.

280. *Assertio.* DICO, non potuisse Christi satisfactionem, inde-

pendenter à pacto, cogere Deû ad illam pro offensâ sibi à creaturâ illatâ acceptandam, cam tamen necessariam non fuisse ad perfectam condignitatem, fuisse tamen necessariam ad perfectam iustitiam. Prima & 3. pars constat ex præced. conditione. Nam quamdiu offensa non compẽsatur ab ipso offendente, semper offendens manet iniuriosus offenso, ac proinde offensus cum iure exigendi compensationem ab offendente, propter iniuriam nondum sibi ab offendente compensatam. Igitur, quacumque satisfactione ab alio oblatâ, semper iure potest offensus satisfactionem exigere ab offendente, quia nulla satisfactio, etiam in infinitum excedens iniuriam illatam, formaliter resarcit indiuiduum illum honorem, quem offendens abstulit ab offenso: quia cùm hic consistat in personali testificatione, quam de excellentiâ personæ offensæ offendens debet offenso, non potest ab alio, quàm ab offendente, formaliter resarciri.

281. *Condignitas satisfactionis est independens à pacto.* Posterior pars prob. condignitas satisfactionis non postulat, vt si ab alio quàm ab offendente offeratur, cogat ante pactum offensum ad illam acceptandam; sed solùm, vt quantum est de se, condignum contineat valorem, & digna sit, vt acceptetur. Sicut condignitas pretij non postulat, vt ante pactum cogat venditorem ad rem vendendam, sed vt de se iustum contineat valorem pro re, pro quâ offertur. DICES: sequeretur, satisfactionem Christi non esse absque nostrâ satisfactione sufficientem ad extinguendum totum debitum peccato contractum: nam sola non est sufficiens ad extinguendum debitum in actu peccatoris fundatum: quia cùm illa non sit se solâ sufficiens ad actum peccaminosum tollendum, nec erit ad debitum ex tali actu consurgens extinguendum sufficiens: perseuerante enim actu iniurioso in offendente, perseuerat debitum ex tali actu consurgens in offendente, & ius in offenso debitam satisfactionem pro tali actu exigendi.

282.

283. *Resp. cum distinctione.* Resp. non est Christi satisfactio ad extinguendum totum debitum peccato cõtractum, sufficiens per modum causæ meritoriæ mouentis Deum ad remittendum omne debitum, nego: non est sufficiens per modum causæ formalis seipsâ debitum tollentis, & ius extinguentis, concedo. Cùm de ratione satisfactionis sit, suâ bonitate & valore mouere offensum ad remittendam iniuriam offendenti, de ratione ipsius non est, formaliter, sed tantùm meritoriè debitum remittere: at Christi satisfactio infinitâ suâ dignitate & valore personali infinitè mouet Deum offensum ad remittendum totum debitum per peccatum ab homine contractum, etiamsi illud seipsâ formaliter non remittat; ergo est condigna satisfactio.

284. *Ad Fund. 1. sentent.* Ad *Anselm.* Resp. illum locutum esse de necessitate ex suppositione, posito pacto & promissione Dei, vt patet ex ipsius verbis, quibus vocat iniustum Deum, si filio non retribuat: cùm tamen nulla iustitia cogat Deum ad acceptandam satisfactionem Christi ante ipsius promissionem.

285. *Ad primam rationem.* Ad 1. rationem nego, talem defectum potuisse Christi satisfactione suppleri; non ex defectu condignitatis meritoriæ, sed tum ex improportione cum actu nostræ voluntatis (cùm nec Christi satisfactio nec vlla forma extrinseca valeat seipsâ formaliter tollere actum nostræ voluntatis iniuriosum, adeoque debitum pro illo satisfaciendi, & ius in Deo pro illo compensationem exigendi, ante vllum pactum Dei) tum quia omnis Christi satisfactio erat plurimis alijs titulis debita Deo, ratione quorum, & non ratione nostri debiti, poterat ante omne pactum acceptari à Deo.

Vno casu videtur Christi satisfactio potuisse ante pactum tollere debi[tu]m à peccatore, & extinguere in Deo ius ob tale peccatum acquisitum: si Verbum assumpsisset humanitatem, quæ anteà peccasset. Nam hoc casu satisfactio Christi fuisset ab eâdem naturâ indiuidua, quæ peccauit, adeoque per se sufficiens etiam formaliter ad resarciendum indiuiduum honorem & formalem testificationem, quam de excellentiâ Dei talis humanitas habere tenebatur. 286. *Casus singularis.*

Verùm neque hoc casu satisfactio Christi potuisset ante pactum cogere Deum ad illam acceptandam in compensationem præteriti debiti à tali humanitate contracti; non quidem culpæ, nam hoc necessariò fuisset illi condonatum vi vnionis hypostaticæ, cum quâ pugnat peccatum; sed pœnæ, quod stare potest cum perfectâ condonatione culpæ; quia cùm talis Christi satisfactio fuisset innumeris alijs titulis debita Deo, non potuisset sine consensu ipsius Dei, cogere Deum ad acceptandam illam, potiùs pro tali debito ex peccato contracto, quàm pro alijs titulis. 287. *Nec Deum cogit ad acceptationẽ.* *Ratio.*

Ad 2. rationem nego, diuinam voluntatem debuisse humanæ, sed potiùs humanam Christi voluntatem debuisse se diuinæ conformare. Vnde si Christus sciuisset, Deum non acceptaturum in compensationem nostri debiti suam satisfactionem, nunquam illam efficaci affectu obtulisset, sicut de facto illam non obtulit pro peccatis Angelorum. 288. *Ad posteriorem ratio.*

2. Sententia quatenus docet, hanc conditionem esse necessariam ad condignitatem satisfactionis, falsa est: nam ad hoc sufficit, valor sufficiens in actu 1. & de se dignus, vt acceptetur, licet, vt in actu 2. acceptetur, requirat consensum offensi. 289. *Ad 2. sent.*

3. sententia, non discrepat à nostrâ, si tantùm loquatur de condignitate, non de rigore iustitiæ: ad quam talis conditio necessaria est: quia rigorosa iustitia non solùm attendit ad condignitatem & æquiualentiam, sed etiam ad formalitatem valoris. 290. *Ad 3.*

Ad 4. Sententiam nego tale pactum non obstare rigorosæ iustitiæ. Nam satisfactio ex rigorosâ iustitiâ requirit, vt ante vllum pactum oblata refutari non possit, & hoc ipso, quòd ab offenso refutatur, non possit alia pro illâ exigi: vt patet in satisfactione humanâ, quæ si prudentum iudicio censetur adæquatiua iuris læsi, oblata non potest refutari, eâque refutatâ, non tenetur offendens aliam exhibere. 291. *Ad 4. Satisfactio ex rigorosâ iustitiâ.*

Ratio: offendens ex iustitiâ non tenetur ad aliud, quàm ponere offensum, in statu quo erat antequam esset læsus: hoc autem præstare potest offendens absque consensu offensi: sicut fur absque consensu domini tenetur ponere dominum in statu suorum bonorum, in quo erat antequam esset in suis bonis læsus. Nec est par ratio de emptore, qui etiamsi offerat condignum pretium, nisi accedat pactum & consensus venditoris, non tenetur venditor acceptare pretium pro se: quia ad hunc contractum, præter condignitatem pretij ad rem, requiritur consensus contrahentium, cùm nemo cogi possit ad res suas vendendas. In contractu autem iniurioso semper supponitur interpretatiuus saltem consensus offensi, vt sibi resarciatur ius. Vnde potest offendens resarcire ius læsum offenso, etiam inscio offenso. *Ratio.*

DISPV-

DISPVTATIO VII.

De primariâ & proximâ causâ finali Dominicæ Incarnationis.

HACTENVS de conuenientiâ Incarnat. secundùm se: nunc de conuenientiâ eiusdem in ordine ad diuinam voluntatem; scilicet ex quâ causâ illa proximè mota sit ad opus Incarn. prædestinandum. Disputatio est de causâ proximâ: nam remotam certum est fuisse manifestationem diuinæ gloriæ, propter quam vltimatè Deus omnia ad extra operatur: item de primariâ, quâ cessante, cessant omnes secundariæ in primariâ fundatæ. *Vnum ex inscrutabilibus Diuini consilij arcanis.* Patres, vt profundiùs Dei erga humanum genus charitatem cognoscerent, diligentissimè scrutati sunt proximum & primarium finem, quo Deus motus sit ad hoc mysterium prædestinandum. Controuersia cùm tantùm sit de facto, nam de possibili potuit Deus quocumque honesto fine moueri, tota pendet ex liberâ voluntate Dei, quæ cùm nequeat nobis innotescere, nisi per reuelationem, tota eius decisio pendebit ex ijs, quæ de hoc mysterio ex reuelatis probabiliter colligi possunt. Qui putant, Deum morali necessitate determinari ad optimum, finem huius mysterij non solùm colligunt ex reuelatis, sed etiam ex perfectiori modo diuina attributa manifestandi.

SECTIO I.

An proximâ causa, sine qua Incarnatio facta non fuisset, fuerit remedium peccati?

1. *1. Sentent.* PRIMA sententia negat; & ait fuisse exaltationem naturæ humanæ, & gloriam Christi, etsi motiuum, cur facta sit in carne passibili, fuerit remedium peccati: quo fit, vt adhuc peccato non interueniente, Verbum incarnatum fuisset, non in carne passibili, vt Redemptor, sed in carne impassibili, vt glorificator: *Rupert. de gloria filij hom. li. vltim. fine, Alens. 3. p. quæst. 2. membr. vltim. Albert. in 3. distinct. 20. art. 4. Scot. in 3. distinct. 7. quæst. 3. §. Sed hic sunt, & distinct. 19. quæst. vnic. §. In ista quæst. Lychet. in ijsdem locis, Mayron. in 3. quæst. 4. ante 23. distinct. Ambros. Cathar. de exim. Christi prædest. lib. 1. Fauent. in 3. dist. 7. disp. 20.*

2. *Fundamentum potissimum.* Fundamentum: Christus in æterno decreto Dei prædestinatus est independenter ab omni creaturâ; ergo proxima ratio primaria, propter quam facta est Incarnatio, non potuit esse remedium peccati, ac proinde, peccato adhuc non futuro, futura fuisset Incarnatio, quia quod decernitur independenter ab alio, vt executioni mandetur, ab alio non pendet. *Probat 1. Alens.* Antecedens probat 1. *Alens. ex Bernard. serm. 1. de aduent. Domin.* vbi docet, peccatum Angeli fuisse inuidiam naturæ humanæ in Christo exaltatæ, propter quod motus fuit ad tentandum hominem, putans peccatum fore impedimentum ad huiusmodi assumptionem: ergo independenter à peccato prædestinata fuit Incarnatio; quia quod ante peccatum fuit reuelatum, fuit independenter à peccato prædestinatum; nec potest non esse futurum; nec quod est infallibiliter futurum, pendere à peccato, quod potest non esse futurum: alioquin Incarnatio vt reuelata non potuisset non esse futura, vt dependens à peccato potuisset non esse futura. Probat 2. Scotus: 3. *Probat 2. Scotus.* Qui ordinatè vult, prius vult finem, deinde quæ sunt propinquiora fini; Deus ordinatè vult; ergo prius vult se vt finem, deinde quæ sunt propinquiora sibi: sed inter omnia opera propinquissimum Deo est opus Incarn. cùm sit omnium ad Dei gloriam manifestandam aptissimum: ergo volitum fuit ante omnem creaturam, atque adeò ante ipsum remedium peccati. *Confirm.* Confirm. illud prius mouet, quòd magis mouet; magis mouet, quod est fini propinquius, quia magis participat de bonitate finis, propter quem cætera mouent: ergo magis Deum mouit Incarnatio, vtpotè Deo propinquior, quàm peccati remediũ. 3. Si Christus præ- 4. *Tertiò.* destinatus fuisset propter remedium peccati, Deus plus dilexisset redemptionem nostram, quàm Incarnationem Christi: Consequens est falsum; nam Deus diligit res iuxta bonitatem earum; cùm enim diligat communicando eis bonum; & eas magis, quibus maius communicat bonum, scilicet Christo suam personam; magis illum diligit, quàm nostram Redemptionem, quæ est bonum creatum. Sequela probatur: illud plus diligitur, quod diligitur vt finis, illud minus, quod diligitur vt medium: sed si Christus prædestinatus fuisset propter remedium peccati, dilectus fuisset vt medium, nostra redemptio vt finis: ergo magis dilecta fuisset nostra redemptio, quàm Christi Incarnatio. 4. Nullius puri hominis prædestinatio- 5. *Quartò.* nem, vel damnationem præcessit peccatum eiusdem, vel alterius hominis: ergo nec prædestinationem animæ Christi, quæ prædestinata est ad summam gloriam, præcessit peccatum, vel damnatio cuiuscumque puræ creaturæ. 5. Nulla prædestina- 6. *Quintò.* tio puri hominis, quoad totum esse supernaturale, fit dependenter à merito ipsius: *ex 1. tom. disp. 15. sect. 2.* ergo nec prædestinatio Christi facta est de- *A pari.* pendenter à merito ipsius; at si prædestinatus esset in remedium peccati, prædestinatus esset dependenter ab ipsius merito, scilicet ex voluntate redimendi hominem à peccato, quæ voluntas fuisset ex meritis Christi, cùm sit prima radix humanæ salutis, & hæc sit ex meritis Christi, & consequenter prædestinatio Christi, quæ decreta fuisset dependenter ab hac voluntate. 6. Si Christus prædesti- 7. *Sextò.* natus esset dependenter à peccato Adæ, sequeretur, animam Christi gaudere de peccato Adæ, dependenter à quo ad tantam gloriam euecta est: quia non possumus gaudere de consequenti, quin gaudeamus de antecedenti, à quo pendet consequens. *Confirm.* Confirm. sequeretur, nobilius prædestinatum fuisse Adam, quàm Christum; scilicet ille independenter à peccato, propter solam intrinsecam bonitatem prædestinationis; hic dependenter à peccato, & propter extrinsecam bonitatem Redemptionis. 7. Non est verosimile, 8. *Septimò.* tantùm bonum, qualis est Incarnatio Verbi, fuisse occasionatum ex peccato, & ordinatum ad minus bonum, qualis est humana redemptio: nam quæ fiunt occasione alterius, non amantur propter se, sed propter illud, occasione cuius fiunt. 8. Non minùs completa futura fuis- 9. *Octauò.* set hominis beatitudo, si Adam non peccâsset, quàm sit nunc, eodem peccante; alioqui hominis innocentia, fuisset ipsi impedimento ad maius bonum: sed nunc hominis beatitudo futura est completa per Christi humanitatem: integratur enim ex intellectuali cognitione Dei, & corporeâ visione humanitatis Christi; ergo etiam tunc.

Confirm. Confirm. Sicut homo essentialiter constat ex animo & corpore, ita completa eius beatitudo constare debet ex intellectuali, & corporeâ visione, scilicet Dei in naturâ assumptâ.

10. Nono. 9. Maius bonum est Incarnatio Verbi, quàm totum Vniuersum, etiam vt includit totum esse supernaturale gratiæ & gloriæ; concludit enim bonum increatum: ergo non debuit peccato non existente, tanto bono Vniuersum priuari: nam perseuerante statu Innocentiæ, non debuit Vniuersum esse imperfectius. Neque dicas cum *S. Thom. 3. p. quæst. 1. art. 3. ad 2.* eo statu Vniuersum futurum fuisse perfectum quoad esse naturale. Nam sicut contra perfectionem Vniuersi fuisset, eo statu priuari perfectione gloriæ, ita contra perfectionem eiusdem fuisset, eo statu priuari vnione hypost. cùm non minùs vna, quàm alia perfectio spectet ad complementum Vniuersi.

11. Decimò. 10. Prius intenditur bonum, quàm permittatur malum; ergo prius decreta est Christi incarnatio, quàm permissum fuit Adæ peccatum. Antec. prob. priùs intenditur habitus, quàm permittatur priuatio eiusdem: sed peccatum est priuatio boni: ergo.

12. 2. Sentent. Secunda affirmat, proximam causam, sine quâ decreta non fuisset Incarnatio, fuisse remedium peccati: *S. Thom. 3. p. quæst. 1. art. 3. & in 3. dist. 1. qu. 1. artic. 3.* omnium Thomist. Caiet. & *Medin. Sylui.* ibid. *Capreol. in 3. dist. 1. qu. vnicâ, art. 1. concl. 1. Ferrar. 4. contra gentes cap. 55. §. Circa prædicta, Astar. relect. de Christi gratia quæst. 6. concl. 4. Bonau. in 3. dist. 1. art. 2. qu. 2. Ægidij in 2. dist. 36. qu. 2. art. 2. in corp. Argent. in 3. dist. 1. qu. 1. art. 4. Rub. in 3. dist. 20. qu. 2. art. 2. concl. 6. Marsilij quæst. 1. art. 3. Palatij in 3. dist. 10. disp. vnica fine, Molin. 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. memb. 7. & 8. Valent. 3. p. disput. 1. qu. 1. punct. 7. Vasquez 3. p. disp. 10. cap. 4.* Vtramque sent. problematicè defendunt *Gabriel in 3. dist. 2. qu. vnicâ art. 3. dubit. 3. Maior in 3. distinct. 7. quæst. vltim. Richard. distinct. 1. artic. 2. quæst. 4.* Licet hic cum *Bonau. & Marsil.* doceat, secundam opin. magis concordare sanctorum auctoritatibus.

13. 3. Sentent. Tertia *Suarez 3. p. disp. 5.* partim cum *Scoto* affirmantis, adhuc peccato non interueniente, incarnandum fuisse Verbum ex vi præsentis decreti; partim cum *S. Thom.* negantis, peccato non interueniente, Verbum incarnandum fuisse: sic explicat:

Adamo non peccante, incarnandũ Verbum sic explicat Suar.

primum motiuum, quo viâ originis Deus ab æterno decreuit, ante vllum præuisum peccatum, seipsum hypostaticè communicare, fuit excellentia Incarnationis, & alia bona ex eâ consecutura à peccato independentia: ex hâc ratione primâ viâ intentionis motus est Deus ad permittendum peccatum in Adamo, quod præuisum fuerat in priori signo rationis ante omne decretum per scientiam conditionatam. Ratio permissionis fuit: quia Deus in prædestinando hoc mysterio habuit intentionem exequendi illud altiori modo, quo poterat; & quia altior modus illud exequendi erat, vt, permisso peccato, Incarnatio ordinaretur in remedium peccati: sic enim non solùm manifestaretur increata bonitas ac munificentia in communicandâ diuinâ personâ, sed etiam misericordia & iustitia in subleuandâ nostrâ miseriâ, oblatâ condignâ satisfactione pro peccato. Permisso autem peccato, atque adeò præuiso per scientiam absolutam, secundum motiuum, quo ex occasione peccati decreuit Deus seipsum communicare in carne passibili, fuit humana redemptio, propter quam non solùm prædestinauit Incarnationem quoad modum passibilitatis, vt *Scotus* dicebat, sed quoad substantiam ipsius mysterij;

Duplex finis totalis.

eo quòd quælibet ratio seorsim sumpta erat sufficiens & adæquata ad prædestinandam substantiam mysterij; supponit autem posse quempiam duplici fine totali & adæquato in suo genere moueri ad effectum producendum. Præterea docet, in 1. signo rationis in quo prædestinatus fuerat Christus tantùm vt glorificator & iustificator, prædestinatas fuisse omnes creaturas, quæ ad essentialem & consummatam perfectionem Vniuersi pertinent, tam in ordine naturæ, quàm gratiæ. Duobus enim modis poterat Deus velle Christum: vno modo solitariè & secundùm se, nullo alio obiectiuè cum eo volito in eodem rationis signo; alio modo connexum cum creaturis in eodem signo rationis, volendo illum vt caput & principem hominum & Angelorum, ac potissimum medium ad manifestandam suam gloriam, ac proinde vt finem proximum omnium suorum operum ad extra. Hoc 2. modo voluit illum, quia hic redundat in maiorem dignitatem Christi. Hinc deducit *Suar.* suam opin. Si per scientiam conditionatam, antec. omne decretum, Adam præuisus fuisset in nullâ occasione peccaturus, quod impossibile non fuit, siquidem præuisus est liberè peccaturus, sequitur cum *Scoto*, ex vi præsentis decreti Verbum fuisse incarnandum: nam adhuc eâ conditione positâ, maneret integra ratio finis, ob quam Deus ex vi præsentis decreti voluit incarnari: nempe ob perfectissimam communicationem sui creaturis; quæ eo casu fuisset incarnatio Verbi in carne impassibili, prior & independens ab omni peccato futuro, proinde, vt *Scotus* contendit. 14 *Conciliat Scotum cũ S. Thom.*

Sin autem, stante tali scientiâ in Deo de peccato Adæ conditionaliter futuro, nihilominus noluisset Deus illud permittere, tunc per *S. Thom.* sequitur, ex vi præsentis decreti, Adamo non peccante, Verbum Incarnatum non fuisse: non quòd tale decretum factum sit post absolutam scientiam peccati futuri, quo non existente, cessaret vnicum motiuum Incarnationis, quod erat remedium peccati, sed quia cùm ex vi primæ intentionis decreuerit Deus, Verbum incarnari perfectissimo modo iuxta occurrentes circumstantias, qui tunc fuisset, vt, permisso peccato, Verbũ incarnaretur vt Redemptor; hoc ipso quòd peccatum non permisisset, à posteriori colligeretur, non habuisse Deum tale decretum, quod necessariam connexionem haberet cum permissione peccati, non vt cum vnico medio absolutè; nam, eo non præuiso vt futuro adhuc incarnatum fuisset Verbum; sed ex suppositione, quod esset præuisum conditionatè futurum; nam illud præuisum & permissum præbuit occasionem Deo altiori modo ad extra se communicandi. *Decretũ in Deo de permissione peccati.*

Prob. ex scripturis habemus, Christum esse prædestinatum caput, Regem & exemplar omnium prædestinatorum, nec non finem omnium diuinorum operum, vt probant omnes præsentis Vniuersi dispositiones & gubernationes, quæ eò tendunt, vt hoc felicissimum regnum ex Angelis, hominibus, & Christo rege tandem compleatur: at optimus & sapientissimus modus operandi est, vt ex fine intento media eligantur potiùs quàm ex occasione medij occurrentis finis intendatur; ergo dicendum est, non ideo Deum prædestinasse Christum, quia peccatum præuidit, sed ideò permisisse peccatum, quia Christum ad sui gloriam optimo modo manifestandam prædestinauerat. Quia verò Deus non poterat prædestinare Christum vt Redemptorem ante præuisum peccatum scientiâ absolutâ, alioquin virtualiter voluisset peccatum, prædestinauit illum vt redemptorem in carne passibili post præuisum peccatum, non tantùm scientiâ conditionatâ, quia hæc non satis est, ne Deus dicatur velle virtualiter peccatum, sed etiam scientiâ visionis, quæ supponit decretum de præde- 15. *Probat fud sent. Suar. hoc vnico discursu.*

prædestinatione Christi. Ita saluantur scripturæ, quæ docent, Verbum incarnatum fuisse in remedium peccati, scilicet in carne passibili, quæ decreta est in 2. signo rationis dependenter à peccato Adæ præuiso scientiâ visionis post primum decretum de prædestinatione Christi simpliciter.

16. Pro explic. Notandū 1. Nota 1. huius controuersiæ duplex sensus vnus est, an ex vi præsentis tantùm decreti, quod Deus de facto habuit, peccato non interueniente, Verbum incarnatum fuisset: alter est, an saltem Incarnatum fuisset ex vi alterius decreti, quod de facto Deus non habuit, habiturus autem fuisset, si peccato non præuiso, alium rerum ordinem statuisset. Nunc tantùm ex vi præsentis decreti, infra disputaturi ex vi alterius.
17. Notandū 2. 2. Inter causas finales motiua est, sine quâ simpliciter non fit opus; impulsiua est, sine quâ idem opus non fieret cum aliquo modo, aut circumstantia: motiua totalis est quæ sola sufficienter mouet ad operis executionem; partialis est, quæ ex se solâ sufficienter non mouet, mouet simul cum aliâ, vnde alterutrâ deficiente deficit opus, cùm nullus effectus produci queat, nisi à sufficienti causâ sui esse.
18. Tandem causa motiua totalis quando est vnica, eâ deficiente deficit opus, quia deficit sufficiens principium operis; quando est multiplex, quâcumque deficiente, adhuc producitur opus, quia quâcumque deficiente, semper manet sufficiens principium operis.

19. Assertio 1. Dico 1. Remedium peccati fuit causa, sine quâ Christus non venisset vt Redemptor in carne passibili. In hoc conueniunt omnes: etsi controuersum sit, an remediū peccati fuerit causa aduentûs Christi in carne passibili quoad substantiam, an tantùm quoad modum passibilitatis.
Fundam. Fundam. tam redemptio supponit captiuitatem, ad quam redimendam ordinatur Redemptor, quàm passibilitas & mortalitas carnis supponunt peccatum, in cuius pœnam passibilitas successit loco impassibilitatis & immortalitatis, quam natura humana habuisset in statu Innocentiæ, iuxta illud Gen. 2. *In quocúque die comederis ex illo, morte morteris.* Vbi nulla captiuitas, nullum peccatum, nulla redemptio, nulla pœna: ergo nullo opus est Redemptore, ac proinde nec passibilitate, aut mortalitate carnis, quæ sunt pœna peccati.

20. Assertio 2. Dico 2. Peccato non intercedente, neque in
Fundam. carne passibili, neque impassibili ex vi præsentis decreti incarnatum fuisset Verbum. Fundam. cùm hoc opus fieri potuerit propter varia motiua, ordinarique ad diuersos fines, nequit à nobis certò cognosci, quo Deus reipsâ motus sit ad illud prædestinandum, nisi ex ijs, quæ de hoc mysterio reuelata sunt: sed ex ijs, expressè habemus, remedium peccati fuisse motiuum & finalem causam illius: ergo hoc, & non aliud asserendum est, fuisse motiuum Dei ad hoc prædestinandum; nam de rebus, quæ pendent ex liberâ voluntate Dei, non debemus aliter theologari, quàm quantum ex reuelatione probabiliter deducitur. Minor constat ex scripturæ,
21. Patrumque testimonijs; *Venit filius hominis quærere,*
Lucæ 19. *& saluum facere, quod perierat,* confirmat exemplo
Matth. 18. Pastoris, qui relictis in deserto Paradisi 99. ouibus descendit in mundum quærere ouem, quæ à reliquo SS. Angelorum grege aberrauerat.
Ioan. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum daret, vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: Non misit Deus Filium suum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ad Rom. 3. *Quem proposuit Deus propitiationem per fidem in sanguine ipsius* &c. *propter remissionem præcedentium delictorum.* Ad Galat. 4. *Vbi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Ad Ephes. 1. Dicitur Christus missus ad instauranda omnia, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt. 1. Ad Timot. 1. *Christus* Iesvs *venit in hunc mundum peccatores saluos facere.* Ad Hebr. 2. *Quia ergo pueri communicarunt carni & sanguini, & ipse,* nempe Christus, *similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum, qui habebat mortis imperium, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.* Ex quo Concil. *Ephes.* colligit, causam Dominicæ Incarn. fuisse remedium peccati, vt *tom. 1. Concil. p. 2. pag. 29.* 1. Ioan. 4. *Misit Deus Filium suum propitiationem pro peccatis nostris.* 1. Ioan. 4. Hunc finem expressit Deus nomine ipso, quod per Angelum indidit Christo: quid enim aliud importat Iesvs, quàm Saluatorem? *Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum.* Hunc expressere Angeli, cùm in Natiuitate cecinerunt: *Gloria in altissimis Domino, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Matth. 1. Lucæ 2.

Patres adstipulantur. Dionys. *lib. de Eccles. Hierarch. cap. 3.* causam aduentus Christi, ait fuisse humanæ naturæ prolapsum, & perniciosam à verâ bonitate defectionem, 22. Ex Gratia Dionysius. Origenes *homil. 1. in Gen. post med.* causam Incarn. assignat humanæ imaginis reformationem. Origenes. *Propterea Saluator noster, qui est imago Dei, misericordiâ Dei motus pro homine, qui ad eius similitudinem factus fuerat, videns eum depositâ suâ imagine maligni imaginem induisse, ipse motus misericordiâ imagine hominis assumptâ venit ad eum.* Athanasius *lib. 3. contra Arian. post med.* expressè ait, 23. Athanas. causam, cur Verbum carnem sumpserit, fuisse, vt hominem perditum repararet; reddens quippe rationem, cur Verbum initium viarum à Deo creatum dicatur Prouerb. 8. *Quoniam,* inquit, *prima per Adam via & sanua perierat, & ex Paradiso ad mortem deuergebamus, dictumq; nobis fuit: terra es & in terram ibis; ideo Verbum Dei hominum amore, & Patris voluntate induit creatitiam carnem, vt eam, quam mortalem reddiderat primus homo præuaricatione, ipse proprio sanguine sui corporis viuificaret, & renouaret nobis viam recentem & viuam:* & infrà, *Atque hinc est quod perfectum Dei Verbum imperfectum corpus sibi circumponit, ac creari ad opera pronuntiatur, vt pro omnibus nostro debito soluto, ea quæ deerant homini, perficeret, deerat autem homini immortalitas & via ad paradisum.* Basilius *in admon.* ad filium *spiritualem* 24. Basilius. *post initium,* causam descensûs Christi in terram docet, fuisse bonum nostrum: *Cùm in sede sublimi sederet, nostri gratiâ descendit ad terras.* Et in constitut. *monast. cap. 2. Propter hoc humanam naturam suscepit, vt in se velut in tabulâ quadam veram nobis pietatem ac virtutem depingeret, eamq; omnibus ante oculos statutam vnicuique pro viribus imitandam ceu archetypon proponeret.* Nazianz. *orat. de Christi Natiuit.* Nazianzenus. *fine. Ille,* nempe filius Dei, *carnem accipit, vt & imagini salutem, & carni immortalitatem adferat.* Cyrillus 25. Cyrillus Alexander. Alex. *lib. 5. thesauri cap. vlt. Sciebat enim, mortales nos futuros propter peccata, ac ideò ex misericordiâ suâ ante secula constituit, vt Verbum suum homo & initium viarum & fundamentum fieret, renouaretq; hominem in se ipso factus primogenitus in multis fratribus.* Theodotus Episc. Ancyran. *hom. de natiuit. in Concil.* Theodotus. *Ephes. tom. 1. Conc. p. 2. pag. 381. Ipse creator aduenit, vt naturam victam erigeret:* & infrà: *Vides quomodo rerum indigentia operata est prophetiam, & paupertas eum, qui propter nos homo factus est.* Hanc causam Nicæna Synodus inseruit in fidei symbolo: Nicæna Synodus. *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem* &c. Damasc. 3. *fidei c. 18. init. Quod secundum suam imaginem est, renouare volens Deus Verbum homo factus est.* Damascen.

26. *Ex Latinis Gelasius.* Gelasius Papa *in epist. vlt. to. 2. Conc. pag.* 492. *col.*6. fine: *Author ergo bonus, vt bonum se opus condidisse firmaret, si in eadem sui conditione perstitisset, inferioris creaturæ suæ miseratus offensam, quod spirituali substantia, quæ & sui & alterius processerat ipsa deceptrix, atque in suâ nequitiâ perseuerans omnino consequi digna non fuerat, terrenæ conditionis, & per fraudem decepta substantiæ naturam pariter clementer suscepit & causam, sicq́, vt nunc breuiter explicamus, competenti lapsam dispensatione reparare proponens, vt in seipso hæc eadem natura, quæ per obedientiam mortis rediret ad vitam, solus ipse peccati inscius in substantiâ, quam post peccatum restaurandam, potenti benignitate susceperat, vt indebitam mortem, quam sine peccato vtique non debebat, pro his, qui per peccatum debitores mortis extiterant, impetraret.* 27. *Hilarius.* Hilarius *in psal.*136. init. *Venit Dominus, secundum prophetam, captiuitatem auertere, venit ligatos soluere, venit seruientes in libertatem reducere.* *Hieronym.* Hierony. *in psal.*8. *init.* loquens cum Christo: *Quòd pro nobis homo factus es, in cunctis gentibus est vulgatum.* & in 8. Prouerb. explicans illa: *Dominus creauit mè principium viarum suarum in opera sua: In opera sua,* inquit, *ad redimenda opera Patris ex Virgine creatus est suscipiens carnem, vt opera Patris à corruptibili seruitio liberaret.* *Ambrosius.* Ambros. *in psal.* 118. super illa, *Etenim sederunt Principes*, recenset in personâ Christi causam eius aduentus: *Ego eorum Redemptor aduceneram, ego veneram, vt omnium peccata mundarem, vt recuperarem amissos, restituerem paradiso S. Iacob hæreditatem.* 28. *Augustin.* August. *tr.*36. *in Ioan.* ante med. non aliam Incarnationis causam agnoscit, quàm peccati remedium: *Creator hominis homo esse dignatus est, factus est, quod fecerat, ne periret, quem fecerat.* & de catechiz. rudib. cap. 4. *Quæ autem maior causa,* inquit, *aduentus Domini, nisi vt ostenderet Deus dilectionem suam in nobis, commendans eam vehementer, quia cùm adhuc inimici essemus, Christus pro nobis mortuus est.* 29. *Gregorius.* Gregorius *lib.*21. *Moral. cap.* 6. *Dominus apparuit in carne, vt humanam vitam admonendo excitaret, exempla præbendo accenderet, moriendo redimeret, resurgendo repararet.* & lib. 31. cap. 35. *Hanc,* inquit, *præruptionem,* (vocat autem præruptionem, diuulsionem bonorum Angelorum à malis) *restituere mediator venit, vt redempto humano genere, illa angelica damna sarciret, & mensuram cælestis patriæ locupletiùs fortasse cumularet.* Et lib. 5. epist. cap. 112. *Redemptor noster totius Conditor creaturæ ad hoc propitiatus humanam voluerit carnem assumere, vt diuinitatis suæ gratiâ dirupto, quo tenebamur capti, vinculo seruitutis pristinæ nos restitueret libertati.* 30. *Fulgentius.* Fulgen. *de Incar. cap.*3. fine. *Quipropter te semetipsum exinaniuit & incarnatus est.* Et cap. 6. *Nullus est hominum, qui non huius peccati vinculo nascatur adstrictus, præter eum, qui ad hoc vinculum peccati soluendum nouo generationis modo natus est, mediator Dei & hominum homo Christus* Iesvs: candem causam assignat Concilium *Toletan.* *Tolet.* 6. *in confess. fidei ca.* 1. 31. *Prosper.* Prosper *lib. sent. sent.* 340. *Deus homo factus est, quid facturus est homo?* *Isidorus.* Isidorus de natiu. causam Incarn. docet, fuisse reconciliationem hominis cum Deo. *Quem sicut propter redemptionem mundi voluit nasci, ita & pati oportuit.* 32. *Anselmus.* Anselmus *vtroque lib. Cur Deus homo*, hanc vnam semper versat rationem, Deum factum esse hominem, vt hominem saluaret, qui posset Angelorum sedes restaurare, cuius quæstionis summam epilogat *lib.* 2. *cap.* 18. fine: *Summa quæstionis fuit, cur Deus homo factus sit, vt per mortem suam saluaret hominem, vt quod pro peccato Deo debebat homo, solueret Deus homo.* concludit: *Necesse erat, vt Deus assumeret hominem in vnitatem personæ, quatenus qui in natura soluere debebat, & non poterat, in personâ esset, qui posset,* cuius immensam misericordiam venerabundus admiratur *cap.* 20. *Quid misericordius intelligi valet, quàm peccatori tormentis æternis deputato, & vnde se redimere non habenti Deus Pater dicit: accipe Vnigenitum meum, & da pro te: & ipse Filius: tolle me, & redime te?*

Bernardus *tract. super illa, Ioan.* 15. *Ego sum vitis vera*, cap. 12. *Si patienter,* inquit, *sustinuit Iob miserias suas, quantò patientiùs putas, Christum sustinuisse crucem suam, pro quâ sustinendâ venerat?* 33. *Bernardus.* Laurent. Iustin. de natiu. *Tanti quippe*, ait, *est*, nempe homo, *vt ne periret in æternum, Verbum factum est caro*, & paulò pòst: *Vnde verò carnem suscipere voluit, atque hominibus apparere visibilis? nonne impellente charitate, miseratione trahente?* en Incarnationis causa charitas, miseratioque diuina. *Laurentius Iustinian.*

34. Hæc testimonia scripturæ & Patrum, scilicet motiuum Incarnationis fuisse peccati remedium: proferam nunc testimonia, quæ vnum omne aliud motiuum excludunt. 35. *Origenes.* Origenes *hom.* 24. *in Nu.* ante med. *Si non fuisset peccatum, non necesse fuerat Filium Dei agnum fieri, sed mansisset hoc, quod in principio erat Deus Verbum: verùm quoniam introiit peccatum in mundum, peccati autem necessitas propitiationem requirit, & propitiatio non fit, nisi per hostiam, necessarium fuit hostiam prouideri pro peccato.* *Athanas.* Athanasius *cit.* docet, peccato non interueniente, superfluum fuisse Christi aduentum, indicans, solam causam aduentus Christi fuisse remedium peccati. *Irenæus.* Iræneus *lib.* 5. *aduer. hær.* cap. 14. *Si non haberet caro saluari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset, & si non haberet sanguis Iustorum inquiri, nequaquam sanguinem habuisset Deus.* 36. *Chrysost.* Chrysost. *hom.* 5. *in Hebr.* post init. ex verbis *Apost.* probat, non aliam ob causam Christum carnem sumpsisse, quàm vt nos à peccato liberaret, vnde sic concludit: *Non est alia dispensationis causa, quàm hæc sola.* Quæ *Chrysost.* verba descripsit *Ambros. in* 2. *ca. ad Hebr. fine*, vbi, *Ambrosius.* *Non itaque,* inquit, *alia fuit causa illi per omnia fratribus assimilari, nisi vt fidelis Pontifex esset in nobis, nostrisq́; propitiaret peccatis, non est altera totius huius mirandæ dispensationis causa, quàm hæc sola.* 37. *Leo.* Leo *ser.*3. de Pentecost. *Si homo,* inquit, *à lege sibi positâ per concupiscentiam non deuiâsset, author mundi creatura non fieret, neque sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo Patri, Filius Dei formam serui assumeret.* *August.* August. *ser.*8. *de verbis Apost.* fine; *Filius*, inquit, *hominis non venit, nisi quærere & saluare, quod perierat; alia causa non fuit, quare veniret in mundum: nec enim de cælo ad terram merita nostra bona, sed peccata duxerunt.* Quæ verba descripsit *Glossa interlin.* in illud *Ioan.* 3. *Sic Deus dilexit mundum* &c. *Non alia,* inquit, *causa venit, nisi vt saluet.* *Glossa interl.* 38. *Gregorius.* Gregorius *in* 1. *Reg. lib.*4. *cap.*1. post med. ita scribit. *Et quidem nisi Adam peccâsset, Redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret: non enim venit vocare iustos, sed peccatores ad pœnitentiam.* concludit: *Si ergo pro peccatoribus venit, si peccata deessent, eum venire non oporteret.* *Beda.* Beda *to.*6. *in* 1. *epist. ad Timoth.* super illa: *Fidelis sermo* &c. habet hæc quæ descripsit ex August. *Si homo non peccâsset, filius hominis non venisset:* & infrà: *Quare venit in hunc mundum peccatores saluos facere, alia causa non fuit.* Idem supponit Ansel. in vtroque lib. *Cur Deus homo.* *Anselmus.*

Respondet 1. *Scotus*, ea intelligi de aduentu Christi in carne tantùm passibili, quia peccato non existente, non fuisset opus redemptione per mortem & passionem consummandâ, sed tantùm iustificatione

40. *Contra Scot.* ficatione & glorificatione. Sed contrà: nunquam scriptura, & Patres mentionem faciunt de aduentu Christi in carne impassibili; temerè igitur, absque scripturæ & Patrum authoritate hoc asseritur, cùm sit veritas ex solâ reuelatione pendens, ad quam asserendam non sufficit nuda ratio. 2. omnes Patres *loco* 2. adducti negant, Christum venturum etiam in carne impassibili, peccato non interueniente, dum absolutè negant, Deum carnem aut sanguinem sumpturum fuisse, peccato non intercedente; at etiam si venisset immortalis & impassibilis, debuisset habere carnem & sanguinem humanum: 3. ita aliqui Patres *Scoti* sententiam negant, vt si voluissent, non potuissent expressiùs.

41. *Confirm.* Confir. Patres absolutè negant, peccato non existente, Christum venturum fuisse; & propositio negatiua absolutè negat rem, supra quam cadit; non negaret absolutè venturum, si tantùm negaret venturum in carne passibili; alioquin pari modo dici posset, Christum non venisse, quia nondum venit, sed venturus est in carne immortali & impassibili. Nam si *per Scot.* valet ista propositio: si peccatum non fuisset, Christus non venisset; quia sufficit, vt verificetur de modo aduentûs in carne passibili, & vt Redemptor; per eundem valebit hæc alia: Christus nondum venit: quia sufficit, vt verificetur de modo aduentûs in carne impassibili, & vt iudex, quo pacto nondum venit, sed venturus est, iuxta illud *Ioan.* 3. *Non misit Deus filium suum, vt iudicet mundum.*

42. *Respõdet 2. Suar.* Respondet 2. *Suar.* in scripturis nunquam explicari causam intrinsecam; quia illa semper intelligitur volita cum substantiâ mysterij; sed solas extrinsecas, quæ non necessariò sunt connexæ cum productione rei; sicut nunquam in eâ explicatur finis vltimus, quæ est gloria Dei, quia illa semper intelligitur intenta cum ipsâ productione. Confir. sicut in prædestinatione hominum ad gloriam est duplex ratio; altera, quæ mouit Deum ad eam prædestinandam in intentione, quæ fuit bonitas ipsius gloriæ; altera, quæ ipsum mouet ad eam retribuendam in executione, quæ sunt merita hominum: ita in prædestinatione Incarnationis duplex quoque est ratio; altera, quæ Deum mouit ad eam prædestinandam in intentione, eaq; fuit excellentia ipsius mysterij; altera, quæ ipsum mouit ad eam producendam in executione, hæc fuit remedium peccati; sed in prædestinatione hominum scriptura nullam mentionem facit de primo motiuo, sed tantùm de secundo: & tamen nemo negat, Deum in intentione gloriæ habuisse primum motiuum: esto ergo scriptura nullam mentionem faciat de primo motiuo Incarn. nemo illud in Deo negare debet.

43. *Contrà.* Sed contrà: quando motiuum est tale, vt non necessariò moueat diuinam voluntatem ad rem propter illud, vel quoad exercitium, vel quoad specificationem producendam, exprimendum est, alioquin temerè asseritur; sed dignitas Incarn. non necessariò mouet diuinam voluntatem, neque quoad exercitium, cùm sit opus ad extrà: neque quoad specificationem, vt posito quòd illam decernat, necessariò debeat decernere independenter à peccato, cùm in hoc nulla sit necessitas; ergo nisi reuelatione id constet, non potest ex ipsâ productione mysterij certò constare. Nec est eadem ratio de gloriâ Dei: nam hæc necessariò mouet diuinam voluntatem quoad specificationem, cùm nullam rem possit Deus producere, nisi propter seipsum: at non necessariò si Deus producit mysterium Incarn. debet illud producere independenter à peccato.

44. *Disparitas est.* Ad confirm. qui affirmant, alio motiuo prædestinasse Deum homines ad gloriam quoad intentionem, alio quoad executionem, simul affirmãt, hoc duplex motiuum colligi ex scripturâ & Patrib. ex quibus non colligitur hoc duplex motiuum in prædestinatione Christi, alterum in intentione independens à peccato, alterum in executione à peccato dependens.

Resp. 3. *Suar.* his probari, non venisse Christum ex vi præsentis decreti, positâ scientiâ de peccato sub conditione futuro: nam si adhuc illud præuisum Deus non permisisset, non potuisset habere decretum, quod habuit de incarnando Christo, optimo ac altissimo modo; non probari, non fuisse venturum, nullo præuiso peccato, quia tunc maneret decretum de incarnando Christo. 45. *Respõdet 3. Suar.*

46. *Contrà.* Sed contrà: Patres absolutè negant, Christum venturum, peccato non existente, siue eo nec præuiso, nec permisso, siue præuiso, & non permisso. nec rectè per hanc hypothesim impossibilem explicantur Patres, qui solùm loquuntur ex hypothesi possibili, si peccatum non extitisset, quod fuit simpliciter possibile: Et hæc resp. repugnat Patribus, qui vt ostendant charitatem Dei erga nos, aiunt, Deum præuiso peccato misisse filium suum vt nos liberaret à peccato: contrà ait *Suar.* Deum permisisse peccatum, vt filium suum mitteret.

47. *Prob. 1. hac sent. rationib. 1. quâ frequenter vtuntur Schol.* Ratio prima: Non decuit tantùm mysterium, nisi propter grauissimas dignissimasque causas prædestinari: grauissima autem dignissimaque causa fuit condigna satisfactio offensæ diuinæ, & communis salus hominum. Maior prob. si ob maiestatem excellentiamque tanti mysterij non decuit illud alio modo, alio tempore, ex aliâ matre, alijsque circumstantijs minùs congruis prædestinari, neque ob maiestatem excellentiamque eiusdem decuit alium ob finem, quàm propter condignam satisfactionem diuinæ offensæ, & communem hominum salutem prædestinari. Minor constat: nulla grauior digniorq; causa excogitari potest, quàm condigna satisfactio diuinę offensæ, & redemptio totius generis humani: grauior enim est hæc, quàm Vniuersi perfectio, & naturæ humanę exaltatio, propter quas in sent. aduers. venturus fuisset Christus, peccato non interueniente.

48. *Secunda ratio ab absurdo.* 2. Si Adamo non peccante adhuc venturus fuisset Christus, non venisset vt causa meritoria gratiæ & gloriæ posterorum ex Adam descendentium. nam si Adam non peccâsset, ipse, & non alius fuisset causa meritoria gratiæ, & consequenter gloriæ transfundendæ in posteros, ex pacto; sicut de facto fuit causa demeritoria peccati orig. posterorum, nam idem qui fuit constitutus caput omnium quoad demeritum, fuit etiam constitutus caput omnium quoad meritum. Absurditas conseq. patet; nam tunc posteri non agnouissent Christum, sed Adam, vt caput gratiæ & gloriæ: quod est contra *Suar.* docentem, Christum fuisse in diuino decreto constitutum caput omnium quoad esse supernaturale.

49. *Dices.* DICES 1. Adam fuisse constitutum caput posterorum solùm quoad demeritum, quoad meritum verò constitutũ fuisse Christum. *Contrà.* Contrà: hoc est contra pactum Dei de facto cum Adam initum, quod omnes Theologi admittũt, vt *ex* 3. *to.* suppono, & ipse *Suar.* de *attrib. hum. d.* 9. *pec. orig. sect.* 4. docet, nempe Adam fuisse caput posterorum etiam quoad iustitiam. Vnde si Adamo non peccante, gratia non ex Adæ, sed ex Christi meritis transfundenda fuisset in posteros, non fuisset seruata conditio pacti, quæ de facto fuit, vt ipse Adam suo merito nobis iustitiam promeruisset: 2. est contra æquitatem pacti, vt idem, qui constituitur caput demeriti, simul non constituatur caput me-

meriti: nam æqua conditio pacti postulat, vt qui subit onus, simul habeat honorem. 50. *Dices.* DICES 2. tam Adam, quàm Christum fuisse in æterno decreto Dei constitutum caput gratiæ & gloriæ posterorum: vnde Adamo non peccante, gratia data fuisset posteris ex meritis vtriusque: *Contrà.* contrà: hoc fuisset contra dignitatem Christi, habere collegam sui officij purum hominem, qui simul fuisset membrum ipsius, & caput reliquorum: 2. est contra consuetum ordinem diuinæ prouidentiæ, constituere plura capita in eodem genere. 51. *Dices.* DICES 3. Adam fuisse causam meritoriam primæ gratiæ posterorum, Christum verò solius incrementi: *Contrà.* contrà: hoc ipsum fuisset contra dignitatem Christi, & capitis vnitatem: nam sicut idem, qui est causa rei, est causa augmenti eiusdem: ita idem, qui est caput gratiæ, est etiam caput incrementi eiusdem.

52. *Dices.* DICES 4. Si Adam non peccâsset, Deum non appositurum fuisse hanc conditionem in pacto, quam de facto apposuit, præuiso ipsius peccato, nempe ipsum futurum fuisse caput gratiæ posterorum, sed aliam appositurum fuisse conditionem, nempe caput gratiæ posterorum futurum fuisse Christum: *Contrà.* contrà: hoc est contra *aduers.* qui docent Christum venturum caput gratiæ & gloriæ in statu Innocentiæ ex vi præsentis decreti, cùm tamen vi huius resp. venturus fuisset vi alterius decreti: siquidem mutato pacto, mutatum fuisset decretum. Nec dici potest, tale decretum futurum fuisse ex vi præsentis decreti, virtute alicuius conditionis in eo appositæ: cùm nulla talis conditio in præsenti decreto assignetur; sed potiùs opposita; nempe Adam futurum fuisse caput iustitię originalis posterorum, si non peccasset. 53. *Confirm.* Confirm. in hac sent. quicquid Deus decreuit ante peccatum scientiâ visionis præuisum, infallibiliter futurum fuisset: quia decreuit independenter à peccato. Sed totum hoc, si Adam non peccâsset, futurus fuisset caput iustitiæ orig. decretum est ante præuisum peccatum scientiâ visionis, cùm ad talem conditionem decernendam nullâ opus fuisset præuisione peccati, vt patet. Igitur conditione verificatâ, Adam, non Christus futurus fuisset caput Iustitiæ orig. posterorum. Tum quia si Deus habuisset hoc propositum, si Adam non peccâsset, Christus futurus fuisset caput iustitiæ orig. expressisset in pacto cum Adam inito, aut certè non expressisset oppositum, scilicet, si ipse non peccâsset, futurus fuisset caput iustitiæ orig. conditio enim apposita pacto, manifestat, quale propositum habiturus fuisset Deus conditione adimpletâ. *Maximè.* Tum quia verificatâ conditione, necesse fuisset verificari promissionem Dei in pacto expressam, cùm omnis promissio diuina sub eâ ratione, quâ fit, necessariò debeat verificari, vtpote infallibilis: sed facta est promissio Adæ sub conditione, vt si ipse non peccâsset, ipse futurus fuisset caput iustitiæ orig. hâc igitur verificatâ, verificanda fuisset promissio Dei in pacto expressa. 54. *Dices.* DICES: eadem difficultas soluenda est etiam in nostrâ sent. Adam enim habuit gratiam, quâ, si perseuerâsset, fuisset caput iustitię posterorum, & tamen hanc gratiam de facto habuit ex meritis Christi: ergo etiam in sent. *Scoti* & *Suar.* potuit habere gratiam ex meritis Christi, & nihilominus per illam potuisset esse caput iustitiæ posterorum. *Confirm.* Confirm. eâdem gratiâ, quam de facto Adam habuit, futurus fuisset caput iustitiæ posterorum, si non peccâsset. 55. *Resp.* Nego antec. nam in sent. *Scoti*, Adam ex vi præsentis decreti, si non peccâsset, futurus fuisset caput gratiæ & iustitiæ orig. etiamsi Christus venisset, nam venturus fuisset, etiam eo non peccante; & ex vi eiusdem decreti Adam iustitiam orig. accepit suo merito in posteros transfundendam, vt ex pacto Dei cum ipso inito constat: ergo in sent. *Scoti*, ex vi præsentis decreti, si Adam non peccâsset, futurus fuisset caput gratiæ & iustitiæ orig. & Christus venturus fuisset, aut nullo modo vt caput iustitiæ orig. aut saltem vt concaput simul cum Adamo. *Discrimen sententiarum.* At verò in nostrâ sent. ex vi præsentis decreti, Adamo non peccante, Christus venturus non fuisset, proinde solus Adam futurus fuisset caput gratiæ & iustitiæ posterorum. Quòd hanc gratiam de facto Adam habuerit ex meritis Christi, non obstat, quò minùs, si ipse non peccâsset, futurus fuisset caput gratiæ posterorum: nam si non peccâsset, hæc gratia collata Adæ annexum habuisset aliud decretum, quod de facto non habuit, nempe quòd illa non fuisset collata ex meritis Christi, sed vt gratia capitalis, mediante quâ Adam actu fuisset caput gratiæ posterorum: de facto autem illa annexum habuit decretum, quo data est ex meritis Christi, & tantùm sub conditione si perseuerâsset, per illam futurus fuisset caput gratiæ posterorum. Sicut cum Deus dat gratiam reprobis, dat illam cum actuali decreto de eorum reprobatione ex eorum finalibus demeritis præuisis, & simul cum conditionato decreto de dandâ gloriâ, si ipsi perseueraturi sint in gratiâ; quod decretum de facto Deus non habet, habiturus autem esset, si poneretur conditio, quam ponere, vel non ponere, nostræ relinquit potestati. 56. *Ad confir.* Ad confirm. concedo, Adam per eandem gratiam, sed non cum eodem respectu & fine datam, futurum fuisse caput iustitiæ posterorum. Nam tunc data fuisset sine respectu ad merita Christi, qui in eo euentu venturus non fuisset; & ad finem, vt esset actu caput gratiæ posterorum: nunc verò data est propter merita Christi, & non ad finem, vt esset actu caput gratiæ posterorum, sed tantùm aptitudine & sub conditione, si non peccâsset, quâ conditione positâ, aliud fuisset actuale decretum in Deo de gratiâ collatâ Adæ, & de statu ipsius, & reliquorum omnium; sicut aliud fuisset actuale decretum in Deo de reprobis, si in gratiâ perseueraturi essent. 57. *Duo decreta in Deo disting.* Decretum enim in Deo, vnum absolutum & formale est, quod de facto habet; aliud cōditionatum & virtuale est, quod habiturus esset, si conditio poneretur. Si Deus ponit sufficientem causam alicuius effectus dependenter à liberâ voluntate creatâ, habet decretum ponendi effectum, vel absolutum & formale, si effectus est futurus; vel conditionatum & virtuale, si effectus defectu libertatis creatæ non est futurus: idem quippe decretum Dei respectu causæ, quam ponit, est absolutum; respectu effectûs, quem dependenter à nostrâ libertate decernit, est conditionatum: manet autem conditionatum, si conditio non ponitur; transit in absolutum non solùm in tempore, sed in ipsâ æternitate, si conditio ponitur.

Quo ordine fuerit Verbi incarnatio prædestinata?

QVÆ difficultatem faciunt, sunt authoritates *suprà* testificantes, Verbum non incarnandum, peccato non interueniente; & aliæ attestantes, Christum fuisse prædestinatum vt finem, caput & exemplar omnium prædestinatorum: non potuit ita prædestinari, dependenter à peccato, quia peccatum supponebat gratiam iam collatam, cuius pri- 58. *Auctoritates probantes Christũ prædestina-*

tum caput & finem omnium

priuationem includebat; ergo non potuit dari dependenter à Christo nondum prædestinato: ergo saltem Christus non fuit caput gratiæ collatę Adæ & Angelis, qui præcesserunt. Authoritates hæ: Prima. *Dominus possedit me in initio viarum suarum:*
59. Prima. Prouerb. 8.
vertunt septuag. *Dominus me creauit initium viarum suarum.* Quem locum de sapientiâ increatâ intelligunt *Athanas. lib. 3. con. Aria. Basil. l. 4. cont. Euno. fine, Cyrill. Alex. l. 5. thesau. ca. 8. Hieron. in hunc lo. August. 1. de Trinit. cap. 11.* & alij, qui, dum Ariani eo loco vtebantur ad probandum, Filium Dei esse creaturam, Patres illum explicabant de naturâ assumptâ, idque colligebant. *Quia non dixit*, inquit Hierony. *Pater, sed Dominus creauit me, quia caro, Deum cognoscit, creatura Dominum confitetur*: viæ autem Domini, sunt opera Dei, vt ijdem Patres interpretantur; sunt enim quædam quasi vestigia, quæ ad ipsius notitiam ducunt. Est ergò Christus quoad naturam humanam creatus initium viarum seu operum Domini, non in tempore, vt constat; ergo in æterno decreto Dei, in quo electus fuit ante omnem creaturam, proinde ante præuisum peccatum. Secunda, *ad Rom. 8. & ad Coloss. 1.* dicitur
60. Secunda.
Christus *primogenitus omnis creaturæ*, quod de Christo vt homine intelligit *Concil. Ephes. p. 1. capit. 3. & p. 3. cap. 27. Athan. Cyrill. cit. Anselm. in 1. cap. ad Colos. S. Tho. 3. p. q. 4. art. 5.* nam Christus vt Deus non dicitur primogenitus, sed vnigenitus, vt *cit. Concil.* & Patres notârunt, & constat ex Paulo: *vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Nam vt *Glossa* exponit, *secundùm id, quod vnigenitus est fratres non habet; secundùm id autem, quod primogenitus est fratres dignatus est vocare omnes, qui per eius primatum in eius gratiâ remanserunt.* Ratio redditur à Paulo *cit.*
Cur Christus primogenitus omnis creaturæ.
Quoniam in ipso condita sunt vniuersa, & omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant, & ipse est caput Ecclesiæ, vt sit in omnibus ipse primatum tenens. Quod cùm nequeat intelligi de primitate temporis, intellige de primitate rationis, & excellentiæ, quam habuit in æterno decreto Dei. In confirm. facit. *Psal. 8. Constituisti eum super opera manuum tuarum*, quæ de Christo interpretantur *Aug. Hieron. & Glossa*, vt non solùm intelligatur de potestate, quam in tempore accepit, sed multò magis de primitate, quam obtinuit in diuinâ prædestinatione, vt *sit ipse in omnibus primatum tenens*, & vt Ambrof. *in 1. cap. ad Coloss.* di-
61. xit. *sit semper in omni vitâ primus & princeps.* Tertia;
Tertia. 1. Ad Cor. 3. *Omnia, vestra sunt, vos Christi, Christus autem Dei*, vbi eodem modo nos dicimur Christi, quo omnia dicuntur nostra, & Christus Dei: sunt omnia nostra, quia propter nos, vt propter finē condita sunt, & Christus Dei, quia propter Dei gloriam prædestinatus est homo: ergo dicimur nos Christi, quia propter Christum vt propter finem conditi sumus. Quod expressit *Trident. sess. 6. c. 7.* vbi Christum vocat finalem causam nostræ iustificationis, atque adeò redemptionis, quam iustificatione cōsequimur.
62. Quarta, *ad Ephes. 1. Prædestinauit nos per Iesum in ipsum.* particulæ *Per*, & *In* diuersas habitudines cau-
63. sæ finalis, & meritoriæ important. Quinta *ad Rom. 8.* dicitur Christus causa exemplaris nostræ prædestinationis; *Quos præsciuit, & prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui.* Quod de Christo vt homine intelligit *Hierony.* & colligitur ex verbis seq. *vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Vnde *August. lib. de prædest. SS. cap. 15. Est præclarissimum*, inquit, *lumen prædestinationis ipse Saluator, ipse Mediator Dei & hominum homo Christus* Iesvs; quem de causâ exemplari interpretatur *S. Tho. 3. p. qu. 24. art. 3.* Confirm.
Ratio.
non decuit, Deū æterno suo decreto priùs de membris, quàm de capite deliberare. Suppono cum cōmuni sent. cōtra Ocham. *in 1. dist. 9. q. 3 fine, & Gabr. in 3. dist. 2. qu. vn. art. 3. dub. 3. fine*, distingui in Deo cum fundamento in re aliqua signa rationis prioris & posterioris, quæ partim concipiuntur in actibus diuinis, partim in obiectis terminantibus actus. In actibus vnus concipitur prior alio, quando in creaturis vnus ex naturâ suâ precedit alium: vt quia cognitio in nobis naturâ suâ præcedit volitionem, in Deo cognitio concipitur prior volitione: inter ipsos actus diuini intellectûs, scientia simplicis intelligentiæ concipitur prior scientiâ conditionatâ, & hæc prior absolutâ; quia illa est ad possibilia, quæ ratione præcedunt conditionalia; sicut hæc præcedunt absoluta, quia futura absoluta supponunt decretum absolutum, à quo vt à causâ pendent in sui existentiâ; conditionalia antecedunt in signo rationis decretum absolutum, & supponunt conditionatum, à quo pendent in suâ futuritione conditionatâ & veritate obiectiuâ. Hinc sequitur, actum voluntatis priorem esse scientiâ visionis eiusdem obiecti, posteriorem verò scientiâ conditionatâ & simplicis intelligentiæ: quia voluntas diuina non regulatur scientiâ visionis ad decernendum illud obiectum, quod cognoscit scientiâ visionis, sed scientiâ conditionatâ, vel simplicis intelligentię. Dixi, *eiusdem obiecti*: quia non repugnat esse posteriorem respectu alterius obiecti: vt scientiâ demeritorum est posterior voluntate negante auxilium efficax, prior voluntate destinante ad pœnam. In obiectis verò, vnum concipitur prius alio, quando vnum est causa alterius, aut ex naturâ rei, aut ex intentione Dei: quando ex naturâ rei, prius ratione concipitur terminare scientiam Dei, id quod est causa, quàm id quod est effectus: vt prius ratione concipitur terminare actum scientiæ Dei natura quàm propria passio; substantia quàm accidens. Ratio: scientia Dei, si est necessaria & simplicis intelligentiæ, exprimit res cum eâ causalitate & dependentiâ, quam habent in se; ergo si vna est prior aliâ causalitate, prius etiam ratione concipitur exprimi per scientiam Dei. Ex intentione verò Dei, vna est prior aliâ, quando vna intenditur vt finis, alia vt medium; semper & quod intenditur vt finis, concipitur prius ratione terminare actum voluntatis, quàm quod eligitur vt medium; quia licet actus diuinæ voluntatis non habeat causam, vt sit, potest tamen habere causam, vt terminetur: vt demerita præuisa sunt causa, cur Deus decernat pœnam reprobis, & quilibet finis intentus, est Deo ratio volendi media: sic autem non dicitur vnum prius alio, quia est nobilius, aut causa alterius, nam potest Deus intendere vt finem, quod est ignobilius; & ordinare vt medium, quod est nobilius; & velle causam vt medium, & effectum vt finem: sed illud dicitur prius, quod à Deo intenditur vt finis; illud posterius, quod eligitur medium ad talem finem, vt *1. to. disp. 22.* Varij excogitati sunt modi ad has authoritates conciliandas. Primus *Scoti in 3. dist. 19. q. vn. §. In ista q.* affirmantis, Christum fuisse prædestinatum ante omnia, vnde etiamsi nulla creatura condita esset, adhuc Christus ex vi præsentis decreti futurus fuisset; videtur autem hæc signa in mente diuinâ distinguere: 1. quo Deus dilexit seipsum vt summum bonum; 2. quo voluit Christum ad summam gloriam vt aptissimum medium ad manifestandam suam gloriam: 3. quo prędestinauit aliquos ad gloriam, circa reliquos habendo actum negatiuum non prædestinandi: 4. quo præuidit illos casuros in Adam: 5. quo ordinauit Christum in carne passibili in remedium peccati. Vnde priores Authoritates, quæ negant Christum venturum, pecca-to non

64. Disting. in Deo signa rationis.
Inter actus Diuini intellectûs.
65. In obiectis.
66. Varij modi allatas authoritates conciliandi. 1. Modus, Scoti.

to non intercedente, explicat de 2. decreto in carne passibili; posteriores, quæ affirmant, prædestinatum fuisse vt finem rerum omnium, caput & exemplar omnium prædestinatorum, de 1. decreto
67. 1. Modus. Suar. in carne impassibili. Sub hoc continetur modus *Suar. disp. 5. sect. 2. & 3.* distinguentis signa 4. Primũ, in quo Deus voluit Christum connexum cũ creaturis, vt caput cum membris; & finem cum medijs, in quo signo dicitur Christus prior negatiuè, (quia nemo ante ipsum) nec non causalitate finis, non subsistendi consequentiâ, quia non est volitus, nisi vt connexus cum creaturis. 2. quo permisit peccatum præuisum scientiâ conditionatâ, vt optimum medium exequendi Incarn. iam prædestinatam in 1. signo, exequendam nobilissimo modo: 3. quo præuidit peccatũ scientiâ visionis: 4. quo decreuit Incarn. in carne passibili in remedium pec-
68. Reijcitur. cati. Verùm vterque confutatus manet ex dictis, cũ neuter modus bene saluet priores authoritates.

69. 2. Modus. Secundus *Caiet. 3. p. q. 1. ar. 2. §. Ad euid.* distinguẽtis tres ordines rerum: Naturæ, gratiæ, & Vnionis hyp. In 1. signo docet præfinitum esse ordinem Naturæ, in 2. gratiæ, in 3. Vnionis hypost. sicut enim natura supponitur ad gratiam, & vtraque ad vnionẽ hypost. ita & in diuino decreto: at in 1. ordine non solùm sunt res naturales, sed earum defectus, vt monstra, ægritudines, errores, peccata; hæc enim partim ad ordinem naturæ spectant, quà peccatum à solâ naturâ proficiscitur; partim ad ordinem gratiæ, quà peccatum opponitur gratiæ; consequenter defectus & peccata supponuntur præuisa tum in 1. tum in 2. signo, in quorum remedium prædestinatus est Christus in 3. signo, aliàs non prædestinan-
70. Reijcitur 2. dus, si peccatum præuisum non fuisset. Sed hic modus nec saluat posteriores autho. quæ docent, Christum fuisse prædestinatum vt finem, caput & exemplar prædestinatorum: Nec verus est, quia licet reipsâ natura supponatur ad gratiam, & vtraque ad vnionem hypost. non tamen est necesse, vt eodem modo supponatur in diuino decreto, in quo res nõ seruant eandem prioritatem & poster. quam habent in seipsis, sed quam sortiuntur ex intentione Dei, qui sæpè res supernat. intendit vt finem, naturales vt media; sic in prædestinatis mortem, quæ est naturalis, ordinat vt viam ad immortalitatem. 2. falsum est, omne peccatum supponi ad gratiam, quia multa supponunt gratiam, vt sunt peccata contra præcepta supernat. & naturalia difficilia. 3. sequeretur, priùs ratione fuisse electos homines ad gloriam, quàm fuerit prædestinata Incarnatio: quia electio ad gloriam pertinet ad 2. ordinem gratiæ, qui præsupponitur ad 3. ordinem Vnionis hypost. quod videtur contra ipsum *Caiet. cit. ad 5.* vnde sequeretur prædestinationem nostram non fuisse dependentem à meritis Christi.

71. 3. Modus. Tertius *Vasq. disp. 11. c. 6.* qui simul cum *Caiet.* affirmat, Christum prædestinatum fuisse post præuisum peccatum Adæ scientiâ visionis, sed ante efficacem electionem hominum ad gratiam & gloriã;
Signum 1. vnde hunc ordinem signorum constituit. 1. Deus decreuit hominem condere sanctum, & iustum, qui
2. posset, si vellet, suis meritis gloriam consequi. 2. illum permisit in peccatum labi, non eo fine, vt illum redimeret, eiusque redemptione suam gloriam
3. optimo modo manifestaret, sed alio. 3. permisso peccato, Deus permansit in simplici voluntate circa salutem hominum, ad quem finem optimum me-
4. dium elegit, per condignam satisfactionem. 4. decreuit mittere filium suum in carne mortali, qui suis meritis salutem nobis & gratiam impetraret; quo signo decreuit efficaci voluntate dare quibusdam gratiam efficacem, alijs sufficientem ex meritis Christi præuisis, cùm anteà non nisi simplici voluntate gratiam, & gloriam nobis desiderauerit. Ita finis *cuius gratia* Incarnationis, fuit humana redemptio; finis *cui*, homo lapsus, non Christus, nam ideò Verbum carnem assumpsit, vt hominem redimeret; non contrà, ideò redemptio facta est, vt Christus incarnaretur: gloria verò Christi accidentalis, eiusque nominis exaltatio fuit finis *cuius gratia* nostræ redemptionis, non motiuus, sed impulsiuus, quia fuit occasionatus ex redemptione nostrâ. Quare authoritates poster. explicat de prioritate non causalitatis, sed dignitatis, vel de Christo vt Deo. Vt autem saluet, omnem prædestinationem nostram factam esse ex meritis Christi, supponit, nullum hominem ante præuisum peccatum fuisse prædestinatum, sed omnem prædestinationem hominis, etiam Adæ, factam fuisse post prædestinationem Christi. Sed contrà: non rectè saluat multas ex
cit. autho. quæ docent, Christum fuisse finem, & exemplar creaturarum. nam etsi hæ à nonnullis explicentur, vel de Christo vt Deo, vel de Christo vt homine secundùm prioritatem dignitatis; quia tamen à multis, & quidem probabiliùs, explicantur de Christo vt homine secundùm prioritatem causalitatis, cùm hoc magis cedat in Christi dignitatem, adinueniendus est modus, qui eas saluet iuxta hunc sensum. 2. hic modus admittit, multa dona supernat. tam gratiæ, quàm gloriæ, collata esse creaturis independenter à meritis Christi, cuius oppositum vt congruentius scripturis, Patrib. Christi dignitati, *infrà* ostendemus. Maior constat; nam saltem prima gratia collata protoparentibus, nec non tam gratia, quàm gloria data angelis non fuisset, in hac sent. ex meritis Christi. 72. 3. Modus impugnatur.

Quartus *Valen. 3. p. disp. 1. q. 1. pu. 7. Cabre. disp. 1. §. 24.* qui, vt vtrasque autho. concilient, docent, Christum fuisse prædestinatum priùs in genere causæ finalis, dependenter à peccato præuiso scientiâ visionis in genere causæ materialis. Vnde eodem signo rationis Deus voluit Christum, vt finem rerũ omnium, & simul voluit illum in remedium peccati, eodem signo præuisi scientiâ visionis. sequitur; quòd si peccatum non fuisset, Verbum non fuisset incarnatum, quia ita est volita Incarnatio vt finis, vt eodem signo sit volita connexa cum remedio peccati; potest autem aliquid esse prius alio, & necessariò connexum cum illo: vt pater est prior filio, necessariò tamen connexus cum illo: & finis prior vnico medio, necessariò tamen connexus cũ illo. Hic modus difficilis est captu: nam cognitio 74. Reijcitur. peccati absolutè futuri prærequiritur in hac sent. vt diuina voluntas eligat Incarn. vt medium ad peccati deletionem; ergo non potest supponere efficax decretum de Incarn. at in hac sent. talis cognitio peccati futuri supponit efficax decretum de Incarn. quia supponit Adam efficaciter volitum cum gratiâ & iustitiâ orig. dependenter à Christo præintento vt fine: igitur non potest esse regula ad tale decretum faciendum. quia regula non potest supponere suum regulatum: igitur si cognitio peccati absolutè futuri est regula ad decernendam Incarn. non potest supponere illam decretam. Nec data distinctio satisfacit, nempe quòd supponat illam decretam in ratione finis, & supponatur ad illam in ratione causæ materialis: quia sub quâcunque ratione illam supponat vt decretam, semper supponit illam decretam dependenter à suâ regulâ: igitur præuisio peccati absolutè futuri sub nullo genere causæ potest in hac sent. supponere Incarn. efficaciter decretam.

Proba-

73. 4. Modus.

75. *Probabilior modus Molina, qui ex Ferra. colligitur.* Probabilior modus ad hæc omnia concilianda est: Christum prædestinatum esse vt finem creaturarum, caput & exemplar omnium prædestinatorum dependenter à remedio peccati præuisi, non scientiâ visionis formalis, sed tantùm virtualis in ipsa efficaci volũtate creandi Adæ in ijs circumstantijs, in quibus scientiâ cõditionatâ præuisus fuerat peccaturus. De quâ sciẽtiâ interpretor S.Th. cùm in *Resp. ad* 4. docet prædestinationẽ Christi præsupponere præscientiã peccati futuri: *Mol. 1.p.q.23.ar.4.& 5.disp.1.mem.7.& 8.* ex *Ferrar.4.con.gen.c.55.§.Ad confir.* vbi docet, gloriam Christi esse priorem in genere causæ finalis gloriâ & salute hominũ; incarnationem esse posteriorem salute; quia propter hominũ salutem facta est. Est igitur, in hac sent. gloria & exaltatio Christi finis nostræ redemptionis; redemptio & salus nostra finis Incar. Incarnatio mediũ ad vtraque; proximè ad redemptionem & salutem nostram; remotè ad Christi gloriam & exaltationẽ, volita dependenter à peccato præuiso tantùm virtualiter futuro, in eodẽ signo rationis in ipso decreto volendi Adam sub ijs circumstantijs, sub quibus præuisus est sub conditione peccaturus.

76. *Scientia conditionata omnium prior absolutâ voluntate cuiusuis rei in Deo.* Suppono, priùs ratione, quàm Deus quidquam ab æterno efficaciter decreuerit, præuidisse non solũ scientiâ simplicis intelligentiæ infinitos Mundos, quos condere poterat cum infinitis alijs perfectioribus & perfectioribus, inter quos præuidit hunc, quẽ de facto condidit; sed etiam scientiâ cõditionatâ præcognouisse, quid singulæ creaturæ in variis circumstantiis constitutæ pro liberâ suâ voluntate operaturæ essent; inter quas præuidit Adam sub iis circumstantijs, sub quibus de facto positus fuit, peccaturum, eumdem præuidens sub alijs circumstantijs positum efficacioribusque auxilijs præuẽtum, non peccaturũ: præcognouisse etiam, quid futurum esset, si permisso peccato in Adam & posteris eius, vnigenitus ipsius in remediũ illius incarnaretur, nempe quàm ingẽs inde & sibi & filio suo gloria promanatura esset. His sub cõditione præuisis, in posteriori signo rationis efficaciter decreuit hunc Mundum condere sub his circũstantijs, sub quibus illum præuiderat scientiâ cõditionatâ. In quo signo voluit hæc omnia per modũ vnius adæquati & totalis obiecti cum mutuâ depẽdentiâ & connexione inter se, Christum vt finem, causam meritoriã, & exẽplarem priorem Adamo, cæterisq; creaturis; Adamum verò cum virtuali præuisione peccati absolutè futuri priorẽ in genere causæ materialis; dependẽter à quo prædestinatus est Christus finis & caput ipsius, cæterorumq; prædestinatorũ. Etenim positâ scientiâ cõditionatâ omnium, quæ Deus esset sub cõditione voliturus, potuit in 2. signo rationis condere hoc decretum; Volo Christum vt exaltandũ & glorificandum, mediâ redemptione & iustificatione hominum, vt medio aptissimo, & nõ aliter: Adamũ verò reliquosq; redimendos vt medium ad Christi glorificationem. Rursus volo Incarn. Verbi, vt medium ad iustificationem hominum; iustificationem vt finem Incarn. & medium ad hominũ glorificationẽ: omnia tandem vt conuenientissimũ mediũ ad Christi exaltationem dependenter tamen à peccato Adæ præuiso in eodem signo rationis virtualiter futuro in decreto efficaci. Etenim positâ scientiâ de eodem peccato sub conditione, si Adam in tali circumstantiâ poneretur, infallibiliter futuro; statim ac Deus efficaciter decernit ponere Adam in tali circumstantiâ, in quâ præuisus fuerat infallibiliter peccaturus; scientia conditionata, per eam efficacem voluntatem transit in absolutam, non formalem & obiecti in seipso existentis, sed virtualem & obiecti in causâ: purificatâ enim conditione per decretum absolutum, id quod erat sub conditione futurum, fit absolutè futurum. Et

Mutua dependentia in totali obiecto.

77. *declaratur.*

Scientia futurorum liberorum absoluta in causâ.

quia non repugnat, Deum velle eodem signo rationis Adam sub tali circumstantiâ, sub quâ præuisus fuerat peccaturus, vt priorem in genere causæ materialis Christo glorificãdo, mediâ redemptione hominum; Christum verò vt exaltandum in genere causæ finalis, meritoriæ, & exemplaris, priorem Adamo & reliquis tam Angelis, quàm hominibus; ideò potuit Christus in diuinâ prædestinatione esse primus omnium in genere causæ finalis, meritoriæ, & exemplaris, & non nisi dependenter à peccato. Hic modus deducitur ex *Cyrillo Alex. lib. 5. Thesau. cap. 8. Prauidit Deus peccaturum hominem, & in mortem casurum. præuidit etiam conferentia generi eius, & quomodo renouaretur, & ad immortalitatem rediret*, *ideò quasi radices huius spei in filio suo nobis deposuit*: & paulò pòst: *Præfundatur igitur ante nos Christus, & in ipso nos omnes superædificamur, idq; ante initiũ mundi in præscientia Dei & eo ordine Dei benedictio maledictionem antecesserit, & damnationem in mortem vitæ pollicitatio, & seruitutem diaboli adoptiuis libertas, quos sic natura humana superatis malis, quæ interim acciderunt in pristinam per gratiam Christi, qui fundauit eam in bonis, dignitatẽ recurrere.* Hęc Cyrillus: qui cùm doceat in præscientiâ Dei benedictionem antecessisse maledictionem, & vitę pollicitationẽ mortis damnationẽ, apertè sentit, in præscientiâ Dei Christum antecessisse vt finem & fundamentũ reliquorũ hominum, licet dependẽterà peccato saltem præuiso scientiâ cõditionatâ: nã pari modo ait, ex præscientiâ eorum, quæ generi humano cõferebant, Deum posuisse Christum vt fundamẽtum; at non potest hoc intelligi de præsciẽtiâ visionis formalis, quia non potuit Deus ex præscientiâ visionis formalis Christi, qui maximè præuisus fuit ad genus humanum conferre, facere vt fundamentum totius futuri spiritualis ędificij ipsum Christũ: quia scientia visionis formalis rei supponit absolutũ decretũ eiusdẽ rei; ergo non potuit antequam Deus absolutè decerneret Christũ, sciẽtiâ visionis formalis videre Christũ. Intelligi igitur debet de scientiâ condit. vel ad summũ de sciẽtiâ visionis virtualis: nã sicut architectus nõ ex absolutâ, sed ex conditionatâ scientiâ futuræ domûs ruinæ, firmissima iacit fundamenta: ita Deus sũmus huius Vniuersitatis architectus, non ex absolutâ, sed conditionatâ scientiâ futuræ ruinæ, firmissimum posuit in suâ æternâ præddefinitione huius futuræ ruinæ reparandæ fundamentum Christum. prob. 2. de facto Incarnatio, Redemptio & omnia consequentia, ex peculiari intentione Dei diriguntur ad Christi exaltationem; ergò de facto e[...]atio Christi fuit in diuino decreto motiuum saltem partiale ad prædestinandum Christum redemptorem. nam Deus eundẽ ordinem seruat in executione, quem habuit in intẽtione, cùm executio operis nil aliud sit, quàm efficax applicatio intentionis agentis; ac proinde propter idẽ motiuum illud exequitur, propter quod illud decreuit. Antec. prob. nam 1. ad maiorem Christi aduentûs celebritatem, incarnatus est post multa Prophet. vaticinia, & longam præconũ seriem: *Non enim*, inquit Aug. tr. 31. in Ioa. *aliquid paruũ venturum fuit: diu fuerat prædicendus, semper tenendus: quantò maior Iudex veniebat, tantò præconum longior series præcedebat.* 2. statim in Mundum introductum iubentur Angeli adorare. *Heb. 2.* quod maximè in Natiuitate præstiterunt, qui non modò alijs Angelis in cęlis, sed etiam hominibus in terris, eius gloriam annuntiârunt. 3. peculiari instinctu Deus excitauit tres Reges ad filij sui gloriam promulgandam. 4. Deus crucis mortem, quâ redemptionem Christus consummauit, ordinauit in maiorem ipsius nominis celebritatem. nam propter mortem crucis *datum est illi nomen super omne nomen. ad Philip. 2.* nec non *propter passionem mortis gloriâ & honore*

78. *Christus fundamentũ & ratio nostræ spei.*

Alioqui benedictio in præscientiâ fuisset subsecuta maledictionẽ.

Christus futuræ ruinæ reparandæ fundamentum.

79.

Christi exaltatio, hominum salus, geminũ motiuum.

nore coronatus est IESVS Hebr.2. *Neque enim*, inquit in hunc loc. Oecum. *tantum Deo dignum erat, tamq́; gloriosum fecisse cælũ & terram ac hominem, supernasq́; virtutes, sicut quod propter nos dignatus fuerit crucifigi.* Hilar.3. *de Trin.* ante med. *Clarificat*, inquit, *Pater filium, quomodo tandem? suffigitur cruci. Aug. tract.* 104. *in Ioa. Dicit ergo*, inquit, *Pater venit hora tanquam dicens: Pater, quam propter homines, & apud homines ad me clarificandum simul constituimus, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te.* Quibus verbis vtrumque motiuum indicat, & hominum salutem, & Christi exaltationem.

August.

80. 5. Christus hanc sui nominis claritatem testatur esse finẽ suarũ actionũ Ioa.11. *Vt glorificetur filius Dei per eã*, nempe per Lazari resuscitationem; & illã postulat à Patre vt æterno decreto prædefinitam; *Clarifica me tu Pater, Ioan.* 17. & illam se acceptuũ fatetur à S.Spiritu. *Ioa.* 16. *Ipse me clarificabit.* Cùm igitur videas in executione semper hanc Christi gloriã à Deo intendi, dic, etiã propter illam vt partiale motiuum, motum fuisse Deum ad Incarnationem prædestinandã. Nec dici potest, gloria Christi fuisse tantùm causa impulsiua, sine qua adhuc facta fuisset Incarnatio, non motiua, cùm scripturæ, Patres & Concilia vtramque causam Incarn. pariter assignent, remedium peccati & gloriam Christi & hoc faciat ad maiorem Christi dignitatem, & singularem amorem Dei erga Christum, vt illum non misisset redemptorem hominum, nisi redemptio præuisa fuisset gloriosa Christo; sicut nec è conuerso illum misisset, nisi necessarium fuisset remedium peccati.

Executio operis est applicatio intentionis.

81.

82. Vt si medicus destinasset honestam recreationem præbere amico, quæ apta esset in illo sanitatem conseruare, ille autem potiùs abusurus esset tali recreatione in detrimentum propriæ salutis; & medicus scire posset totum rei euentum, antequam illi talem recreationem actu præberet; haberet filium, quem certò sciret fore, vt tali casu ægrotum amicum in pristinam restitueret salutem, magno cum filij sui honore, posset occasione captã ex tali morbo futuro, procurare eiusmodi honestam recreationem amico, quam aliàs illi procurasset, etiamsi non præuidisset talem occasionem futuram; illam tamen præuisam ordinare voluisse in gloriam filij sui, quam per curationem talis morbi consequi posset. Vbi vides medicum, suppositã scientiã totius euentus futuri, intendere recreationem amico dependenter à filio honorando per curationem morbi; & rursus honore[illegible] filij pendere in genere causæ materialis à morb[illegible]mici præuiso. Altiori igitur ratione potuit Deus condere Adam cum talibus auxilijs, in quibus potuisset, si voluisset, in acceptã sanctitate perseuerare: præuidens tamen scientiã conditionatã, illum malè vsurum talibus auxilijs, quæ aliàs illi daturus fuisset, etiamsi præuisus non fuisset peccaturus, sed alio fine, & cum aliã dependentiã; oblatã sibi huiusmodi occasione, vt peritus Medicus voluit & talem occasionem peccandi in Adamo permittere, & simul gratiam illi dare dependenter à Christo exaltando per hominum redemptionem volitam occasione peccati.

Illustratur exemplo.

83. Deducitur 1. Solutio Cõtrou. priores aucto. intelliguntur de Christo posteriore in genere causæ materialis; posteriores de Christo priore in genere causæ finalis, meritoriæ, & exemplaris.

Solutio controuersiæ.

84. 2. Quo pacto nõ existente peccato Christus non fuisset prædestinatus. nã esto, prædestinatus sit prior Adamo, cæterisq́; creaturis, vt finis & exemplar, est tamen prædestinatus depẽdenter à remedio peccati, vt ab vnico medio. Vnde licet Christus sit prior causalitate finis cęteris creaturis, non est tamẽ prior subsistendi consequentiã: quia ita est prior in vno genere, vt sit posterior & dependẽs in alio: vnde si vel Adam nõ fuisset præuisus peccaturus, vel Deus noluisset permittere illum peccare, Verbũ incarnatũ non fuisset. Cõtrà verò si Verbũ incarnatũ non fuisset, adhuc futurus fuisset Adam cum reliquis creaturis, nõ ex vi præsentis decreti, quo Deus omnia voluit dependenter à gloriã Christi, sed alterius, quo eadem voluisset ob aliam causam, aliaque cum dependentiã; ita S.Tho. 3. *p. qu.* 24. *art.* 4. *ad* 3. *Si Christus non fuisset incarnandus, Deus prædestinasset, hominem saluari aliam per causam.*

Christus nõ prior creaturis subsistendi consequentiã.

85. 3. Si redemptio nostra futura non fuisset gloriosa Christo, prædestinata nõ fuisset vt exequenda per Incarn. nã ex vi præsentis decreti non minus redemptio nostra volita est dependẽter à gloriã Christi, quã Incarn. Christi dependenter à redẽptione nostrã. Ergo sicut si peccatũ non extitisset, Incarn. facta nõ fuisset; ita si redemptio nostra futura non fuisset gloriosa Christo, prædestinata non fuisset Incarn. Neque inferas: ergo Verbum non est incarnatum propter nostram salutem, vt scripturę testantur, sed propter Christi gloriã. Nam vtrumque verum est, vt scripturę docent, & propter nostrã salutem, vt finẽ proximũ; & propter Christi gloriã, vt finem remotũ.

Coroll. 3.

86. *Obijcies* 1. Si Deus prædestinasset Christum vt redemptorem ante præuisum peccatum scientiã visionis formalis, sequeretur Deũ voluisse peccatũ, quia qui vult finẽ necessariò connexum cum medio, necessariò vult mediũ: sed redẽptio est necessariò connexa cũ peccato; ergo qui vult illam, necessariò vult peccatũ. Nego sequel.

87. Ad prob. nego maior. solùm enim sequitur, Deũ volendo finẽ connexum cum medio, præuiso sub cõditione futuro ex vi libertatis creatæ, permissurum, non voliturum peccatum. Ratio: vt *to.*1. *disp.*15. *n.*162. tunc dicitur quis velle, & nõ tantũ permittere peccatum, quando peccatum sequitur ex vi alicuius actionis, aut decreti ipsius; vel certè quando illud præuisum tenetur impedire, & non impedit; sed positã scientiã conditionatã de peccato sub conditione futuro, prędefiniente Deo Christum vt redemptorem, peccatum non sequitur ex vi decreti diuini, aut alicuius actionis à Deo prædefinitæ, sed ex solã voluntate creaturæ; nec Deus tenetur peccatum præuisum impedire: scilicet permittere peccatum, est ex vi libertatis alterius præuisum non impedire, neque ad illud impediendum teneri: Deus autem nullum peccatum præuisum ex vi libertatis creatæ impedire tenetur: velle autem, non est tantùm peccatum ex vi libertatis alterius præuisum non impedire, sed ad illud aliquo modo influere & cooperari: ex eo autem quòd Deus prædefiniat Christum in remedium peccati præuisi scientiã conditionatã, nullo pacto influit in peccatum; neque tale peccatum maiori aliquã necessitate sequitur posito decreto de Christo redemptore, quàm sequeretur posito tantùm decreto de ponendo Adam in ijs circumstantijs, in quibus præuisus est sub conditione peccaturus. vnde sicut posito hoc decreto, tantùm sequitur in Deo necessitas permittendi, non volendi peccatum: ita eadem necessitas permittendi, non volendi peccatum sequitur, posito decreto de Christo redemptore.

Resp.

Inter velle ac permittere peccatum, discrimen.

88. DICES 1. ex vi decreti, quò Deus efficaciter vult Adam in ijs circumstantijs, in quibus præuisus est sub conditione peccaturus, non necessariò Deus intendit peccatum, quia potest ob alium finem, quã peccati, eum in talibus circumstantijs ponere: ex vi autem decreti, quo efficaciter vult Christum in remedium peccati præuisi tantùm scientiã conditionatã, necessariò Deus intendit peccatum; quia non potest ob alium finem velle remedium peccati, quã ad pec-

An quã intentione vult medelam, morbũ velit

ad peccatum destruendum: vnde eâdem intentione, quâ vult medelam, vult etiam morbum vt materiam medelæ. Sed cõtrà: pari modo arguo eos, qui docent. Deum ante absolutam scientiam peccati voluisse Christum ad ostendendam misericordiam erga homines meliori modo, quo ostendi potest: melior autem modus, quo erga homines misericordia ostendi potest, est, vt supposito peccato Christus mitteretur vt Vas & Redemptor hominũ per condignam offensæ satisfactionem: ex vi autem huius decreti, Deus necessariò velle debuit materiam misericordię, quæ sunt peccata. 2. falsum est, Deum prædestinando Christum in remedium peccati, necessariò voluisse peccatum, sed potiùs vt finem voluisse destructionem peccati, vt medium permissionem peccati, quam velle potuit nõ propter peccatum, sed propter alios fines: ac proinde nõ sequitur, eâdem intentione Deum voluisse Christum in remedium peccati, & peccatum: quia Christum voluit propter destructionem peccati; peccatũ non voluit, quia nec illud intendit vt finem, nec prçuisum tenebatur impedire, sed solùm permisit; & permissionem, quę est peccati non impeditio, velle potuit, non propter peccatum, sed propter maiorem Christi gloriam. Dices 2. posito decreto de ponendo Adam sub circumstantijs, sub quibus præuisus est sub conditione peccaturus, adhuc Adam mansit liber ad peccandum, vel non peccandũ: nam id decretum non solùm dicit negationẽ auxilij efficacis, quo actu vitaretur peccatum, sed etiam oblationem auxilij sufficientis, quo vitari posset peccatum. decretum verò, de Christo redemptore solùm dicit medium liberandi Adæ à peccato, quod necessariò inuoluit peccatum, nec eum relinquit liberum ad non peccandum. Confirm. cùm hoc decretum sit antecedens & independens à voluntate Adæ, non potest eo posito vitari peccatum. concedo decretum de Christo redemptore præcisè sumptum dicere tantùm medium liberandi hominem à peccato, adeoque necessariò supponere peccatum, non tamen vi ipsius decreti diuini, sed humani. Nego autem, eo posito, vitari non potuisse peccatum: quia cum decreto de Christo redemptore fuit etiam decretum de dando auxilio sufficienti, quo potuisset homo vitare peccatum. Ad confir. Concedo decretum de Christo redemptore antecessisse peccatum Adæ vt absolutè futurum, non sub conditione futurum, quod sufficit ad non tollendam libertatem peccandi in homine. vti iuxta communem sent. potuit Deus prædefinire actũ contritionis, antequam illum præuidisset absolutè futurum, absque præiudicio libertatis humanæ. nã ad saluandam libertatem in creaturâ sufficit vt Deus præuideat actum liberè sub conditione futurum; & posteà conferat ea principia, ex quibus præuidit eundem liberè sub conditione futurum. Obijcies 2. Deus nõ decernit vel gloriam prædestinatis, vel reprobis damnationẽ, antequam scientiâ visionis formalis eorũ merita aut demerita præuideat; ergo non decreuit Christũ redemptorem, antequam scientiâ visionis formalis præuiderit peccata. Nego consequ. nam gloriam & damnationem decernit Deus vt præmium & pœnam: quæ supponunt meritum & demeritum præmiandi & damnandi, prçuisum sciẽtiâ visionis formalis, vt causas meritorias, quæ non mouent nisi vt præuisa absolutè futura, seu exhibita in honorem, vel iniuriam præmiantis, vel puniẽtis: Christum verò vt redemptorem decreuit Deus dependenter à peccato, solùm vt à conditione sine quâ non; quæ non debet necessariò præuideri vt absolutè futura, sed quocunq; modo, quia non debet meritoriè mouere agẽs. Quo fit, vt neque id, quod mouet per modum finis debeat præuideri scientiâ visionis; quia finis non mouet meritoriè. nempe per aliquod opus exhibitum in honorem, vel iniuriam alterius ad aliquid distinctum per modum præmij, aut pœnæ retribuendum; sed propter bonitatem præconceptam ad existentiam sibi ab agente dandã.

Marginal notes (left column): 89. Resp. 1. — Resp. 2. neg. — 90. An Adam esset liber ad non pecc. — 91. Resp. Peccatum esset necess. vi decreti humani. — 92. Dices à pari. — 93. Resp. discrimen esse. (right column): Finis non mouet meritoriè.

Obijcies 3. In nostrâ sent. Deus in suo decreto intendit exaltationem Christi dependenter à meritis Christi; ergo debuerunt merita Christi præcedere vt absolutè futura Christi exaltationem: at vt merita Christi præcessissent vt absolutè futura, debuissent supponere absolutum decretum de ijs omnibus, quæ ad Christi merita prærequiruntur: cuiusmodi sunt Mater, ex quâ humanam carnem sumere debebat; Crucifixores, à quibus mortem passus est; hæc autem non potuerunt vt absolutè futura Christi exaltationem præcedere, quia hæc vt mediũ proximius ad gloriam Dei fuit priùs decreta, quàm quodcunque aliud medium. Resp. Deum primo signo intendisse exaltationem Christi dependenter à meritis Christi tantùm virtualiter, non formaliter eo modo, quo to. 1. disp. 15. sect. 4. docui, Deum primo signo intendisse gloriam electis tantùm virtualiter in ipsâ præparatione gratię efficacis, non formaliter, nisi post præuisa merita absolutè futura: ita potuit Deus primo signo intendere exaltationẽ Christi tantũ virtualiter in ipsa prædestinatione vnionis hypost. cum naturâ humanâ, formaliter verò post præuisa merita absolutè futura. Cæterũ duplici titulo fuit decreta Christo exaltatio, vno per modũ doni ratione vnionis hypost. Christo debito; & vt sic fuit formaliter eodẽ signo cum vnione hypost. decreta: alio titulo per modum præmij eidem Christo propter ipsius merita debita: atque vt sic fuit tantùm virtualiter in eodem signo cum vnione hypost. decreta. Sed cur inquies, nõ potuit hoc duplici titulo decerni gloria beatis, vt donũ eodẽ signo rationis, quo decreta fuit eis gratia efficax & in eâ merita vt in causâ præuisa; & vt præmium virtualiter tantùm eodem signo volita? Resp. ex scripturis & Patribus habemus, gloriam decretam esse beatis nõ duplici titulo, vt decreta est Christo sui nominis exaltatio, sed tantùm per modum præmij & coronæ, quæ essentialiter supponit merita præmiandi in mẽte præmiantis scientiâ visionis præuisa, vt obsequia re ipsa in honorem præmiantis exhibita, vt to. 1. disp. 15. sect. 4. Obijcies 4. voluntas, quâ Deus decreuit saluare hominem per Incarn. fuit maximum donum supernat. collatum homini: sed hæc non fuit ex meritis Christi; quia merita Christi supponunt decretum de Incarn. ac proinde voluntatẽ saluandi homines: scilicet præuisa vt absolutè futura, supponũt absolutum decretum de Incarn. hoc supponit decretum de salute hominum, sicut electio medij supponit intentionem finis: 2. si hæc voluntas fuisset ex meritis Christi, Christus sibi Incarn. promeruisset, quod falsum est, vt infrà. Resp. ita sit. nam cùm dico nullum donum supernat. collatũ fuisse puræ creaturę independenter à meritis Christi, intelligo de dono distincto à dono Incarn. cùm enim hoc sit primum donum supernat. quod Deus nobis præparauit, non potuit dependenter ab alio dono supernat. cuiusmodi sunt merita Christi, illud nobis præparare. Quo fit, vt ipsa etiam merita Christi gratis nobis à Deo præparata fuerint; cùm nec merita Christi decreta sint dependenter in ratione causæ meritoriæ ab ipso Christo.

Obijcies 5. non potuit prima gratia collata protoparentibus esse ex meritis Christi; 1. quia eo ordine fuit illis gratia absolutè decreta, quo eisdem fuit sub

Marginal notes (right column): 94. — 95. Resp. — Exaltatio Christi duplici titulo decreta. — Rogat. — Resp. — 96. Non omne donum supernat. prædestinatum est ex meritis Christi. — 97. Transeat totum. — 98. Prob. assũp. 1.

ſub conditione oblata: cùm enim ſcientia conditionata ſit proxima regula, qua Deus decernit, quicquid decernit, nõ poteſt alio ordine aliquid decernere, quàm quo illud præuidit ſub conditione decretũ. Sed ſub conditione nõ fuit illis oblata ex meritis Chriſti, ergo nec ex illis abſolutè decreta: ſcilicet ſi præuiſus fuiſſet Adam cum eâ gratiâ, quæ illi fuit ſub conditione oblata, non peccaturus, Chriſtus incarnatus non fuiſſet; ergo talis gratia non fuit illi ſub conditione oblata ex meritis Chriſti, alioquin etiamſi cum illa non fuiſſet præuiſus peccaturus, adhuc Chriſtus incarnatus fuiſſet: quia cùm illa debuiſſet eo ordine abſolutè prædefiniri, quo fuit ſub conditione antecedenter ad præuiſionem peccati oblata, ſi ſub conditione antecedenter ad præuiſionem peccati, fuiſſet ſub conditione decreta ex meritis Chriſti, etiam peccato non ſequente,

99. *Prob. 2.* fuiſſet Chriſtus incarnatus. 2. Gratia, quam de facto Adam habuit, fuit talis, vt ex vi illius, ſi perſeueráſſet, ipſe, non Chriſtus, fuiſſet caput gratię poſterorum; ex pacto: ergo non potuit illâ habere ex meritis Chriſti, quia potuiſſet Adam in eâ gratiâ perſeuerare: cùm enim peccatum ſit poſterius, & non neceſſariò conſequens, potuit in acceptâ gratiâ perſeuerare; ergo ſi illam habuiſſet ex meritis Chriſti, adhuc peccato nõ ſecuto, vi præſentis decreti Chriſtus incarnatus fuiſſet, ex vi gratiæ antecedenter collatæ ex meritis Chriſti.

100. *Prob. 3.* 3. Non poteſt diuerſum decretum in Deo ſaluari, niſi per diuerſam mutationem phyſicam rerum: cùm enim non poſſit Deus liberè velle per mutationem ſui actûs, debet liberè velle per mutationem obiecti: ſi autem Deus dediſſet gratiam Adæ ex meritis Chriſti, fuiſſet diuerſũ decretum ab eo, quo gratiam decreuiſſet independenter à meritis Chriſti, abſque vllâ diuerſâ mutatione phyſicâ rerũ. nam ſiue gratia data ſit Adæ dependenter à meritis Chriſti, ſiue independenter nulla facta fuiſſet phyſica mutatio in gratiâ; cùm tamen aliud decretum ſit gratiam decernere dependenter à meritis Chriſti; aliud, independenter.

101. *Ad 1. prob. Duplex ſcientia conditionatam ſequitur duplex decretum.* Reſp. neg. aſſump. ad 1. prob. neg. minor. ſcilicet duplex eſt decretum cõditionatum in Deo de gratiâ Adæ ſub conditione conferendâ, ac proinde duplex ſcientia conditionata ſequens duplex decretũ; 1. fuit, quid futurum eſſet ſi daretur gratia Adę, nõdum de Chriſto incarnando Deo cogitante: & ſub hoc ordine præuidit ſecuturum peccatum in Adam & poſteris eius. 2. quid futurum eſſet, ſi Chriſtus incarnaretur, & dependenter ab ipſo daretur omnis gratia tam Adæ, quàm poſteris eius; & ſub hoc ordine præuidit ſecuturum perfectum remedium peccati, & Chriſti glóriam: quâ ſcientiâ poſitâ potuit Deus in 2. ſigno rationis abſolutè decernere Chriſtum vt redemptorem & omnem gratiam tam Adæ, quàm poſteris præparare dependenter à meritis Chriſti. Quare licet non anteceſſerit in Deo ſcientia conditionata de gratiâ prædeſtinandâ Adæ dependenter à meritis Chriſti in 1. ordine decreti,

102. *Ad 2.* anteceſſit tamen in ſecundo. Ad 2. neg. conſeq. non enim repugnat, vt de facto Adam habuerit gratiam dependenter à meritis Chriſti, & nihilominùs, ſi in eâ perſeueráſſet, eandem habiturus fuiſſet independenter à Chriſti meritis. Sicut non repugnat, vt de facto Deus habuerit abſolutum decretum de damnatione Iudæ, & ſimul illi gratiam dederit, in quâ ſi perſeueráſſet, habiturus fuiſſet decretum de glorificatione eiuſdem. Et de facto aduerſarij admittunt, Adam antequam peccáſſet, habuiſſe fidem Chriſti venturi, quam tamen non habuiſſet, ſi peccaturus non fuiſſet: ergo ſimiliter potuit habere gratiam dependenter à Chriſto venturo, dependenter à quo illam non habuiſſet, ſi peccaturus non fuiſſet. Ratio: *Ratio.* non repugnat efficax decretum in Deo de re abſolutè futura, & ſimul antecedens poteſtas in creaturâ de oppoſito illius, quod ſi futurum fuiſſet, aliud decretum in Deo antecedenter factũ fuiſſet. 103. *Ad 3.*

Ad 3. neg. minor: nam gratia data dependenter à meritis Chriſti, dicit realem dependentiam à meritis Chriſti, ſeu ſuum eſſe in genere cauſæ meritoriæ dependens à meritis Chriſti, quibus non exiſtentibus, nec gratia exiſteret vi præſentis decreti. Vnde eadẽ mutatio, quæ concipitur facta in meritis Chriſti, concipitur etiam facta in gratiâ decretâ dependenter à meritis Chriſti: ita ſemper ſaluatur realis mutatio in obiecto, quoties propter vnum finem res à Deo *Propter vnum vel alium finem mutatio in obiecto.* decernitur vel producitur: acquirit realem dependentiam ab eo, quo non exiſtente, res non exiſteret; quæ dependentiæ connotatio in re decretâ & productâ ſufficit ad realem mutationem obiecti, ac proinde ad nouum decretum in Deo diſtinguendũ.

Obijcies 6. Non potuit Deus velle Chriſtum vt 104. redemptorem niſi prius vellet Adam ſub ijs circũſtantijs, ſub quibus præuidit illum ſub conditione peccaturum: quia Chriſtus vt redemptor eſt volitus dependenter à peccato Adæ; & id dependẽter à quo aliquid decernitur, eſt prius volitum eo, quod decernitur. ergo non potuit velle gratiam Adæ depẽdenter à meritis Chriſti: nam poſitio Adę ſub ijs circumſtantijs, ſub quibus præuiſus erat ſub conditione peccaturus, neceſſariò inuoluebat decretum de dandâ gratiâ, quâ Adam potuiſſet vitare peccatum: ergo ſi Adam fuit conſtitutus ſub ijs circumſtantijs, priùs quàm fuerit prædeſtinatus Chriſtus, non potuit gratia collata Adæ decerni dependenter à meritis Chriſti. 105. *Reſp. 1.*

Reſp. 1. neg. antec. Ad prob. dico, Chriſtum fuiſſe volitũ dependenter à peccato Adæ prçuiſo tantũ ſub conditione futuro. Vnde vt Deus velle potuerit Chriſtum vt redemptorem, neceſſarium non fuit, prius velle Adam ſub ijs circumſtantijs, ſed ſat fuerit, præuidiſſe illius peccatum ſub cõditione tantùm futurum, dependenter à quo potuit velle Chriſtum vt redemptorem. nam tantùm ſequitur; Deum anticipáſſe remedium ruinæ mox permittendæ in poſteriori ſigno rationis in decreto de ponendo Adam ſub circumſtantijs, ſub quibus præuiſus fuerat ſub conditione peccaturus: vt *Cyrillus ſuprà* 2. Conc. Deum non potuiſſe velle Chri- 106. *Reſp. 2. diſt. antec.*

ſtum vt redemptorem, niſi prius prioritate cauſalitatis materialis vellet Adam ſub circumſtantijs, ſub quibus prçuiderat illum ſub conditione peccaturũ: nego, non potuiſſe eum velle, niſi prius prioritate rationis vellet Adam ſub ijs circumſtantijs: eodem quippe rationis ſigno Deus voluit Chriſtum redẽptorem, & Adam ſub ijs circumſtantijs, cum mutuâ dependentiâ ad inuicem, ita vt non liceat, vnum ab aliâ ratione præſcindere, ſed vterque ſimul eodem rationis ſigno cum mutuâ cauſalitate concipiendus *Mutuâ prioritas irrefragabilis.* eſt, Chriſtus prior vt redẽptor, Adam prior vt materia circa quam. Neque hinc licet inferre, non potuiſſe Deum decernere gratiam Adæ dependenter à meritis Chriſti. Nam ex eo, quòd Deus prædeſtinauit Chriſtum vt Redemptorem dependenter eodem ſigno rationis ab Adam præuiſo ſub conditione peccaturo, non tollitur, quin ſimul velle potuerit Adam dependẽter eodem ſigno rationis à Chriſto vt redemptore. *à Diuinis.* Sicut ex eo quòd Pater æternus eodem ſigno ęternitatis & rationis habet filium à ſe productum & poſteriorem origine, non tollitur, quin Filius eodem ſigno æternitatis & rationis ſit non modò ſimul cum Patre, ſed etiam prior in ratione obiecti ſpecificantis notitiam Patris, à quâ filius procedit. DICES Implicat, Chriſtum eſſe cau- 107.

ſam

sam meritoriam gratiæ Adæ, & simul prædestinatum dependenter à peccato ipsius: sicut implicat, Christum esse causam meritoriam gratiæ antiquorum Patrum, & simul prædestinatum dependenter à meritis ipsorum: quia causa meritoria debet quoad existentiam & absolutam sui futuritionem in diuinâ scientiâ præcedere id, cuius est meritoria causa: ergo nequit rursus ab illo existentiam & absolutam futuritionem accipere. Disting. antec. implicat, Christum esse causam meritoriam gratiæ Adæ, & simul esse prædestinatum dependenter à peccato eiusdem sub conditione futuro, nego; absolutè futuro, concedo. Vnde non sequitur, Christum hoc modo prædestinatum non præcessisse in diuinâ scientiâ secundùm existentiam & absolutam sui futuritionem absolutam futuritionem gratiæ Adæ & peccati ipsius; nec est par ratio de meritis antiquorum Patrum: nam debuisset Christus existentiâ & absolutâ futuritione sui præcedere merita antiquorum Patrum, quatenus fuisset meritoria causa illorum, & simul non præcedere, quatenus existentiam & absolutam futuritionem sui accepissent dependenter ab illorum meritis; cùm merita non causent, nisi præuisa vt absolutè futura; & consequenter idem Christus debuisset præuideri vt absolutè futurus, & non vt absolutè futurus. Peccatum autem, quia non mouit Deum ad prædestinandum Christum, nisi vt pura conditio & occasio, non fuit necesse illud præuideri vt absolutè futurum.

108. *Resp.*

Causa meritoria non mouet nisi absolutè futura.

109. *Instas.* Instabis. Christus est volitus vt redemptor Adæ: ergo non potuit esse volitus in eodem signo rationis cum illo: quia vt redemptor debuit præuideri cum meritis absolutè futuris, ex quorum præuisione debuit moueri Deus ad volendum Adam cum gratiâ sub circumstantijs, sub quibus præuiderat illum sub conditione peccaturum: sed præuisio Christi vt absolutè futuri supponitur ad decretum de ponendo Adamo sub talibus circumstantijs, cùm sit proxima regula illius: ergo non potuit Christus vt redemptor esse volitus in eodem signo rationis cum Adam.

110. *Resp.* Resp. non potuit esse volitus in eodem signo rationis cum Adam virtualiter, nego; formaliter, concedo. nam hoc ipso, quòd Deus voluit Christum vt redemptorem, virtualiter eodem signo voluit Adam sub circumstantijs, sub quibus præuiderat illum sub conditione peccaturum, formaliter eundem voliturus posteriori signo rationis, post præuisa Christi merita absolutè futura. Eo modo, quo 1. *tom. disp.* 15. *sect.* 4. docui, Deum eodem signo rationis voluisse prædestinatis gratiam efficacem formaliter, & simul gloriam virtualiter, voliturus eisdem gloriam formaliter in posteriori signo rationis, post præuisa eorum merita absolutè futura.

Soluuntur argumenta primæ & 3. sent.

111. *Ad primum primæ.* AD 1. neg. antec. scilicet Christum æterno decreto Dei fuisse prædestinatum independenter ab omni creaturâ: nam licet fuerit prædestinatus finis & caput omnium prædestinatorum, ac proinde prior in genere causæ finalis, exemplaris & meritoriæ, tamen prædestinatus est dependenter à remedio peccati vt à medio, sine quo non fuisset prædestinatus homo. Vnde ad 1. prob. *Alen.* neg. conseq. nam potuit Incarnatio prædestinari dependenter à peccato Adæ, & nihilominus reuelari angelis, sicut reuelata fuit ipsi Adæ ante ipsius peccatum. Ratio: potest, quod est in intentione posterius, & ab alio dependens esse in executione prius, vt gratia collata antiquis Patribus fuit posterior in intentione diuinâ, quia præfinita fuit dependenter à meritis Christi; & tamen in executione fuit prior incarnatione & meritis Christi, dependenter à quibus fuit decreta: potuit igitur Incarnatio esse dependens à peccato, & nihilominus in executione reuelari ante peccatum. quia nō tenetur agens in executione seruare ordinem durationis, sed tantum causalitatis, quam in intentione habuit; potest autem posterius duratione esse causa prioris in executione, non physica, sed moralis: quę, quia suam causalitatem non exercet vt existens realiter in se, sed vt existens intentionaliter in mente operantis, mouendo suâ bonitate, voluntatem agentis ad aliquid decernendum, potest in præscientiâ operantis causalitate præcedere, & nihilominus in reipsâ duratione subsequi id, cuius fuit causa; sic causa finalis est duratione posterior medio cuius fuit causa in intentione. Causa autem physica, quia suam causalitatē in effectu exercet, vt in se realiter existens, non potest posterior duratione causare effectum duratione priorem, alioquin causaret, quando non existeret. Ad illud quod dicitur, quòd reuelatur, non potest non esse; peccatum verò, à quo reuelatum pendet, potest non esse; disting. minor. potest peccatum non esse potestate antecedente, concedo; potestate consequente, nego; & quia reuelatum non fundatur in potestate anteceden. sed in necessitate consequ. ideò quod reuelatur dependenter à peccato, non esse, sicut nec potest non esse ipsum peccatum potestate consequ. nam ex suppositione, quod est futurum, non potest non esse futurum.

Ad prob. Alen.

Ratio.

112. *Conced. simpliciter maior.*

113. *Ad 2. Scot.* Ad 2. *Scoti*, disting. maior. Qui ordinatè vult, prius vult quæ sunt propinquiora fini, perfectione & nobilitate, nego: quæ sunt propinquiora fini, causalitate & intentione agentis, concedo; & quia potest liberum agens ordinare nobiliora media ad ignobiliorem finem, potuit Deus Incarnationem vt nobilissimum medium ordinare ad remedium peccati, vt ad finem ignobiliorem; ideò potuit prius velle remedium peccati, vt finem à se proximiùs intentum, quàm Incarnationem vt medium, licet vtrumque vltimatè propter sui & Christi gloriam. Alioquin argu. *Scoti* probaret, quòd nec de potentiâ absolutâ posset Deus velle Incarn. remedium peccati, propter proximum finem; quia nec de potentiâ absolutâ potest Deus inordinatè velle.

Potest Deus ordinare nobilius medium ad finem ignobiliorem.

114. *Et per Scot. ordinauit.* Confirmo etiam in sent. *Scoti*, Christus saltem in carne passibili fuit à Deo ordinatus, vt medium ad redemptionem humanam; ergo Deus ordinauit medium nobilius ad finem ignobiliorem, cùm nobilior sit Incarnatio Christi, etiam in carne passibili, quàm humana redemptio.

115. *Ad Confir.* Ad confirm. disting. maior: Id prius mouet, quod magis mouet, scilicet quod de se est perfectius, & fini perfectione propinquius, falsa est: quod est magis cum fine ab agente præintento connexum, vera est. Cùm enim media non moueant nisi propter finem; & finis non moueat, nisi prout intenditur ab agente, ea media magis ac priùs mouent, quæ fini, non secundùm se, sed vt ab agente intento, sunt propinquiora. Cæterùm non Incarnatio, sed remedium peccati, fuit fini à Deo intento propinquius medium; quia finis Dei fuit manifestare suam misericordiam & iustitiam, ad quem finem propinquius medium est remedium peccati.

116. *Ad tertiū.* Ad 3. neganda simpliciter sequela: nam licet Incarnatio sit dilecta vt medium ad nostram redēptionem, vtraque tamen est dilecta propter Christi exaltationem. Vnde concedo, quando medium amatur vt purum medium, minùs amari quàm finem, propter quem amatur; nego, quando nō amatur vt

Magis amauit Incarn. quàm redempt. tur vt purum medium, sed simul vt finis; & quidem perfectiùs, quàm ametur finis ipse, ad quem proximiùs ordinatur. Quia igitur Incarnatio includit Christum, cuius gloria fuit magis à Deo amata, ad quam non solùm ordinauit Incarnationem, sed etiã Redemptionem, quæ fuit finis propinquior Incarnationi, ideo simpliciter magis amauit Incarnationẽ, quia prout includit Christum exaltandum, non tãtùm amauit vt medium ad redemptionem, sed etiã vt finem redemptionis.
117. *Ad 4.* Ad 4. cùm peccatum, quod præcessit Christi prædestinationem, non fuerit absolutè, sed conditionatè futurum, futurum tantùm absolutum virtualiter in decreto de ponẽdo Adam sub ijs circumstãtijs, sub quibus præuisus fuerat sub conditione peccaturus; nec solùm Christi, sed etiam aliorum hominum prædestinationem præcesserint peccata omnium sub conditione futura, nullum erit absurdum hoc sensu, etiam aliorum hominum prædestinationem factam esse post præuisionem peccatorum; etsi peculiari iure Christi prędestinatio non solùm dicitur facta pòst, sed etiã dependenter à peccato: quia Christi prædestinatio facta est propter remedium peccati, propter quod facta non est aliorum prædestinatio. *Prædestinatio hominũ facta post præuisa peccata.*
118. *Etiam absolutè in meã sent.* Cæterùm reliquorum hominum prædestinatio ad gloriam facta est non solùm post præuisa eorum peccata sub conditione, sed etiam vt absolutè futura: nullus enim purus homo adultus prædestinatus est ad gloriam, nisi dependenter non modò à Christi, sed etiam ab ipsius meritis absolutè futuris; multa autem merita hominis supponunt peccata eiusdem, vel alterius hominis, aut vt materiam circa quam, vt sunt actus pœnitentiæ, qui versantur circa peccata commissa; aut vt occasionem, ex quã prædestinati causam sumunt maioris feruoris.
119. *Ad 5.* Ad 5. nego, voluntatem, quã Deus redimere voluit hominem à peccato, fuisse ex meritis Christi, sed ex mero beneplacito Dei, antecedenter ad omne meritum etiam Christi: quia cùm illa fuerit prima voluntas, quã voluit Christum, nõ potuit esse ex meritis ipsius Christi; cùm autem dicitur Christus fuisse radix totius humanę salutis, intelligitur de radice reliquorum donorum ab ipso distinctorum.
120. *Ad 6.* Ad 6. Nego, Christũ oportuisse gaudere de lapsu Adæ, sed potiùs de misericordiã & liberalitate Dei, qui alterius lapsum in tantum sui bonum conuertit. Falsum est, non posse nos gaudere de cõsequenti, quin gaudeamus de antecedenti, ex quo occasionatum est consequens: possumus enim gaudere de effectu, & abstrahere à causâ, vti possumus gaudere de morte hostis, nõ quã ipsi mala, sed quã nobis bona est.
121. *Ad confir.* Ad confirm. neg. sequela: nam etiamsi Christus non fuisset prædestinatus homo, peccato non intercedente, non tamen dici potest imperfectiùs prædestinatus Adamo: quia Adam de facto prædestinatus est dependenter à meritis Christi, non contrà: & Christus prædestinatus est vt hominum Redemptor, quo pacto non est prædestinatus Adam: vnde fuisse Christum prædestinatum ex occasione peccati, redundat in maiorem Christi gloriam.
122. *Ad 7.* Ad 7. Quod non est verisimile *Scoto*, vt tantum bonum prædestinatum sit occasione peccati: verosimile fuit tot Patribus id expressè asserentibus: neque nouum est, Deo ex occasione mali bonum aliquod elicere, qui vt *August. ca. 27. in Enchirid. melius iudicauit Deus de malis benefacere, quàm mala nulla esse permittere.* Quo pacto occasione peccati Pharaonis multa patrauit miracula. Et in sent. *Scoti*, ex occasione peccati Deus prædestinauit Christum, vt redemptorem hominũ in carne passibili, quem alioquin nõ prædestinâsset vt redemptorem. Nego minùs amari, quę ita amantur propter aliud, vt etiam amentur propter se, vti amatur Christi Incarnatio, quæ ita amatur propter remedium peccati, vt etiam ametur propter se, & Christi exaltationem.
Ad 8. Conced. maior de beatitudine essentiali, nec non de accidentali, quę ex animã redundat in corpus; negãdã de beatit. accidẽtali, quæ in corporeã visione humanitatis Christi consistit; nam hęc, etsi faciat ad accidentalem oculi corporei beatitudinem, tamen neque essentialem integrat, cuius obiectum est solus Deus; neque accidentalem ab essentiali redundantẽ minuit. 123. *Ad 8.*
Ad 9. Neg. conseq. nã licet Incarn. sit maius bonum, quàm Vniuersũ: est tamen perfectio libera, quæ vt Deũ non necessitauit ad eam simpliciter volendam, ita potuit propter quemcunque finem illã velle. Neque vllum est absurdum, Incarn. non existente, futurum non fuisse Vniuersum ita perfectũ, vt de facto est, cùm hoc pendeat ex liberã voluntate Dei. 124. *Ad 9.*
Ad 10. Antec. est verum, quando malũ, quod permittitur, est priuatio eiusdem boni, quod intenditur; nam tunc intentio boni præcedit permissionẽ mali: falsum, quando malum permissum nõ est priuatio eiusdem, sed diuersi boni, quod intenditur. In casu proposito, malum permissum fuit priuatio iustitiæ orig. in Adam, & posteris eius: bonum à Deo intentum fuit Christi Incarn. Licet igitur permitti non potuerit priuatio iustitiæ orig. quin priùs fuerit intenta, saltem sub conditione, iustitia orig. non tamẽ necessariò debuit prius intendi Christi Incarn. quàm permitti peccatum: quia peccatum permissũ non fuit priuatio Incarn. sed iustitiæ orig. 125. *Ad 10.*

SECTIO II.

An saltem, ex vi alterius decreti, peccato non intercedente, Verbum incarnatum fuisset?

MVlti ex Recent. hanc quæst. inutilem putant; quia eius notitia nihil confert ad cognoscẽdum mysterium Incarn. prout de facto decretum est; & nihil certi de eã statui potest, cùm nullum sit fundam. quid facturus fuisset Deus, si aliud de rerũ creatione, & Vniuersi ordine decretum habuisset: nam eatenus de diuinis decretis coniectare est quatenus ea per effectus nobis innotescunt. 126. *An inutilis quæst.*
Nota tamẽ, hîc non quæri, quid quãuis rerum hypothesi, peccato non intercedente, Deus facere posset, sed quid esset facturus. Illud enim cùm sit obiectum omnipotentiæ diuinæ, non implicans, nec cadit in controu. hoc cùm sit obiectum voluntatis eiusdem liberè ad extra operantis, meritò controuert. 127. *Controuersia intelligentia.*
Sensus nõ est; an ex vi alterius decreti, nobis ignoti, nullã connexionem habentis cum decreto præsenti, affirmare possimus, peccato non interueniente, Verbum fuisse, vel non fuisse incarnandum; sic enim esset de re incertã absque fundamento diuinare. Sed, an vi præsentis decreti colligere possimus; quòd neque alio distincto decreto ab isto, peccato non intercedente, Deus incarnandus fuisset. Quare idem est, an vi alterius decreti, ac an alio decreto ab hoc totaliter distincto, quod tamen ex hoc decreto colligi possit, peccato non existente, Verbum incarnatum fuisset. *Sensus est.*
In sentent. aduers. peccato non intercedente, venturus fuisset alio decreto, partialiter saltem distincto, quoad circumstantiam Incarn. in carne impassibili, à peccati remedio independente; quod nunc est de Incarn. in carne passibili, dependente à remedio peccati, vt à proximo & adæquato motiuo passibilitatis. *An venturum fuisset Verbũ alio decreto totaliter distincto.*

Dico,

128. *Conclusio iuxta praiacta principia.* DICO, Verbum neque vi alterius decreti ab hoc totaliter distincti incarnandum fuisse, peccato non intercedente. Fundam. Christus prædestinatus est dependenter à peccato præuiso tantùm scientiâ conditionatâ: quâ positâ Deus vnico decreto voluit hæc omnia cum mutuâ connexione & dependentiâ ad inuicem; Christum dependenter à remedio peccati, remedium peccati dependenter à Christi gloriâ, gratiam, gloriam, totamque prædestinationem, tam hominum, quàm angelorum, dependenter in genere causæ meritoriæ, finalis, & exemplaris à Christo: sequitur, si, peccato scientiâ conditionatâ non præuiso, adhuc venturus fuisset Christus, venturum non fuisse vi huius decreti, seu hoc decreto, quod de facto Deus habuit, sed alio totaliter distincto: nam vi huius ita sunt omnia hæc connexè volita, vt vno deficiente, tota obiectiua connexio defecisset, ac proinde totum decretum ad talem connexionem cum mutuâ dependentiâ omnium terminatum: nam quando vel media sunt volita dependenter ab vnico fine, vel finis ab vnico medio, vtrouis deficiente, deficit totum obiectum, quod per modum vnius indiuisibiliter terminat actum voluntatis: cùm nec manere possit finis terminans intentionem, deficiente vnico medio, dependenter à quo est intentus; nec medium terminans electionem, deficiente vnico fine, propter quem est electum. Deficiente autem toto obiecto, necesse est totum decretum circa tale obiectum cessare. Confirm. potuisset Verbum, peccato non

129. *Dupliciter potuisset incarnari, peccato non præuiso.* interueniente, incarnari, 1. eo nullo modo sub conditione præuiso, scilicet, quia sub nullis circumstantijs positus Adam visus fuisset peccaturus. quod moraliter est impossibile: 2. peccato sub conditione quidem præuiso, non tamen permisso, at neutro casu Verbum incarnatum fuisset eodem decreto, quo de facto, peccato præuiso & permisso, incarnatum est: cùm neutro casu formale motiuum Incarn. fuisset remedium peccati, dependenter à quo ex nostris principijs de facto incarnatum est. Mutato autem formali motiuo Incarn. mutatur decretum circa illam, cùm nequeat decretum in obiectum ferri, nisi propter motiuum formale.

130. *Dices.* DICES: etsi Adam non peccâsset, adhuc tam ipse, quàm plerique eius posteri fuissent ad gratiam & gloriam prædestinati: ergo mansisset obiectum præsentis decreti, quod est prædestinatio hominum ad gratiam & gloriam; & manente eodem obiecto, manet idem decretum.

131. *Resp. Variato obiecto formali variatur decretum.* Distinguo conseq. mansisset idem obiectum materiale præsentis decreti, transeat: mansisset idem obiectum formale, nego. Vt autem maneat idem decretum, necesse est, vt maneat idem obiectum formale: quia decretum non terminatur ad obiectum materiale, nisi propter formale; vnde alius

Ex. gr. virtutis actus est, qui terminatur ad ieiunium, propter honestatem ieiunij, & qui terminatur ad ieiunium, propter Deum. At, si Adam non peccâsset, necessariò mutatum fuisset motiuum formale huius præsentis decreti, seu Incarnationis, quod de facto fuit remedium peccati; quo non interueniente, cessâsset: 2. variatum fuisset motiuum formale hominum prædestinationis, cuius de facto fuit Christi exaltatio: casu autem, quo Adamo non peccante, Verbum incarnatum fuisset, motiuum nostræ prædestinationis non fuisset Christi, sed potius Adæ exaltatio: nam in eius gloriam cessisset tunc hominum prædestinatio, dependenter à cuius meritis saltem in radice iustitiæ orig. illa fuisset facta: vti ex demeritis eiusdem reprobati sumus à gratiâ & gloriâ: cùm non sit maior ratio, cur potius suo demerito fuerit nobis causa reprobationis, & suo merito non futurus fuisset causa nostræ prædestinationis; vt exigit æqua conditio pacti. Ex his patet ad Recentiores.

At qualis, quantúsue futurus fuisset prædestinatorum numerus, si, Adamo non peccante, Christus incarnatus non fuisset? Respondet *Scotus in report. in 1. dist. 41. §. Dico,* futuros fuisse eosdem numero electos, qui futuri sunt nunc. Fundam. homines prædestinati sunt ante præuisum peccatum, ac proinde peccato adhuc non Interueniente, futuri fuissent ijdem electi. SED contrà: aliqui sunt prædestinati nunc, qui non fuissent prædestinati tunc, vt sunt multi ex illegitimo toro nati, qui in statu integræ naturæ nati non fuissent; & contrà, aliqui prædestinati fuissent tunc, qui nunc prædestinati non sunt, vt multi, qui orti fuissent ex illis, qui partim diluuio, partim violentâ morte perierunt. Ad fundam. *Scot.* Esto homines prædestinati sint ante peccatum præuisum scientiâ absolutâ, haud tamen prædestinati sunt ante præuisum scientiâ conditionatâ, quod sufficit ad variandum, si non ipsum numerum, saltem qualitatem electorum. Resp. *Rupertus lib. 13. de gloriâ Filij Dei fine,* Adamo non peccante, & Christo nihilominus incarnato, omnes & solos electos, qui nunc sunt, nascituros fuisse.

132. *Annexa quæstio curiosa.*

133. *Contrà Scotum.*

134. *Respondet Rupertus Abbas.*

SED contrà: aliqui sunt nunc prædestinati, qui non fuissent tunc; & contrà aliqui prædestinati fuissent tunc, qui prædestinati non sunt nunc: 2. difficile est creditu, nullum tunc futurum fuisse reprobum: cùm peccare potuissent, vt primi parentes: non enim posteri per iustitiam origin. redditi fuissent magis impeccabiles, quàm primi parentes: nec est vlla promissio à Deo facta, vt, Adamo non peccante, omnes in acceptâ iustitiâ fuissent confirmandi. Respondet August. *lib. 14. de ciuit. cap. 23.* futurum quidem eo statu eundem numerum electorum, qui futurus est nunc; an autem ex ijsdem indiuiduis constantem, non explicat: *Illud potius est credendum, quod Sanctorum numerus, quantus complendæ illi sufficit beatissimæ ciuitati, tantus existeret, etsi nemo peccâsset, quantus nunc per Dei gratiam de multitudine colligitur peccatorum, quousque filij huius sæculi generant & generantur.* Dicendum, numerum prædestinatorum hominum futurum quidem fuisse eundem tunc, qui futurus est nunc, non tamen ex eisdem indiuiduis constantem. Primum constat ratione *August.* dictâ, quia numerus electorum, qui ad complendam illam beatam ciuitatem sufficiens est, in omni statu fuisse firmum ac stabilem: Secundum clarum est 1. exemplis allatis: vnde colligere licet multò citiùs in eo statu complendum fuisse numerum prædestinatorum: 2. quia paucissimi eo statu peccâssent, ob maiora præsidia naturæ & gratiæ; & ob minora impedimenta occasionesque peccandi: 3. quia homines eo statu immortales diutiùs vixissent, ac proinde plures generâssent filios, nullusque fuisset violentâ morte ex hâc vitâ subreptus.

135. *Sed contrà.*

136. *Sapienter August.*

137. *Conclusio.*

Sed, an hoc Vniuersum non solùm quoad esse supernaturale, sed etiam quoad esse naturale conditum sit propter Christum, vt propter finem? Ratio negandi, prima est auth. *August. epist. 90. & 105.* docentis, *Christum non esse mortuum pro hominibus, vt conderentur, sed pro impijs, vt iustificarentur.* Secunda, *Genes. 1.* hic mundus quoad esse naturale conditus est propter hominem: 3. etsi Christus non venisset, Adamo non peccante, adhuc hic mundus conditus fuisset: igitur motiuum Dei hunc mundum condendi, non fuit gloria Christi: alioqui si Christus non venisset, cessâsset hic finis, & consequenter

138. *An Vniuersum hoc quoad naturale conditum sit propter Christum?*

medium, quod dependenter ab hoc fine decretum est. Dico, hoc Vniuersum etiam quoad esse naturale de facto conditum esse propter Christum, vt propter finem, in cuius gloriam & honorem omnes creaturæ cedunt: ita *Molin. 1. p. q. 23. art. 4. & 5. disp. 1. memb. 7. fine*, & quidam Recent. ex Paulo *ad Hebr. 2. Decebat enim eum propter quem omnia*: Vbi finalem causam rerum omnium assignat Christum, vt hominem, quia loquitur de Christo vt authore & consummatore salutis per mortem & passionem.

139. *Conclusio.*

Ex Apost.

140. *Anselm.* Ita *Anselm. in 2. cap. ad Hebr. cit.* de Christo: *Propter quem glorificandum sunt omnia, & propter cuius summum esse, habent omnia inferius esse*: *Rupertus.* Rupertus *loco cit. Quæ causa est, propter quam Deus omnia creauit, nisi iste Filius hominis?* *Ratio.* Ratio: hoc exigebat ardentissimus amor Patris erga Vnigenitum, vt posito quòd volebat illum ad nos mittere, mitteret eum omni prærogatiuâ dignitatis; atque adeò cum hac, vt omnes creaturæ agnoscerent illum vt finem huius Vniuersi, non solùm quoad esse supernaturale, sed etiam quoad esse naturale.

141. *Ad rationes dubitandi.* Ad 1. rationem neg. Respond. Augustinum loqui de causâ meritoriâ, quo pacto Christus non meruit nobis dona naturalia, nisi quatenus conducunt & ordinantur ad supernaturalia; non de causâ finali, de quâ tantùm est assertio. Fuit igitur Christus causa finalis, non meritoria huius Vniuersi.

142. Ad 2. non repugnat, vt hoc Vniuersum sit conditum propter hominem, vt propter finem proximum, & simul propter Christum vt propter finem remotum, vt *sect. 1.* dixi, voluisse Deum Incarnationem, & propter redemptionem hominum vt propter finem proximum, & simul propter gloriam Christi vt propter finem remotum.

143. Ad 3. dist. antec. fuisset conditus eodem motiuo, quo conditus est vi præsentis decreti, nego; diuerso, concedo: nam vi præsentis decreti conditus est ex motiuo exaltationis Christi: Adamo non peccante, conditus fuisset propter solam gloriam hominis, vt propter finem proximum.

144. Dices: Quando electio medij pendet à duplici intentione & fine totali, quàlibet intentione & fine cessante, non cessat eadem medij electio: sicut quando effectus pendet à duplici causâ totali, quàlibet cessante, non cessat effectus; sed hæc numero electio mundi decreta est à Deo dependenter à duplici intentione & fine totali, nempe à puro homine, & Christo: ergo etiamsi Christus non fuisset incarnatus, adhuc ista numero electio mundi in Deo non cessasset, quia adhuc habuisset sufficiens motiuum & causam finalem sui esse.

145. *Resp.* Nego minor. præsens electio mundi ita decreta est dependenter ab homine vt à proximo fine, vt nisi futura fuisset gloriosa Christo, non fuisset vi præsentis decreti volita: proinde Christo non incarnato, non potuisset hæc numero electio mundi in diuino decreto permanere: pendet enim à mundo & homine, vt à medio glorioso ipsi Christo.

146. *Confirm.* Confirm. licet redemptio humana sit proximus finis electionis Incarn. quia tamen hæc & illa electa est dependenter ab exaltatione Christi, cessante gloriâ Christi, cessaret electio Incarn. & intentio redemptionis. Ita licet proximus finis electionis mundi sit homo, quia tamen mundus & homo vi præsentis decreti volitus est dependenter à gloriâ Christi, hâc cessante, cessaret vi præsentis decreti hæc mundi electio. Sed si Christus non venisset, cessasset gloria Christi: ergo cessasset etiam electio mundi vi præsentis decreti volita: *Dependet creatio mundi à Christi Incarn.* sicut etiam vult Deus omnia opera creata propter suos proximos ac peculiares fines, dependenter tamen à seipso vt ab vltimo fine, cui si non essent honorifica, non essent à Deo volita. Et sanè quæ gloria redundaret in Christum, si adhuc Christo non incarnato, vi præsentis decreti conditus fuisset mundus? nam hoc modo nullam dependentiam vi præsentis decreti haberet creatio mundi à Christi incarnatione: Vt igitur aliquam habeat quoad esse naturale, debuit ita eligi, vt electa non fuisset, si Christus incarnatus non fuisset. Nam hoc modo saltem vi præsentis decreti omnes creaturę agnoscere debent dependentiam in suo esse naturali à Christo, vt à fine propter quem, & sine quo vi præsentis decreti conditæ non fuissent: quæ est magna gloria, non neganda Christo.

An futuro tantùm originali fine actualibus in posteris, vel tantùm actualibus fine originali, Verbum fuisset incarnatum?

Prima sentent. *Vasq. disp. 13. cap. 2.* affirmantis, solo originali in posteros trâsfuso, nullo actuali existente, Verbum fuisse incarnandum vi præsentis decreti: contrà verò, actualibus fine originali in posteris futuris, incarnandum non fuisse. Fundam. partis 1. primaria intentio Dei vi præsentis decreti fuit, per incarnat. remedium afferre peccato origin. secundaria ordine rationis fuit, remedium afferre etiam actualibus: at prius non variatur variatione posterioris; ergo si prius ratione prædestinatus fuit Christus, quàm prævisa fuerint peccata actualia in posteris; etiamsi hæc non fuissent, adhuc mansisset primum decretum prædestinandi Christum. Hoc est: peccata actualia præuisa fuère post decretum de distribuendâ gratiâ singulis posteris, quia hæc necessaria fuit ad euitanda peccata: sed talis gratia decreta fuit in posteris ex meritis Christi; ergo non potuit primaria intentio prædestinandi Christum, fieri dependenter à peccatis actualibus, quia hæc præsupponebant gratiam decretam per Christum. Probat partem 2. sublatâ primariâ causâ prædestinationis, tollitur prædestinatio; sed primaria causa prædest. Christi fuit remedium peccati orig. ergo eo sublato, tollitur Christi prędestinatio. 2. sublato orig. non fuissent eadem actualia, quæ de facto fuerunt; ergo non potuisset esse eadem prædestinatio, quia mutaretur causa & occasio prædestinationis, quâ mutatâ, mutaretur prædestinatio. 147. *1. Sentent.* *Fundam. primæ Par.* *Fundam. secunda.*

Secunda *Suarez. disp. 5. sect. 6.* asserentis 1. solo originali, & nullo actuali in posteris futuro, Verbum fuisse incarnandum vi præsentis decreti: quia hoc fuit primum motiuum prædestinandi Christum vt redemptorem, quæ voluntas in Deo ratione antecessit permissionem aliorum peccatorum, quæ potuissent non permitti, inuariatâ primâ voluntate. 2. Sublato orig. futuris tantùm actualibus, Verbum non fuisse incarnandum in carne passibili vi præsentis decreti; quia præsens decretum redimendi nos ab actualibus pendet à decreto redimendi nos ab originali; quia sicut actualia posterorum pendent ab orig. vt à radice, ita voluntas redimendi nos ab actualibus supponit voluntatem redimendi nos ab orig. 3. Si, sublato origin. maior pars hominum in peccatum prolapsura fuisset, probabile esse, venturum fuisse Christum in carne passibili ad nos redimendos vi alterius decreti, quia moraliter fuisset necessitas, quæ nunc fuit: non autem si minor pars peccatura fuisset, quia tunc adhiberi illis potuisset remedium fundatum in satisfactione Christi, proueniente ex amore, non ex dolore aliquo. 148. *2. Sentent. asserit tria Fundam.*

Tertia aliquorum Thomist. affirmantium, si, sublato origin. futura fuissent actualia tantùm 149. *3. Sentent.*

tùm in reprobis,nullo modo venturum fuisse Christum;quia frustra venisset; nullum remedium reipsâ allaturus; venturum autem, si futura fuissent in prædestinatis, quia Christus de facto ita venit pro omnibus,vt venturus fuisset pro singulis, ex
Ad Gal.2. Paulo: *Dilexit me, & tradidit semetipsum pro me.*
150. *4. Sentent.* 4. est asserentium, Deum ex vi primæ intentionis prædestinâsse Christum in remedium vtriusque peccati,originalis præuisi scientiâ visionis, actualium in origin.vt in certâ radice illorum; quo fit, vt vel originali, vel actualibus non existentibus, Verbum vi præsentis decreti incarnandum non fuisset.

151. *Assertio 1. Ab auctoritate.* DICO 1. Solo origin.existente, etiamsi nulla futura fuissent actualia in posteris, incarnatum fuisset Verbum vi præsentis decreti inadæquati. Prior pars est *Dionys. de Eccles. Hierar. ante finem,* qui causam aduentûs Christi assignat naturæ humanæ prolapsum,& præuaricationem diuinæ legis in Paradiso datæ: *Athanas. lib. 3. contr. Arian.* post med. *Quoniam prima per Adam & via, & ianua perierat,& ex paradiso ad mortem deuergebamus,dictumq; nobis fuit,* terra es, & in terram abibis: *Ideo Verbum Dei hominum amore, & Patris voluntate induit creatitiam carnem,vt eam, quam mortalem reddiderat primus homo præuaricatione,ipse proprio sanguine sui corporis viuificaret, & renouaret nobis viam recentem & viuam*: ita Gelasius *Epist.aduers. Pelag. sect.1.cit. Leo serm.3. de Pentec.* Gregorius *in 1. Reg. lib. 4. cap. 1.* post med. *Et quidem nisi Adam peccâsset, redemptorem nostrum carnem suscipere nostram non oporteret.*
152. *Ratio.* Ratio: id quod mouit Deum ad prædestinandum Christum,fuit ruina totius naturæ humanæ condignâ satisfactione reparandæ per Christum: at solo origin.transfundendo in posteros, etiamsi nulla futura fuissent actualia, tota natura humana corruisset:ergo eo tantùm existente, mansisset motiuum Incarnationis.

153. *Vis præsentis decreti inadæquati.* Posterior pars prob. manente eodem obiecto & motiuo, manet idem decretum: at solo origin. existente, mansisset idem obiectum & motiuum in Deo: nam vi præsentis decreti Deus intendit remedium afferre originali, totam naturam humanam
154. inficienti. Quod non mansisset idem decretum adæquatum,prob.præsens decretum non solùm terminatur ad remedium orig. sed etiam ad remedium actualium; quib. Christus liberat nos: nam ad omne id se extendit,quod de facto fit; cùm nihil fieri possit,nisi ex voluntate Dei.

155. *Obijcies* 1. præsens decretum Dei fuit in eodem signo rationis indiuisibiliter terminatum ad prædestinandum Christum in remedium omnium peccatorum,tam originalis,quàm actualium posterorum,præuisorum scientiâ conditionatâ, & visionis virtualis in ipso decreto de condendo Adamo, & posteris eius sub ijs circumstantijs,sub quibus & illum, & hos præuidit sub conditione peccaturos: ergo quocumque peccato sublato, totum præsens decretum sublatum fuisset: quia quando voluntas terminatur ad plura obiecta per modum vnius,non potest variari circa vnum, quin varietur circa reli-
156. *Resp. 1.* qua.Resp.1.dist.antec.fuit præsens decretum indiuisibiliter terminatum ad prædestinandum Christum in remedium omnium peccatorum, cum mutuâ dependentiâ,nego;absque mutuâ dependentiâ, concedo.Vnde neg.conseq. Ad probat.nego, non posse decretum variari circa vnum, quin varietur circa aliud, quando vnum non est volitum dependenter ab alio;non enim sufficit, vt ambo sint simul
Ratio. volita.Ratio: tunc tantùm, variato decreto circa vnum obiectum,variatur circa aliud quando ex variatione vnius,variatur formale motiuum alterius, cùm non possit variato motiuo formali, manere idem decretum:sed quando vnum intenditur independenter ab alio, esto simul intendatur cum illo, ex variatione illius non variatur formale motiuum alterius. 2. Nego antec. nam ad ea tantùm dicitur 157.
diuinum decretum indiuisibiliter terminari eodem *Resp. 2.*
signo rationis, quæ vult cum mutuâ dependentiâ causalitatis obiectiuæ: velut quia Christus vt redemptor volitus est dependenter à remedio peccati,& remedium peccati dependenter à Christo exaltando,eodem signo rationis,dicitur diuinum decretum indiuisibiliter terminatum ad vtrumque cum mutuâ dependentiâ vtriusque.Cæterùm quia Deus non elegit remedium originalis dependenter à remedio actualium; nam etiamsi nulla secuta fuissent actualia in posteris,adhuc elegisset remedium orig. vi præsentis decreti, vi cuius voluit remedium afferre toti naturę lapsę,ne tota in suâ origine periret; vti perijsset,solo orig.existente;ideò solo orig. existente,mansisset idem motiuum de totâ naturâ subleuandâ,& idem decretum.

Obijcies 2. De facto Incarnatio non solùm est de- 158.
creta in remedium originalis,sed etiam actualium: *Dices.*
ergo actualibus in posteris non existentibus, mutatum fuisset adæquatum motiuum, propter quod vi præsentis decreti volita est. Confirm. Christo non *Confirm.*
incarnato,variatum fuisse decretum de mundi crea- *antec. suprà*
tione,quia est electa etiam propter Christi gloriam; *docui.*
ergo, si vi præsentis decreti Incarnatio est electa in remedium etiam actualium posterorum, his non existentibus, non existeret integrum motiuum Incarn.Resp.dist.antec.Decreta est Incarnatio vi præ- 159.
sentis decreti in remedium originalis dependenter *Resp.*
à remedio actualium,nego:decreta est independenter,concedo. Vnde solùm sequitur, non existentibus actualibus in posteris, cessasse tantùm partiale decretum de remedio actualium non decretum de remedio orig. Nam vi præsentis decreti primarium ac principale motiuum fuit subleuatio totius naturæ lapsæ per Incarn.vt Christo gloriosa: quod mansisset,etiamsi nulla futura fuissent actualia.Ad con- 160.
firm. Incarnatio vi præsentis decreti primariò & *Ad confirm. Disparitas*
principaliter est electa, vt medium proximè qui- *est.*
dem ad subueniendum naturæ lapsæ,ne tota in suâ specie periret; remotè verò propter Christi gloriam:quod motiuum mansisset,adhuc actualibus in posteris non existentibus. Creatio verò mundi vi præsentis decreti primariò & principaliter est electa vt remedium honorificum Christo: nam licet sit etiam volita propter hominem,vt propter finem proximiorem,principaliùs tamen, & vt propter finem remotiorem volita est propter Christum, cui si mundi,vel ipsius hominis creatio non fuisset gloriosa,non fuisset vi præsentis, sed alterius decreti electa. Sicut quia vi præsentis decreti remedium peccati per Incarn.volitum est dependenter à gloriâ Christi, nisi id remedium fuisset honorificum Christo, vi præsentis decreti electum non fuisset.

DICO 2. probabilius est,sublato orig.nullo mo- 161.
do venturum fuisse Christum.Fundam.ex scriptu- *Fundam.*
râ & Patribus principale motiuum, propter quod incarnatus est Deus,fuit,ne tota natura lapsa periret, & à fine,ad quem fuerat ordinata,aberraret;spectabat enim ad Dei prouidentiam,id non permittere, sed sublato origin. non tota natura perijsset, sed in paucis fuisset defectura; ergo non fuisset opus remedio in Christi merito fundato,cùm iam abundè prouisum illi fuisset per donum iustitiæ orig. quo summâ facilitate potuisset se in finem dirigere. & si quin-

quando ab illo aberrâsset, potuisset per ordinaria auxilia illi statui proportionata ad eundem conuerti.

162. *Casus moraliter impossib.* Quid si fingamus, originali non existente, futura fuisse actualia in omnibus? Resp. 1. Casum esse moraliter impossibilem, ob integritatem naturæ & perfectionem illius status. 2. dato casu, probabilius puto, venturum fuisse Christum, non hoc decreto, sed alio. Primum prob. tunc fuisset eadem necessitas, quæ fuit nunc, ratione cuius Deus motus est ad Incarnationem prædestinandam, scilicet lapsus totius naturæ in singulis indiuiduis, in quibus omnibus spoliata fuisset dono orig. iustitiæ, merito cuius non minus facilè, quàm feliciter poterat suum finem consequi.

163. *Dupliciter mutatur diuinum decretum.* Secundum constat; nam alia futura fuissent eo casu peccata, quàm de facto fuerunt; aliud decretum diuinum de remedio afferendo talibus peccatis: cùm enim feratur ad res particulares, mutatis obiectis particularibus, mutatur decretum diuinum etiamsi maneat idem motiuum formale: scilicet mutatur quasi specificè & formaliter, variato motiuo formali, à quo concipitur quasi specificari; tantùm numericè & materialiter, variato solo obiecto materiali, perseuerante motiuo formali.

164. *3. Assertio.* Dico 3. Sublato originali, actualibus in plerisque tantùm indiuiduis hominibus existentibus, probabilius est, nullo modo venturum fuisse Christum. *Fundam.* Fundamentum, vi præsentis decreti Deus videtur per Incarnationem remedium tantùm afferre voluisse naturæ humanæ lapsæ, ne tota periret, & à suo fine penitus aberraret. *Confirm. exempl. Angel.* Ita quia angeli non omnes peccauerunt, non opus illis fuit redemptione, naturâ manente integrâ in alijs, qui non peccauerunt. Nec refert, quòd ex angelis pauciores peccauerint, plerique eorum salui manserint: contra verò accidisset hominibus, peccatis in plerisque existentibus: nam sicut ex angelis maior, ex hominibus minor numerus prædestinandus erat, qui, vt *supra* cum *August.* docui, in quouis statu certus fuisset, ideò pauciores debuissent angeli, quàm homines peccare, vt maior futurus fuisset electorum angelorum, quàm hominum numerus.

165. *Dices.* *Obijcies*: vel ex plerisque illis hominibus, qui peccâssent, aliqui saluati fuissent, vel nulli: si aliqui: ergo non fuisset pro eorum peccatis condignè satisfactum; quia nulla pura creatura condignè potest pro mortali satisfacere, hoc autem est absurdum: vt inculcat *Anselm. vtroque libro Cur Deus homo:* cùm dedeceat Deum peccata condonare, absque condignâ satisfactione. Si nulli; sequitur, ex illis non potuisse compleri numerum prædestinatorum, qui ex *August.* fuit certus. 166. Resp. vtrumque fieri potuisse, nec est absurdum, Deum eo casu peccata condonâsse absque condignâ, congruâ tantùm puræ creaturæ satisfactione contentum. Nec sequitur, esto nulli ex ijs, qui tunc peccâssent, saluati fuissent, non potuisse ex solis iustis hominibus, qui tunc futuri fuissent, compleri certum numerum prædestinatorum; nam licet tali casu pauci futuri fuissent iusti, potuisset tamen ex illis certus is numerus haberi per diuturniorem mundi durationem, hominumque generationes.

167. *Ad sententiam Vasq.* 1. Sentent. quoad 1. partem conuenit cum nostrâ: posterior, si intelligatur de actualibus existentibus in omnibus falsa est. Nec obstat, quòd eo casu non venisset Christus vi præsentis decreti, vi cuius primaria intentio Dei fuit, remedium afferre originali; venisset enim alio numericè; cùm eadem ratio fuisset tunc, scilicet ad totam naturam in omnibus suis indiuiduis lapsam condigno suo merito & satisfactione erigendam. 2. Sent. quoad primum dictum etiam recurrit cum nostrâ: quoad secundum etiam probabile est, de facto remedium peccatorũ actualium posterorum volitum fuisse dependenter à remedio originalis, quo non existente, Christus *in sent. Suar.* non venisset in carne passibili; in nostrâ nullo modo: cùm enim tali euentu non tota natura humana corruisset, nulla fuisset necessitas aduentus Christi. Tertium dictum negandum. Ad rationem tertiæ; esto Christus voluntate humanâ, quantum est de se, paratus sit pro quolibet vitam fundere: nego tamen id esse è voluntate diuinâ, cuius principale motiuum fuit, remedium afferre naturæ lapsæ, ne tota suo fine frustraretur. Nec obstat *cit. Paul.* nam ex eo, quod Christus principaliter mortuus sit pro omnibus hominibus, non sequitur, quin de facto etiam pro singulis sit mortuus, esto non pro singulis venisset. Quarta non rectè theologatur: nam si Deus prædestinasset Christum vt redemptorem peccatorum actualium, præuisorum tantùm in originali vt in radice, sequeretur, potuisse efficax decretum Dei de Christo redemptore frustrari: quia fundaretur in peccatis actualibus præuisis tantùm in originali; ex quo non necessariò sequuntur actualia in posteris, sed liberè. Igitur non potuit infallibile decretum Dei fundari in actualibus, ante absolutam præscientiam ipsorum, præuisis tantùm in causâ liberâ: præsertim cùm hæc sententia vel non admittat scientiam conditionatam ab absolutâ distinctam; vel si admittit, putat non ex illâ, sed ex solâ absolutâ regulari decretum de Christi prædestinatione.

168. *Ad sententiã Suarez.*

169. *Ad 3. Sententiæ rationem.*

170. *Ad quartam.*

DISPVTATIO VIII.

De Incarnatione secundùm se.

Trifariam sumitur. INCARNATIO sumi potest vt actio; vt terminus actionis; vt relatio consequens terminum. In hâc disp. agendum est de Incarnat. vt actio est, eiusque termino dumtaxat immediato; in sequentibus de termino mediato, & vt relatio est terminum consequens.

SECTIO I.

Quid sit Incarnatio vt actio, & quo pacto ab vnione, & assumptione discriminetur?

1. *Hoc extra controuersiam.* INcarnatio est actio realis; nam eâ factum est aliquid reale, scilicet compositum ex humanitate & Verbo, quod anteà non erat; & implicat, terminum realem suum esse proximè accipere mediâ actione, quæ non sit realis; non minùs quàm effectum realem suum esse accipere à virtute, quæ non sit realis. Illud controuertitur, an sit actio formaliter productiua humanitatis in Verbo.

2. *1. Sentent. Potissimum Fundam.* PRIMA sententia affirmat; ita quidam *Thomistæ*; videtur *Medina 3. part. quæst. 2. art. 8.* Fundam. Christi humanitas existit existentiâ increatâ Verbi: ergo vi actionis, quâ producitur, producitur in Verbo: nam actio productiua, est actio extractiua rei à suis causis: & ea extrahit rem è suis causis, quæ tribuit rei existentiam; hæc enim est prima ratio, quâ res primò fit extra suas causas: Ita Leo *epist. 11. ad Flauian.* scribit: *Natura nostra non sic assumpta est, vt* *Confirmat auctoritate.*

est, vt prius creata, post assumeretur, sed vt ipsa assumptione crearetur. Fulgentius *lib. de Incarn. cap.* 3. habet: *Vna quippe fuit in vtero Mariæ Virginis conceptio diuinitatis & carnis, & vnus est Christus Dei filius in vtraque natura conceptus.* 2. Si humanitas

3. *Prob.* 1. Christi aliâ actione fuisset producta, aliâ vnita Verbo, priùs naturâ extitisset in se, quàm fuisset assumpta à Verbo. Consequens est falsum; quia est contra Concilia & Patres asserentes, humanitatem non prius extitisse in se, quàm in Verbo: & quia sequeretur, B. Virginem non concepisse Deum, proinde non fuisse veram matrem Dei. Sequela probatur: eatenus dicitur concepisse Deum, quatenus concepit hominem Deum: at si humanitas priùs fuisset producta, quàm vnita Verbo, non concepisset hominem Deum, sed purum hominem, ergo.

4. *2. Sentent. De facto.* SECVNDA quorumdam Recentiorum affirmat, de facto actionem, quâ Christi humanitas vnitur Verbo, esse diuersam ab eâ, quâ producitur; de possibili tamen fortè non repugnare, vt eadem actione & simul producatur humanitas, & ipsius vnio cum Verbo. Primum probant: de facto concedendus est aliquis ordo realis prioritatis & posterioritatis inter humanitatem, & ipsius cum Verbo vnionem; ergo & inter earum actiones: nam idem ordo concedendus est actionibus, qui conceditur earum terminis. Anteced. ostendunt: humanitas quoad partes & se totam naturâ præcedit vnionem hypostaticam, quæ succedit loco & ordine propriæ subsistentiæ. At hæc posita fuisset posteriùs naturâ humanitate; quia non debetur partibus seorsim, sed vt vnitis, ac toti. Ergo priùs naturâ fuisset humanitas cum partibus vnitis, quàm ab ipsâ emanâsset propria subsistentia: priùs etiam naturâ fuit humanitas Christi cum partibus vnitis, quàm fuerit vnita Verbo. Secundum sic pro-

5. *De possibili.* bant: non implicat, eâdem indiuisibili actione produci duplicem terminum, v. g. formam ac vnionem, nisi sit peculiaris repugnantia ex parte termini, quæ tamen hîc non apparet: ergo potuit eâdem actione indiuisibili produci humanitas, & vnio cum personâ Verbi.

6. *3. Sentent. Absolutè negat.* TERTIA negat, Incarnationem esse actionem productiuam simul, & vnitiuam humanitatis in Verbo, sed tantùm vnitiuam cum Verbo: communis Scholast. ex *S. Thom. 3. p. q. 4. art. 2. & 3.* vbi docet, id quod assumitur, præintelligi debere assumptioni: sicut quod localiter mouetur, præintelligitur motui. Si assumptione humanitas produceretur, non posset præintelligi assumptioni, cùm nequeat terminus præintelligi actioni, quâ fit. Nec

7. *Contrà Medinam.* satisfacit *Medina* dicens, humanitatem præintelligi assumptioni quoad essentiam, non quoad existentiam, quam per assumptionem formaliter accipit à Verbo: Nam falsum est, humanitatem existere existentiâ Verbi, impossibile est, præsupponi assumptioni quoad actualem essentiam, & non quoad existentiam: cùm impossibile sit, rem actu esse extra causas; & non existere, scilicet nil aliud sit existere quàm actu esse extra causas. Cùm igitur Verbum non assumpserit humanitatem in potentiâ, quæ non est actu ens, sed potentiâ tantùm ens; & nihil assumi possit, nisi quod actu est ens, necessariò debet ante assumptionem humanitas præintelligi vt existens existentiâ creatâ.

8. *Controuersia explicatio, quadrifariam.* NOTA, intelligi potest, Incarnatio esse actio productiua, & simul vnitiua humanitatis cum Verbo; 1. vt sit productiua humanitatis, & simul seipsâ absque vnione distinctâ, copulatiua eiusdem cum Verbo, eo modo, quo actio productiua subsistentiæ creatæ est vnitiua eiusdem cum propriâ naturâ absque mediâ vnione distinctâ. 2. vt non solùm sit productiua humanitatis, sed etiam distinctæ vnionis ipsius cum Verbo. 3. vt sit vna actio composita ex duabus, quarum vna sit tantùm productiua humanitatis, altera tantùm vnitiua eiusdem cum Verbo, cum essentiali exigentiâ vtriusque, vt nec productiua esse queat sine vnitiuâ, nec vnitiua sine productiuâ; eo modo, quo actio productiua formæ materialis in subiecto, dicitur vna composita ex productiuâ & vnitiuâ simul; quarum nec productiua esse potest sine vnitiuâ, cùm sit essentialiter à subiecto dependens, nec vnitiua sine productiuâ, cùm essentialiter supponat formam existentem. 4. vt sit vna actio composita ex productiuâ & vnitiuâ, nullam tamen productiuâ extrinsecam exigentiam habente cum actione vnitiuâ Verbi, sed ex merâ extrinsecâ ordinatione Dei.

DICO 1. Implicat, Incarnatio sit vna actio indiuisibilis, simul producens humanitatem, & vniens Verbo, vel absque vnione, vel distinctâ vnione. Ratio. Implicat vnum extremum vniri alteri, nullâ vnione saltem virtuali intercedente; seu esse effectum formalem absque formâ, vnitum absque vnione, vt album absque albedine; cùm ille essentiatialiter includat formam in subiecto: sed nec humanitas, nec actio, quâ producibilis est humanitas, nec Verbum, est formalis aut virtualis vnio: quia potest esse hæc numero humanitas cum eâdem numero actione: quâ producitur, & Verbum, absque eo quod sint inter se vnita: nulla enim actio, quâ producibilis est humanitas, est formalis vnio, seu essentialiter est nexus duorum; nec vnio virtualis: nam hæc est tantùm propria modorum, qui seipsis absque distincto nexu vniuntur subiecto: actio autem, quâ producitur humanitas, etsi sit virtualis vnio sui cum humanitate, non tamen humanitatis cum Verbo, vel altero supposito: ad hoc enim deberet non solùm respicere humanitatem vt terminum, cui communicaret esse, sed etiam Verbum, cum quo vt cum extremo humanitatem copularet: quod est contra naturam actionis, cuius tantùm est communicare esse termino, non copulare terminum cum altero extremo: alioqui esset simul vnio virtualis, quia vniret seipsam immediatè termino; & formalis, quia vniret terminum cum altero extremo, vt actio eductiua. Confirm. de ratione vnionis virtualis est, vt non actio ipsa immediatè, sed terminus actionis seipso vniatur cum extremo. 9. *Assertio* 1. 1. *Ratio implicantiæ.* *Quid sit eductiua actio humanitatis è Verbo, vt forma è materiâ, quis somniet?*

SECVNDA: Implicat, vt vna indiuisibilis actio terminetur ad esse naturale, & supernaturale rei; scilicet ad humanitatem & vnionem hypostaticam simul sit naturalis, & supernaturalis quoad essentiam: quâ naturalis, habeat terminum naturalem; quâ supernaturalis, supernaturalem (cùm actio vt via debeat continere in se effectum) respectu humanitatis sit quoad essentiam naturalis, respectu vnionis cum Verbo quoad essentiam supernaturalis. 10. *2. Ratio modum 1. & 2. impugnans.*

NEC dici potest, fore naturalem & supernaturalem respectu diuersorum: cùm enim naturalitas & supernaturalitas quoad essentiam, sint differentiæ intrinsecæ rei, implicat, eas simul in indiuisibili actionem coalescere: sicut implicat, eas simul coalescere in indiuisibili termino, quoad essentiam naturali & supernaturali: 2. eadem actio simul esset debita humanitati, vt natu- 11. *Dices.* *Contrà.* 1. 2.

naturalis productio ipsius, indebita vt productio supernatur. vnionis hypostaticæ quâ communicaret esse naturale humanitati, esset ei debita vt actio productiua & conseruatiua ipsius esse naturalis; quâ communicaret esse supernaturale vnionis hypostaticæ, esset supra naturalem exigentiam humanitatis: adeoque eadem actio naturaliter exigeretur & non naturaliter exigeretur ab eâdem humanitate.

12. *Contrà 1. rationem.* *Obijcies* 1. Vi eiusdem actionis humanitas producitur & simul vnitur propriæ subsistentiæ: non enim medio nexu distincto, sed seipsâ immediatè, ergo non implicat, vi eiusdem indiuisibilis actionis rem produci, & simul alteri vniri. Nego antec.

13. *Resp.* alioquin non posset, corruptâ propriâ subsistentiâ, vniri alteri supposito: Actio enim cùm sit modus, tota essentialiter consistit in actualitate: igitur si simul esset productiua humanitatis, & vnitiua cum subsistentiâ, eadem essentialiter respiceret humanitatem vt effectum, & subsistentiam vt terminum: ergo implicaret, hanc numero actionem separari ab hâc numero subsistentiâ, quam essentialiter respiceret; sicut implicaret, hanc numero vnionem separari ab hoc numero extremo; & quia actio proportionatur effectui, cui esse communicat, etiam implicaret, hanc humanitatem vt effectum talis actionis separari ab hâc numero subsistentiâ. Ad prob. concedo, humanitatem non vniri propriæ subsistentiæ medio nexu distincto; nego, hoc prouenire, quòd humanitas, aut eius productio sit virtualis vnio cum subsistentiâ, sed contrà, quia propria subsistentia, eiusque productio est virtualis vnio cum humanitate, cum quâ seipsâ immediatè vnitur; quo fit, vt hæc subsistentia essentialiter respiciat hanc naturam, à quâ separari nequit: hæc natura non respiciat hanc subsistentiam, à quâ separari potest, & alteri vniri.

Modus vnitur ac producitur seipso.

14. *Dices: non implicat vi eiusdem actionis formam produci & vniri.* *Obijcies* 2. Vi eiusdem actionis forma materialis producitur & vnitur subiecto: ergo. Resp. esto, eductio essentialiter pendeat à subiecto seipsâ immediatè, vtpote passio; nec sit opus vnione, nec vniente actione distinctâ; vt patet, vbi causa materialis & efficiens coalescit in vnam physicè indiuisibilem causam; ibi productio receptioque formæ

15. *Resp. Eductio est vnio cum subiecto: vt tom. 3. disp. 2. num. 105. edit. 2.* vna est physicè via propter vnum physicè terminum eductum: Eductio tamen, vt eductio, non est immediata dependentia à subiecto, sed à termino, qui educitur: eductiua actio, vt passio est vnioue, est immediata dependentia à subiecto, non à termino: At quis fingat animam Christi dependentem à subsistentiâ vt formam materialem à materiâ? quis fingat Verbum subiectans humanitatem, vt materia formam, substantia accidentia? Implicat igitur vt materiæ, animæ rationalis, humanitatis creatio ipsa vnio sit cum personalitate aut Verbo; aut vt Verbum sit subiectum humanitatis, vt materia est subiectum formæ materialis.

16. *Creatio humanitatis non vnio cum personâ.*

17. *Obijcies* 3. non repugnat, vt vi eiusdem indiuisibilis actionis subsistentia creata, & quiuis alius modus simul producatur & vniatur subiecto: ergo nec repugnabit, vt vi eiusdem indiuisibilis actionis quæuis alia entitas creata simul producatur, & vniatur alteri. Nego consequent. modus

18. *Resp.* enim cùm essentialiter sit actualis modificatio subiecti, non eget distincto nexu, vt vniatur subiecto: entitas absoluta cùm non sit actualis modificatio subiecti, nam conseruari potest extra omne subiectum, eget distincto nexu, vt vniatur alteri.

19. *Contra 2. rationem.* *Obijcies* 4. falsum est, talem actionem fore naturalem & supernatur. simul, debitam & indebitam, exigi & non exigi ab humanitate; sed fore tantùm supernaturalem, adeoque indebitam & non exigi ab humanitate: non enim repugnat, actione supernat. *Antec. prob. 1.* produci terminum naturalem, vt reproductiuâ termini naturalis, conseruatiuâ accidentium extra subiectum &c. 2. potest vnio supernaturalis copulare formam naturalem cum subiecto: ergo & actio supernaturalis communicare esse naturale termino. 3. potest causa supernaturalis communicare effectui esse naturale; ergo etiam actio supernatur. Nego anteced. cùm actio sit formalis communi-

20. *Resp.* catio esse, & entitatiua via, mediâ quâ defertur ipsum esse ab agente ad effectum, debet in se formaliter continere illud: implicat autem, vt actio supernaturalis formaliter contineat esse naturale: alioqui simul contineret duas oppositas differentias naturalitatis & supernaturalitatis, essetque ratione vnius debita, ratione alterius indebita termino. Ad 1. prob. actio neg. reproductiua termi-

21. *Ad 1. prob.* ni naturalis est non quoad essentiam, sed quoad modum supernaturalis, eo quòd fiat supra naturalem exigentiam rei creatæ, quæ est conseruari in vno tantùm loco. Ita actio quâ accidens na-

22. turale conseruatur extra subiectum, est supernaturalis tantùm quoad modum, quia conseruatur contra ipsius naturam, concursu creatiuo independenter à subiecto. Nec refert, quòd talis concursus creatiuus sit indebitus accidenti: est enim debitus substantiæ naturali perfectæ; ideò non potest esse quoad essentiam supernaturale; vt *tom. 1. disput. 9. sect. 6.* nec rei creatæ debitû, cùm sit proprietas solius naturæ diuinæ. Ad 2. vnio non influit forma-

23. *Ad 2. Disparitas est.* liter esse in extrema vnita, sed supponit illa aliunde habere suum esse, solumque ea nectit inter se. actio autem non supponit, sed formaliter influit & communicat ipsum esse, vt via agentis termino; quod nisi formaliter contineat, non potest illud formaliter influere, ac communicare; cùm debeat illud per seipsam deferre ex agente in terminum. Ad 3. neg. conseq. nam potest causa super-

24. *Ad 3. Continentia eminentialis est effectiua.* naturalis communicare esse naturale termino, quia potest eminenter continere esse naturale: non potest actio supernaturalis eminenter continere naturale termini, quia cùm continentia eminentialis non sit formalis, sed effectiua; nec repugnet causa quæ sit supernaturalis formaliter, & naturalis effectiuâ; sic enim non concurrunt formaliter oppositæ differentiæ naturalitatis & supernaturalitatis in eandem indiuisibilem entitatem, non repugnabit, causam supernaturalem esse communicatiuam effectûs naturalis. Actio verò, cùm non effectiuè, sed formaliter debeat continere esse termini, cùm ipsa non efficiat, sed deferat tantùm, vt physica via, esse ab agente in terminum, non poterit continere illud eminenter, sed tantùm formaliter, adeoque coalescerent in ipsa formaliter oppositæ differentiæ naturalitatis & supernaturalitatis.

25. *2. Assert.* Dico 2. Implicat, Incarnatio sit actio composita ex productiuâ humanitatis, & vnionis hypostaticæ, cum essentiali exigentia vtriusque. Nam licet actio vnitiua essentialiter præexigat productiuam humanitatis, cùm omnis vnio, ac vnitio supponat vnibilia, & actionem, quâ vnibilia producuntur: non tamen contrà productiua humanitatis essentialiter exigit actionem productiuam vnionis eiusdem cum persona Verbi. Ratio: actio, *Ratio.* quâ producitur humanitas, est naturalis quoad essentiam; & nequit exigere actionem supernaturalem

ralem quoad essentiam, qualis est actio productiua vnionis cum personâ Verbi: quia nulla entitas potest exigere aliquid supra suam naturalem constitutionem: quæ definit rem intra sua principia ne vlteriùs naturali exigentiâ extendatur.

26. *Obijcies.* Nequit Christi humanitas vi solius actionis, quâ producta est, in rerum naturâ conseruari: ergo actio productiua humanitatis essentialiter postulat aliquam actionem vnitiuam cum proprio, vel alieno supposito. *Negat anteced. Suar.* Negat *Suarez anteced. disput. 8. sect. 1. §. Sed nihilominus,* putans nullo modo quoad suum esse humanitatem pendere à propriâ, nec ab alienâ subsistentiâ, sed tantùm quoad terminationem & incommunicabilitatem; quia per subsistentiam natura vltimò terminatur substantialiter, redditurque alteri supposito incommunicabilis: *Probat 1. à pari.* à paritate subsistentiæ increatæ, à quâ natura diuina tantùm accipit terminationem & incommunicabilitatem. 2. quia humanitatis productio est creatio, independens à subiecto, & à termino positiuo; ita transsubstantiatio panis in corpus Christi, ex eo tantùm non est creatio, quia pendet à substantiâ panis, vt à termino *à quo* positiuo. 3. Subsistentia producitur à naturâ: ergo nequit vice versâ, natura causaliter pendere à subsistentiâ, cum nequeat causa pendere à suo effectu.

27. *Affirmo coharentiùs ad mea principia. Ducor hoc discursu.* At probabilius; actio productiua humanitatis naturaliter pendet à propriâ subsistentiâ, quamuis supernaturaliter pendere possit ab alienâ; talem enim dependentiam habet vna actio ab aliâ, qualem habet terminus vnius à termino alterius actionis, cùm actio sit propter terminum: sed humanitas, quæ est terminus actionis productiuæ, *Prob. 1.* pendet in suo esse à subsistentiâ: Nam 1. exigit propriam subsistentiam, vt complementum sui esse, seu in eodem genere substantiæ: ergo non tantùm vt purum terminum incommunicabilitatis, sed etiam vt terminum, à quo pendet in suo esse substantiali in aliquo genere causæ; nec est sine illâ in suo esse substantialiter completa.

28. *Confirm.* Confirm. Natura per se exigit subsistentiam; non vt comprincipium operandi, cùm totum operandi principium sit natura; neque vt puram conditionem, quia hæc est extra substantiale complementum rei; propterea enim vocatur pura conditio, quia non ingreditur substantialem constitutionem rei: ergo exigit illam vt substantiale complementum essendi.

29. *2. A pari.* 2. Ita se habet subsistentia respectu substantiæ, sicut inhærentia respectu accidentis: sed inhærentia est intrinsecum complementum accidentis, à quo accidens per se pendet in suo esse intrinseco: ergo etiam subsistentia erit intrinsecum complementum substantiæ, à quo substantia per se pendet in suo esse substantiali intrinseco. Maior probatur: sicut inhærentia complet & perficit accidens in suo intrinseco esse: ita subsistentia complet & perficit substantiam in suo intrinseco esse: ita vt sicut accidens esse nequit absque inhærentiâ, vel aliquo supplente vicem inhærentiæ; ita nec substantia absque subsistentiâ, vel aliquo supplente vicem subsistentiæ.

30. *Prob. 3. & expugn. fund. potissimum contrariæ sent.* 3. Si natura à subsistentiâ non reciperet, nisi puram terminationem incommunicabilitatis, illa non foret propter hunc effectum simpliciter necessaria, cùm hanc incommunicabilitatem haberet natura ex se, hoc ipso quòd esset vltimò completa substantialiter: nam hoc ipso non posset vlli alteri substantialiter communicari ad vnum per se constituendum; cùm omnis substantialis communicatio per se tendat ad dandum substantiale complementum extremis communicabilibus: si autem natura non exigeret subsistentiam vt complementum substantiale perfectiuum sui, non posset illam exigere propter solam incommunicabilitatem, cùm ex se illam haberet independenter à subsistentiâ, hoc ipso quod independenter à subsistentiâ supponeretur perfectè completa substantialiter.

31. *Dices.* DICES: potest humanitas conseruari extra omne suppositum, actione supplente dependentiam à propriâ subsistentiâ: sed sic conseruata vniri posset cum propriâ, vel alienâ subsistentiâ: ergo etiamsi de facto conseruetur tali actione independente à propriâ subsistentiâ, poterit vniri propriæ, vel alienæ subsistentiæ ad componendum vnum per se. *Exemplum de animâ rationali.* Minor constat exemplo animæ rationalis, quæ etiamsi producatur actione independente à subiecto, adhuc vniri potest subiecto: sicut vniri potest cum subiecto accidens, etiamsi conseruetur actione creatiua.

32. *Resp.* Distinguo minor. posset vniri accidentaliter, concedo; substantialiter, nego: quia cùm supponatur solâ actione creatiuâ natura completa in totâ latitudine substantiæ, non posset exigere aliud complementum substantiale, seu subsistentiam: nam hanc eatenus exigit, quatenus solâ actione creatiuâ non supponitur substantialiter completa: neque illam exigere posset ad meram terminationem & incommunicabilitatem: siquidem hoc ipso quòd natura est substantialiter completa, non est vlteriùs substantialiter terminabilis & communicabilis; cùm hæc incommunicabilitas naturæ non sit, nisi in ratione substantialis perfectibilitatis; quæ si nulla, nulla communicabilitas.

33. *Disparitas de animâ rationali.* Ad probationem anima rationalis, licet non pendeat à subiecto in esse, pendet tamen in operari; ratione cuius potest cum illo substantialiter vniri ad componendum vnum per se; idem est de accidente concursu creatiuo conseruato extra subiectum: nam ab accidente pendet in operari substantia. Deinde etiamsi anima rationalis non pendeat in esse substantialiter à materiâ, tamen materia pendet substantialiter in suo esse ab animâ rationali, quod sufficit ad compositum substantiale faciendum. Nec similiter subsistentia substantialiter penderet à naturâ; ac proinde faceret vnum per se cum illâ: quia cùm subsistentia sit propter naturam, vt modus illius, si neque ad substantiale complementum, neque ad principium operandi naturæ conducit, vti animæ rationali ad operandum conducit corpus organicum, non potest ex hoc præcisè, quod ipsa egeat naturâ vt subiecto seu fundamento, faceret vnum per se substantiale cum illâ, sed ad summum faciet vnum per accidens, cùm adueniat illi post omne complementum tam essendi, quàm operandi.

34. *Probo 4.* 4. Nulla perfectio positiua per se primò est ad impediendam aliam perfectionem, sed ad perficiendam naturam, consequenter verò ad impediendam aliam perfectionem aliquo modo contrariam naturæ. Ergo subsistentia creata est per se primò ad perficiendam substantialiter naturam, consequenter verò ad impediendam aliam subsistentiam in eadem naturâ. *Inductio.* Antecedens constat: frigus non est per se primò datum aquæ, vt impediat calorem; nec calor per se primò datus igni, vt impediat frigus; sed vtrumque per se primò ad perficiendam naturam in ratione principij operatiui, consequenter verò ad impedien-

Ratio. pediendam oppositam qualitatem. Ratio: si huiusmodi perfectiones non haberent alium effectum, quàm sese mutuò impedire, frustrà datæ essent naturis, cùm possent naturæ absque huiusmodi perfectionibus additis habere, quod habent per easdem perfectiones. Nam si adæquatus effectus frigoris est, tantùm impedire calorem in aquâ; & caloris, impedire frigus in igne, si vtraque qualitas esset impossibilis, eodem modo manerent naturæ aquæ & ignis, vti nunc sunt: cùm non ad alium effectum huiusmodi qualitates requirantur, quàm ad sese mutuò impediendum, si autem illæ possibiles non essent, non esset talis effectus necessarius: & consequenter naturæ aquæ & ignis manerent eodem modo perfectæ, ac nunc sunt. Ergo si effectus formalis subsistentiæ aquæ est tantùm impedire, ne subsistentia ignis recipiatur in naturâ aquæ: & rursus effectus formalis subsistentiæ aquæ est tantùm impedire, ne subsistentia ignis recipiatur in naturâ aquæ, etiamsi tales subsistentiæ essent impossibiles, naturæ aquæ & ignis manerent eodem modo perfectæ, ac nunc sunt.

35. *Dices. Contrà.* DICES; requiri subsistentiam, vt substantia vltimò terminetur in se. Sed contrà: si supponitur vltimò completa substantialiter, non eget vlteriori complemento substantiali: vel certè si illo eget, non est ex se absque subsistentiâ vltimò completa substãtialiter: ac proinde substantia pendet in suo esse à subsistentiâ.

36. *Ad primum Suar. negatur paritas.* Ad 1. argumentum oppositæ; cùm natura diuina sit perfectissima & infinita in existendo, non potest à suis subsistentijs recipere complementum existendi; alioquin non esset in existendo infinita: sed solam incommunicabilitatem: Natura creata, cùm in existendo sit imperfecta & limitatá, à propriâ subsistentiâ accipit etiam complementum existendi. Exigit autem natura diuina per se tres subsistentias relatiuas vt principia, & terminos suæ fœcunditatis, etiamsi ab illis non accipiat existendi complementum. Natura creata neque exigit propriam subsistentiam vt principium producendi, quia cùm sit modus, non est aptus ad producendas entitates: neque vt terminum suæ fœcunditatis, quia illa non producitur ab ipsâ naturâ, sed ab agente producente naturam. Neque fœcunditas naturæ creatæ saluatur in productione propriæ subsistentiæ, sed in productione aliorum actuum & proprietatum, quæ supponunt naturam vltimò completam substantialiter.

Alia ratio increata ac creata subsistent.

37. *Ad 2.* Ad 2. creationi sola repugnat dependentia à subiecto, vt constat ex eius definitione: est enim actio ex nihilo sui, seu ex nullo præsupposito subiecto: ita actio creatiua materiæ est vera creatio, cùm tamen materia pendeat à formâ, vt à causâ formali per se: non igitur quæcumque dependentia, sed sola dependentia à subiecto repugnat creationi. Et esto transsubstantiatio discriminetur à creatione penes connotationem termini *à quo*, ex cuius destructione transit in terminum *ad quem*, de quâ *sequ. tom.* adhuc nego, esse eamdem rationem de subsistentiâ, quæ respectu productionis naturæ non se habet vt terminus *à quo* destructionis, sed potiùs vt terminus *cum quo* productionis, quia non ex illo, sed cum illo, & dependenter ab illo vt ab intrinseco complemento essendi, producitur seu creatur natura: sicut forma est intrinsecus terminus cum quo, & dependenter à quo, vt à substantiali complemento essendi, producitur & creatur materia.

38. *Transsubstantiatio à creatione distinct.*

Ad 3. nego, subsistentiam produci à naturâ, sed ab agente producente naturam: nam ab illo producitur intrinsecum complementum rei, à quo producitur res ipsa: vt patet in accidente, cuius intrinsecum complementum, quod est ipsius inhærentia cum subiecto, producitur ab eodem agente, à quo producitur ipsum accidens. 39. *Ad 3.*

Instas: Si productio humanitatis pendet à productione propriæ subsistentiæ, vel vnionis cum alieno supposito, productio humanitatis Christi dici non potest simpliciter naturalis; contra *Leonem Papam citat. epistola 2. ad Flauian. & Augustin. epistolâ 99. ad Euod. fine*, vbi: *Ita sibi*, inquit, *creauit animam Dei Filius, vt cæteras creat.* Sequela probatur: productio rei inuoluit totum id, quod sufficiens est conseruare rem in suo esse: at si productio humanitatis Christi non esset sufficiens conseruare humanitatem in rerum naturâ, absque actione vnitiuâ cum Verbo, de facto productio humanitatis Christi inuolueret productionem vnionis cum Verbo, ac proinde non posset dici simpliciter naturalis. 40. *Instabis.*

Confirmatur: ex eo quòd eductio non est sufficiens conseruare formam eductam absque actione vnitiuâ subiecti; essentialiter inuoluit actionem vnitiuam cum subiecto: ergo si creatio humanitatis Christi non est sufficiens conseruare humanitatem absque actione vnitiuâ cum Verbo, essentialiter inuoluit illam. Nego sequel. ad probat. sumi potest actio alicuius rei; primò adæquatè, pro actione sufficienter conseruante rem extra omnes suas causas; à quibus apta est pendere: secundò pro actione in vno tantùm genere adæquatâ. Si productio humanitatis Christi sumatur tantùm adæquata in genere creationis, illa est simpliciter naturalis, quia creatio vt creatio formaliter abstrahit ab actione productiua propriæ subsistentiæ, vel vnitiuâ cum alienâ, & tantùm formaliter importat actionem independentem à subiecto: & potest esse creatio absque actione, vel productiuâ propriæ subsistentiæ, vel vnitiuâ cum alienâ, vt esset actio, quâ humanitas conseruaretur extra omne suppositum. Si verò sumatur vt adæquata & completa in omni genere, fateor, non esse naturalem simpliciter, cùm de facto includat actionem supernaturalem vnitiuam Verbi; scilicet humanitas, quatenus de facto in rerum naturâ completè existit, inuoluit actionem etiam vnitiuam Verbi, in sententia Thomistarum, qui docent humanitatem Christi existere existentiâ Verbi; & reliquorum, qui nobiscum sentiunt, humanitatem in suo esse pendere à propriâ subsistentiâ. Ad confirm. eductio est ipsa actio vnitiua subiecti, nec dari potest actio eductiua, quæ non sit vnitiua: nam hoc ipso quod abstraheret ab vnitiuâ subiecti, esset creatio; quæ abstrahit ab omni actione vnitiuâ, etiam cum propriâ subsistentiâ. 41. *Confirm.* 42. *Resp. Dupliciter sumitur actio.* *Nullum hic absurdum.* 43. *Eductio & creatio distinct.*

DICO 3. Incarnatio est actio formaliter productiua vnionis humanitatis cum Verbo, præsupponens actionẽ productiuam humanitatis in se. Fundamentum: Incarnatio formaliter est via ad componendum vnum substantiale ex humanitate & Verbo: hoc autem formaliter fit per vnionem humanitatis cum Verbo: igitur formalis & immediatus terminus ipsius est vnio humanitatis cum Verbo ad componendum vnum substantiale. Confirm. Incarnatio succedit humanitati loco productionis propriæ subsistentiæ; sicut enim subsistentia Verbi succedit loco propriæ subsistentiæ, ita Incarnatio, quæ est via ad recipiendam subsisten-tiam 44. *3. Assertio. Fundam.* 45. *Confirm.*

Incarnatio est eductio vnionis. tiam Verbi, succedit loco productionis propriæ subsistentiæ: sed productio propriæ subsistentiæ non est productiua humanitatis, sed solius subsistentiæ: nam productio humanitatis est creatio; productio subsistentiæ est eductio, dependens à subiecto: ergo Incarnatio est eductio vnionis hypostat. ex potentiâ obedientiali humanitatis, quæ supponit humanitatem in se productam.

46. *4. Assertio. Explicat.* Dico 4. Incarnatio est etiam via ad dependentiam humanitatis à Verbo, vt à termino intrinsecè terminante & sustentante. Explico. Incarnatio vt actio respicit totam Trinitatem, à quâ producitur; vt passio humanitatem, ex cuius potentiâ obedientiali educitur; vt via vnionem, quam vt terminum immediatè attingit: at vnio non solùm copulat humanitatem cum Verbo, sed etiam reddit eam formaliter dependentem à Verbo, vt à termino hypostatico; ideò vt via nō solùm est productiua vnionis, sed etiam dependentiæ humanitatis à Verbo, vt à termino intrinsecè terminante ac sustentante in genere causæ formalis hypostaticæ. Prob. Incarnatio vt actio nō producitur à solo

47. *Probantur singula.* Verbo, sed à totâ Trinitate; ergo vt actio non respicit solum Verbum, sed totam Trinitatem: vt passio respicit subiectum eductionis & inhæsionis; hoc autem est sola humanitas, ex quâ tantùm educitur, & in quâ inhæret: vt via respicit terminum, cui communicat esse; hic autem est vnio humanitatis cum Verbo, vt vnio est formalis nexus humanitatis cum Verbo, quo vice propriæ subsistentiæ

Subsistentiæ propriæ & vnionis hypost. discrimen. natura humana subsistit; & quia eadem natura humana pendet in suo esse à propriâ subsistentiâ, vt à termino hypostatico, etiam per vnionem cum Verbo, pendebit à Verbo, vt à termino hypostatico, cùm Verbum succedat loco propriæ subsistentiæ, hoc tantùm discrimine, quòd humanitas à propriâ subsistentiâ non pendet mediâ vnione, vel dependentiâ formali distinctâ, sed tantùm virtuali indistinctâ: quia propria subsistentia, cùm sit modus, non vnitur naturæ mediâ vnione, vel dependentiâ distinctâ, sed sepsâ; & consequenter

48. etiam natura vnitur illi seipsâ immediatè. Quòd vnio hypostatica sit formalis dependentia humanitatis à Verbo in genere causæ formalis hypostaticæ, constat ex dictis, quibus probaui, humanitatem in suo esse pendere à propriâ subsistentiâ. Quòd Incarnatio vt actio pendeat à totâ Trinitate, vt vnio à solo Verbo, prob. vt actio, est essentialis respectus ad agens, distinguiturque ab vnione ex naturâ rei, vt productio à termino; potestque manere eadem numero vnio, variatâ numero actione; non potest manere eadem numero vnio; variatis numero vnibilibus, quia vnio est essentialis respectus ad vnibilia, quæ actu ne-

49. *Confirm.* ctit. Confirm. Actio, quâ producitur vnio naturalis, respicit essentialiter agens, quo variato variatur actio, inuariatâ vnione, quæ essentialiter tantùm respicit vnibilia. Nam ille tantùm modus necessariò desinit, cuius terminus à modo essentialiter respectus desinit: terminus essentialiter ab actione respectus, est agens; terminus essentialiter ab vnione respectus, sunt vnibilia; igitur sublato agente, desinit actio, non vnio.

50. Dices: ego variatis vnibilibus, & inuariato agente, variaretur vnio, inuariatâ actione vnionis.

Resp. Nego conseq. nam actio non solùm essentialiter pendet ad agente, sed etiam à termino, cuius est modus: desinente igitur vnione, qui est terminus actionis vnitiuæ, ad variationem vnibilium desineret etiam actio.

51. *Obijcies*: vnio vt vnio non importat formaliter dependentiam, sed nexum tantùm vnibilium, vt patet in vnione, quâ animus rationalis vnitur materiæ: ergo nec vnio hypostatica formaliter importat dependentiam humanitatis à Verbo. Concedo, quòd vnio vt vnio non importet formali- 52. *Resp.* ter dependentiam, alioquin etiam Verbum vnitum humanitati diceret dependentiam, importat tamen dependentiam, quâ vnio est completiua extremi vniti. Cæterùm vnio hypostatica, non solùm est copulatiua humanitatis cum Verbo, sed etiam completiua eiusdem: quia cùm succedat loco propriæ subsistentiæ, à quâ humanitas complebatur in esse, non solùm copulat, sed etiam est via ad complementum substantiale, quod ipsâ mediante humanitas accipit à Verbo: vnio autem animi rationalis ideò non est dependentia ipsius à materiâ in esse, vti est vnio formæ materialis, quæ simul copulat & complet formam in esse, quia est tantùm informatiua, & non completiua ipsius esse, quamuis sit dependentia animi à corpore in operari, propter quod vnitur corpori. *Vnio animi rationalis non est dependentia à materiâ.*

Infero: Incarnatio, & assumptio formaliter important actionem; vnio terminum. 2. Vnio vt actio, quæ vnitio dicitur, differt ab Incarnatione, & assumptione: quia vnitio est quid superius & vniuersalius, & importat extrema, quæ vnit indifferenter, propter quod à *S. Thom. 3. part. quæst. 2. artic. 8.* appellatur relatio æquiparantiæ, quia non magis determinat vnum, quàm alterum extremum: tam enim importat Verbum vnitum humanitati, quàm humanitatem vnitam Verbo. Incarnatio verò solùm exprimit extremum carnis, cui facta est copulatio ad Verbum: sicut Deificatio exprimit extremum Deitatis, cui facta est vnio. 3. Assumptio differt ab vnitione: tum quia importat extrema differenter, vnum per modum actiui, alterum per modum passiui; vnitio non item, propter quod assumens, non dicitur assumptum, sicut vniens, vnitum; Verbum enim dicitur vniens & vnitum, vniens actiuè cum totâ Trinitate, vnitum terminatiuè vt personaliter distinctum à reliquis personis: dicitur autem assumens, non assumptum, quia primum significat actionem, quæ competit Verbo, secundum passionem, quæ tantùm competit humanitati. Tum quia assumptio importat, quod idem sit principium & terminus assumptionis: est enim assumptio, vt eam *cit.* definit *S. Thom.* alterius ad se sumptio: hoc autem non importat vnitio; Vnde Pater & Spiritus sanctus dicuntur vnientes humanitatem, quia hoc importat vnionem efficere, quod æquè competit omnibus diuinis personis; non assumentes, quia hoc denotat, quod illud ipsum, quod est principium, sit etiam terminus assumptionis, quod competit soli filio. 53. *Discrimen incarnat. assumpt. vnionis.*

Ad fundam. primæ, nego anteced. & esto humanitas existeret existentiâ Verbi, adhuc non eâdem actione produceretur secundùm actualem essentiam, & fieret existens in Verbo: nam prima esset actio productiua humanitatis secundùm actualem essentiam; secunda vnitiua eiusdem secundùm actualem essentiam cum existentiâ Verbi. Prima esset creatio, quia ex nullo præsupposito subiecto; secunda eductio, quia ex potentiâ obedientiali actualis essentiæ humanitatis. Ad authoritatē *Leonis & Fulgent.* Resp. eos tantùm loqui de vnitate durationis, quâ simul humanitas fuit producta, & vnita Verbo; non de vnitate actionum, quibus fuit producta in se, & vnita Verbo: vt *Fulgent.* habet: *Non est igitur aliquod internallum temporis existimandum* 54. *Ad fund. 1. Sentent.* *Ad authoritates.*

dum inter concepta carnis initium, & concipienda maiestatis aduentum: vna quippe fuit in vtero Mariæ Virginis conceptio diuinitatis & carnis. Vbi de eâdem vnitate intelligenda sunt posteriora verba, de quâ priora. *Leo* verò confutat eos, qui dicebant, animam Christi antequam fuit vnita corpori, fuisse in cœlo: *Nihil secum Dominus de cœlo veniens nostræ conditionis exhibuit, nec animam, quæ anterior extitisset, nec carnem, quæ non materni corporis esset, accepit.*

56. *Ad 2. neg. simpliciter sequela.* Ad 2. neg. sequel. nam potuit humanitas distinctâ actione produci, & vniri Verbo, nec priùs naturâ extitisse in se, quàm fuerit vnita Verbo, quia potuerunt partes ipsæ humanitatis priùs natura vniri Verbo, quàm inter se vnione naturali; & tunc vnio ad Verbum naturâ præcessisset generationem humanitatis. Verùm si loquamur de actionibus quibus productæ sunt partes humanitatis, illæ naturâ præcesserunt vnionem ad Verbum: imò actio, quâ producta est materia, etiam tempore præcessit, etiam quoad creatam subsistentiam, ipsam vnionem ad Verbum. Patres intelligendi sunt de prioritate durationis, aut etiam naturæ respectu humanitatis.

57. *Ad 2. sent.* 2. Sententia quoad 1. partem conuenit cum nostrâ: ad 2. in quâ docet, fortè non repugnare, vnâ eâdemque actione produci humanitatem, & vnionem eiusdem cum personâ Verbi, patet ex primâ assert. vbi allata est implicantia, cur non possit eâdem actione produci humanitas, eiusque cum Verbo vnio: quidquid sit, an eâdem actione produci possit duplex terminus: nam in nostro casu est peculiaris repugnãtia, cùm vnus terminus sit naturalis, alter quoad essentiam supernaturalis.

SECTIO II.

An immediatus terminus Incarnationis ex naturâ rei distinguatur ab extremis vnitis?

58. DVplex est terminus Incarnationis, alter immediatus, & vt *quo*; alter mediatus, & vt *qui*. Mediatus est Christus substantiale compositum ex personâ Verbi & naturâ humanâ, de quo *infrà*. Immediatus est ipsa formalis coniunctio naturæ humanæ cum Verbo: de quâ prima difficultas est, an distinguatur ab extremis vnitis.

59. *1. Sentent.* PRIMA Sententia negat: *Rubion. in 3. dist. 1. qu. 1. Bacchon. quæst. 1. art. 1. §. 2. Arim. in 1. dist. 28. quæst. 2. ad 17. & 18. Valent. 3. p. disp. 1. q. 1. puncto 2. §. Quartum argum. & quæst. 2. puncto 5.* Fauent *Bonau. in 3. dist. 2. art. 3. quæst. 2. Richard. art. 2. q. 3. ad 3. Capreol. dist. 5. qu. 1. ad argum. cont. 1. conclus. Caiet. 3. p. qu. 2. art. 7. Medin. ibid.* qui quamuis doceant, vnionem hanc esse relationem, quam habet natura humana ad Verbum, illam tamen non requirunt vt formale vinculum humanitatis cum Verbo, sed vt proprietatem consequentẽ ipsam personalem coniunctionem humanitatis cum Verbo, quæ seipsis immediatè, nullo alio medio creato intercedente, formaliter coniunguntur in vnam hypostasin: *S. Thom. in 3. dist. 2. quæst. 2. art. 2. ad 3. quæst.* vbi: *Dicendum est,* inquit, *quod inter humanam naturam & diuinam necesse est cadere vnionem mediam, non sicut causam, sed sicut effectum coniunctionem naturarum consequentem.* Concludit: *Vnio est medium non sicut assumptionem causans, sed potiùs sicut eam consequens.*

60. *1. Ratio Ariminiensis.* Probat *Arimens.* 1. Verbum vnitur humanitati seipso, nullo intercedente medio; alioqui per vnionem fuisset mutatum: ergo etiam humanitas Verbo: scilicet Verbum ex non vnito humanitati fit ei vnitum, nullo medio in se recepto: ergo etiam humanitas ex non vnitâ Verbo fiet vnita Verbo, nullo medio in se recepto. 2. Ex materiâ & formâ, ex subiecto & accidente, ex duabus partibus continui fit vnum, teste *Arist. 8. metaph. text. vlt.* nullo inter ipsas medio distincto intercedente: ergo etiam ex Verbo & humanitate. 61. *2. Ratio.* 3. Non alio modo vnitur personalitas Verbi humanitati, quàm eidem vniretur propria personalitas: sed hæc seipsa vniretur: ergo. 62. *Ratio Valentiæ.* Maior prob. personalitas Verbi succedit personalitati propriæ quoad omnia, quæ imperfectionem non includunt: sed vniri seipso, nullo medio intercedente, nullam includit imperfectionem. 4. Quâcumque re, vel modo in humanitate producto, posset Verbum non præbere humanitati hypostaticum influxum: ergo adhuc eâ re, vel modo producto, posset ex Verbo & humanitate non fieri compositum: nam hoc formaliter tantùm pendet ex influxu hypostatico Verbi, quo solo posito ponitur, & sublato tollitur. 63. *Prob. 4.* Anteced. prob. 1. hic influxus est distinctus ab effectiuo, quo eadem vnio producitur: nam hic est solius Verbi, ille totius Trinitatis: *1. Prob. anteced.* 2. Nullus effectus creatus necessitare potest Deum ad terminandam hypostaticè humanitatem; 3. Talis vnio connotaret Verbum vt terminum extrinsecum: at non implicat, conseruari essentiam rei respectiuæ sine suo actuali termino, sicut conseruari potest visio, & visus sine actuali colore. 5. Implicat ens creatum essentialiter exigens Deum vt terminum intrinsecum naturæ creatæ; ergo implicat talis vnio à Verbo & humanitate distincta. 64. *Prob. 5.* Anteced. prob. nullum ens creatum est in eodem ordine cum Deo: ergo nullum ens creatum exigere potest essentialiter Deum vt terminum intrinsecum componentem vnum compositum substantiale cum naturâ creatâ. 6. Hæc vnio est accidens: ergo nequit esse formalis ratio causandi substantialem coniunctionem humanitatis cum Verbo: quia nulla forma accidentalis conferre valet effectum formalem substantialem. 65. *Ratio S. Thomæ & Thomistarũ.* Anteced. prob. hæc vnio est quædam relatio consequens substantialem coniunctionem humanitatis cum Verbo, quæ coniungũtur seipsis: ergo non potest esse quid substantiale.

66. *2. Sentent. omninò vera.* SECVNDA affirmat, vnionem hanc ex naturâ rei distingui ab extremis: *Alensis 3. p. qu. 7. memb. 2. art. 1. Albert. in 3. dist. 2. art. 2. Scot. dist. 1. q. 1. §. Ad primum dico, Lyche. ibid. Mayro. q. 2. Aureo. dist. 2. art. 2. Duran. dist. 5. q. 2. Argent. dist. 5. q. 1. art. 4. Ocham. in 1. dist. 30. q. 4. post 3. conclus. & in 3. dist. 1. init. Gabr. in 3. dist. 1. qu. 1. art. 1. & in 1. dist. 30. q. 4. art. 2. Almain. dist. 1. q. 1. Palat. dist. 5. disp. 2.* quamuis hic subobscurè loquatur: *Etsi iunior secum senserim.* Est & omnium ferè Recent. *Suar. 3. p. disput. 8. sect. 3. Vasquez disput. 18. cap. 3. Sylu. 3. part. quæst. 2. artic. 7. &c. Quæ sententia vera est.* Prob. 1. contra aduersarios, qui supponunt, posse naturam humanam inuariatam quoad omnia intrinseca conseruari dimissam à Verbo: 67. *Ad hominem. Maior prop.* impossibile est, de eâdem re verificari successiuè contradictoria absque mutatione, saltem extrinsecâ, ad rem, de quâ contradictoria dicuntur, pertinente. *Minor.* Sed de naturâ humanâ Christi possunt successiuè verificari contradictoria, vt quòd sit vnita, & non vnita Verbo; componens & non componens vnum substantiale cum Verbo, ea quoad omnia immutata perseuerans: ergo vnio humanitatis cum Verbo, quæ est immediatus terminus Incarnationis, nõ est tantùm humanitas & Verbum, sed aliquid ab his distinctum: quia manẽtibus Verbo & humanitate quoad omnia

omnia intrinseca immutatis, non posset saluari mutatio, quam cōtradictoria necessariò postulant, nisi productione, vel destructione alicuius modi, quē supra extrema addit vnio. Maior constat: nam 1. si absque vllâ mutatione, tam intrinsecâ, quàm extrinsecâ ad rem pertinente, de eodem possent contradictoria successiuè verificari, possent etiam verificari in eodem instanti simul, cùm non aliter res se habeat in seipsa diuersis temporibus, nullâ circa ipsam mutatione factâ, quàm in instanti. 2. Omnis denominatio conuenit rei ab aliquâ formâ, vel entitate, intrinsecâ vel extrinsecâ, permanente vel successiuâ, vel à priuatione formæ: ergo si nulla supponitur mutatio, aut variatio in formâ, vel entitate rei, nulla fiet variatio in denominatione ipsâ, nam idem manēs idem, semper denominat idem.

Prob. 1. Minor prob. quia posset Verbum dimittere humanitatem, nullâ in eâ factâ mutatione, neque intrinsecâ quoad entitatem; posset enim Deus conseruare illam absque vllo supposito; neque extrinsecâ quoad locum, cùm non posset à Verbo, vtpote immenso, localiter recedere; neque quoad tempus, quia sola successio temporis non potest esse causa & ratio formalis, vt humanitas dicatur dimissa, & non vnita Verbo: nam successio temporis indifferenter se habet, vt in eâ humanitas potiùs dicatur dimissa & non vnita, quàm assumpta & vnita Verbo: eodem quippe tempore, quo humanitas fit nō vnita Verbo, esse posset vnita Verbo. Porrò mutatio, quâ humanitas formaliter dimittitur, & desinit esse vnita Verbo, non potest esse indifferens, vt per eandem æquè possit humanitas dici vnita & assumpta à Verbo. Sicut mutatio, quâ subiectum fit album, non potest esse indifferēs, vt per eandem possit dici non album; cùm nulla forma possit esse causa oppositorum contradictoriorum. Ergo assignanda est aliqua mutatio, quâ ita humanitas dimittatur à Verbo, & fiat non vnita Verbo, vt per eandem dici non possit assumpta & vnita Verbo.

68. *Secundò.* 2. Potuisset Deus priùs tempore producere humanitatem in proprio, vel absque vllo supposito: nam tunc potuisset illam assumere absque mutatione extrinsecâ loci, vel temporis, aut etiam propriæ entitatis: nam priuatio proprij suppositi nō esset formalis vnio cum supposito diuino, cùm adhuc proprio supposito priuata, posset vel nulli diuino vniri, vel saltem non vniri supposito Verbi, sed Patris, aut Spiritûs sancti: ergo vt priuata proprio, subsisteret vel in diuino, vel in supposito Verbi potiùs, quàm Patris, aut Spiritûs sancti, indigeret positiuâ aliquâ ratione, quâ ad suppositum diuinum, vel ad Verbi potiùs, quàm ad Patris, vel Spiritûs sancti personam terminaretur.

69. *Negat Gregor. Maior. Instantia 1.* At negat 1. *Gregorius* Maior. *dist.* 14. *Coroll. post conclus.* 3. potest enim quis ex non grato & accepto Deo, fieri gratus & acceptus Deo, sine vllâ mutatione sui & Dei. 2. potest subiectum ex albo fieri non album absque mutatione, si albedo conseruetur in subiecto, absque eo quòd illi inhæreat. 3. potest Deus lumen à candelâ partialiter productum, absque mutatione luminis, aut candelæ producentis, solus conseruare.

70. *Negat minor.* Negat 2. Minor. nam dimittente Verbo humanitatem desineret aliquod esse, scilicet Christus, qui sicut per vnionem humanitatis cum Verbo fit vna res composita de nouo, quæ anteà non erat; ita per dimissionem desinit esse eadem res composita, quæ anteà erat.

71. *Ad 1. instantiam.* Sed ad 1. instantiam, nego, posse aliquem fieri gratum & acceptum Deo per extrinsecam dumtaxat acceptationem Dei, absque inhærente dono in creaturâ producto, vt 3. *tom.* *Ad secundam.* Ad 2. nego, subiectum ex albo fieri non album absque mutatione: nam fit mutatio per destructionem inhærentiæ accidentis, quæ est ipsius vnio cum subiecto, & simul mutatione cōcursûs eductiui in creatiuum, alioquin implicat, conseruari albedinem eodem concursu eductiuo dependenter à subiecto, & non reddere subiectum album; cùm nil aliud sit effectus formalis, quàm forma conseruata dependenter à subiecto. Ad 3. nego casum esse possibilem absque mutatione luminis producti. *Ad 3.*

72. *Ad negationem minor.* Ad neg. minoris; vel compositum Christus addit aliquid supra componentia, vel nihil: si aliquid, habetur intentum; si nihil, recurrit difficultas, quo pacto producatur, aut corrumpatur, immutatis extremis; nec non de illo cōtradictoria verificentur. Eodē labitur, qui dicit, produci, vel corrumpi humanitatem, vt dependentem à Verbo, vt à termino personali. Nam vel vt dependens à Verbo, addit aliquid supra humanitatem, vel nihil: si nihil, vrget difficultas; si aliquid, hoc est quod per Incarnationes formaliter producitur, & per cuius productionem, & corruptionem saluari possunt contradictoria de eâdem humanitate.

At quoniam in meâ sententiâ nequit humanitas à Verbo dimissa, absque aliquâ intrinsecâ mutatione, vel propriæ subsistentiæ, vel alterius actionis supplentis vicem propriæ subsistentiæ, in rerum natura cōseruari, probanda est Assertio. 73.

74. *Prob. 1. assertio.* 1. Ex vi actionis, quâ producta est humanitas, indifferens fuit, vt potiùs componeret vnum subsistens cum Verbo, quàm cum Patre, aut Spiritu sancto: ergo nequit saluari substantialis compositio potiùs cum Verbo, quàm cum Patre, aut Spiritusancto, absque positiuo nexu copulante naturam potiùs cum Verbo, quàm cum reliquis personis. Anteced. constat: vi illius actionis, quâ materia prima corporis Christi, toto tempore ante assumptionem fuit conseruata sub propriâ subsistentiâ, erat indifferens, vt potiùs vniretur cum Verbo, quàm cum Patre, aut Spiritu S. nam sicut illa de facto est vnita Verbo, ita vniri poterat Patri, aut Spiritui sancto. Eadem ratio est de totâ humanitate naturâ præcedente substantialem compositionem cum Verbo: etenim in illo priori indifferens erat, vt componeret in posteriori naturæ potiùs cum Verbo, quàm cum reliquis personis. Conseq. prob. cùm tres personæ ratione immensitatis, ac infinitæ perfectionis sint æquè intimè præsentes, ac de se potentes ad suppositandam humanitatem, nisi addatur aliquid, quod illam potiùs alliget & copulet Verbo, quàm reliquis, non potest intelligi, cur potiùs componat vnum substantiale cum Verbo, quàm cum reliquis. nam stantibus personis inuariatis quoad omnia, & humanitate de se indifferente ad substantialem compositionem cum omnibus, non potest reddi ratio, cur potiùs substātialiter componat cum vnâ, quàm cum reliquis, nisi addatur aliquid alligans & copulans humanitatem potiùs cum Verbo, quàm cum alijs, reddensq; illam ex indifferente ad omnes, determinatam ad vnam dumtaxat personā diuinam.

75. *Explicatur ampliùs hæc ratio.* Scilicet aliquid habet humanitas cum Filio, quod non habet cum Patre, & Spiritu S. ratione cuius dicitur cum Filio, & nō cum Patre, & Spiritu S. componere vnū substantiale, in illo subsistere, & cum illo esse hypostaticè vnita: hoc autem nequit esse, aut priuatio propriæ subsistentiæ, aut sola intima præsentia cum Verbo, aut existentia humanitatis in tali differentiâ temporis; nam hęc omnia habet humanitas respectu Patris, & Spiritûs S. cum quibus tamen non componit vnum substantiale, nec in illis subsistit, nec cum illis est hypostaticè vnita: Æquè enim vt priuata propriâ subsistentiâ est indifferens, vt subsistat in Patre,

Patre, Filio, ac Spiritu sancto; æquè est intimè præsens omnibus; æquè se habet ad omnes; siue existat in hâc, siue in illâ differentiâ temporis: ergo est aliquid ab his omnibus distinctum, quod humanitatem ex indifferente ad omnes personas, determinet ad vnam, cum eaque tantùm, & non cum reliquis componat vnum perfectè subsistens.

76. DICES, Id, ratione cuius dicitur humanitas vnita, componere vnum, & subsistere in Verbo potiùs, quàm cum reliquis, & in reliquis personis, est voluntas Dei, volentis, vt illa potiùs cum Verbo, quàm cum reliquis vniatur, & componat vnum perfectè subsistens. Sed contrà: voluntas Dei est extrinseca humanitati: ergo non potest illi conferre esse vnitum substantialiter cum Verbo: nam esse vnitum substantialiter cum Verbo, est effectus formalis intrinsecus humanitati; nã per hoc esse vnitum substantialiter cum Verbo, resultat vnum cõpositum substantiale, qui dicitur Christus: nequit autem compositum substantiale constitui per aliquod extrinsecũ: ergo nequit humanitas esse vnita substantialiter cum Verbo solâ extrinsecâ voluntate Dei: nam nisi inter humanitatem & Verbum intercedat aliquid, quod non intercedit inter eandem humanitatem & reliquas personas, non poterit assignari ratio, cur potiùs hoc compositum resultet ex Verbo, & non ex reliquis personis, cùm æquè quoad cætera omnia humanitas se habeat ad reliquas personas, ac ad Verbum: ergo si cum solo Verbo, & non cum reliquis personis cõponit vnum substantiale, aliquid habet humanitas cum Verbo, quod non habet cum reliquis personis. Confirm. 1. Sola extrinseca voluntas Dei non potest conferre humanitati, nisi esse volitum; cùm nullus actus aliâ possit denominationem tribuere obiecto, quàm ipse habeat in se formaliter: sed voluntas diuina non habet in se formaliter, nisi rationem volendi: ergo non poterit aliam denominationem obiecto tribuere, quàm esse volitum. At esse volitum, cùm sit denominatio extrinseca ab actu volendi Dei, non potest intrinsecè cõstituere hoc substantiale compositum *Christus*. Quod si contendas, prçter esse volitum, tribuere illi etiam esse vnitum Verbo: iterum quæro, vel hoc esse vnitum Verbo, est pura denominatio ab actu volendi Dei, & iam redit eadem difficultas, quòd hæc extrinseca denominatio non sufficit ad constituendum vnum cõpositum ex humanitate & Verbo, cùm omnia componentia debeant esse intrinseca cõposito: Vel hoc esse vnitum Verbo est aliquid intrinsecum, præter humanitatem & Verbum, ad compositum substantiale constituendum requisitum: & hoc nos dicimus, esse vnionem ab humanitate & Verbo modaliter distinctam. Prob. 2. Incarnatio est actio realis: sed quælibet actio realis habere debet terminum realem; actio enim est terminus in fieri: hic alius esse non potest, quàm vnio humanitatis cum Verbo: ergo hæc est aliquid reale ab extremis distinctum. Subsumpta prob. à partium diuisione; non potest esse Verbum, vt patet: non humanitas, quia hæc existere posset non vnita Verbo: non *vbi*, quia vt vniatur Verbo, nõ est necesse vt moueatur localiter: non *quando*, quia nequit tempus esse terminus Incarnat. nec aliud excogitari potest, quod possit esse terminus realis actionis incarnatiuæ.

77. *Voluntas Dei extrinseca non est intrinsecus effectus formalis.*

78. *Confirm. 1.*

79. *Ratio à priori assertionis.*

80. *Ad argum. 1. Sententiæ.* Ad 1. argum. primæ, nego conseq. quia potest Verbum vniri humanitati vnione receptâ in humanitate, & terminatâ tantùm ad se: nam vt vnio faciat extremum vnitum, sufficit, vt terminetur intrinsecè ad illud, vt 1. *disput.* humanitas autem non potest seipsa vniri Verbo, quia nullam supponit vnionem receptam in Verbo, mediâ quâ vniatur Verbo. Ad 2. primò nego anteced. Nam inter materiam & formam, substantiam & accidens, intercedit vnio distincta, licet hæc necessaria non sit inter partes continui, quæ propter homogeneitatem possunt seipsis vniri, positâ debitâ dispositione earum. 2. nego conseq. nam in huiusmodi compositis semper interuenit aliqua mutatio, vel quoad productionẽ formæ dependenter à subiecto, vel quoad dispositionem subiecti, vel quoad motum localem extremorum. Ad 3. nego maior. nam propriæ personalitati vnitur vt modo, Verbo vt realitati: essentia autem modi est, vt sit actualis modificatio & coniunctio cum suo fundamento; cùm ergo hoc habeat essentialiter, non eget alio modo modificante ac vniente; realitas autem non est essentialis modificatio & coniunctio cum aliâ realitate, & ideò eget aliquo modo addito, vt fiat actu coniuncta & vnita cum illâ, præsertim cùm non sit illi naturaliter proportionata. Ad 4. neg. anteced. ad 1. prob. nego conseq. nam esto influxus effectiuus distinguatur ab hypostatico, tamẽ posito effectiuo vnionis humanitatis cum Verbo, implicat, non poni hypostaticum: nã hypostaticus Verbi non est alius, quàm intrinseca terminatio vnionis ad se, ratione cuius sustentat naturam: sed implicat, poni actionem vnitiuam, & non poni terminum actionis vnitiuæ, quæ est vnio: positâ autem vnione, implicat Verbum non terminare transcendentalem respectum vnionis ad se, cùm hæc sit ipsius essentia. Implicat igitur, poni concursum effectiuum vnionis Trinitatis, & non poni hypostaticum Verbi: vt implicat, poni effectiuum visionis beatæ, & non poni obiectiuum Dei, visionem terminantis: vel certè si posset vna persona videri absque alijs, implicaret eo casu, poni concursum effectiuum visionis talis personæ à Trinitate, & non poni obiectiuũ personæ visionem terminantis. Ad 2. prob. nego antec. nam potest aliquis effectus, nempe ille, qui essentialem respectum dicit ad personam diuinam, necessitare illam, ad influxum hypostaticum præbendum: sicut potest visio beata necessitare Deum ad obiectiuum præstandum. Omnem influxum ad extra Deus liberè præbet, concedo absolutè; nego, factâ suppositione; quia potest vnus influxus essentialiter exigi ab alio ex suppositione collato. Vnde aut deberet tunc Deus cessare à primo, aut si vellet illum conseruare, deberet illi præbere alium essentialiter debitum, cùm non possit Deus rem cõseruare, absque omnibus ad ipsius essentiam requisitis. Ad 3. prob. nego minor. quando actualis terminus respicitur essentialiter: sicut licet agens extrinsecè respiciatur ab actione, implicat tamen conseruari actionem absque agente actu terminante. Nec est eadem ratio de visione, aut potentiâ visiuâ, cùm neutra essentialiter respiciat colorem actu existentem, sed tantùm possibilem: potest enim visio terminari ad colorem, etiam actu non existentem, vt 1. *tom. disp.* 9. *sect.* 3. scilicet vnio est actualis nexus duorum; vnde sicut implicat esse sine subiecto actu sustentante, ita & sine termino actu terminante: visio non est actualis repræsentatio coloris existentis, sed possibilis; potentia visiua est aptitudinalis dumtaxat, & remota inclinatio ad coloratum; vt effectus aptitudinalis respectus ad agens; ideò potest idem numero effectus aliâ actione ab alio agente fieri: actio, quia est actualis respectus ad agens, nequit ab alio agente fieri. Ad 5. argumẽtum, concedo antec. de ente creato vt *quod*, nego de ente creato vt *quo*: sicut implicat, ens creatum vt *quod* connaturaliter intueri Deum, non vt *quo*, 1. *tom. disp.* 9. *sect.* 6. nam visio

81. *Ad 2.*

82. *Ad 3.*

83. *Ad 4.*

84. *Ad 2. prob.*

85. *Ad 3. prob.*

Ratio discriminis.

86.

visio beata per modum actus secundi essentialiter tendit ad Deum secundùm se. Ad prob. anteced. nego conseq. de ente creato vt *quo*; quia hoc non debet esse in eodem ordine cum termino, qui exigitur; cùm enim sit essentialiter via ad illum, de cuius essentiâ est, vt sit imperfectior illo, non debet esse in eodem ordine, vt illum exigat: vt patet de omni ratione *quâ*, quæ non necessariò est in eodem ordine cum ratione *quæ* exigitur: visio enim beata est ordinis creati, cùm tamen exigat vt obiectum Deum ordinis increati. Ad 6. neg. anteced. de quo *sect. seq.* Ad *S. Thom.* dico, *cum Syluio cit.* illum nõ negare vnionem formalem, sed explicare illam per relationem consequentem, vt per effectum notiorem: vnde *3. p. qu. 2. art. 7. & q. 16. art. 1. ad 4. & art. 6. ad 2.* absolutè docet, vnionem hanc consistere in relatione humanitatis ad Verbum, non determinando, an illa sit formalis, an consequens.

87. *Explicatur S. Thomas.*

SECTIO III.

Quid sit hæc vnio hypostatica?

88. *1. Sentent.* PRIMA sententia *Alens. 3. p. quæst. 7. memb. 2. art. 1. Gabriel. in 1. dist. 30. q. 4. art. 2. & in 3. dist. 1. q. 1. art. 1. fine 4. notab.* affirmantium, esse qualitatem absolutam, seu habitum infusum, quo humanitas

89. *Contrà.* coniungitur hypostaticè Verbo. Sed contrà: vel hæc qualitas solùm disponit naturam ad vnionem formalem cum Verbo, vt sentit *Alens.* & tunc manet difficultas de ipsâ vnione formali, quid sit: nam adhuc, eâ qualitate positâ; natura indifferens est ad vnionem cum Verbo, Patre, aut Spiritu sancto, cùm adhuc eâ positâ, possit Verbũ non vniri cum humanitate, sicut positâ vltimâ dispositione formæ in subiecto, posset forma non vniri subiecto. Vel

90. *Vnio non est qualitas.* est ipsa formalis vnio humanitatis cum Verbo, vt opinatur *Gabriel:* Et hoc primò repugnat Concilijs asserentibus, hanc vnionem esse substantialem: ita *Lateran. sub Mart. I. fine consult. 5. can. 8. Si quis,* inquit, *secundùm sanctos Patres non confitetur propriè & secundùm veritatem naturarum substantialem vnitionem indiuisè & inconfusè &c. Condemnatus sit.* Reliqua illam appellant vnionem secundùm hypostasin & subsistentiam; quæ est substantialis, quia tendit ad componendam vnam hypostasin & suppositum substantiale. 2. Hæc vnio simul cum per-

91. *Prob. 2. vnio esse substantialis.* sonalitate Verbi succedit humanitati loco propriæ subsistentiæ, ad constituendum vnum perfectum subsistens; nec sine vnione Verbi cum humanitate, fieri potest compositum substantiale ex humanitate & Verbo. At etiam vnio propriæ subsistentiæ est substantialis: nam propria subsistentia creata vnitur naturæ seipsâ immediatè, cùm sit virtualis vnio sui ipsius cum naturâ: hæc subsistentia est substãtialis; ergo etiam vnio ipsius, cùm non distinguatur, nisi ratione ratiocinata ab ipsâ: ergo non solùm personalitas Verbi, quæ succedit loco subsistentiæ creatæ, sed etiam vnio Verbi cum naturâ humanâ, quæ succedit loco vnionis subsistentiæ creatæ cum eâdem, est substantialis. Confirm. vnio personalitatis Verbi cum humanitate intrat substantiale compositum, quod est Christus: nihil autem accidentale potest intrare substantialem cõstitutionem rei: igitur nequit hæc vnio esse acci-

92. *Formale vinculum est actuale exercitium.* dentalis. 3. Repugnat, qualitatem absolutam esse formale vinculum inter humanitatem & Verbum: nam formale vinculum est, quod seipso, nullo alio interueniente nexu, extrema nectit: aliàs vbi opus est alio nexu; hîc, non illa est formale vinculum: nequit autẽ qualitas absoluta seipsâ, nullo alio interueniente nexu, extrema nectere: nam cùm non habeat essentialem habitudinem ad extrema, non necessariò exigit illa substantialiter connexa: ergo poterit talis qualitas in humanitate poni, absque eo quòd humanitas sit substantialiter nexa Verbo: nam omnis res conseruari potest absque omni eo, quòd ad ipsius essentiam non pertinet: ergo si extrema vt connexa, non essentialiter respiciuntur ab huiusmodi qualitate, poterit talis qualitas conseruari, absque humanitate & Verbo connexis: ergo adhuc eâ qualitate positâ; non sequitur, Verbum fieri connexum humanitati; sed opus est alio vinculo, seipso ligante substãtialiter humanitatem cum Verbo: & ad id illa qualitas est superflua.

SECVNDA *Bonau. Richar. Capreoli, Caiet. Medin. cit.* hæc vnio est relatio prædicamẽtalis, consequens vnitatem personalem humanitatis cum Verbo, ad quam non est per se primò motus. Sed contrà 1. 93. *2. Sentent.*

relatio realis supponit fundamentũ reale, ad quod proximè consequatur: hoc autem non sunt extrema ipsa secundùm se, quia hæc existere possunt sine huiusmodi relatione; ergo aliquid ab extremis distinctum, in quo proximè fundetur hæc relatio. Confirm. Hæc vnio per aduersarios consequitur assumptionem: sed assumptio per eosdem est vera & realis actio; ergo habere debet verum & realem terminum, qui cùm nequeat esse relatio prædicamentalis, quia ad eam non est per se motus & actio, sed consequitur actionem & terminum, erit aliquid ab eâ diuersum, cùm nequeat esse actio realis absque termino reali. 2. Vnio est ipsa formalis constitutiua compositi, seu vnibilium compositio; ergo non potest esse relatio consequens compositum: quia ratio constitutiua ingreditur essentiam constitutam; & quod consequitur constitutum supponit constitutum. 3. Non potest fieri compositum ex humanitate & Verbo absque aliquo reali nexu copulante humanitatem cum Verbo, antecedenter ad quamcumque relationem accidentaliter consequentem. 94. *Contrà 1.* 95. 96.

TERTIA *Scoti, Mayroni, Aureo. Ocha. Duran. cit.* vnio hæc est relatio, non prędicamentalẽ consequẽs ad priùs productum, sed transcendẽtalis, & extrinsecus adueniens per se primò terminans actionem vnitiuam humanitatis cum Verbo, & constituens vnum substantiale: quam *Scotus* appellat, ordinis, seu dependentiæ, non causati ad causam, nam hæc communis est Trinitati, sed sustentabilis ad sustentatiuum, seu naturæ personabilis ad personã, quam ait, esse simillimam dependentiæ, quam habet accidens ad subiectum sustentans. Hæc si intelligatur de relatione accidentali, vt intellexit *Mayron.* falsa est; si de substantiali, quæ sit modus formaliter copulans humanitatem cum Verbo, vt cum termino personali, ex quo & humanitate resultet substantiale compositum (*Christus*, vera est. Fundam. Est aliquid à parte rei distinctum ab extremis, seu formalis ratio copulandi substantialiter extrema: at nequit ratio accidentalis esse constitutiua compositi substantialis: nam formale constitutiuum ingreditur essentialiter ipsum constitutum: ergo. Quòd autem sit modus, patet: quia repugnat, illam conseruari separatam ab extremis. Quòd sit modus respectiuus, constat: quia vnio non est ad se, sed ad vnita, quorum est essentialis nexus; nihil enim est sibi ipsi vnitum, sed alteri. Nec refert, quòd *V. Synod. Constantinop. sess. 8. c. 4.* neget, hanc vnionem factam esse secundùm relationem; nam intelligit de vnione accidentali contra *Nestor.* cuius hæresin damnat: Vnde vnionem secundùm relationem non opponit vnioni secundùm rem absolutam, sed 97. *3. Sentent.* 98. *Assertio. Fundam. potissimum.* 99.

vnioni tantùm intentionali & affectiuæ, qualem inter hominem Christum & Deum Verbũ astruebat Nestorius: *Theodori autem & Nestorij sequaces, diuisione gaudentes, affectualem vnitatem introducunt. Sancta Dei Ecclesia, vtriusque perfidia impietatem reijciens, vnitionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur, quod est secundum subsistentiam.*

Verba Concilij.

100. Quòd sit relatio transcendentalis, prob. prædicamentalis consequitur ad aliquid priùs productum; sed in composito ex humanitate & Verbo non datur aliud prius productum, ad quod hæc vnio sequatur: nam quod primò in eo producitur, est ipsa compositio extremorum: at hæc est ipsissima vnio componentium, propter quod à *cit. Synodo* vnio secũdùm compositionem dicitur. Neque dicas illam sequi ad productionem humanitatis: Nam potest humanitas produci non vnita Verbo, & tunc esset sine relatione ad Verbum: at sequela relationis prędicam. non potest posito fundamento, non sequi.

101. Quòd sit nexus humanitatis cum Verbo, vt cum termino personali, habet ex suâ specificâ ratione, quâ vnio personalis est, propter quod à Concilijs, præsertim à *cit. Synodo*, vnio secundùm subsistentiam seu hypostasim dicitur. Quòd autem copulet humanitatem Verbo tantùm, & non reliquis personis, habet ex peculiari differentiâ, quâ talis vnio est ad talem personam terminata, quam respicit vt vnio est formaliter, non vt effectus vel actio; sic enim respicit totam Trinitatem. Vnde duplicem fundat respectum ratione diuersum, alterum vt effectûs, vel actio ad Deum vt Deum; alterum vt vnio ad humanitatem vt ad subiectum, & ad Verbum vt ad terminum personalem.

SECTIO IV.

An vnio hypostatica sit supernaturalis quoad essentiam, & indebita cuilibet naturæ creatæ?

102. *Duplex ens supernat.* ENs supernaturale quoad modum dicitur, non per intrinsecam entitatem excedentem capacitatẽ subiecti naturalis, sed per extrinsecam dumtaxat habitudinem ad Deum operantem vltra exigentiam causarum naturalium; vt restitutio visûs cœco. Supernaturale quoad substantiam est illud, quod dicitur tale quoad intrinsecã entitatem, quâ excedit omnem capacitatem subiecti naturalis in quibuscumque circumstantijs naturalibus positi, de quo est quæstio.

103. *Assertio.* DICO. Vnio hæc supernaturalis est quoad essentiam, & indebita cuilibet naturæ creatæ. *ex Concil. & PP.* qui eam *prorsus ineffabilem* appellant. *Ephes. in scholio, Cyrill. Alex. de vnigen. incarnat. c. 8. tom. 1. Concil. 2. pag. 366.* loquens de hâc vnione: *Ineffabilis est prorsus*, inquit, *& fortasse nulli penitus nota nisi soli illi omnia scienti Deo.* Porrò ineffabilitas, sicut & incognoscibilitas, sunt proprietates entis supernaturalis quoad essentiã: quod est supra sphærã obiecti potẽtiæ cognitiuæ naturalis.

104. *Prob. 1. à posteriori.* Prob. 1. hæc vnio esset quoad essentiam naturalis, seu debita alicui naturæ creatæ, talis natura creata fuisset, vt in eã talis vnio connaturaliter existeret: ita *tom. 1. disp. 9. sect. 6.* probaui, non posse lumen gloriæ fieri connaturale intellectui creato: quia si hic esset possibilis, esset creatus, vt ab eo visio beata connaturaliter eliceretur.

Ratio. Ratio: semper Deus operatur effectus modo connaturaliori, ob quam causam Deus connaturalizat intellectum Beati per lumen gloriæ adscititium.

105. *Ratio à priori.* 2. Quod est proprium Dei, repugnat fieri proprium creaturæ: personalitas diuina est propria Dei; quid enim connaturalius? ergo repugnat, fieri propriam & connaturalem creaturæ: fieret autem propria & connaturalis creaturæ, si vnio hypost. esset connaturalis & debita creaturæ: nam cui connaturalis est talis vnio, cõnaturalis est personalitas Dei, quam illa affert vt terminũ essentialiter inclusum. Maior constat ex definitione proprij; quod ita est additum vni, vt nequeat competere alteri; risibile ita est addictum homini, vt nequeat competere alteri. *Ex definitione proprij.*

Ratio: proprium est passio, vel quasi passio propria naturæ; vnde sicut natura vnius nõ potest fieri propria alterius; ita nec passio propria vnius, fieri potest propria alterius, quia propria passio fert secũ essentialem ordinem ad naturam, cuius est passio, eique tantùm postulat connaturaliter coniungi, à quâ connaturaliter fluit. Ob hanc rationem nequit lumen gloriæ fieri connaturale intellectui creato; quia cognoscere Deum per modum actûs puri, est proprium intellectûs increati emersi ab omni potentialitate; proprium vnius nequit fieri proprium alterius, nisi natura vnius transferatur in naturam alterius, quod implicat. 3. Implicat, naturam habere naturalem repugnantiam ad propriam personalitatem, ad connaturales proprietates, vt ad destructionem sui, subsistentiæ, proprietatum inclinare: si autem natura creata connaturaliter exigeret vnionem hypostaticam cum personalitate diuinâ, necessariò haberet naturalẽ repugnantiam ad propriam: quia implicat naturam creatam suppositatam proprio supposito, suppositari alieno: igitur si naturaliter exigeret alienum, repugnaret cũ proprio; alienum non foret alienum, sed proprium, proprium non foret proprium, sed alienum: nam proprium est, ad quod natura inclinat; alienum cum quo naturaliter repugnat. 106. *Prob. 3.*

Obijcies 1. Persona diuina naturaliter suppositat naturam creatam: cùm nihil possit esse Deo supernaturale: ergo natura creata naturaliter suppositatur personâ diuinâ: nam suppositare, & suppositari sunt correlatiua: si illud naturaliter competit Deo, etiam hoc creaturæ. Nego conseq. sicut non est supra naturam Dei producere lumen Gloriæ, est tamen supra naturam intellectûs creati, illud recipere: non enim quidquid est iuxta naturalem potentiam Dei operantis, est iuxta naturalem creaturæ recipientis; nam plura potest Deus naturali suâ virtute operari, quàm creatura naturali potentiâ recipere; quia illimitatior est virtus Dei in operando, quàm virtus creaturæ in recipiendo, quæ solùm naturaliter se extendit ad ea, ad quæ limitata ipsius natura per innatam inclinationem propendet. Ad prob. nego, proposito casu, suppositare & suppositari esse correlatiua eiusdem ordinis, sed diuersi: vt producere, & recipere visionem beatificam sunt correlatiua, quia tamen sunt diuersi ordinis, non sequitur, quòd si producere illam, sit naturale Deo, recipere candem, sit naturale creaturæ. 107. 108. *Resp. Datur correlatiua diuersi ordinis.*

Obijcies 2. non repugnat, vt creatura participet proprium modum operandi Dei, vt constat de lumine gloriæ, quod vt instrumentum connaturale participat proprium modum essendi Dei; ergo possibilis est creatura, quæ saltem vt instrumentum connaturale exigat vnionem cum Deo. Nego conseq. quia natura non potest vt instrumentum exigere personalitatem; vnde si illam exigeret, exigeret vt causa principalis; quia exigeret illam ad perficiendam seipsam: instrumentum autem est essentialiter ad perficiendum aliud à se, vt inductione constat in naturali & supernaturali: an illam exigere posset mediâ dispositione; *infra.* 109. 110. *Resp.* *Ratio.*

Obij-

111. *Dices.* *Ex Latera.* *Obijcies* 3. vnio hæc à Concilijs & Patribus dicitur naturalis Christo, vt *Lateran. sub Martino I. fine consult.* 4. sub titulo *symboli Ephesini*, ita scribit: *Si quis in vno Christo diuidit substantias post adunationem, solâ iungens eas coniunctione, quæ est secundum dignitatem & authoritatem, vel potentiam, & non magis concursu secundum naturalem vnitionem, Anathema sit.* *Ex August.* Et Augustin. *in Enchirid. cap.* 40. ita de hac vnione loquitur: *Modus iste, quo natus est Christus de Spiritu sancto, non sicut filius, & de Maria Virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, quâ homo nullis praecedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei: ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere.* At non est vnio hæc naturalis Christo ratione naturæ diuinæ; nam respectu illius naturæ dicitur aliquid naturale, vel supernaturale, ad quam comparatur vt proprietas ad subiectum; cuius virtutem adæquat, vel excedit. Sed vnio hæc nõ respicit vt subiectum naturam diuinam, sed humanam.

112. *Resp.* *Naturale non opponitur tantùm supernaturali.* Resp. Dici à Concilijs & Patribus vnionẽ hypostaticã naturalem Christo, prout naturale opponitur morali, per extrinsecam dignitatẽ & authoritatem, qualem vnionem ponebat *Nestorius*, cuius hæresim damnant: ita vnio hypost. est naturalis Christo, seu physica & realis compositio humanitatis cum Verbo; non tantùm moralis extrinseco affectu & dignitate, vt constat *ex cit. Concil.* *Ad verba Concil.* *Ad August.* Etsi hæc interpretatio cadere non possit in verba *August.* qui hanc vnionem non appellat simpliciter, sed *quodammodo* homini Christo naturalem, cùm tamẽ iuxta datam explicationem, dicenda esset simpliciter naturalis, vti est simpliciter physica & realis.

113. Quare cum *S. Tho.* 3. *p. q.* 2. *art.* 12. arbitror, Augustinum per *naturalem* intellexisse, quasi natam cum ipsis principijs intrinsecis naturæ, quæ Christus à principio suæ conceptionis accepit, vt illa, *Ac sic in natura humana susceptione*; &, *In ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis* insinuant: vt *Ephes.* 2. dicimur *Natura filij iræ*; quia ex vi conceptionis illam contrahimus: dixit *quodammodo*, quia non sufficit, vt dicatur simpliciter naturalis, vt illa à principio conceptionis sit data Chisto vt homini, de quo tantùm ibi Augustinus: alioqui etiam gratia data angelis in principio creationis, dici posset illis simpliciter naturalis.

114. *Theologica controu.* Cæterùm adhuc controuersum est, an hæc vnio dicenda sit simpliciter naturalis Christo, prout naturale opponitur supernaturali? Nota, Christum tria dicere, naturam humanam, naturam diuinam, & compositum ex vtrâque resultans.

115. *Vnio hypost. simpliciter naturalis Christo, non respectu naturæ humanæ.* Certum est, ratione naturæ humanæ, non posse dici hanc vnionem simpliciter naturalem Christo: quia eo respectu est omninò indebita, & supra exigentiam. Nec dici potest, illam naturaliter exigere ratione alicuius doni prius accepti; sicut dicitur ei naturalis gratia habitualis, ratione vnionis hypostaticæ naturâ priùs acceptæ: quia cùm vnio hypostatica sit primum donum supernaturale, quod Christi humanitati confertur, non potest supponere aliud donum supernaturale, ratione cuius humanitas naturaliter hanc vnionem exigat. Neque etiam dici potest, hanc vnionem exigere ratione priuationis propriæ subsistentiæ, quâ natura humana Christi supponitur priùs naturâ spoliatâ, quàm vniatur Verbo: quia cùm hæc sit priuatio solius perfectionis naturalis, non poterit ratione talis priuationis aliam perfectionem naturaliter exigere, quàm cuius est priuatio.

Ratione verò Compositi ex humanâ & diuinâ naturâ resultantis, rectè dici potest hæc vnio simpliciter naturalis Christo Domino. 116. *Sed ad cõpositi ex humanâ & diuinâ resultantis.* Fundam. respectu compositi formaliter sumpti hæc vnio se habet vt forma ad suum effectum formalem; seu ad quam resultat hoc compositum *Christus*: sed forma dicitur simpliciter naturalis respectu sui effectûs formalis; cùm eum seipsâ causet, & nihil magis naturale sit, quàm idem sibi ipsi: ergo hæc vnio est simpliciter naturalis Christo, ratione compositi formaliter sumpti. Confirm. licet intellectui creato non sit naturalis visio beata; est tamen naturalis intellectui vt Deum videri: quia vt sic comparatur vt forma ad suum effectum formalem. Nec refert, quòd forma non distinguatur ab effectu formali: nam sufficit, vt distinguatur ratione alicuius extremi in concreto importati,

An dici possit hæc vnio simpliciter naturalis Christo, ratione naturæ diuinæ? 117. *An respectu naturæ diuinæ?* *Ratio difficult.* Ratio dubit. vt aliquid dicatur naturale alicui, oriri debet ex intrinsecâ naturâ ipsius, seu ex principijs constitutiuis ipsius rei. Sed vnio hypostatica non oritur ex naturâ diuinâ, quâ est intrinseca & constitutiua Christi, sed quâ extrinseca, & antequam constituat Christum. Confirm. vnio hypostatica non oritur naturaliter, sed liberè à naturâ diuinâ. Propter has rat. negatiuè opinatur *Vasq.* 3. *p. disp.* 24. *cap.* 2. 118. *Assertio.* Dico tamen cum *S. Thom. cit. q.* 2. *art.* 12. &c. vnio hypostatica est simpliciter naturalis Christo, ratione naturæ diuinæ, ex quâ Christus cõponitur. Nam hæc vnio non excedit naturalem virtutem naturæ diuinæ, à quâ prouenit, & ex quâ constituitur Christus. In quâ ratione nobiscũ sentit *Caiet.* licet propter aliam, scil. quòd hæc vnio liberè causetur à naturâ diuinâ, neget eam dici naturalem Christo, de quâ mox.

119. *Ad rationes diffic.* Ad 1. rationem, dist. minor: Vnio hypostatica non oritur ex naturâ diuinâ, vt intrinsecâ & constitutiuâ Christi quoad primam sui productionem, concedo, quia non oritur ex naturâ diuinâ vt coniunctâ Christo; cùm coniungatur Christo formaliter ipsâ vnione; non oritur quoad cõseruationem eiusdem sui esse præaccepti, nego. Cæterũ, vt possit dici simpliciter naturalis Christo, ratione naturæ diuinæ, sufficit, vt sit ab illâ, vt intrinseca & constitutiua Christi secundùm esse conseruatiuum sui. Sicut dispositiones naturæ auri productæ à sole, dicuntur naturales naturæ auri, etiamsi non producantur quoad primũ esse sui ab auro, modò productæ conseruentur à naturâ auri secundùm illud idem esse à sole prius acceptum. Neque solùm illæ sunt naturales naturæ auri subiectiuè, sed etiam effectiuè, non quoad primam productionem; sed quoad cõseruationem. 120. *Ad 2.* Ad 2. neg. conseq. nam licet vnio hypostatica non possit dici ratione naturæ diuinæ naturalis Christo, prout naturale opponitur libero; dici tamen potest naturalis eidem, prout naturale opponitur supernaturali: in quâ tantùm significatione hîc dicitur, vnio hypost. ratione naturæ diuinæ, simpliciter naturalis Christo: quo sensu etiã actus liberi, liberè promanantes à principio libero, sunt simpliciter naturales, quando non excedunt virtutem naturalem principij liberi. 121. Ad rationem, quòd naturale vel supernaturale dicatur vt proprietas de subiecto, respondeo, falsam esse vniuersaliter: siquidem naturale & supernaturale dicitur etiam respectu principij: cùm non minus risus sit naturalis respectu principij risiui, quàm respectu subiecti risum recipientis. Esto igitur vnio hypostatica non comparetur ad naturam diuinam,

uinam, Christum componentem, vt proprietas ad subiectum, comparatur tamen vt effectus seu terminus conseruatus ad principium conseruans virtutem ipsius non excedens; adeoque vt simpliciter naturalis.

SECTIO V.

An Vnio hypostatica in ratione vnionis sit omnium maxima?

122. 1. Sentent. PRIMA Sententia negat: *Durandi in 3. dist. 1. qu. 3.* inclinat *Vasquez 3. p. disp. 20. cap. 2.* dum ait, hanc vnionem esse tãtùm maximam respectu eius, in quo fit, nempe personalitatis Verbi, quæ est nexus inter naturam diuinam & humanam; non respectu extremorum, quæ vniuntur. *Fundam.* Fundamentum: ea vnio est maxima, quâ fit maximè vnum; at vnione materiæ cũ forma fit magis vnum, quàm vnione humanitatis cum Verbo; 1. quia per illam fit vnum in essentiâ, quod est magis vnum & indiuisum; quàm vnum in persona: 2. quia materia & forma seipsis naturaliter sunt apta ad constituendum vnum, humanitas non nisi obedientialiter apta est constituere vnum cum Verbo: 3. quia minùs separabilia sunt materia & forma, quàm humanitas & Verbum.

123. 2. Sentent. SECVNDA affirmat: *Alensis 3. p. quæst. 7. memb. 2. art. 3.* vbi ait, vnionem hypostaticam *qualitatiuè* seu *intensiuè* excedere omnes vniones, non *quantitatiuè* seu *extensiuè*: *Bonau. in 3. dist. 6. art. 2. quæst. 3. Scot. quæst. 1. ad argum. ad 2. Palud. dist. 5. quæst. 3. art. 3. Capreoli quæst. 1. art. 1. conclus. 3. Marsil. quæst. 2. artic. 2. concl. 4. Palat. disp. vlt. Caiet. & Medin. 3. p. cit. Suarez disp. 9. sect. 1.* Fundamentum: authoritas *S. Bernard. lib. 5. de consid. ad Eugen. post med.* vbi, *Fundam. potissim.* *Inter omnia*, inquit, *quæ rectè vnum dicuntur, arcem tenet vnitas Trinitatis, quâ tres personæ vna substantia sunt, secundo loco illa præcellit, quâ è conuerso tres substantiæ vna in Christo persona sunt.* vnde illam præfert vnioni naturali inter animam & corpus. Idem docent *Leo serm. 17. de pass. & Concil. Ephes. in scholio, Cyrill. Alexand. de Vnigen. incarn. cap. 8. tom. 1. Concil. p. 2. pag. 366.*

124. *Vnio trifariam consideratur.* Nota: vnio trifariam consideratur: 1. in vi & efficacitate copulandi extrema. 2. in reddendo illa magis aut minùs inseparabilia inter se. 3. in faciendo illa magis aut minus inter se vnum: nam cùm vnio per se ordinetur ad constituendum; vnum; vnum constituatur virtute vnionis nectentis extrema; extrema eò perfectiùs vi vnionis inter se nectantur, quò vnitiùs & inseparabiliùs copulantur, hæc erunt propria vnionis, vt vnio est formaliter.

125. *Assertio 1.* DICO 1. vnio hypostatica in vi & efficacitate copulandi extrema, est omnium creatarum vnionum maxima: ita *Palud.* *Fundam.* Fundam. copulat extrema omnium maximè inter se distantia: nam inter ea, quæ apta sunt inuicem copulari ad vnum per se constituendum, omnium maximè distant humanitas & Verbum; scilicet infinitè in ratione entis, & nullam habent ad inuicem naturalem propensionem in ratione perfectibilis & perfectiui, vt extrema creata; sed meram obedientialem ex parte humanitatis, & eminentialem ex parte Verbi, quatenus infinitâ suâ virtute potens est communicare suam personalitatem cuicumque non repugnat illam recipere: at quantò magis in ratione perfectiui & perfectibilis extrema distant, tantò minùs sunt accommodata ad compositionem: nam quantò magis recedunt à mutuâ inclinatione, tantò magis à componibilitate; vnde quæ ab omni perfectiuitate & perfectibilitate, recedunt ab omni componibilitate: ergo quantò magis extrema recedunt à componibilitate, tantò maior, efficaciorque vis requiritur ad ea componenda. Sicut quantò minùs mobile inclinat ad motum, tantò maior vis impulsiua requiritur ad illud mouendum.

DICO 2. vnio hypostatica in ratione inseparabilitatis, est omnium creatarum vnionum maxima: Et primò earum, quæ habent naturale corruptiuum; nam ea vnio est maior in ratione inseparabilitatis, quæ nullum habet naturale agens, à quo corrumpi possit: vnio hypost. à nullo naturali agente potest: non subtractione conseruatiui concursûs; quia illa conseruatur à solo Deo: Non destructione subiecti; quia subiectum, in quo illa immediatè recipitur, est anima rationalis, & materia prima; quæ pendent à solo Deo per creationem: & licet recipiatur etiam in formis partialibus, substantialiter organizantibus corpus humanum, illæ tamen prout erant assumptæ à Verbo, erant incapaces corruptionis, saltẽ quoad partes primigenias, quas Christus ex vtero Virginis assumpsit: nec vnio hypostatica pendet ab vnione naturali partium, vt patuit in morte, in quâ solutâ vnione naturali partium, mansit vtraque vnio hypostatica cum partibus separatis. Non introductione propriæ subsistentiæ, cum quâ pugnat vnio hypost. 1. quia subsistentia creata producitur à producente naturam; & quia solus Deus per creationem producit animam rationalem, & materiam primam, solus Deus producit subsistẽtiam creatam humanitatis: 2. quia, esto produceretur à naturâ, illa tamen dum in Verbo subsistit, est incapax ad propriam subsistentiam sibi producendam, quia illi in Verbo subsistenti denegatur omnis concursus ad eam producendam: nec propterea manet violenter, quia eminentiori modo subsistit in diuinâ. (Sed quid de partibus materiæ & formæ materialis, quæ per nutritionem de nouo adgenerabantur Christi humanitati? Resp. Eas statim adgeneratas, & humanitati adiunctas spoliatas fuisse propriâ subsistentiâ, & vnitas fuisse Verbo, in quo cum reliquis partibus præexistentibus subsistebant.) Non commissione peccati, cum quo implicat hæc vnio, quæ est perfectissima sanctitas: quia nullum peccatum committi potest ab humanitate vnitâ Verbo. 126. *Assertio 2.* *Quadrifariam corrumpi potest vnio hypostatica.*

Prob. 2. Illa vnio omnium maximè est ab extremis inseparabilis, quæ naturâ suâ est omnium maximè immutabilis, indefectibilis, durabilis, indissolubilis: Vnio hypostatica inter omnes creatas naturâ suâ est omnium maximè immutabilis; nam quò propiùs ens creatum accedit ad esse diuinum, eò magis participat proprietatem esse diuini, quæ est immutabilitas: nam proprietas sequitur esse: sed inter omnes vniones creatas hypostatica proximè accedit ad esse diuinum: nam respicit immediatè Deum vt terminum hypostaticũ intrinsecum, estq; proxima via, quâ personalitas increata Verbi substantialiter se communicat naturæ humanæ: vnde essentialiter secum affert Deum vt suppositum intrinsecum naturæ, constituitque cum illâ intrinsecè & substantialiter Deum, quod nullum ens creatum habet. Cùm igitur omnis vnio specificetur ab extremis vnibilibus; cumq; extremum vnibile, à quo hæc vnio specificatur, sit maximè immutabile, etiã hæc vnio vt via ad tale extremum substantialiter copulandum, participabit aliquam immutabilitatem illius. Nam quantum extremum communicat vnioni de suo esse, tantum communicat de suis 127. *Ratio à priori Assertionis.*

proprie-

proprietatibus: sed Verbum diuinum communicat Vnioni hypostaticæ vt viæ seipsum vt terminum hypostaticum intrinsecum: ergo etiam illi vt viæ communicat suam immutabilitatem terminatiuè.

128. *Confirm.* Confirmat. ideò visio beatifica inter omnes visiones maximè participat de immutabilitate & perpetuitate visionis increatæ, quapropter *participata æternitas* dicitur, quia inter omnes visiones creatas, proximè accedit ad visionem increatam, quâ Deus seipsum immutabiliter contemplatur & fruitur: sed vnio hypostatica inter omnes vniones creatas proximè accedit ad increatam constitutionem inter ipsas personalitates increatas & naturam diuinam, non quoad simplicitatem constitutionis, sed quoad perfectionem constituti; cùm hæc vnio includat pro extremo eandem increatam personalitatem naturæ diuinæ: ergo etiam vnio hypostatica erit inter omnes vniones creatas, maximè immutabilis ac indissolubilis.

129. *Dices.* *Obijcies.* Omnia entia creata æqualiter pendent & conseruantur à Deo: nam æquè liberè Deus conseruat omnia entia creata: ergo non magis vnum, quàm aliud postulat durare. *Confirm.* Confirm. non ideò visio Dei postulat æternam durationem, quia est participatio visionis increatæ; nam si ex se eam postularet, non posset viatori concessa absque violentiâ corrumpi, sed ex suppositione, quod datur beatis vt suprema felicitas, de cuius ratione est, vt sit perpetua; adeoque data sub hoc titulo necessariò includit decretum Dei de perpetuitate ipsius.

130. *Resp.* Concedo, ex parte Dei omnia æqualiter conseruari; nego, ex parte ipsorum: maiorem quippe exigentiam habet, vt in esse conseruetur ens permanens, quàm successiuum; subsistens, quàm inhærens; substantia spiritualis, quàm materialis. Neque hæc maior exigentia in vno, quàm in alio minuit perfectam libertatē in Deo, qui ex se æquale dominium habet in omnia.

131. *Ad confirm.* Ad confirm. nego ideò tantùm visionem Dei poscere æternam durationem, quia includit decretū Dei de ipsius perpetuitate, ex suppositione, quòd detur vt suprema creaturæ rationalis felicitas; sed ex intrinsecâ etiam perfectione suâ, quatenus participatio est visionis increatæ: nam quò propiùs ad illam accedit, eò magis de ipsius immutabilitate participat. *Neg. sequela.* Ad prob. licet visio Dei, quantum est de se connaturaliter postulet æternitatem, potest tamē illam connaturaliter non postulare, ratione alicuius impedimenti, quod in subiecto reperit. Sicút calor quantum est de se connaturaliter postulat conseruari in igne; non tamen in aquâ ratione contrarij. Cùm igitur visio Dei suâ naturâ postulet omnimodam abstractionem à corpore, rebusque corporeis, non potest in homine viatore connaturaliter poscere perpetuitatem. Vnde illa miraculosè fuit in Christo viatore.

132. *Assertio 3.* Dico 3. In ratione faciendi vnum, non est vnio hypostatica inter vniones creatas omniū maxima. Fundam. Ea vnitas est maior, quæ maiorem dicit indiuisionem eorum, quæ vniuntur: sed quæ vnione hypostaticâ vniuntur, non dicunt summam indiuisionem eorum, quæ inuicem copulantur: ergo. Maior patet: vnitas est recessus à diuisione in se, & accessus ad indiuisionem in se; vnde quò magis aliquid recedit à diuisione sui, & accedit ad indiuisionem sui, eò magis est vnum; Deus cùm maximè recedat à diuisione sui, & accedat ad indiuisionem sui, est maximè vnus. Contrà verò, vnum per aggregationem, quia maximè recedit ab indiuisione in se, & accedit ad diuisionem sui, est imperfectissimè vnum. Minor prob. quæ vnione hypostaticâ copulantur, non copulantur immediatè, sed mediatè: maiorem autem indiuisionem in se dicūt, quæ copulantur immediatè, quia dicunt minorem pluralitatem, ac proinde maiorem vnitatem, quæ pluralitati opponitur. Vnde magis vnum est, ex naturâ & subsistentiâ propriâ, quàm ex humanitate & subsistentiâ increatâ: quia illa vniuntur immediatè, vt natura & modus; hæc mediatè, vt duæ entitates absolutæ medio nexu distincto. Confirm. maior vnitas resultat ex extremis inter se magis proportionatis, quia quò sunt magis inter se proportionata, eò magis ad mutuam vnionem propendent; ac proinde efficiunt magis vnum; magis à diuisione sui recedunt, & ad indiuisionem in se accedunt. Magis autem ad sui vnionem proportionata sunt materia & forma, natura & propria subsistentia, quàm humanitas & Verbum; quia illa naturaliter, hæc solùm obedientialiter & per non repugnantiam ex parte humanitatis, & eminentialiter ex parte Verbi. 133. *Confirm.*

Obijcies 1. ex *S. Thom. 3. p. qu. 2. art. 9.* vnio hypostatica minima est ex parte eorum, quæ vniuntur; maxima ex parte eius, in quo vniuntur. 134. *S. Thomas obijcitur.* Resp. S. Thom. per vnionem hypost. non intelligere vnionem creatam, sed personalitatem increatam, quæ est commune vinculum copulans naturam humanam cum diuinâ: patet tum *cit. loco.* tum *in 3. dist. 5. quæst. 1. art. 1. ad 2. quæst.* vbi docet, hanc vnionem esse maximâ ratione eius, in quo fit, quæ est personalitas Verbi, *Quæ est vnitas,* inquit, *increata & simplicissima, proinde maximè vna, quæ continet quidquid pertinet ad rationem vnitatis.* Vbi personalitatem non considerauit vt terminum vnionis creatæ, sed vt formale vinculum inter humanitatem & diuinitatem. 135. *Explicatur.* In quo sensu dicitur, maior esse vnio diuinarum personarum cum essentiâ diuinâ, cum quâ personæ sunt idem re, quàm personæ Verbi cum naturâ humanâ; quia persona Verbi non est idem re cum naturâ humanâ. *Vnio eò minor in ratione vnitatis, quò magis distans & disting.* Hinc cùm concedit: hæc vnio est minima ex parte eorum, quæ vniuntur, intelligit de naturâ humanâ & diuinâ, vt de extremis huius vnionis, quæ quia infinitè distant, & realiter distinguuntur, minima est ex parte eorum, quæ vniuntur: quia quò magis distant in ratione perfectiui & perfectibilis, eò minùs sunt idonea ad compositionem. Et licet Verbum sit infinitè perfectiuum, & humanitas infinitè perfectibilis, sunt tamen perfectiuum & perfectibile diuersi ordinis.

Obijcies 2. accidens magis inclinat ad componendum cum substantiâ, quàm humanitas cum Verbo: quia illa ad componendum inclinant naturaliter; hæc ex parte humanitatis tantùm obedientialiter, ex parte verò Verbi eminentialiter. At maior vnitas compositi desumitur ex maiori inclinatione componentium. 136. Nego minor. nam quamuis accidens & substantia maiorem habeant inclinationem ad inuicem, quia tamen sunt in diuerso genere, sunt inepta ad faciendum vnum compositum substantiale; tunc maior vnitas compositi desumenda est ex maiori inclinatione componentium, quando sunt cætera paria, & componentia eiusdem generis: nam ad compositi vnitatem non solùm concurrit componentium propensio, sed etiam generis vnitas. 137. *Resp. cætera non sunt paria.*

Obijcies. 3. Intimius vnitur Verbum humanitati, quàm ei vniretur propria subsistentia: ergo fit magis vnum ex Verbo & humanitate, quàm ex humanitate & propria subsistentia. 138. *Resp.* Resp. Vniri intimiùs, hoc est perfectiùs, concedo; naturaliùs & immediatiùs, nego: nam propria subsistentia vnitur na-

tur naturæ seipsâ, nullâ mediâ vnione distinctâ, & ex naturali propensione; Verbum mediâ vnione distinctâ, & ex nullâ naturali, sed tantùm eminentiali propensione, subordinatâ liberæ voluntati diuinæ.

139. *Dices.* *Obijcies* 4. Ea sunt magis vnum, quæ de se inuicem prædicantur: sed proprietates Verbi prædicantur de humanitate, & vice versâ: cùm tamen nec proprietates materiæ prædicentur de formâ, aut proprietates formæ de materiâ. Confirm. ex *August. 1. de Trinit. cap. 10. cùm filius sit & Deus & homo, alia substantia Deus, alia homo, homo potiùs in filio, quàm filius in Patre.* Sed Filius Dei est in Patre per vnitatem essentiæ; homo est in Filio Dei per vnionem Incarnationis: ergo maior est vnio Incarnationis, quàm vnitas essentiæ. *Augustinus obijcitur.*

140. *Resp.* Resp. Mutua prædicatio non arguit maiorem vnitatem & indiuisionem extremorum, sed vnionem naturarum integrarum in eodem supposito, à quâ vnione formaliter prouenit mutua prædicatio. Vnde quia sanguis non est integra natura in Christo, sed pars tantùm naturæ, non prædicatur de Verbo, aut contrà; etiamsi eadem vnio Verbi sit cum sanguine, ac cum totâ humanitate. Ad confirm. *homo est magis in filio Dei, quàm filius Dei in Patre*, non ratione naturæ, ratione cuius filius Dei est in Patre vnitate essentiæ, homo in filio Dei solâ vnione naturæ; sed magis ratione personæ, ratione cuius hic homo Christus est idem personaliter cum filio Dei, qui tamen non est idem, sed alius personaliter à Patre.

141. *Explicatur August.*

142. *Obijcies* 5. quò simpliciora sunt extrema, eò simplicius efficiunt compositum: sed Verbum est simplicissimum; ergo simplicissimum efficit compositum; ergo maximè vnum: nam sicut vnitas sumitur ex simplicitate extremorum, ita maior vnitas ex maiori simplicitate. Nego poster. conseq. Ad prob. nego anteced. non enim vnitas compositi ex simplicitate, sed ex aptitudine & inclinatione extremorum oritur: nam quò magis ad sese mutuò inclinant, magis inter se vniuntur, ac proinde magis vnum efficiunt. *Resp.*

143. *Obijcies* 6. compositum ex humanitate & Verbo, est ex naturâ & subsistentiâ: sed hoc est magis vnum, quàm compositum ex materiâ & formâ, quia componentia sunt magis indiuisa & inseparabilia. Minor est vera de composito ex naturâ & subsistentiâ propriâ, non alienâ, vti est subsistentia Verbi. Nec Verbum supplere potest maiorem illam connaturalitatem & indiuisionem, quam habet propria subsistentia erga humanitatem; quia non potest supplere modalitatem & formalem inclinationem, quam creata subsistentia habet ad propriam naturam, ex quibus maior illa connaturalitas & indiuisio extremorum in supposito creato prouenit. *Resp.*

SECTIO VI.

An vnio hypostatica in ratione doni sit omnium maxima?

144. *1. Sent.* PRIMA sententia negat: *Marsilij in 3. quæst. 3. art. 2. p. 4. Coroll. post 3. conclus. & ad 2. ratio. Richardi distinct. 2. art. 1. quæst. 4. fine, Durand. quæst. 1. num. 10. Argent. quæst. 1. art. 1. ad* 1. Fundamentum, maius est vniri Deo visione beatificâ, quàm vnione hypostaticâ, 1. quia per illam formaliter beamur, non per hanc: potest esse homo vnitus Deo hypostaticè, & non beatus. 2. per illam communicatur nobis tota Trinitas, vt summum bonum formaliter, per hanc sola persona, vt bonum materialiter. 3. illa ob excellentiam suam nequit communicari naturæ irrationali; hæc potest, *vt infrà*. 4. illa est perfectissima operatio naturæ intellectualis; hæc est tantùm modus. 5. Appetibilius est prudente ratione, videre Deum, quàm ei hypostaticè vniri: ergo perfectius est ipsius visio, quàm vnio. Quia appetibilitas consequitur rationem boni & perfecti; ergo quò aliquid est appetibilius prudente ratione, eò est perfectius. Antecedens probatur, vnio hypostatica destruit proprium suppositum, visio perficit: non potest autem suppositum prudenter appetere destructiuum sui; alioqui posset homo prudenter appetere esse angelus. *Fundam.*

SECVNDA affirmat: *Alensis 3. p. quæst. 12. memb. 1. artic. 1. Henrici quodlib. 6. quæst. 6. S. Thom. 3. p. qu. 2. art. 11. & quæst. 4. art. 1. ad 2. Caiet. quæst. 4. cit. ad 2. Scoti in 3. dist. 2. quæst. 1. ad argum. & in 4. dist. 49. q. 2. §. Ad istam secundam, ad 2. ration. fine*, qui solùm affirmat, vnionem hypostaticam esse perfectiorem quoad actum primum, *Gabriel. in 3. dist. 1. quæst. 2. art. 2. Medina 3. p. quæst. 2. art. 9. Suarez disp. 9. sect. 2. Vasquez disput. 20. cap. 4.* Hæc sententia probabilior est; potest autem hæc vnio comparari cum quouis alio ente supernaturali: primò, quoad physicam entitatem; ita plura entia etiam naturalia, sunt entitatiuè perfectiora, cùm hæc vnio sit modus essentialiter pendens à subiecto; 2. quoad ordinis perfectionem: de hâc, 145. *2. Sentent.* 146. *Vnio comparatur dupliciter cum quouis alio ente supernaturali.*

DICO: vnio hypostatica est in supremo ordine entis supernaturalis creati, proinde in genere doni est maximum, quod Deus de potentiâ absolutâ creaturæ communicare potest. Prob. 1. ex *Augustini lib. de prædestinat. Sanctorum cap. 15. Prædestinata est ista natura humana tanta, & tam celsa, & summa subuectio, vt quò attolleretur altiùs, non haberet.* 2. Eò ens est in superiori ordine, quò propiùs participat esse Dei, qui est prima mensura totius esse, sed hæc vnio omnium proximè participat esse Dei: quia participat Deum in seipso personaliter; est enim essentialis via ad formalem substantialemque communicationem personæ diuinæ, constituentis vnum cum naturâ humanâ: sed non est possibilis altior perfectio & intimior participatio Dei, cùm omnis alia sit extrinseca & accidentalis. Cuius signum est, quòd nulli creaturæ quocumque dono eleuatæ debetur tanta veneratio, quanta humanitati Christi ratione vnionis hypostaticæ, scilicet ea latriæ adoratio, quæ debetur Deo. 147. *Assertio.* *Ex August.* 148. *Ratio.* *Ergo est in supremo ordine inter entia creata.*

Obijcies: perfectior est vnio terminata ad omnes personas diuinas, quàm ad vnam tantùm: igitur vnio humanitatis cum Verbo non est in ratione doni omnium maxima. Confirm. perfectior esset visio omnium personarum, quàm vnius tantùm: ergo perfectior esset vnio cum omnibus personis, quàm cum vnâ tantùm. Distinguo anteced. de perfectione extensiuâ intra eundem ordinem, concedo; de perfectione altioris ordinis, nego. nam vtraque vnio in ratione nexûs constituentis substantialiter Deum, est ordinis diuini, quo altior dari non potest. Quare vnio ad omnes personas diuinas non variat ordinem, sed tantùm extendit perfectionem intra eundem ordinem. Confirm. nec natura diuina, ratione trium personalitatum formaliter sumptarum, est perfectior intensiuè, sed tantùm extensiuè. Dixi *Formaliter sumptarum*: quia si sumantur, prout tantùm eminenter continentur in naturâ diuinâ, hæc eminenter continēs tres personalitates, est perfectior intēsiuè; quia 149. 150. *Resp.* *Confirm.*

quia si vnam tantùm eminenter contineret, tolleretur eminentialis continentia trium, quæ cùm sit perfectio absoluta in Deo, variaretur natura diuina in ratione absolutâ; proinde alius foret ordo diuini, ac nunc est: Personalitates autem formaliter sumptæ, cùm non intendant naturam seu ipsius eminentialem continentiam, censentur perficere illam tantùm extensiuè: ergo multò minùs censentur perficere intensiuè naturam assumptam: quia cum quâlibet personalitate diuinâ hypostaticè vnitâ naturæ creatæ, per se etiam vnitur natura increata, quæ intensiuè & eminentialiter continet tres personalitates.

Ordo diuinæ à deitate sumitur potissimùm.

151. *Ad confir. resp. 1.* Ad confirm. concedo, etiam visio beata terminata ad tres personas est perfectior tantùm extensiuè visione terminatâ tantùm ad vnam.

2. *Discrimen visionis & vnionis.* 2. assignatur discrimen: visio terminata ad vnam tantùm personam, non est perfecta forma beatifica, cùm non adæquatè expleat rationalem appetitum videntis Deum: nam qui in Deo vnam tantùm personam videret, ardenter inhiaret videre reliquas; eòque ardentiùs, quò in personâ visâ cerneret infinitum bonum, quo simili infinito bono se priuatum videret, dum non cerneret reliquas personas. Vnde videntis appetitus maneret inquietus, & anxius circa vlteriùs increatum bonum, quod ipsum lateret. At verò vnio hypostatica terminata tantùm ad vnam personam, est perfectissimâ forma in ratione constituentis Deum substantialiter: nam eodem modo creatura constituitur substantialiter Deus vnione ad vnam, ac ad omnes personas: quia cum quâlibet personâ vnitur per se natura diuina, quæ creaturam reddit substantialiter Deum. Neque natura creata suppositatâ vnâ personâ diuinâ manet cum vlteriori appetitu obedientiali ad reliquas; supposito, quòd vnione ad vnam perfectè subsistat; quia habito adæquato complemento subsistendi ab vnâ, non potest recipere vlterius complementum subsistendi à reliquis.

152. *Resp. Ad fundament. oppositæ sent. eiusq; prob.* Ad fundamentum oppositæ, nego anteced. ad 1. probat. dico: ex eâ tantùm sequi, visionem beatificam esse perfectiorem secundùm quid, & in ratione actûs 2. non simpliciter, vt *Scotus* dixit *in 3. loc. cit.* & patet: quia vnioni hypostaticæ debetur connaturaliter visio Dei, non contrà; igitur perfectior est vnio, ad quam vt ad finem Dei visio naturaliter ordinatur; semper enim finis perfectior est medio, ad ipsum naturaliter ordinato.

153. *Ad 2.* Ad 2. intrinseca & substantialis communicatio personæ diuinæ cum naturâ humanâ præualet cuilibet extrinsecæ & accidentali communicationi.

Ad 3. Ad 3. ex eo non arguitur maior perfectio, sed peculiaris potentia, à qua elici debet visio beata: alioqui perfectior esset sensatio vnione hypost. quia illa communicari non potest naturæ purè spirituali, cui tamen communicari potest vnio hypostat.

Ad 4. Quartum procedit de perfectione entitatiuâ.

154. *Ad 5.* Ad 5. nego anteced. ad prob. concedo, suppositum non posse appetere destructiuum sui appetitu innato; potest elicito, quando quod est destructiuum proprij suppositi, altiori modo perficit naturam; alioquin nec prudente ratione appetibilis esset homini visio Dei, quia de lege ordinariâ non potest videri Deus, nisi per destructionem compositi. Nec est par ratio de homine qui appeteret esse angelus; quia in hoc inuoluitur destructio naturæ humanæ.

SECTIO VII.

Quotuplex sit vnio hypostatica in Christo, & quo ordine producta?

PRIMA sent. *Scoti in 3. dist. 2. quæst. 2. §. Ideò quantum: Durandi quæst. 2. Palat. disp. 3. Vasquez disp. 39. cap. 3. Ioan. de Lugo* de *Incarnatione disp. 12. sect. 3. & 4.* esse vnam in totâ humanitate subiectatam. 155. *1. Sentent.*

Fundam. Scoti. Fundamentum: Verbum suppleuit in humanitate propriam personalitatem; sed humanitas non subsistit propria personalitate, nisi vt est totum ex partibus constitutum; ergo vnio personalis Verbi non est nisi in totâ humanitate; ergo vna est tantùm vnio hypost. in toto. Minor prob. partes non subsistunt nisi subsistentiâ totius; ergo non sunt assumptibiles ad subsistendum in ratione totius.

SECVNDA *Gabrielis in 3. dist. 1. quæst. 2. art. 2. concl. 2. & art. 3. dub. 1.* vnam tantùm esse in animâ subiectatam, ratione cuius etiam corpus, & reliqua accidentia dicuntur suppositaliter vnita Verbo. 156. *2. Sentent.*

Fundam. Fundamentum: natura, quæ ob sui imperfectionem non est capax gratiæ imperfectioris, non est capax gratiæ perfectioris; sed corpus ob sui imperfectionem non est capax gratiæ gratum facientis, quæ est imperfectior; ergo neque gratiæ vnionis, quæ est omnium perfectissima. Confirmatur, gratia vnionis supponit gratiam gratum facientem; hæc autem esse non potest, nisi in subiecto, in quo potest habere suum effectum formalem, qui est, inclinare in bonum æternum vt in finem vltimatum.

TERTIA *Suarez disp. 17. sect. 5.* ponentis tres vniones, in anima, in corpore, in tota humanitate: *Capreolus in 3. dist. 2. quæst. vnica concl. 2. & art. 3. Lychet. distinct. 2. quæst. 2. §. Dico.* 157. *3. Sentent.*

Fundam. Fundam. non solum partes humanitatis singillatim sumptæ vnibiles sunt Verbo, vt constat in triduo, in quo corpus & anima separata manserunt vnita Verbo; sed etiam humanitas vt est integra natura distincta à partibus. Nec sufficiunt vniones partium, vt ipsa immediatè & proximè, prout est quid distinctum à partibus, maneat vnita Verbo.

QVARTA *Altisiod. lib. 3. tract. 1. cap. 1. q. 2. Argent. in 3. dist. 2. qu. 1. art. 3. Caiet. 3. p. qu. 6. art. 5. §. Ad euident.* ponentium duas, in anima, in corpore. Quòd priùs naturâ Verbum assumpserit partes, quàm partes ipsæ vnione naturali fuerint vnitæ inter se, asserunt *Caiet. & Argent.* contrà *Altisiod.* partes priùs naturâ fuisse vnitas inter se. 158. *4. Sentent.*

DICO 1. Nulla concedenda est vnio hypost. in humanitate Christi distincta ab vnionibus partium eiusdem: ex *S. Thom. 3. p. qu. 6. artic. 5. ad* 1. vbi: *Verbum*, inquit, *assumendo partes humanæ naturæ, assumpsit totam naturam humanam.* 159. *Assertio 1.*

Prob. 1. Prob. 1. aliàs destructâ humanitate in morte Christi, destructa fuisset vnio hypostatica Verbi cum illâ; eaque in resurrectione reproducta, contra axioma ex Damasceno: *Quod semel assumpsit, nunquam dimisit.*

160. *Prob. 2.* 2. humanitas non habet subsistentiam distinctam à subsistentijs partium; quæ inuicem vnitæ constituunt totalem humanitatis: sicut eædem partiales existentiæ inuicem copulatæ componunt vnam integram existentiam totius.

161. *Prob. 3.* Subsistentia humanitatis cùm sit modus absolutus, qui nequeat identificari cum vtrâque parte componente, non potest humanitas subsistere vnicâ subsistentiâ totali simplici, sed compositâ ex duplici partiali materiæ & formæ, quæ inuicem vnitæ componunt vnam totalem compositi. Ergo Verbum supplendo propriam

L sub-

subsistentiam humanitatis, non suppleuit aliam subsistentiam distinctam à partibus simul sumptis: quia non suppleuit, nisi quam eadem humanitas habuisset, si à Verbo assumpta non fuisset. Confirmat. cùm homo componatur ex animâ & corpore, non foret maior ratio, cur illa esset spiritualis, quàm corporea.

162. *Oppugnantur prima & tertia sententia.* Hæ rationes æquè militant contra 1. & 3. sent. speciatim contra primam: Destructâ per mortem humanitate, debuissent, corruptâ vnione humanitatis, duæ de nouo produci in partibus separatis, iterum corrumpendæ, & alia totalis in resurrectione producenda. Contra eand. vrgeri potest argum. de toto integrali constante ex partibus homogeneis. Nam vel in tali composito est vna tantùm subsistentia, quâ totum vt totum subsistit; vel plures partiales quibus partes ipsæ, etiam separatæ à toto subsistunt. Si secundum; iam non est maior ratio, cur potiùs partes integrales habeant suas partiales subsistentias, quibus subsistant in toto, & separatæ à toto; & easdem non habeant partes essentiales materia & forma, quibus subsistant in toto & separatæ à toto. Si primum: sequeretur, quòd quoties separarentur duæ partes aquæ, acquirerent nouas subsistentias, destructâ priori; & rursus iterum vnitæ, deperderent duas priores, & aliam de nouo totalem acquirerent. Quod concedit *Vasquez disp. 32. cap. 1.* at est creditu difficile: nam ex hoc sequeretur, quoties vel vna gutta à mari separaretur, toties corrumpi subsistentiam totius maris, quâ totum mare subsistebat: & rursus cùm eadem gutta reuniretur mari, tam ipsam, quàm reliquum mare amittere subsistentias priores, & aliam totalem de nouo acquirere.

163. Contra 3. sent. vrgeri potest: humanitas constans ex ambabus partibus subsistentibus, non est capax vlterioris subsistentiæ naturalis; ergo neque erit capax vlterioris subsistentiæ diuinæ; quia diuina non supplet nisi naturalem. Antec. prob. adæquatè natura subsistit per subsistentias partiales partium; sicut adæquatè existit per partiales existentias earumdem: ergo sicut vltra existentias partiales partium, non est capax vlterioris existentiæ totius: ita &c.

164. *Assertio 2. prob à posteriori.* DICO 2. non est vna tantùm vnio hypostat. in animâ subiectata. Prob. alioquin corpus Christi nō fuisset in triduo vnitum Verbo, quod est contra fidem, docentem, Filium Dei fuisse sepultum, quod Deo conuenire nō potest, nisi ratione vnionis cum corpore, cui per se conuenit sepeliri. Vide *S. Thom. 3. p. q. 50. art. 3.* *A priori.* Secundò, subsistentia est modus, qui essentialiter exigitur à substantia vt sic, sicut inhærentia ab accidente vt sic: ergo etiam corpus est capax vnionis hypostaticæ quæ per se terminatur ad subsistentiam.

165. *Assertio 3. Ad Fundamentum.* DICO 3. Duplex est vnio hypostatica, altera in anima, altera in corpore. Fundam. Verbum in humanitate supplet propriam subsistentiam; sed hæc integratur ex duplici partiali corporis & animæ: ergo Verbum vnitur duplici vnione partiali.

166. DICES: repugnat, Verbum supplere partiales subsistentias partium, quia cùm illas supplere debeat seipso, cumque ipsum non sit partialis, sed totalis subsistentia, non potest supplere illas, vt partiales sunt. Nego anteced. alioquin non potuisset supplere partialē subsistentiam animæ separatæ. Ratio: non est necesse, vt verbum sit partiale subsistens, quia non supplet partialiter ex parte sui, sed partialiter ex parte rei, quæ suppletur: potest enim totale subsistens supplere subsistens partiale; quia hoc non est supplere partialitatem formaliter, sed materialiter, supplendo effectum subsistentiæ partialis, qui est, vt ens partiale subsistat subsistentiâ totali entis completi.

DICO 4. prius prioritate finis & intentionis, anima & corpus Christi fuerūt vnita inter se, quàm cum Verbo; priùs verò prioritate executionis, fuerunt vnita Verbo, quàm inter se. Ita *S. Tho. q. 6. art. 5. ad 1.* assumptio partium est prior in executione, quamuis in intentione prior sit assumptio totius: & *art. 4. corp. & ad 3. Vnione personali prius secundùm intellectum oportet, quòd caro vniatur anima, quàm Verbo: quia ex vnione ad animā, habet quòd sit vnibilis Verbo in personâ.* Prior pars constat: nam illud est prius intentione; quod principaliter & vltimatè intenditur: principaliter autem & vltimatè Deus intendit vnire totam humanitatem cum Verbo: ergo prius intentione fuit humanitas, adeoque vnio animæ & corporis inter se, quàm earundē cum Verbo. 167. *Assertio 4.* *1. Pars prob.*

168. *Secunda probat.* 1. Posterior prob. 1. ex *Caiet. cit.* quod est posterius resolutione, est prius compositione: vnio partiū cum Verbo est posterior resolutione, quia destructâ vnione partium inter se, adhuc perseuerauit vnio earūdem cum Verbo: ergo in compositione prior fuit vnio partium cum Verbo, quàm earundem inter se.

169. *Secundò.* 2. In eo signo naturæ in executione partes humanitatis fuerūt vnitæ Verbo, in quo fuissent vnitæ propriæ subsistentiæ: nam Verbū supplendo propriam subsistentiam in humanitate, suppleuit illam cum eâdem prioritate, vel poster. quam habuisset in propriâ naturâ; seu connaturaliori modo, quo suppleri potuit. At priùs naturâ in executione partes fuissent vnitæ propriæ subsistentiæ, quàm inter se: tum quia subsistentia est intimius complementum substantiæ, quàm sit vnio vnius substantiæ cum aliâ, quia subsistentia perficit existentiam substantiæ in ordine ad se, vnio in ordine ad compositum: tum quia subsistētia sequitur rationem substantiæ vt sic, vnio rationem subsistentiæ vt partialis: prior autem est & vniuersalior ratio substātię vt sic, quàm ratio substantiæ partialis: tum quia subsistentia est terminus creationis, quæ naturâ præcedit vnionem.

170. *Tertiò.* 3. Meliùs saluatur maternitas Dei in B. Virgine; si supponamus, animam & corpus Christi priùs naturâ in executione fuisse Verbo, quàm inter se vnita: nam hoc modo, materna generatio, quâ Virgo vniuit corpus & animam humanitatis Christi inter se, terminata fuit ad Deum, vt ad terminum intrinsecum, quia terminata fuit ad copulandas partes iam vnitas hypostaticè Deo; & consequenter materna generatio Virginis habuit pro intrinseco termino Deum: Ita *Concil. Ephes. p. 1. in epist. Cyril. Alex. pag. 155. Sacra Virgo Deum carnis secundùm hypostasin vnitum corporaliter genuit: ob id illam quoque Deiparā appellamus.* *Colligitur non subobscurè ex Ephes.* Contrà verò, si supponamus, animam & corpus humanitatis Christi priùs naturâ fuisse vnita inter se, materna generatio, quâ Virgo illa copulauit non fuisset terminata formaliter ad Deum, sed ad humanitatem, quia non fuisset terminata ad partes iam hypostaticè vnitas Deo, sed ad partes nondum hypostaticè vnitas Deo.

Obijcit Scotus 1. Si priùs naturâ Verbum assumpsit partes, quàm humanitatem; ergo illâ assumptione non fuit homo; partes enim humanitatis non sunt humanitas: ergo neque nunc, quia eodē modo se habet nunc, ac se habuit instāti assumptionis, cùm non aliâ assumptione sit homo nūc, ac fuit tunc. 171.

172. *Resp.* Cōcedo conseq. 1. siquidem in illo priori nondū erat homo, sed in viâ ad esse hominis; nego posteriorem: quia sicut vnione animæ & corporis inter se fit humanitas; ita Verbum denominatur homo, nullâ nouâ assumptione factâ: vt patet in triduo, in quo destructâ vnione inter corpus & animam, desijt esse homo, eâque in resurrectione reproductâ,

iterum

iterum cœpit esse homo, nullâ variatione factâ in vnione ad Verbum. Ad probat. licet Verbum non aliter se habeat nunc, ac tunc; quia eodem modo, quantum est de se, manet vnitum nunc, ac fuit tunc; tamen aliter se habet terminus assumptus; quia nunc est homo, qui non erat tunc; & ideò non poterat tunc denominare Verbum hominem, sicut denominat nunc.

173. *Obijcies* 2. potest Filius vnâ vnione vniri animæ, aliâ vnione Pater vniri corpori: in quo casu neuter esset homo, quia neuter vniretur toti humanitati, etiamsi partes illæ vnione naturali essent

174. *Resp.* inter se vnitæ. Nego minor. vterque enim esset homo, positâ vnione partium inter se, secus si non supponantur partes vnitæ inter se. Ratio: vt persona diuina dicatur homo, sufficit, vt vna tantùm pars humanitatis sibi hypostaticè vniatur: nam tunc tota diceretur ei vnita ac proinde tota denominaret personam hominem: licet non ex omni parte esset immediatè vnita, sed vnâ immediatè, aliâ tantùm

175. *Dices.* mediatè. DICES: ex eo quòd solus Filius assumpserit humanitatem, non dicuntur reliquæ personæ eandem assumpsisse: ergo ex eo quòd sola anima, vel corpus assumatur à Filio, non dicetur humanitas assumpta à Filio. Quia non minùs Filius, ratione idêtitatis naturæ diuinæ, est idem cum Patre & Spiritu S. quàm anima ratione vnionis cum corpore, &

Confirm. è conuersò. Confirm. Si anima tantùm vnius hominis assumeret equum, non diceretur homo, sed anima tantùm assumere equum: ergo è contrario, si sola anima assumatur, non dicetur humanitas, sed anima tantùm assumpta.

176. *Resp. Discrimen esse.* Nego conseq. quia cùm anima & corpus vnita constituant vnum compositum per se, quicquid tribuitur vni parti vnitæ alteri, tribuitur toti. Vnde etiãsi sola anima intelligat, totus homo dicitur intelligere; totusque homo dicitur materialis, etiamsi solum corpus sit materiale. Filius autem cùm sit distinctum suppositum à Patre & Spiritu S. nec vnus pertineat ad cõstitutionem alterius, non potest, quod tribuitur vni vt distincto à reliquis, tribui cæteris. Ad prob. dist. τὸ *non minùs*, in ratione identitatis cum naturâ, concedo; in ratione constituentis vnum inter se, nego, hâc enim in ratione magis sunt idem anima & corpus, quàm Filius & reliquæ personæ. Ad confirm. neg. sequel. an-

Ad confirmationem. teced. quia non minùs quicquid actiuè tribuitur animæ vnitæ corpori, tribuitur toti homini; quàm quicquid passiuè tribuitur eidem animæ iunctę corpori, tribuitur toti homini. Igitur si sola assumptio passiua animæ copulatæ corpori, tribuitur toti homini; etiam assumptio actiua animæ vnitæ corpori, tribuetur toti homini.

177. *Obijcies* 3. In morte Verbum desijt suppositare humanitatem, quam anteà suppositabat; & rursus post resurrectionem incœpit suppositare candem humanitatem, quam in triduo non suppositabat: ergo per destructionem, & productionem alicuius vnionis hypostaticæ distinctæ ab vnionibus hypost. partium: nam per solas partium non dicitur suppositare humanitatem, sed partes humanitatis. Nego,

178. *Resp.* conseq. nam dicitur Verbum de nouo suppositare humanitatem, vel desinere suppositare humanitatem, non ratione nouæ vnionis hypost. productæ, vel destructæ, sed ratione vnionis naturalis partium inter se, vt conditionis per se requisitæ, defectu cuius non dicebatur in triduo suppositare humanitatem, nisi tantùm remotè & radicaliter.

179. *Assertio* 5. *Fundam.* DICO 5. Vnio Verbi subiectata in animâ est spiritualis; subiectata in corpore est materialis. Fundam. vnio est modus: modus proportionatur subiecto, in quo recipitur: igitur in subiecto spirituali, est spiritualis: in subiecto materiali, est materialis. Hinc fit, vt partes materiæ, quæ per nutritionem adgenerabãtur præexistenti materiæ corporis Christi, fuerint vnitæ Verbo per nouas partes vnionis de nouo productas: sicut partes, quæ per euaporationem secernebantur à materiâ corporis eiusdem, amittebant suas partiales vniones ad Verbum, & acquirebant partiales subsistentias proprias.

Ad fundam. primæ; falsum est, partes non posse subsistere, nisi subsistentiâ totius, cùm subsistentia totius non sit, nisi ipsæ subsistentię partium inuicem copulatæ. Vnde quamuis Verbum personalitatem totius, suppleuit mediatè, supplendo immediatè subsistentias partium; quod totum propriè dicitur personari; nam persona est substantia rationalis cõpleta. 180. *Resp. Ad Fundamenta contrariarum sent.*

Ad fundam. 2. nego maior. nam quando minus non est eiusdem rationis, & contentum sub maiore, non sequitur, si non est capax minoris, non est capax maioris perfectionis: ita homo est capax discursûs, non hinnitûs, quod est minus: ergo licet corpus non sit capax effectûs formalis gratiæ, quod est minus, potest esse capax effectûs formalis vnionis cum Deo, quod est maius. Ad confirm. nego maior. de necessitate simpliciter, sed ad bene esse, iuxta subiecti capacitatem. 181. *Ad secundam.*

Ad fundam. 3. concedo, partes vniri Verbo, etiam vt inuicem copulatas; nego ad hoc non sufficere vniones partium; nam sicut inuicem vnitæ non haberent aliam subsistentiam, quàm partium; ita Verbum non debet supplere, nisi subsistentias partium; alioquin plus suppleret, quàm esset necesse. 182. *Ad tertiã.*

DISPVTATIO IX.

De termino totali Incarnationis.

HACTENVS de termino immediato & proximo Incarn. qui est vnio, superest vt de termino vltimato & totali, qui est compositum ex huiusmodi vnione resultans: omnis quippe vnio cùm essentialiter sit nexus extremorum, necessariò habet pro termino aliquod compositum. 1.

SECTIO I.

Quis sit terminus vltimatus Incarnationis?

PRIMVS error *Nestorij* negantis 1. Christum esse substantialiter filium Dei, sed solâ agnominatione, per singularem gratiam & conformitatem cum Deo: 2. terminum Incarn. fuisse substantiale compositum ex humanitate & Verbo, sed accidẽtalem ex personâ humanâ & diuinâ, mediâ vnione affectiuâ: 3. B. Virginem fuisse Matrem Dei. Ita opinati sunt, Christum esse purum hominẽ, *Ebion* &c. contra quem, teste *Hieron. de Script. Ecclesiast.* Ioannes scripsit Euangelium. 2. *Error Nestorij.*

SECVNDVS *Eutichetis Abbatis Constantinop.* confundentis in Christo duas naturas, diuinam & humanam, quas ante adunationem fatebatur integras, post adunationem autem coaluisse in vnam, resultantem ex mixtione vtriusque. Vnde concedebat, Christum constare ex duabus, non in duabus naturis: *ex epistola Flauiani Episcopi Constantinopolit. ad Leonem Pontif. & Leo. ad Flauia.* 3. *Eutichetis.*

Flauian.8.& 10. Prior hæresis damnata est in Concil. Ephes.1.Constantinop.5. & ab Alexand. III. in cap. Cum Christo,de hæreticis: Posterior,*in eod. Constantinop.5.Chalcedon.Hispalen.2.Lateran. sub Martino V. & Innoc. III.*

4. Dico 1. Totalis terminus Incarnationis non fuit compositum accidentale. Fundamentum: quæ accidentaliter vniuntur, nequeunt substantiuè & in quid prædicari, sed tantùm adiectiuè & in quale; sed de Christo substantiuè & in quale prædicatur vtraque natura, diuina & humana, *ex Scriptura*, in quâ Christus dicitur verus *Deus & homo:* 5. Dices. ergo. Dices 1. Quod aduenit enti completo, aduenit accidentaliter; humanitas aduenit Verbo enti completo; ergo aduenit accidentaliter. 2. quod contingenter vnitur, accidentaliter vnitur; humanitas contingenter vnitur Verbo; ergo accidentaliter vnitur. 6. Resp. Ad 1. neg. maior, quando illud, quod aduenit est incompletum substantialiter, & vnitur vnione substantiali, vt vnitur humanitas Verbo. Ad 2. neg. maior: nam hæc forma contingenter vnitur huic materiæ, & tamen substantialiter vnitur. Ratio: *contingenter* solùm opponitur *essentialiter*, sicut *accidentaliter* solùm opponitur *substantialiter*, potest igitur aliquid vniri contingenter, & tamen substantialiter.

7. Assertio 2. Fundam. Dico 2. terminus totalis Incarnationis non fuit substantialis aliqua natura. Fundamentum: hæc non potuit esse per conuersionem naturæ diuinæ in humanam; quia quod conuertitur desinit esse: neque per conuersionem humanæ in diuinam; alioquin non esset in Christo natura humana; & falsæ essent omnes prædicationes, quæ de Christo dicuntur, ratione naturæ humanæ: neque per vnionem vtriusque actu componentis; quia ex duabus naturis integris nequit fieri vna per se: neque per productionem alicuius tertiæ entitatis, vt mixtum ex elementis; quia hic modus supponit, vel corruptionem, vel saltem alterationem vnitorum.

8. Assertio 3. Dico 3. Totalis terminus Incarn. fuit persona ex hypostasi Verbi & humanitate composita, & consequenter vnio Verbi facta est in personâ. Conclus. definita est in *Concilijs Ephes.1.Chalced.Constantinopol.5.Hispal.2.Toletano* 11. in quibus contra *Nestorium* vna definitur persona in Christo, eaque diuina substantialiter vnita humanitati: scilicet is fuit terminus Incarn. qui ex vnione personæ diuinæ & Ratio. naturæ humanæ resultauit. Ratio *S.Thom.* cùm fides doceat, naturam humanam fuisse vnitam Verbo substantialiter, & non ad faciendum vnum in naturâ; ergo ad faciendum vnum in personâ, cùm non detur alia vnio substantialis, nisi vel in naturâ, vel in personâ: nam omnis vnio substantialis tendit ab faciendam vnam substantiam, quæ vel est na- 9. tura, vel persona. Dices: præter vnionem in naturâ, vel in personâ, fieri potest vnio in hoc indi- Resp. uiduo Deitatis; ergo ratio non concludit. Sed negatur consequentia, nam etiam hæc vnio reducitur ad vnionem in personâ, ad quam pertinet omnis vnio, quæ ordinatur ad faciendum vnum subsistens.

SECTIO II.

An Christi persona sit propriè composita?

10. 1. Sentent. Prima sent. *Alens.3.p.q.6.memb.2.art.5. S.Th. in quæst.disp.de vnion. Verbi art. 1. ad 6.& in 3. dist.6.qu.2.art.2.Bonau.art.1.qu.2 Scot.qu.3.Richard. art.2.qu.3.Durand.qu.3.Palud.quæst.1.art.2.Marsil. qu.6.art.3.dub.5.Gabriel.qu.1.art.3.Caiet.3.p.q.2. art. 4. Ad 3. dub.* communis antiquiorum *Scholast. cum Magist.in 3.dist.6.* negantium. Fundam. propria 11. Fundam. compositio imperfectionem importat, scilicet cōponentia per modum partis, quæ imperfectionem denotat. Vnde *S.Thom.1.p.q.3.art.*8. negat, Deum venire posse in compositionem cum creaturâ.

Secunda *Barthol.Medinæ 3.p.q.2.art.4. Victoriæ apud ipsum:Suar.disp.7.sect.4.Vasq.disp.16.c.2.*&c. 12. 2. Sentent. Recentiorum affirmantium; *ex S.Thom.3.p.q.2.art.* 4. vbi absolutè pronuntiat, Christi personam esse compositam, quatenus in duabus naturis subsistit. Notanda compositio in Christo, vna immediata 13. Adnotatur duplex compositio in Christo. humanitatis cum Verbo; altera mediata naturæ humanæ cum diuina: quæ posterior oritur ex priori: ex eo enim quòd humanitas vnitur immediatè cum Verbo, mediatè vnitur cum diuinitate, propter ipsius cum Verbo identitatem. De vtraque disputo.

Dico 1. Persona Christi est verè & propriè 14. Assertio 1. Ex Concil. composita ex humanitate & subsistentia Verbi. Prob. 1. ex Concilijs & Patrib. qui hanc compositionem in Christo absolutè affirmant. V. Synodus *Constantinop.collat.8.can.4.Sancta*, inquit, *Dei Ecclesia vtriusque perfidiæ impietatem reijciens, vnitionem Dei Verbi ad carnem secundum compositionem confitetur.* Et suprà *eod. Canon.* appellat illam, *Subsistentiam compositam:* approbat *Lateran. sub Martino I. consult.4. Can.4. & 7. in defin. Synodi 5. & Lateran. sub Innoc. III. de fide Cath. cap.1. Vnigenitus Dei Filius Iesus Christus à tota Trinitate communiter incarnatus* &c. *verus homo factus ex animâ rationali & humanâ carne compositus.* Dionysius *lib.de diuinis nom.* 15. Ex Patrib. *cap.1. Quia in vna personarum suarum infirma nostra integrè verissimeq; suscepit, ad seipsam reuocans atque astringens humilitatem nostram, ex quâ ineffabiliter compositus est simplex Iesus:* Damascenus *libr.3. Fidei cap.14. fine* sic concludit: *Relinquitur igitur, vt dicamus, solam hypostasin Christi compositam.* Idem sæpe repetit alibi. Prob. 2. *Caiet.1.p.q.3. art.8.& 3.* 16. Ratio Asser. Tria requiruntur ad propriam compositionem. *p. cit.* ad propriam compositionem hæc requiruntur; distinctio realis; realis coniunctio secundùm esse, & non tantùm secundùm situm, vel alium extrinsecum respectum; & quòd vnum extremum se habeat vt actus, aliud vt potentia: sed hæc omnia concurrunt ad compositionem Christi: ergo Christus est verè compositus. Priora duo concedit *Caiet.* tertium, nempe quòd Verbum concurrat vt actus, humanitas vt potentia, negat; at probatur: Verbum in Christo habet veram & propriam rationem actûs, non informantis, sed terminantis & complentis seipso naturam assumptam; humanitas veram rationem potentiæ terminabilis & complebilis in ratione subsistentis. 3. Esto Ver- 17. Prob. 3. bum & humanitas non concurrerent vt actus & potentia, adhuc negandum non esset, ea veram & propriam efficere compositionem, cùm hæc nihil aliud sit, quàm vnio duorum ad vnum constituendum concurrentium: sicut partes quantitatis, licet non concurrant vt actus & potentia; tamen concurrunt ad componendum vnum totum integrale. Ratio: compositum adæquatè distinguitur contra simplex, inter quæ non Ratio. Compositum & simplex opponuntur. datur medium: sed persona Christi non est simplex; ergo composita. Vnde non rectè *Durand.* hanc compositionem appellat, *Huius ad hoc*, qualis est accidentis ad subiectum; non *Huius ex his*, qualis est ex animâ & corpore: cùm implicet esse compositionem *Huius ad hoc*, quin sit *Huius ex his*: quia dum vnum vnitur alteri, necesse est, vt ali-

vt aliquid cum illo componat, cùm nil aliud sit, vnum cum alio componere, quàm cum illo vniri, ex quâ vnione resultat vnum ex illis. Cæterùm non desunt *Recent.* qui hanc *Durandi* distinctionem defendant, vt per *Huius adhoc* noluerit veram compositionem negare, sed tantùm eam, quæ resultat ex vtrâque parte æquè componente; non, quæ resultat ex vno extremo in recto significato, & altero tantùm in obliquo, qualis est compositio, quæ resultat ex subiecto in recto significato, & accidente in obliquo tantùm importato.

18. *Obijcies* 1. Si Verbum componit cum humanitate personam; ergo componit personam humanam, cùm non possit componere personam diuinam: ergo in Christo est persona humana: ex quo sequitur, duas esse in Christo personas, diuinam & humanam; quod est contra *Concilia & Patres*, vnam tantùm diuinam agnoscentes in Christo personam.

19. *Resp. Conced. vtramque conseq.* Concedo conseq. 1. nam sicut humanitas dat Verbo esse hominis, ita constituit illud in esse personæ humanæ, quia dicitur humana, vel diuina à naturâ, in quâ subsistit. Concedo *cum Marsil. cit. dub.* 3. secundam: nam sicut in Christo est natura humana dans Verbo esse humanum; ita & suppositum humanum, non essentialiter, vti est diuinum; sed denominatiuè: atque vt sic formaliter fieri dicitur in tempore, &. non fuisse ab æterno. *Tertia neg.* Tertia neganda: quia non est in Christo duplex subsistentia, sed vna tantùm, quæ vt subsistit in naturâ diuinâ, dicitur diuina; vt subsistit in naturâ humanâ, dicitur humana: sicut subiectum habens duplicem formam, non dicitur duplex, sed vnum: nam ad multiplicationem subiecti denominati non sat est sola multiplicatio formæ denominantis.

20. *Dices.* Dices. Si eadem est persona humana in Christo, quæ resultat ex vnione, & quæ erat ante vnionem; poterit hæc persona, quæ resultat ex vnione, prædicari de personâ Christi, quæ erat ante vnionem: & de personâ Verbi ante vnionem dici poterat, quòd esset persona humana. *Resp.* Nego sequel. quia licet sit eadem persona essentialiter; non est eadem denominatiuè: quia post vnionem includit denominationem *Humani*, quam non includebat ante vnionem. Sicut licet sit idem indiuiduum humanum in Petro post vnionem cum albedine, quod erat ante vnionem cum albedine; non tamen licet prædicare idem indiuiduum, resultans ex vnione cum albedine, de eodem indiuiduo ante vnionem cum albedine.

21. *Obijcit Caiet.* *Obijcies* 2. Attributa propria humanitatis non prædicantur de Christo, n si cum addito limitante ad naturam humanam, quando oppositum illorum conuenit personæ Christi: vnde non dicitur absolutè, Christus est creatus, dependens, incipiens esse: sed compositio repugnat personæ Christi, quæ est simplicissima, & solùm ei conuenit ratione humanitatis: ergo non potest absolutè de Christo prædicari, nisi cum addito secundùm humanitatem.

22. *Resp.* Concedo, attributa propria humanitatis non prædicari de Christo, nisi cum addito: nego, *esse compositum* conuenire Christo ratione solius humanitatis, sed etiam ratione personæ: vnde non solùm prædicatur de Christo, sed etiam de ipsâ personâ Christi: dicitur enim *persona Christi est composita*, cùm nequeat dici, *est creatura, dependens, incipiens esse.* Ratio: cui conuenit componere, conuenit esse compositum; nam cui conuenit esse terminum vnionis in fieri, conuenit esse terminum vnionis in facto esse: *Esse terminum vnionis in facto esse, est esse compositũ.* personæ Christi conuenit esse terminum vnionis in fieri; ergo esse terminum vnionis in facto esse; sed hoc est idem ac esse compositum: ergo. Nequit autem persona Christi esse terminus creationis, vel actionis temporalis; quia hæc ponit intrinsecam mutationem in termino, quam non ponit vnio. Nec obstat, quòd persona Christi sit simplicissima considerata secundùm se: nam hoc prædicatum non conuenit illi quâ subsistit in naturâ propriâ, sed quâ in assumptâ, cum quâ tantùm componit.

Obijcies 3. Si persona Christi esset composita, esset perfectior Verbo componente, quia compositum est perfectius singulis partibus componentibus. 23. Concedo sequelam de perfectione extensiuâ; negó de intensiuâ: sicut Deus & creatura est quid perfectius, non intensiuè, sed extensiuè: nam tota perfectio creaturæ eminenter continetur in Deo, sicut tota perfectio humanitatis in Verbo. *Resp.*

Obijcies 4. Omne compositum pendet ex componentibus vt partibus constituentibus ipsum, estque natura posterius ipsis: ergo si persona Christi est composita, pendet à suis componentibus. 24. *Obijcit Durandus.* Nego, omne compositum quoad vtramque partem pendere à suis componentibus, sed illud tantùm, cuius extrema mutuò inter se pendent. *Resp.* Ratio: per eandem dependentiam compositum pendet ab extremis, quâ extrema pendent inter se; eadem enim dependentiâ, quâ forma & materia pendent ab inuicem, compositum pendet ab extremis; sed extrema componentia Christum, non mutuò pendent inter se, sed tantùm humanitas à Verbo: ergo nec totum dicitur pendens à componentibus. Dices: sufficit vt vnum extremum dependeat, vt totum dicatur dependere: sicut vt totus homo dicatur corporeus, sat est, vt vna tantùm pars sit corporea. 25. *Dices.* Concedo antec. quando compositum æquè primò dicit vtramque partem componentem, vel nullum periculum est errandi: quia igitur homo æquè primò dicit vtramque partem componentem, nullumque periculum est errandi, dicitur corporeus: *Resp.* Christus verò, quia per se primò dicit suppositum, (nam nomina cõcreta supponunt materialiter pro supposito) subestque periculum errandi, absolutè dici non potest dependens, nisi cum addito limitante ad naturam humanam. Quare nego hoc compositum, Christvs quoad vtrumque extremum esse naturâ posterius suis componentibus: nam esse naturâ posterius, & dependens sunt idem.

Obijcies 5. Vbi est compositio, neque compositum prædicatur de extremis, neque extrema de se inuicem: homo enim nec prædicatur de animâ vel corpore, nec de se mutuò. Sed tam Christus prædicatur de Verbo, & hoc homine, quàm Verbum, & hic homo de se inuicem. 26. Maior est vera de composito & componentibus in esse naturæ, non in esse suppositi: vt patet de supposito creato, quod etiamsi componat cum natura, prædicatur de illâ in concreto, & vice versâ: dicitur, *hic homo est Socrates, & Socrates est hic homo.* *Resp.* quia in priori prædicat. prædicatum non includitur in subiecto ex modo significandi, sicut in posteriori. *Ratio.*

Ad fundamentum oppositæ, multi concedunt, Verbum esse partem Christi, verùm quia pars imperfectionem importat: dico; De ratione compositionis non esse, vt constet ex partibus, sed vt constituatur ex pluribus; quorum vnum se habeat tantùm vt terminus, non vt pars compositi: ex *S. Thom. 3. parte quæst. 2. art. 4. ad 2.* qui cùm 1. p. negat Deum venire posse in compositionem, intelligendus est de compositione per modum formæ, vel materiæ. 27. *Resp. Ad Fundamentum oppositæ sent.*

Dico 2. Christus non solùm est persona composita 28. *2. Assertio.*

posita ex naturâ humanâ & subsistentiâ Verbi, sed etiam ex duabus naturis diuinâ & humanâ: *ex ijsd. Concil.* in quibus definitur, Christum verè & propriè constare ex duabus naturis diuinâ & humanâ; teste *Damasceno lib. 3. Fidei, cap. 3. Vnitæ sunt ad inuicem secundùm vnitatem in vnam compositam Filij Dei hypostasin*; vbi concludit: *Coniunguntur enim naturæ ipsius in hypostasi, vnam hypostasin compositam habentes.* Fundamentum in eâdem persona Christi subsistunt duæ naturæ, vna naturaliter & per identitatem; altera contingenter & per vnionem; quarum vna dat illi esse diuinum, altera humanum.

Fundam.

29. *Obijcies* 1. compositio est distinctorum vnio; sed persona Christi non distinguitur à naturâ diuinâ; ergo ex illâ non componitur. Resp. Vt dicatur composita ex vtrâque naturâ, sufficit, vt componatur tantùm ex vnâ: quia igitur Christus componitur ex humanitate, dicitur etiam compositus ex diuinitate, à quâ distinguitur per humanitatem.

Resp.

30. *Obijcies* 2. Omnis vnio ordinatur ad componendum aliquod vnum: sed natura diuina & humana, cùm vtraque sit integra in suo genere, nequeunt componere aliquod vnum, ergo nequeunt inuicem vniri. Maior est vera de vnione immediatâ, non de mediatâ: quia igitur natura humana & diuina non vniuntur inter se immediatè, sed mediante subsistentiâ Verbi, cum quâ tantùm vnaquæque constituit personam, non est necesse, vt componant vnum inter se, sed cum personâ; quo fit, vt nequeat natura diuina dici composita, quia per hoc importatur vnio immediata: dicitur tamen *ex Damasc.* incarnata, quia ad hoc sufficit vnio mediata.

Resp.

31. *Obijcies* 3. Si Christus componeretur ex diuinitate & humanitate, valeret hæc propositio: *Christus est diuinitas & humanitas*, sicut valet hæc: *Homo est anima & corpus simul*, cùm nihil aliud sit compositum, quàm sua componentia simul sumpta. At hæc damnata est in *Conc. Constant. sess. 15. contra Ioan. Hus*, qui dicebat, *Duæ naturæ diuinitas & humanitas sunt vnus Christus.* Vnde hanc propos. erroneam censet *Medina*, tum propter cit. testimoniū, tum propter hæc absurda. 1. Christus non esset vnum cum Patre, iuxta illud: *Ego & Pater vnum sumus*; sed humanitas & diuinitas nō sunt vnum cum Patre; ergo si Christus est humanitas & diuinitas, non est vnum cum Patre. 2. Christus non esset Deus; nam diuinitas & humanitas, non est diuinitas: ergo si Christus esset diuinitas & humanitas, non esset diuinitas, ac proinde nec Deus. 3. Christus non fuisset ab æterno, nam diuinitas & humanitas nō fuit ab ęterno; ergo nec Christus. 4. Diuinitas esset humanitas & diuinitas, creator & creatura: nam si Christus est humanitas & dinitas; ergo Christus est diuinitas; ergo diuinitas est humanitas & diuinitas, creator & creatura.

32. *Absurda contra nostram sent.*

33. Negant reliqui, dictam propos. in sensu identico damnandam, quibus Assentior: tum quia illam concedunt *August. in Enchirid. cap. 38. Vtraque substantia*, diuina scilicet & humana, *Filius est vnicus Dei Patris omnipotentis*: Damasc. 3. *de Fide cap. 19. Duæ naturæ, vnus est Christus, & vnus Christus duæ naturæ*, &c. Tum quia *Valden. lib. 1. art. 3. cap. 42.* docet, hanc esse antiquam fidem Ecclesiæ, tres naturas, Deitatem scilicet carnem & Spiritum, esse Christum coniunctim. Ad Concil. Resp. In eo non fuisse damnatam hanc propos. in sensu coniuncto, sed diuiso: sic enim illam, vt refert *Valdē.* docebat *VVicl. Mag. Hus: Persona Verbi est corpus, anima, & Deitas singillatim.* Vnde ad 1. absurdū dico: Christum esse vnū cum Patre ratione Deitatis. Ad 2. nego, Christum non esse Deum: neque ex eo, quòd est diuinitas & humanitas simul sequitur, quòd non sit diuinitas, sed quòd non sit sola diuinitas. Ad 3. tantùm sequitur, Christū non fuisse ab æterno ratione humanitatis. Ad 4. nego, Christum esse tantùm diuinitatem, sed humanitatem simul; proinde creatorem ratione vnius, creaturam ratione alterius.

Negant Doctores cæteri.

Resp. Concilij.

34. *Resp. ad absurda.*

35. DICES: si admittitur hæc propositio vt vera, *Christus est humanitas & diuinitas*, admittenda etiam erit vt vera hęc alia: *Humanitas & diuinitas est passa, mortua*, &c. nam quicquid dicitur de subiecto, dicitur etiam de prædicato subiecti: sed de Christo dicitur, quòd sit passus, mortuus, &c. ergo etiam dicetur de humanitate & diuinitate, quæ prædicatur de Christo. Negò conseq. *Dices.*

36. Ad prob. dist. maior: quicquid dicitur de subiecto adæquatè sumpto, dicitur etiam de adæquato prædicato subiecti, concedo: quidquid dicitur de subiecto inadæquatè accepto, dicitur de adæquato prædicato subiecti, nego. Porrò *esse passum, mortuum &c.* non dicitur de Christo adæquatè, & reduplicatiuè sumpto, prout includit vtramque naturam; sed specificatiuè accepto, prout includit solam humanitatē. Sicut de homine inadæquatè sumpto prædicatur esse corporeum: cùm tamen hoc non liceat prædicari de animâ. Cæterùm etsi hæc vera sint, monet tamen *Suar. 3. p. tom. 3. disp. 35. sect. 2. fine*, hanc propos. *Christus est humanitas & diuinitas*, non esse simpliciter vsurpandam, non solùm quia impropria est, sed etiam quia potest aliquem errorem ingenerare. *Resp.*

37. An hæc propositio: *Christus est diuinitas & humanitas*: seu: *Christus est duæ naturæ*, sit vera non tantùm in sensu identico, sed etiam formali? Affirmant aliqui recent. Fundam. illa propositio est vera in sensu formali, in quâ prædicatum exprimit, quicquid subiectum implicitè importat: sed in hac proposit. *Christus est diuinitas & humanitas*, prædicatum exprimit, quicquid subiectum *Christus* implicitè importat: ergo. Maior constat: ideo propositio, in quâ definitio, vel metaphysica, vel physica prædicatur de suo definito, est vera in sensu formali, quia exprimit, quicquid subiectum implicitè importat: vt *homo est animal rationale: homo est anima & corpus simul vnita.* Minor prob. *Christus* in propositione positus, non solùm ex communi vsu loquendi supponi solet materialiter & specificatiuè pro personâ, sed etiam formaliter & reduplicatiuè pro toto composito: quo pacto supponit pro vtrâque naturâ humanâ & diuinâ simul. *Vlterius disputari potest. Fundam.*

38. Verùm opposita sent. communior inter reliquos, licet ex professo nō agitetur, & probabilior est. Fundam. ad reddendum sensum formalem non sufficit, vt prædicatum exprimat, quicquid subiectum implicitè importat, sed debet etiam exprimere modum, quo subiectum importat prædicatum: sed Christus humanitatem & diuinitatem importat in concreto, & in habente: quo pacto humanitas & diuinitas in dictâ propos. non exprimuntur, sed tantùm in abstracto. Maior prob. ideò hæc propos. *Homo est animalitas & rationalitas*, non est vera in sensu formali, sed tantùm identico, quia licet prædicatum exprimat, quicquid subiectum importat, non tamen exprimit modum, quo subiectum importat. Nec refert, quòd addatur, *Humanitas & Diuinitas vnitæ*: nam adhuc non exprimitur modus habendi illas in concreto, & in supposito, quo importantur à subiecto. Vnde propositio, in quâ definitio physica prædicatur de composito physico, est vera in sensu tantùm identico: quia in illâ non exprimitur modus habendi partes componentes in concreto & in habente; vti exprimitur in definitione metaphysicâ. *Negant probabiliùs reliqui. Modus exprimendi formam in habente.*

39. Confirm. vel in hâc prop. subiectum *Christus* sumitur pro supposito, vel pro composito *Confirm.*

posito ex vtrâque naturâ: neutro modo dicta propositio potest esse vera in sensu formali. Non primo: quia prædicatum non respondet subiecto explicito & directo significato; nam subiectum supponit pro supposito, prædicatum pro naturis. Non secundo: nam etiamsi subiectum sumatur pro composito ex vtrâque naturâ, adhuc prædicatum non respondet in formali significato subiecti: quia subiectum præter duas naturas importat etiam suppositum in recto, quod tamen non importat prædicatum. Igitur in nullo sensu dicta propositio poterit esse vera in sensu formali, sed tantùm identico propter identitatem vnius naturæ, & vnionem alterius cum eodem supposito Verbi.

DISPVTATIO X.

Quis terminus à quo Incarnationis?

1. *Sentent. Fundam.* PRIMA Sent. *Caiet. 3. p. q. 2. ar. 8. fine.* affirmantis, esse naturam humanam. quia *S. Tho.* ait, naturam humanam significari vt in termino assumptionis: nec intelligi potest de termino *ad quem*, sed *à quo. Est enim*, inquit, *assumptio, quasi ab alio ad se sumptio*; sed per τὸ *ad se*, denotatur terminus *ad quem*, qui non est natura, sed persona, quia persona sumit ad se naturam.

2. *Sentent.* 2. Aliorum apud *Medin. cit.* docentium, esse personalitatem creatã, non quæ reipsâ præcessit, sed quæ debuisset præcedere. quia terminus *à quo*, & *ad quem* in assumptione opponuntur positiuè, quia cùm dicitur: *Ab alio ad se sumptio*, per τὸ *ab alio*, denotatur terminus positiuus: sola autem personalitas creata positiuè opponitur personalitati diuinę.

3. *Sent.* 3. Aliorum assignantium, vel negationem Vnionis hypost. in humanitate, vel negationem humanitatis in Verbo, vel negationem totius compositi ex humanitate & Verbo.

4. *Terminus mutationis duplex.* Pro explic. terminus mutationis; alter positiuus, vt cùm ex frigore subiectum transit ad calorem; negatiuus alter, vt cùm ex negatione luminis aër transit ad lumen: terminus *à quo*, qui per se attenditur in mutatione, quique est illi essentialis, non est positiuus, quia sine illo saluari posset essentialis mutatio; sed negatiuus, sine quo non habetur conceptus mutationis.

5. *Fundam.* DICO 1. nullus terminus positiuus à quo, saltem totalis in hac mutatione interuenit. Fundam. illud fuisset personalitas creata; nam hæc tantùm est positiuè incompossibilis cum increatâ, ad quam tracta est humanitas: hæc non fuit, quia hæc reipsâ non præcessit *saltem totaliter* in humanitate; quod dico propter partialem subsistentiam materiæ, quę tempore præcessit assumptionem: sola autem præcessio secundùm debitum connaturalitatis non sufficit, quia manet cum personalitate diuinâ; nec aliud est, quàm naturalis exigentia propriæ personalitatis, quam retinet humanitas etiam vnita Verbo: sed terminus *à quo* debet realiter excludi à termino *ad quem*, & non tantùm consideratione nostri intellectûs.

Confirmatur. Confirm. sicut non esset realis transitus, si terminus *ad quem* non existeret; ita nec si non existeret terminus *à quo*.

6. *Fundam.* DICO 2. terminus *à quo* negatiuus Incarnationis, fuit negatio hominis in Verbo. Fundam. terminus *à quo* negatiuus debet contradictoriè opponi termino *ad quem*, seu per hunc formaliter expelli; & duratione præcedere terminum *ad quem* ex 1. asser. alioqui licèt esset transitus realis in esse actionis, non tamen in esse transitûs: sic enim specificatur à terminis *à quo*, & *adquem*: hic autem est sola negatio hominis in Verbo, seu humanitatis; quia hæc negatio in solo Verbo tempore præcessit; cùm in humanitate negatio Verbi, vel vnionis, non nisi ratione præcesserit. Confirm. sicut in corpore naturali terminus *à quo*, est priuatio formæ in subiecto apto ad recipiendum; ita in hoc terminus *à quo*, est negatio formæ in subiecto, vel quasi subiecto potente ad recipiendum: sed in hoc composito forma est humanitas, quia hæc aduenit, & dat nouum esse specificum Verbo: subiectum verò, seu quasi subiectum est Verbum; quia hoc præexistit, & sustentat humanitatem. Vnde potiùs dicimus, Deum factum esse hominem, quàm hominem Deum. 7. *Confirm.*

Obijcies 1. In eo est terminus *à quo*, in quo fit transitus; sed non fit transitus in Verbo, sed in humanitate; quę non Verbum, transit à non esse subsistentis ad esse subsistens. Concessâ maiori, distinguo minor. de transitu cum mutatione, vel sine mutatione: transit Verbum à negatione hominis ad esse hominis, sed sine mutatione; humanitas non propriè transit à negatione subsistentiæ diuinæ ad subsistentiam diuinam; quia nunquam fuit cum actuali negatione illius. 8. *Resp.*

Obijcies 2. Sufficit ad terminum *à quo* negatiuum, vt tantùm naturâ præcedat terminum *ad quem*: vt in primâ rerum productione negatio formę non nisi naturâ præcessit productionē formæ. 2. si Deus ab ęterno produxisset creaturam, verè illam produxisset ex nihilo; & tamen nihilum naturâ præcessisset tantùm in ęternitate creaturam. Nego antec. ad 1. prob. prima formæ productio, non habuit rationem mutationis, seu transitûs, sed tantùm eductionis; quia mutatio seu transitus necessariò connotat terminum *à quo*, & *adquem* reipsâ transit. Ad 2. dici creaturam ex nihilo ab æterno productam, non positiuè, sed negatiuè; quia nimirum non fuisset ex aliquo præexistente subiecto producta. 9. 10.

Patet ad fundam. aliarum: ad *S. Tho.* Resp. per τὸ *In termino assumptionis*, intelligi terminum *ad quem*; per τὸ *ad se*, intelligi terminum *Cui*; est enim Verbum terminus *Cui*, non *ad quem* assumptionis; per τὸ *ab alio*, denotari terminum *à quo* in communi, iuxta materiæ capacitatem, vel negatiuum, vel positiuum. 11. *Ad fundamenta. Sent.*

DISPVTATIO XI.

An, & quæ Relationes prædicamentales consecutæ sint Vnionem.

PRIMA sententia nulla relatio prædicamentalis consecuta est vnionem hypost. videtur *Scoti in 3. dist. 1. qu. 1. §. sed oppositum.* quia quæ sunt essentialiter relatiua, non egent additâ relatione accidentali, vt ad eosdem terminos, ad quos sunt essentialiter relata, referantur. At vnio hypost. est essentialiter relatiua, tum ad Trinitatē, vt effectus ad causam; tum ad humanitatem & Verbum, vt ad subiectum & terminum: ergo nullâ eget relatione accidentali additâ, vt ad hæc referatur. 1. *1. Sent.* *Fundam.*

SECVNDA affirmat, præter relationem transcendentalem, quam vnio hypost. ad suos terminos essentialiter dicit, fundare etiam prædicamentalem ad eosdem terminos: *Suar. disp. 8. qu. 3. § sed hæc.* Fundam. non est maior ratio, cur ad vnionem materiæ & formæ, substantiæ & accidentis, & ad cætera entia transcendentaliter relata consequatur relatio 2. *2. Sentent.* *Fundam.*

3. *Omnis relatio prædicamentalis supponit transcendẽtalem, in qua fundetur.*

tio prædicam. & non ad hanc. Decisio pendet ex quæst. quid sit relatio prędicamentalis? fundatur hæc in aliquâ transcendentali: est enim verus & realis respectus inter fundamentum & terminum, & non tantùm pura connotatio fundamenti & termini coëxistentium, vt non rectè aliqui opinantur: non posset autem esse verus & realis respectus, nisi supponatur relatio transcendentalis, in qua fundetur. quia cùm relatio prædicam. non distinguatur reipsâ à fundamento, si hoc nullum realem ac transcend. ordinem diceret ad terminum, non posset relatio prædicam. saluari in respectu reali, sed in purâ connotatione fundamenti & termini simul coëxistentium; cùm per aduentum termini nullus de nouo resultet in fundamento respectus, nisi antè præsupponatur. Porrò relatio prædicam. distinguitur in hac sent. à transcend. quòd transcendentalis respiciat terminum possibilem, à quo specificatur; prædicamentalis eumdem vt actu existentem. Fundam. relatio prædicam. debet, ratione saltem, distingui à transcend. cùm hęc sit de essentiâ, prædicamentalis extra essentiam rei: sed nequit ab eâ distingui, nisi per connotationem termini actu existentis: quia cùm sit idem respectus identicè, distingui saltem debet formaliter penes terminum, scilicet existentem. Atque per hoc rectè saluatur, quo pacto relatio prædicam. sit accidentalis, & extra essentiam ipsius transcendentalis, quæ rem essentialiter constituit, & potest esse absque termino actu existente, cùm specificetur tantùm à possibili: ergo sicut actualis existentia termini est extra essentiam relationis transcend. ita connotatio illius, quâ formaliter constituitur relatio prędicam. à transcendentali distincta, erit illi accidentalis. Hæc doctrina in ijs tantùm rationibus transcend. verificatur, quæ specificantur à termino possibili, non quæ à termino existente, eumque essentialiter requirunt. Nam sicut in his, non est distinguere terminum possibilem ab actuali, cùm vterque pertineat ad essentiale specificatiuum relationis transcend. ita nec erit distinguere relationem prędicam. à transcend. per connotationem termini actu existentis; cùm hæc ipsa sit essentialis huiusmodi relationi transcend. implicat enim esse vnionem absque vnitis actu existentibus; actionem absque causâ actu influente; subsistentiam absque naturâ actu substante; & quemlibet modum absque eo, cuius est actualis modificatio. In his igitur relationibus transcend. non licet distinguere prædicamentalem, cùm nihil noui concipi possit per relationem prædicam. quod non sit conceptum per relationem transcend. Nam si quid non esset conceptum, esset connotatio termini actu existentis: sed hęc, cùm sit de essentiâ talis relationis transcend. necessariò concepta est in respectu essentiali talis transcend. vnde nil remanet ampliùs in tali relatione concipiendum, per modum respectûs aduenientis accidentaliter, supra respectum essentialiter constituentem.

Non distinguitur reipsâ à fundam.

4. *Differt à transcendẽtali, quòd respiciat terminum existentem.*

Est accidẽtalis.

5. *Transcendentalis indistincta à prædicam.*

6. *Vnio hypost. nullam fundat relat. prædicam. distinctam à transcẽd. nisi quâ est terminus actionis quâ producitur.*

Ex hâc doctrinâ definitur controuersia. Nam siue vnio hypost. consideretur vt vnio & nexus naturæ humanæ cum Verbo, siue vt effectus, vel in fieri, vel in facto esse, à Trinitate promanans, nullam fundat relationem prædicam. distinctam à transcendẽtali. Etenim tam vt vnio essentialiter respicit humanitatem actu recipientem, & personam Verbi actu terminantem; quàm vt effectus vel in fieri, vel in facto esse, Trinitatem actu influentem: igitur nihil in eâ concipi potest per modum respectus accidentaliter aduenientis, quod non sit conceptum per modum respectûs essentialiter constituentis: solùm fundat respectum prædicam. ratione distinctum à transcend. quà est terminus actionis vnitiuæ, quâ vnio producitur. Nam cùm vnio ex naturâ rei distinguatur ab actione, quâ producitur; cumque possit hæc numero vnio aliâ numero actione fieri, vel conseruari, non dicit essentialem respectum ad hâc numero actionem; proinde poterit in hâc numero vnione distingui respectus prædicam. ad hanc, & aliam numero actionem. Contrà verò nequit in hac numero actione distingui respectus prædicam. à transcend. quo hæc numero actio respicit hunc numero terminum; quia nequit hæc, aut alia numero actio habere alium numero distinctum terminum; cùm omnis actio essentialiter determinetur ad hunc numero terminum, non minus quàm ad hoc numero agens. An autem possit vna numero actio habere duplicem simul terminum; sicut eadem numero actio respicit duplex simul efficiens, vt est actio causæ 2. & 1. instrumentalis & principalis, *alibi.*

Patet ad fundam. primæ sent. quod tantùm probat de ijs relationibus transcend. quę respiciunt terminum actu existentem, non de ijs, quæ solùm respiciunt terminum possibilem: in quibus potest distingui respectus prædicam. à transcend. nam licet per eundem respectum realiter consideratum fundamentũ respiciat terminum possibilẽ & existentẽ, vt tamen respicit terminũ existentẽ, ratione distinguitur à seipso, quatenus respicit terminum possibilem: quia vt respicit terminum existentem, connotat aliquid, quod non connotat, quatenus respicit terminum possibilem, ipsam scilicet actualem existentiam termini, sine quâ actuali existentiâ termini saluatur integra essentia talis relationis transcend. 7. *Ad fund. 1. sent.*

Ad fundam. secundæ, dico, neque in vnione materiæ & formæ, aut substantiæ & accidentis, cæterisque relationibus transcend. quæ ad sui essentiam requirunt terminum actu existentem, distingui respectum prædicam. à transcendentali, sed tãtùm in ijs, quæ ad sui essentiam non requirunt terminum actu existentem. Cæterùm in vnione similium, respectus est, 1. vnionis ad extrema vnita: 2. extremorum inter se: 3. eorundem extremorum ad vnionem. Primus nequit distingui in transcendentalem & prædicam. cùm hæc vnio essentialiter respiciat hæc numero extrema: Secundus & 3. rectè distinguitur, cùm nec extrema, quæ distinctâ vnione connectuntur, sese mutuò essentialiter respiciãt vt actu existentia, cùm possit vnum saltem diuinitus esse sine alio; nec necessariò respiciant hanc numero vnionem, cùm possint eadem extrema diuersâ numero vnione inter se copulari. Dices; hæc extrema, hâc numero vnione copulata, essentialiter sese respiciunt, vt actu existentia: ergo extrema, vt vnita essentialiter sese respiciunt, vt actu existentia. Resp. vt vnita reduplicatiuè, concedo; nã vt sic reduplicant vnionem, quæ essentialiter requirit extrema actu existentia: specificatiuè, nego. 8. *Ad fundamentum. 2.* *Obseruatur triplex respectus in vnione.* 9. *Dices.*

Eadem doctrina proportionaliter applicanda est vnioni hypost. in quâ non est duplex respectus trãscend. & prędicam. ad extrema vnita. Contra verò, in humanitate distingui potest respectus transcendentalis, qui nihil aliud est, quàm potentia obedientialis, quam habet ad vnionem Verbi, ab ipso respectu prædicam. qui est connotatio talis vnionis, & Verbi actu terminantis humanitatem. In Verbo autem, sicut nullus est respectus transcend. naturalis, aut obedien. ad creaturas, ita nullus prędicam. realis, sed tantùm rationis ad humanitatẽ concipi potest: cùm omnis respectus prædicam. realis supponere debeat transcendẽtalem, in eoque fun-

10. *In vnione hypost. non distinguitur respectus transcend. à prædicam. secus in humanitate.* *In Verbo solùm est respectus rationis.*

fundari; alioqui non tam erit realis respectus, quàm pura connotatio extremorum simul existentium: in Verbo autem nullus est respectus transcend. realis ad humanitatem, cùm talis respectus includat
11. Dices. dependētiam à termino, à quo specificatur. Dices: Inter duo alba intercedit relatio prædicam. similitudinis sicut inter album & nigrum relatio realis prædicam. dissimilitudinis: cùm tamen nec inter duo alba, nec inter nigrum & album, supponatur
Resp. vlla relatio realis transcendentalis. Nego minor. nam etiam in his supponitur mutua perfectibilitas, in quâ relatio transcend. fundatur. Vnum quippe simile perficitur ab alio simili; quia magis propagatur & extenditur perfectione specificâ in suo consimili. Hinc illa natiua inclinatio in vnoquoque ente ad seipsum propagandum. Præterea vnum dissimile perficitur ab alio dissimili, saltem intentionaliter, & in ordine ad cognoscentem, quatenus vnum dissimile suâ naturâ excitat cognitionem sui dissimilis.

DISPVTATIO XII.

Quæ causa efficiens Vnionis.

EXplicata essentiâ & causâ formali, proprietatibusque Vnionis hypost. explicandæ sunt reliquæ causæ, & 1. efficiens: quæ esse potest, principalis & instrumentalis: Instrumentalis adhuc duplex, connaturalis & obedientialis.

1. Assertio 1. Dico 1. efficiens causa principalis vnionis hypost. fuit tota, & sola Trinitas. definitur in *Conc. Latera. sub Innoc.* III. *cap.* 1. vbi, *Vnigenitus*, inquit, *Dei filius* Iesvs *Christus à tota Trinitate communiter incarnatus.* Ratio: Incarnatio est actio ad extra; omnis actionis ad extra efficiens causa est essentia diuina, tribus Personis communis. item Concilia & scripturæ semper causam vnionis hypost. assignant Deum. Ratio: cùm hæc sit actio supernat. substantialis, necessariò vt causam principalem postulat substantiam supernat. cùm nequeat accidens supernat. esse principalis ipsius causa: solus Deus est substantia supernat. *ex* 1. *to. disp.* 9. *sect.* 6. solus igitur potuit esse causa efficiens principalis vnionis hypost.

2. Maior diffic. Difficultas est de causâ instrum. obedient. aut naturali; an Deus ad hanc vnionem producendam eâ vsus sit, vel vti potuerit. Negat *Medina* de quocumque instrumento, etiam per potentiam absolutam 3. *p. q.* 31. *art.* 4. Fundam. si posset creatura propriâ actione communicare esse diuinum alteri creaturæ, haberet in suâ virtute & potestate esse diuinum, quod est proprium Dei. Concedunt alij de
1. Sentent. Fundam. 2. Sent. instrumento obien. per potentiam absolutam: quin pium & probabile putat *Suar. disp.* 10. *sect.* 1. ad eam efficiendam de facto cooperatam esse B. Virginem, quod *cit. Medina* vocat dogma non sanum.

3. Assertio 2. Dico 2. non repugnat, ad eam efficiendam Deū vsum fuisse instrumento obedientiali, nullo tamen de facto vsus est. Primum constat: hæc vnio est aliquid creatum: ergo ad eam efficiendam vti potuit concursu creaturę: hoc enim vti potest ad omnem effectum contradictionem non implicantem.
Ad fundam. Medinæ. Fundamentum *Medinæ* ad summum probat de causâ principali non de obedientiali, quæ in agendo pēdet ex motione & voluntate Dei, cui principaliter actio instrumenti tribuitur: neque est necesse, vt quod efficacitatem habet in vnionem, efficacitatem quoque habeat in extrema vnita; nam homo efficacitatem habet in vnionem animæ cum corpore, cùm tamen efficacitatem non habeat in animam, & corpus. Secundum prob. vti concursu 4.
obedientiali creaturæ ad effectum supernat. est nouum miraculum, quod absque sufficienti reuelatione asseri non debet: at quod Patres dicūt, B. Virginem fuisse instrumentum Incarn. veramque Dei Matrem, non est sufficiens fundam. ad id asserendum. nam dicitur instrumentum Incarn. quà humanitatem produxit; est vera Mater Dei, vt *con. Nestor.* definiunt *Concil. Ephes. p.* 1. *in epist. Cyril. Alex. pag.* 155. V. Synod. *Constantinop. act.* 8. *cap.* 6. *&c.* Virgo vera mater Dei.
quia maternâ generatione vniuit partes in Filio Dei subsistentes: neque ad propriam maternitatem requiritur peculiaris concursus ad ipsas subsistentias partium; nam illæ naturâ præcedunt vt termini actionis creatiuæ, quâ partes ipsæ prius naturâ fiunt, quàm vniantur inter se. Sicut ergo alię matres dicuntur veræ matres, non quia attingunt subsistentias partium, sed quia illas vniunt inter se: Ita B. Virgo dicitur vera mater Dei, non quia aliquem influxum habuerit in vnionem hypost. partium cum Verbo, sed quia illas in Verbo subsistentes vniuit inter se vnione naturali. Ex his 5. Resp. ad Ambros.
resp. ad testimonium *Ambrosij epist.* 82. *ante med.* vbi docere videtur, B. Virginem cooperatam fuisse ad vniendam hypostaticè humanitatē cum Deo: *Per virum autem*, inquit, *& mulier è caro eiecta de Paradiso; per Virginē iuncta est Deo.* Intelligitur enim de vnione mediatâ, non immediatâ; nam vniendo animam & corpus, quæ priùs fuerant Verbo vnita mediatè vniuit humanitatem cum Deo: quia nisi B. Virgo vnione naturali vniuisset animam & corpus; etiamsi illa vnita fuissent cum Deo, nunquam Deus dici potuisset homo: quia non dicitur Deus homo sine vnione animæ & corporis, sed per vnionem cum animâ & corpore inter se coniunctis. Porrò per *carnem* Ambros. intellexit totam humanitatem, iuxta modum loquendi scripturæ, sumptâ parte pro toto, vt patet ex antecedentibus; nam eodem modo dixit: *Caro eiecta de paradiso*, cùm tamen non sola caro, sed totus homo fuerit de paradiso eiectus.

Dubitari posset de vnionibus partium, quæ nutritione aggregabantur Christi corpori, an ad eas 6. Aliud dub.
producendas vsus sit Deus humanitate Christi, vt instrumento obedien. Non desunt, qui concedant: verùm cùm res sit supernaturalis, non est absque fundam. asserenda, quod nullum sufficiens adfertur.

An possibile sit instrumentum connaturaliter 7. Vltima difficultas.
productiuum Vnionis hypostaticæ? pars negatiua verior videtur. Ratio 1. si tale instrumentum pos- Dupliciter implicat. à posteri.
sibile esset, de facto productum fuisset: quia quod potest connaturaliori modo Deus facere, non solet, quæ ipsius est in operando suauis prouidentia, modo minùs connaturali facere, vt inductione cōstat, tam in effectibus naturalibus, quàm in supernat. qui quoniam connaturaliùs producuntur per habitus supernat. infusos, Deus non producit illos sine huiusmodi habitibus infusis: at connaturaliori modo producta fuisset vnio hypost. per instrumentum connaturale, si possibile esset; ergo cùm de facto per tale instrum. producta non sit, signum est, illud possibile non esse. Quæ ratio nisi coniungatur cum sequ. non est efficax: nam 3. *to.* docui, instrumentum connaturale productiuum gratiæ habitualis non implicare, cùm tamen de facto illud non concedamus. 2. Quod est connaturale instru- 8. Ratio 2. implicantia.
mentum alicuius formæ, plerumque solet esse connaturalis dispositio ad illam; nequit autem, vt *seq. disp.*

disp. dari connaturalis dispositio ad vnionem hypost. ergo nec connaturale instrumentum ad illam. Maior constat inductione: calor, qui est connaturale instrum. ignis, est simul connaturalis dispositio ad illius formam introducendam. *Ratio.* quia connaturale instrum. est simul connaturalis proprietas rei, Minor *infrà*: quia nequit esse connaturalis dispositio ad vnionem, quin simul sit connaturalis dispositio ad formam vnitam: implicat, dari connaturalem dispositionem ad personalitatem increatam, quę est hypostatica forma huius vnionis: ergo. Dixi *plerumque*; nam multi putant, phantasma esse connaturale instrum. ad speciem intelligibilem vnà cum intellectu agente producendā, cum tamen non sit connaturalis dispositio ad illam; quia non disponit intellectum agentem ad speciem intelligibilem suscipiendam, ad quam de se est meliùs dispositus, quàm posset à phantasmate corporeo disponi.

DISPVTATIO XIII.

An ex parte humanitatis præcesserit causa dispositiua ad Vnionem?

Duplex causa dispositiua. CAVSA dispositiua, physica vna, quæ naturalem connexionem habet cum forma, ad quam disponit; & necessaria dicitur, vt calor & siccitas ad formam ignis: moralis altera, quæ ex quadam decentiâ & congruitate prærequiritur in subiecto ex intentione agentis. De vtraque est quæstio.

1. *1. Sentent.* 1. Sent. *Alen. 3.p. qu.7.me.2.art.1.& qu.12. me. 1.ar. 1.* affirmantis, necessarium fuisse habitum seu gratiam habitualem humanitatem physicè disponentem ad vnionem cum Verbo: probabilem putat *Gabrielm 3.dist.1.qu.2.art.2.ante concl. & dist. 2. qu.vn.art.2.concl.2.poster. loco positâ, & in 1.dist.30. qu.4.art.2.* *Fundam.* Fundam. *Alen.* Quæ in infinitum distant, debent, vt vniantur, proportionari; humanitas & Verbum infinitè distant: ergo vt vniantur, debent proportionari: proportionantur autem habitu gratiæ, quæ est quædam Deiformitas, & assimilatio diuina. Ex quo sequitur, naturam irrationalem, quæ non est capax gratiæ, non esse capacem vnionis cum Verbo.

2. *2. Sentent.* 2. Sent. *S. Tho. in 3. dist. 2. qu. 2 art. 2 ad 1. qu. Bonau. art. 3. qu. 2. Gabrie. qu. vn. art. 2. concl. 2. poster. loco: Marsil. qu. 10. art. 1. ad 1. dub.* docentium, humanitatem priùs naturâ fuisse moraliter dispositam per gratiam, & reliquas virtutes supernat. quàm Verbo vnitam. *Fundam. S. Tho.* Fundam. *S. Tho.* sicut materia redditur idonea ad recipiendam formam medijs dispositionibus, ita humanitas fit apta, vt à Verbo assumatur, medijs virtutibus, & donis supernaturalibus. *Cnfir.* Confirmatur: Quia Deus non vnitur intellectui beato vt species intelligibilis, nisi medio lumine gloriæ, ergo neque humanitati nisi medio habitu gratiæ.

3. *3. Sentent. S. Tho.* Tertia eiusd. *3.p. quæst. 2. art. 10. & qu. 6. art. 6. & qu. 7. art. 13.* vbi teste *Caiet. qu. 6. art. 6. §. Nota* 3. sententiam, quam *in* 3. docuerat, mutauit: *Caiet. loc. cit. Scots in 3. dist. 2. q. 2. §. Cõtra hoc Aureo. art. 4. Duran. qu. 3. Richar. art. 2. qu. 3. Palud. ead. dist. 2. qu. 2. art. 3.* qui duo licet secundam sent. probabilem putent, in hanc tamen vt veriorem inclinant: est ferè omnium Recentiorum, negantium vllam dispositionem, ne moralem quidem præcessisse ex parte humanitatis ad vnionem cum Verbo.

4. DICO 1. Implicat dispositio physica connaturaliter disponens humanitatem ad vnionem hypost. cum Deo. Prob. 1. aut esset gratia, aut lumen gloriæ, aut vtraque simul; nam hæ sunt qualitates omnium perfectissimæ, quas Deus efficere potest; cũ altera sit altissima participatio diuini esse, altera proprij modi operandi Dei: at hæ non sunt, alioqui omnes Beati essent physicè & naturaliter dispositi ad hypost. vnionem cum Deo: vnde violenter illis talis vnio denegaretur, non secus ac subiecto physicè disposito ad formam ignis, violenter denegatur forma ignis. 2. Physica & connaturalis dispositio 5. *Ratio à priori.* debet esse eiusdem ordinis cum forma, ad quam disponit: implicat qualitas creata, quę sit eiusdem ordinis cum personâ increatâ. Maior inductione cõstat in omni physicâ dispositione. Ratio: physica dispositio est connaturalis proprietas formæ, quę quà præcedit formam, ad eam subiectum præparando, dicitur dispositio; quà manat ab illa vt propria passio & adæquatus effectus ipsius, dicitur naturalis proprietas eiusdem ordinis cum illa. Minor prob. nulla qualitas creata transcendit ordinem creatum, cùm tamen personalitas diuina sit ordinis increati, qui magis distat ab ordine creato, quàm quicunque ordo creatus à quouis alio creato ordine. Con- *Confirm.* firm. ea proprietas est connaturalis personæ, quę est connaturalis naturæ, quam essentialiter exigit talis persona; quia persona exigit proprietates mediâ naturâ, in quâ primò subsistit, eâque mediante in proprietatibus suæ naturæ; sed nulla qualitas creata est connaturalis proprietas naturę diuinæ, quia repugnat, naturam diuinam esse subiectum accidentium: ergo.

6. DICES 1. Erit proprietas personæ diuinæ, non vt subsistentis in propriâ, sed vt subsistentis in assumptâ naturâ. Sicut risibilitas esset proprietas cõnaturalis *angeli*, vt subsistentis in assumptâ humanitate, esto non esset illi connaturalis, vt subsistenti in propriâ naturâ. Sed contrà: ex eo quòd Verbum subsistit in naturâ humanâ, non mutatur in suâ perfectione. Vnde sicut non est illi naturalis, sed libera assumptio naturæ humanæ, ita neque erunt illi connaturales ipsius proprietates; & licet subeat vicem subsistentię humanæ, non tamen cum naturali exigentiâ proprietatum naturæ humanæ. Vnde nec Angelo subsistenti in naturâ humanâ connaturalis foret risibilitas, sicut nec humanitas assumpta.

7. *Dupliciter potest aliquid alicui esse debitũ.* DICES: omnes habitus supernat. sunt Christo naturaliter debiti; ergo sunt proprietates naturales personæ Verbi subsistentis in naturâ humanâ. Nego consեq. nam potest aliquid alicui esse debitum, 1. vt perfectio adæquata illius, vt risibilitas homini; 2. vt perfectio inferior, vt corporeitas eidem homini: 2. modo, non 1. dicuntur naturaliter debiti habitus infusi Verbo subsistenti in naturâ humanâ: inferius autem non postulat habere naturalem cõnexionem cum superiore, quamuis superius possit postulare inferius. vnde homo postulat corporeitatem, non coporeitas hominem determinatè, quia potest esse in alio subiecto inferiore; & lumen gloriæ superius postulat lumen naturale intellectus creati ordinis inferioris; non contrà. Ex eo igitur, quod habitus supernat. debeantur Christo, non sequitur, quòd sint proprietates naturaliter exigentes personam Christi, sed quia Christo debita est omnis perfectio, debiti etiam sunt habitus supernat. non vt proprietas adæquata, sed vt perfectio inferior. vnde *S. Thom. qu. 7. art. 13. ad 3.* docet, gratiam vnionis & gratiam habitualem esse diuersi generis, *Quia illa est super omne genus, sicut est*, inquit, *ipsa Persona diuina.* Vnde omnis gratia habitualis ordi-

ordinatur ad subseruiendum gratiæ vnionis, sicut inferius superiori.

8. Dices 3. Lumen gloriæ est connaturalis dispositio ad visionem Dei, quæ tamen est perfectior ipso lumine; ergo potest aliquid inferius esse connaturalis dispositio ad formam superiorem. *Resp.* Visio Dei est perfectior lumine intra eundem ordinem supernaturalitatis creatæ: personalitas verò diuina est perfectior in ordine increato, qui transcendit omnem ordinem entitatis creatæ.

9. *Tertia probatio Assertionis.* Tertiò prob. omnis dispositio eò tendit, vt habilitet subiectum ad recipiendam formam cum maiori aptitudine, quàm illam reciperet sine tali dispositione: at nulla qualitas potest habilitare humanitatem ad recipiendam hypostasin Verbi cum maiori aptitudine, quàm illam reciperet sine tali qualitate. Maior constat: nam accidens disponere subiectum, non est tantùm informare illud; alioquin quodlibet accidens disponeret ad quamcunque formam, sed informando conferre illi aliquam habilitatem ad formam recipiendam. Minor prob. potest accidens disponere subiectum 1. tollendo impedimenta contrariæ formæ suscipiendæ, sicut accidentia ignis disponunt ad introductionē formæ ignis, corrumpendo accidentia ligni, contraria formæ ignis: 2. faciendo vnum receptiuum connaturalius cum potentiâ subiecti ad formam suscipiendam; vt lumen gloriæ cum intellectu Beati facit vnum receptiuum connaturalius ad visionem Dei recipiendam: nam omnis dispositio habilitat subiectum, vel tollendo ineptitudinem, vel ponendo aptitudinem ad formam recipiendam. *Dupliciter accidens disponit subiectum.*

10. At qualitas non disponit ad hypostasin Verbi tollendo impedimentum physicum; quia nullum habet humanitas, nisi propriam subsistentiam; hæc enim tantùm pugnat cum alienâ hypostasi, *vt infra*: at nullum accidens est destructiuum propriæ subsistentiæ, quia vt postulat subiectum, ita postulat completū in esse per subsistentiam: ergo nullum accidens potest disponere humanitatem ad hypostasim Verbi, tollendo impedimentum illi contrarium.

11. Sed nec ponendo aptitudinem ad formam: nam tunc dispositio positiuè adaptat subiectum ad susceptionem formæ, quando cum illo facit vnum adæquatum susceptiuum formæ: alioquin si tantùm se concomitanter haberet ad susceptionem formę, non magis disponeretur per illam, quàm sine illâ: sed nullum accidens potest facere cum humanitate vnum adæquatum susceptiuum hypostasis Verbi, quia nullum accidens est immediatè assumptibile à Verbo ad subsistendum connaturaliter in Verbo: igitur nullum accidēs potest disponere humanitatem ad hypostasim Verbi, complendo capacitatem illius; sicut complet lumen gloriæ capacitatem obedien. intellectûs Beati ad recipiendam connaturaliter visionem Dei.

12. *Ratio à priori.* Ratio: capacitas ad subsistentiam, est capacitas ad primum complemētum substantiale, ante quod substantia est simpliciter incompleta in suo esse, & consequenter naturaliter inepta ad operandum, cùm omnis operatio supponat hoc 1. complementum substantiale, quod est existendi simpliciter: ergo non potest medio accidente ad illud connaturaliter disponi. quia ante complementum 1. non est substantia naturaliter operatiua; ergo nec receptiua accidentis, cùm receptio sit aliqua operatio, quæ supponit subiectum completum, saltem quoad 1. complementum substantiale. Vnde prius naturâ anima subsistit, quàm sibi producat suas potentias; nam illam accipit mediâ creatione; has ipsa sibi producit mediâ propriâ operatione, quæ supponit primum complementum substantiale.

Deducitur, omnes habitus infusos collatos esse Christo, vt proprietates consequentes vnionem. quia Verbum suppleuit subsistentiam humanitatis cum eâ prioritate, quam subsistentia creata in eâ habitura fuisset, si à Verbo assumpta non fuisset. nam in eo signo Verbum est vnitum humanitati, in quo produci debuisset propria subsistentia: sed hæc priùs naturâ vnita fuisset humanitati, quàm illi vniti fuissent vlli habitus, vel potentiæ accidentales. Quin neque de potentiâ absolutâ potuerunt huiusmodi habitus vniri humanitati, vt proximæ dispositiones physicæ ad vnionem cum Verbo; quia Deus mutare non potest intrinsecas naturas rerū: ergo non poterat efficere, quin tales habitus supponerent subiectum subsistens, & prius naturâ completum substantialiter, in quo reciperentur, cùm talis habitudo sit intrinseca accidenti. Vnde etiamsi tales habitus producti fuissent priùs tempore adhuc seruassent hanc aptitudinem ad subiectum: sicut si Deus priùs tempore produceret intellectum & voluntatem, quàm animam, adhuc illæ seruarent debitam habitudinem ad proprium subiectum, pręsupponendo illud prius naturâ. 13. *Coroll. Fundam.*

14. *Ad argu.* Patet ad argu. aliarum opin. quando *S. Tho.* docet, gratiam collatam esse Christo vt congruam dispositionem ad vnionem, intelligendus est de dispositione præparante & ornante naturam, consequenter, non antecedenter: nam 3. *p. q. 7. art.* 13. affirmat, gratiam habitualem consequi ad vnionem, vt splendor consequitur ad solem.

15. Sequitur difficultas de dispositione morali. Omnes conueniunt, de facto nullam pręcessisse ex parte humanitatis ad vnionem cum Verbo: quia de facto omne donum supernat. collatum est Christo titulo filiationis diuinæ, ex illo, *Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre plenum gratiæ.* Vbi plenitudinem gratiæ colligit Euang. ex naturali filiatione Dei, quam Christus habuit ex vnione hypost. Ratio: maior fuit dignitas Christi, vt primum donum à Deo acceptum, esset naturalis filiatio Dei. Sola ergo difficultas est de possibili; an ex parte humanitatis præcedere potuerit aliqua moralis dispositio ad vnionem cum Verbo. De morali dispositione, naturâ tantùm pręcedente vnionem ad Verbum, *infrà, an Christus potuerit de congruo sibi vnionem hypost.* promereri: nunc tantùm de morali dispositione tempore præcedente vnionem ad Verbum. *Ioan. 1.* *Dupliciter præcedere potuit dispositio moralis vnionem ad Verbum.*

16. Dico 2. non repugnat moralis dispositio tempore præcedens ex parte humanitatis ad vnionem cum Verbo. Fundam. moralis dispositio non requirit, vt suâ naturâ, sed tantùm ex voluntate operantis connexionem habeat cum formâ ad quam moraliter disponit. ergo etiamsi nulla sit possibilis qualitas, quæ suâ naturâ connexionem habeat cum vnione ad Verbum, potest tamen cum illâ connexionem habere ex ordinatione Dei, decernentis non dare illam naturæ, nisi in ea præcedat certa dispositio actuum ac virtutum, quâ moueatur ad illam per modum præmij de congruo conferendam. Sicut potuisset conferre gratiam & gloriam hominibus dependenter ab actibus honestis virtutum naturalium, qui nullam ex se connexionem habent cum gratiâ & gloriâ ordinis supernat.

17. *Dupliciter potuit Deus naturam assumendā prius tempore disponere ad vnionem cū Verbo.* Cæterùm potuit Deus naturam assumendam priùs tempore disponere ad vnionem cum Verbo, 1. creando illam priùs tempore in proprio supposito, cum gratiâ & virtutibus infusis, quarum actibus illa moraliter se disponeret ad eam dignitatem suscipiendam. 2. si assumeret naturam, quæ priùs tempore contraxisset in proprio supposito peccatum orig. vel actuale; hanc enim potuisset Deus dispo-

nere

nere ad vnionem cum Verbo gratiâ & amore beatifico remouente mortalia & venialia, quæ vnionem impediebant. Hoc autem sufficit ad moralem dispositionem: ita qualitates materiales dicuntur dispositiones ad formam inducendam, quia præcedunt in subiecto, remouendo impedimenta contraria formæ inducendæ, etiamsi ipsæ naturâ suâ sint posteriores formâ inducendâ, quippe cùm sint proprietates illius. Vnde si priùs natura forma induceretur in subiectum, in quo nullum esset impedimentum, illæ non haberent rationem dispositionis, sed solùm proprietatis consequentis. Ergo etiamsi gratia, & habitus, vel actus supernat. ex se sint proprietates consequentes vnionem hypost. si tamen illam tempore præcederent, remouendo peccata contraria Vnioni hypost. haberent rationem dispositionis; non naturalis, quia tales actus, & habitus nec habent ex naturâ suâ connexionem cum diuinâ hypostasi, vt qualitates naturales cum formâ naturali; nec remouerent impedimentum vllum naturale, sed tantùm morale, quod est peccatum; ergo haberent solam rationem dispositionis moralis.

DISPVTATIO XIV.

De causâ terminatiuâ Vnionis.

SECTIO I.

Quæ fuit Persona terminans seu assumens.

1\. *Nullus hereticus filiũ incarn. negauit.* NVLLVS negauit, personam Filij esse incarnatam, adeò expressa sunt de hac re testimonia scripturę, etsi aliqui putârunt, cum personâ Filij reliquas etiã fuisse incarnatas, quod præter *Sabellianos*, solo nomine Personas diuinas distinguentes, senserunt *Patropassiani*, & *Clericus apud Ansel. de Incarn. c.* 1. asserentes, totam Trinitatem fuisse incarnatã. Congruentia est *disp.* 3.

2\. *Obijcies* 1. nõ potest humanitas produci, quin producatur ab omnibus Personis; ergo nec sustentari ab vnâ, quin sustentetur ab omnibus. *Resp.* Resp. Nego conseq. nam principium producendi ad extra in Deo est ratio absoluta naturæ, communis omnibus Personis: ratio sustentandi, seu hypostaticè terminandi, potest esse respectiua vnius personæ propria.

3\. *Productio ad intra, est immanens; ad extra transiens.* DICES: potest, vt 1. *to. disp.* 23. *sect.* 2. perfectio respectiua in Deo esse productiua ad intra; ergo etiã ad extra. Nego conseq. nam productio ad intra est immanens, ad extra est transiens: nequit autem ex productione immanente argui productio transiens, vt constat in creaturis, in quibus nulla potentia immanenter operatiua, est simul transeunter actiua. Esto igitur perfectio relatiua in Deo sit immanenter operatiua, non rectè sequitur, quòd etiam sit transeunter operatiua; cùm hi modi operandi sint

4\. inter se diuersi. Instas: vt 1. *tom. disp.* 17. *sect.* 1. voluntas diuina est potentia immanens, & simul etiam operatiua ad extra: ergo poterit perfectio respectiua in Deo esse potentia simul immanenter, & transeunter operatiua. Nego conseq. nam peculiari ratione cogimur, ponere in Deo voluntatem immediatè productiuam ad extra, quâ non cogimur ponere immediatè productiuas ad extra diuinas relationes: quia potentia productiua ad extra in Deo debet esse formaliter, & intrinsecè libera; non esset, nisi voluntas diuina esset potentia

5\. immediatè operatiua ad extra. Cur possit persona-lis proprietas Verbi sustentare, non producere humanitatem, ratio: ad hypostaticè sustentandum sufficit entitas realis personalis in se perfectè existens, intrinsecè communicata naturæ sustẽtabili: ad producendum requiritur etiam virtus productiua realis. At non hoc ipso, quòd entitas est, habet virtutem productiuam realem, vt constat de personâ Spiritûs S. quæ realis entitas est, cùm tamen productiua non sit, neque immanenter, neque transeunter; cùm tamen sit hypostaticè sustentatiua. *Leg. Scot. in* 3. *dist.* 1. *qu.* 1. *art.* 1. *fine.* *Ad producendũ plus requiritur, quàm ad sustentandum hypostaticè.*

6\. *Obijcies* 2. Non potest vna Persona diuina videri, quin videantur & cæteræ: ergo nec vniri, quin vniantur & reliquæ. Nego conseq. nam vnio vnit intrinseca, non extrinseca rei: visio, præsertim intuitiua, exprimit etiam extrinseca rei. Paternitas enim creata vnitur cum supposito Patris, cum quo tamen non vnitur Filiatio; cùm tamen illa sine hâc intelligi non possit. Igitur potest cum aliquo vniri Verbum, cum quo non vniantur reliquæ Personæ; non potest videri, quin videantur omnes. Ratio: Vnio tendit ad faciendum vnum cum reipsa vnibili: res vnibilis non facit vnum, nisi per id quod ipsa est intrinsecè talis: visio non tendit ad faciendum vnũ cũ re intelligibili, sed solùm ad exprimendam omnem eius perfectionem & respectum, quem dicit: atque adeò hæc terminatur etiam ad extrinseca rei, quia sunt intelligibilia & expressibilia. Cùm igitur vna Persona diuina sit distincta ab alijs; potest vniri per id tantùm, quo distinguitur ab alijs; non potest videri secundùm id tantùm, quo à cæteris distinguitur; nam etiam cæteræ connexæ cum eâdem naturâ diuinâ cadunt sub eamdem formalem rationem intelligibilitatis & expressibilitatis, sub quam cadit omnis ratio entis contenta in re visâ, ad quam exprimendam tendit visio: alia ratio additur 1. *tom. disp.* 9. *sect.* 18. *n.* 344. *Vnio tantũ vnit intrinseca, non extrinseca rei.* *A priori.*

7\. *Obijcies* 3. Cũ personâ Verbi est etiã incarnata diuina natura, vt cum *Damasc.* docet *S. Th.* 3. *p. q.* 3. *a.* 2. sed cum naturâ diuinâ identificantur omnes Personæ diuinæ: ergo cum Verbo sunt etiam aliç Personæ incarnatæ. Nego conseq. nam natura non est incarnata immediatè & per se primò, quo pacto cum illâ essent incarnatæ omnes Personæ; sed mediante Personâ Verbi, & secundariò, quatenus intrinsecè includitur in Personâ, quæ sola immediatè & per se primò est incarnata. Quod autem vnitur solùm consequenter ad vnionem alterius, non vnitur, nisi secundùm id, quod intrinsecè constituit illud, quod immediatè & per se vnitur: natura diuina licet in se contineat omnes personalitates, non tamen vnamquamque personam formaliter constituit per personalitates, quas in se continet, sed per solam essentiam absolutam; cùm non possit Persona in se formaliter constitui per id, quod tali personæ reipsâ opponitur: cùm igitur vna relatio personalis in diuinis reipsâ opponatur alteri, non poterit vna Persona formaliter in se constitui personalitate alterius. 8. *Resp.*

9\. *Obijcies* 4. Personalitas est vltimus terminus naturæ; ergo non est vlteriùs communicabilis: igitur implicat Verbum communicari naturæ humanæ. Distingu. primum conseq. non est vlteriùs communicabilis alteri vt supposito, concedo; vt naturę, nego. Etenim sicut personalitas est vltimus terminus in ratione suppositi, ita sub eâdem tantùm ratione alteri incommunicabilis: nam si hoc modo esset communicabilis, esset in ratione termini vlteriùs terminabilis, quod repugnat vltimo termino: alioqui esset, & non esset vltimus terminus. Communicari verò alteri vt naturæ, non est ipsum vlte- *Resp.*

vlteriori termino terminari, sed potiùs fieri terminum naturæ, cui communicatur.

SECTIO II.

An Pater, & Spiritus sanctus speciali modo existant in humanitate Christi?

10. 1. Sent. PRIMA sententia *Hugonis Cardinalis Spec. Eccles.* §. *Post hæc*, asserentis, Patrem & Spiritum S. ratione tantùm immensitatis esse sub speciebus sacram. in Christi humanitate: videtur *S. Thom. 1. p. quæst.* 43. *art.* 3. vbi præter illos tres communes modos, *Per essentiam, præsentiam & potentiam*, nullum alium specialem agnoscit, quo Deus sit in creaturâ rationali, nisi per gratiam gratum facientem, quâ dicitur habitare in illa, vt in proprio templo, in quo peractus virtutum colitur & adoratur. Colligitur *ex Triden. sess.* 13. *cap.* 3. vbi docet sub speciebus panis & vini existere diuinitatem propter admirabilem illam eius cum corpore & animâ Vnionem; nullâ mentione factâ Patris & Spiritûs S. ergo nullo speciali modo ex vi vnionis hypost. existunt in humanitate Christi.
Fundam. Fundamentum quod conuenit vni Personæ ratione proprietatis relatiuæ, non conuenit reliquis; sed esse in assumptâ humanitate conuenit Verbo ratione proprietatis relatiuæ: ergo nequit id conuenire reliquis Personis.

11. 2. Sent. SECVNDA *Gabrielis lect.* 42. *in can. Missæ, Viguerij institu. Theolog. cap.* 16. §. 3. *ver.* 4. *Suarez* 3. *p. tom.* 1. *disput.* 12. *sectione* 1. *Vasquez disput.* 28. *cap.* 2. affirmantium, Patrem & Spiritum S. speciali modo existere in humanitate Christi, quo non existunt in cæteris rebus.
Fundam. Fundamentum: nequit Verbum propter connexionem, quam habet, mediâ naturâ diuinâ, cum reliquis Personis in assumptâ naturâ existere, quin in eâdem simul existant, non terminantes, sed speciali modo assistentes,
Duplex ratio, cur Pater & Spiritus S. &c. Pater, & Spiritus S. Duplex ratio, ob quam Pater & Spiritus S. speciali modo, dicuntur esse in humanitate Christi, altera remota, proxima altera, esse potest.

12. 1. Assertio. DICO 1. Ratio remota, ob quam Pater & Spiritus S. speciali modo sunt in humanitate, non est diuersa ab eâ, ob quam sunt in cæteris rebus.
Fundam. Fundam. hęc non solùm est immensitas naturæ diuinæ, sed essentialis connexio Personarum cum eadem naturâ, ratione cuius vna dicitur esse in alia, & seiungi non posse ab alia. Quo fit, vt si per impossibile Deus non esset immensus, adhuc vi talis connexionis, vbi foret vna Persona, forent cæteræ: at ob eandem connexionem Pater & Spiritus S. comitatur Verbum in assumpta natura: ergo hæc ratio non est diuersa ab ea, quâ omnes Personæ simul existunt in cęteris rebus.

13. 2. Assertio. DICO 2. Ratio proxima, propter quam Pater & Spiritus S. comitantur Verbum in humanitate assumpta, est diuersa ab alijs: scilicet Vnio Verbi cum humanitate, ratione cuius reliquæ Personæ proximè trahuntur ad coexistendum in eadem humanitate. Sicut proxima ratio, ob quam eædem Personæ comitantur corpus & sanguinem Christi sub speciebus sacram. est significatio verborum sacram. quæ per se tantùm significant corpus & sanguinem Christi, ad cuius præsentiam immediatè trahitur Verbum, vt suppositum corporis & sanguinis, eoque mediante Pater & Spiritus S. vt connexi in eadem diuinitate cum Verbo. Item proxima ratio, quâ Pater existit in Filio genito, & vterque in Amore spirato, est passiua generatio Filij, & processio S. Spiritûs, ad quorum notionalem productionem simul cum naturâ diuinâ, suo etiam modo per circũinsessionem communicantur personæ produ- Circumincessio.
centes. Ratio verò proxima, ob quam diuinę Per- 14.
sonæ coexistunt cæteris in rebus, semper est aliqua operatio, vel terminatio ad extra, æquè primò respiciens omnes diuinas Personas. Ergo ratione huius peculiaris terminationis spectantis ad personã Verbi, vi cuius reliquæ etiam personæ trahuntur, dicuntur Pater & Spiritus S. peculiari modo existere in humanitate, & sub speciebus sacram. quamuis remota ratio existendi in omnibus sit eadem essentialis connexio personarum cum eâdem naturâ diuinâ. Quod explicat *Basilius Epist.* 43. *post med.* exemplo catenæ, cuius vnius annuli summitate apprehensâ, reliqua etiam inserta trahuntur. quod *August. serm. de Temp. serm. Dom. proximè ante Natiu. post init.* dixit, *Filium carnem suscepisse in proprietate, Patrem & Spiritum S. non defuisse Maiestate; Christi carnem Patrem & Filium impleuisse Maiestate, Filium susceptione.* Basilius egregiè explicat quod & August.

Obycies Extra hoc mysterium nulla dabilis est operatio, quæ per se primò ad vnam tantùm Personam terminata, reliquas etiam per connexionem cum eâdem naturâ trahat; scilicet omnis operatio est à naturâ cõmuni: sed quod per se primò ad omnes Personas terminatur non trahit illas, nec fit illis præsens speciali vinculo identitatis cum eâdem naturâ, sed communis attributi immensitatis: ergo nõ est specialis modus, quo &c. 15.
Resp. Esto, nulla extra hoc Mysterium dabilis sit talis operatio, fingi tamen posset, ad indagandam veritatem rei; quâ positâ: tunc enim præcisâ à diuinis Personis immensitate, & posito, quòd vna Persona moueretur ad vnũ locum, necessariò vi connexionis eiusdem naturæ, deberent omnes ad eumdem locum moueri; atque adeò tunc nõ ratione immensitatis, sed connexionis cum eâdem natura, omnes Personæ essent præsentes eidem loco. 16. Resp. Ficto casu.
Nego itaque minor. Vnde nego Patrem & Spiritum S. esse in Humanitate Christi ratione solius immensitatis; est etiam ratione identitatis cum eadem natura. quem modum *cit. loc. S. Tho.* comprehendit sub 1. modo essendi per essentiam, qui importat modum essendi per immensitatem, & per identitatem naturæ: nam ratione vtriusque modi, vbi est vna Persona, necessariò sunt reliquę. 17. Resp. Auctoribus Prima sent.
Ad fundam. dist. 1. maior: Quod conuenit vni Personæ, ratione suæ notionalis proprietatis, vt distinctæ à reliquis, non conuenit alijs Personis, concedo; quod ratione alicuius perfectionis communis, nego. 2. dist. minor. Esse in humanitate hypostaticè & sustentatiuè, conuenit soli Verbo, concedo; esse in humanitate per intimam præsentiam, ratione identitatis cum eâdem naturâ diuinâ, conuenit soli Verbo, nego. Cæterũ nec concomitanter quidem dicuntur Pater & Spiritus S. ex Virgine cõcepti, nati, crucifixi; sicut nec in Eucharistiâ manducari; aut Pater in Filio produci, vel vterque in Spiritu S. quia hæc important proprium modum personalem terminandi humanitatem, significationem verborum sacram. productionem æternam. 18. Satisfit fundamento eiusdem.
Fundam. 2. Sent. solùm probat, Patrem & Spiritum S. speciali modo ab immensitate diuerso, simul cum Verbo esse in humanitate Christi præsentes; non speciali modo diuerso ab eo, quo eædem personæ diuinæ sunt cæteris rebus præsentes; ratione identitatis cum eadem natura, cum quâ vbi est vna, necessariò sunt reliquæ Personæ. 19. Consideratur fundamentum secunda.

SECTIO III.

Sub quâ ratione Verbum terminet humanitatem?

20. 1. *Sentent. duplex vnio.* PRIMA Sent *Durand. in 3. dist. 1. qu. 2.* opinantis, Verbum sub ratione absolutâ & respectiuâ; Vnione, alterâ terminatâ ad naturam diuinam, alterâ ad Personalitatem, humanitatem terminasse. *Fundam.* Fundam. Verbum illâ perfectione terminat humanitatem, quâ subsistit; subsistit ratione absolutâ: 1. quia subsistere est ad se, & in se existere: 2. dicit perfectissimum modum essendi, qui Deo competit ratione essentiæ: 3. ex August. 7. *de Trinit. cap. 4. fine: Si Deus relatiuè subsistit, sicut relatiuè gignit, iam substantia non erit substantia, quia relatiuũ erit: sicut enim ab eo quod est esse, appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus.* Quia verò sola vnio cum essentia non saluat, quòd solùm Verbum sit incarnatum, præter vnionem cum essentiâ, ponit *Durandus* vnionem cum personalitate, quâ humanitas completur in ratione per se subsistentis incommunicabiliter. In eandem labitur *Capreol. in 3. dist. 1. q. vn. a. 3. ad argu. Duran.* *Duplex dependentia.* vbi admittit dependentiam in humanitate, alteram in ratione actualis existentiæ ab essentiâ communi; alteram in ratione personalitatis à proprietate relatiuâ Verbi: nisi quòd *Capreol.* dependentiam à proprietate relatiua, vult esse proximam & priorem; dependentiam à naturâ, remotã & posteriorem. *Duran.* contrà: *Fundam.* Fundam. humanitas non solùm subsistit in Verbo, sed etiam existit: existere autẽ perfectio est naturæ communis; ergo humanitas non solùm subsistit per dependentiam à Verbo, sed etiam existit per dependentiam à natura.

21. 2. *Sentent.* SECVNDA *Victoria, Soti apud Medin. 3. p. q. 3. a. 2.* scilicet, primaria ratio terminandi humanitatem est subsistentia absoluta naturæ, vt modificata proprietate relatiuâ Verbi.

22. 3. *Sentent.* TERTIA *Ocham. in 3. q. 1. art. 2. Gabr. dist. 1. q. 1. ar. 1. notab. 5. fine,* scilicet ratio terminandi humanitatem per se primò est totum constitutum ex essentiâ & proprietate relatiuâ. *Fundam.* Fundam. ad esse personale per se primò requiritur existentia communis, & incommunicabilitas personæ.

23. 4. *Sentent.* QVARTA *Bacho. in 3. dist. 2. qu. 2. art. 1. §. 6.* scilicet principalis ratio proxima & prima, quâ Verbum assumpsit humanitatem, fuit natura diuina omnibus Personis communis, proximior & minùs principalis fuit potentia sustentatiua seu assumptiua propria Verbi. quia principalis ratio assumendi fuit subsistentia, quæ est propria naturæ. Et alioquin non saluaretur, quo pacto solum Verbum sit incarnatum. Hæc opinio incidit *in Duran. & Capreol.* Sent. & eodem fundam. infrà impugnabitur.

24. 5. *Sentent.* QVINTA *Alen. 3. p. q. 4. me. 1. S. Tho. 3. p. q. 3. art. 2. Caiet. & Medin. ibid. Alber. in dist. 2. a. 13. Bonauen. dist. 5. a. 1. q. 3. Scoti dist. 1. q. 5. §. In ista q. Richar. a. 1. q. 1. Argent. dist. 1. q. 2. art. 2. Marsil. q. 2. art. 1. fine, Palat. dist. 1. disp. 2. Almai. dist. 2. q. 1. Rubio. dist. 5. q. 1. Suar. disp. 12. sect. 2. Vasquez. disp. 26. c. 3.* scilicet, Ratio terminandi humanitatem primaria est proprietas relatiua Verbi, secundaria verò natura, quatenus includitur in proprietate relatiuâ Verbi. Quæ Sent. verior est.

25. *Assertio. colligitur ex Tolet. 6.* Concilijs ac Patribus conformior, ex *Conci. Tolet. VI. can. 1. Solus, Filius suscepit humanitatem in singularitate Personæ, non in vnitate diuinæ naturæ, id est* (declaratio est Concilij) *in eo; quod proprium est Filij, non quod commune Trinitati.* At quo pacto dici posset humanitatem suscepisse in eo, quod proprium est Filij, & non potiùs in eo, quod cõmune est Trinitati, si illam per se primò terminâsset perfectione absolutâ toti Trinitati communi? Si primaria ratio terminandi humanitatem esset perfectio absoluta, etiam Pater & Spiritus S. essent incarnati; quia non minus intrinseca est Patri sua natura, quàm sua personalitas; ex vtrâque enim essentialiter cõstituitur in ratione Patris: sed si Pater primariò humanitatẽ terminaret propriâ Personalitate, diceretur verè & propriè homo; ergo si eandẽ terminet naturâ cõmuni, verè etiam & propriè dicetur homo: nam ex eo, quod natura est cõmunis, non tollitur, quin sit propria singulorũ, sed si illa esset tantũ in vnâ personâ, & primariò vniretur humanitati naturâ tantùm, verè & propriè diceretur persona incarnata: ergo etiam nunc, nam quòd nunc sit cõmunis alijs Personis, non tollitur, quin sit propria ipsius, & reliquarũ personarum. Minor prob. vt forma accidentalis verè & propriè prędicetur de personâ creatâ, non est necesse, vt immediatè vniatur cũ personalitate, sed tantũ cũ naturâ: verè enim prædicatur albedo de Petro; etiamsi illa nõ vniatur immediatè cum personalitate sed tantũ cum naturâ Petri: ergo, vt forma substantialis humanitatis verè prædicetur de Patre, non est necesse, vt immediatè vniatur cum Personalitate, sed tãtùm cum naturâ Patris: sicut si albedo est in superficie, & superficies in Petro & Paulo, vterque diceretur albus eâdem albedine: ergo si humanitas immediatè esset in essentiâ diuinâ, cùm eadem sit in omnibus personis, omnes Personæ essent homo eâdem humanitate. 3. Eâdẽ ratione Verbum primariò terminat naturam humanã, quâ terminat diuinam, sed diuinã primariò terminat proprietate relatiua; ergo etiã humanam: nam per id terminat diuinã, per quod illam reddit incommunicabilẽ personaliter, scilicet proprietate relatiuâ, quâ redditur formaliter opposita reliquis personis, quia omnis communicabilitas in diuinis formaliter est per oppositionẽ. Maior prob: non maiorem virtutẽ requirit Verbum ad terminandam naturam humanam, quã ad terminandam diuinã: ergo si ad terminandam diuinam sufficit proprietas relatiua, eadem sufficiet ad humanam. nam ex eo quòd terminet diuinam, nõ minuitur eius virtus terminatiua; sicut ex eo quod natura diuina communicatur Filio, non tollitur, quin possit etiam communicari Spiritui S. quia licet terminãdo naturam diuinam, adæquetur intensiuè, non tamẽ adæquatur extensiuè. 4. Vel ista perfectio absoluta est necessaria ad faciendã humanitatem formaliter subsistentem, vt *Durandus* dicebat; vel ad faciendã formaliter existentem. vt *Capreolus*; Non ad primũ quia ad illã sufficit subsistentia relatiua; nec ad secundum: falsũ enim est, humanitatẽ formaliter existere existentiâ Verbi: quia cùm existẽtia non distinguatur ab essentiâ actuali extra causas positâ, cumq; humanitas seipsa ponatur extra causas, implicat fieri existentẽ existentiâ alterius. 2. ad hunc ipsum effectum sufficeret existentia relatiua Verbi, quæ vt 1. *to. disp. 19. sect. 7.* ratione distinguitur ab existentiâ absolutâ naturæ. *Durandi* sententiam Capreolus notant, vt *periculosam*; Medina, vt *hæreticam*; Cabrera, vt *temerariam*: ego ad minimum censeo illam *temerariam, & errori proximam*, cùm sit contra communem sensum Patrum, & ex eâ facilè deducatur error contra Fidem. Vnde *Durandus in 2. dist. 1. q. 4. n. 7.* admittit hanc propos. *Patrem vt Deũ esse incarnatum*, cùm tamen Patres vnionẽ non agnoscant, nisi quâ Verbum factum est Homo. Ad fundam. nego minor. nam esto in Deo sit subsistentia absoluta; negari tamen nõ possunt tres relatiuę, quibus constituuntur & distinguuntur Personæ, quarũ quælibet sicut terminat naturã increatam, ita

Right margin notes: 26. *Prob. 2. ex confess. hæretico.* — *Minor.* — *Prob.* — 27. *Probatio 3.* — 28. *Probatio 4.* — 29. *Censura de Durandi sent.* — 30. *Resp. Fundamento Durandi.*

ita terminare potest creatam. Ad 1. prob. nego, subsistere personale in Deo esse ad se, cùm sit formaliter relatiuum. Ad 2. nego, subsistere incommunicabiliter esse perfectissimum modum essendi simpliciter, sed in genere dumtaxat relatiuo. Ad 3. Resp. *Augustinum* loqui de Deo sumpto naturaliter, non personaliter, vt *Argent.* explicat *in 1. dist. 26. q. 6. art. 4. ad* 8. patet ad fundamenta reliquarum sent.

31. *Obijcies* 1. ex eo quòd natura diuina est principium generandi, vt determinata proprietate personali Patris, non sequitur quòd sit principium generandi in reliquis personis: ergo ex eo, quòd subsistentia absoluta naturæ, vt modificata proprietate personali Filij, terminet humanitatem, non sequitur, quòd reliquæ etiam personæ terminent.

32. *Disparitas est.* Resp. natura diuina non est principium generandi, nisi quatenus est in persona, quæ origine præcedit genitum: at verò, si vnio fieret in natura, fieret in illa æquè primò subsistente in tribus: nec foret maior ratio, cur potius vna, quàm alia persona diceretur incarnata. Sicut quia creatio est à naturâ æquè primò subsistente in tribus personis, omnes dicuntur creare. Hęc resp. est iuxta Sent. quæ docet, principium producendi ad intra esse naturam determinatam relatione, vt conditione sine qua non: in meâ *to. 1. disp. 23. sect. 2.* scilicet ratio producendi ad intra est relatio, quâ habet rationem principij proximi productiui; meliùs saluatur, quo pacto ratio generandi sit tantùm in Patre, sicut spirandi in solo Patre & Filio, quia tantùm in Patre est Paternitas, & in Patre & Filio spiratio actiua, quæ solæ sunt proximæ rationes producendi ad intra. *Ratio producendi ad intra est relatio.*

33. *Obijcies* 2. natura diuina communicatur Filio, eidem non communicatâ paternitate; ergo eadem natura vniri posset humanitati, eidem non vnitis personalitatibus. *Resp.* Nego conseq. nam diuinæ personalitates opponuntur ad inuicem, non cum naturâ humanâ, & ideò communicatâ Filio naturâ diuinâ, non communicatur paternitas; communicatâ verò naturâ diuinâ humanitati, communicarentur omnes personalitates, quia nulla personalitas habet oppositionem cum humanitate. Sicut quia cum eâdem naturâ diuinâ non repugnat filiatio, & spiratio passiua eidem naturæ per generationem communicatur filiatio, & per processionem spiratio.

34. *Obijcies* 3. Cum Verbo est etiam incarnata natura, cum quâ tamen non est incarnatus Pater & Spiritus S. ergo posset incarnari natura, non incarnatis personis. *Resp.* Nego conseq. natura enim non est incarnata primariò, vt commune vinculum humanitatis & personarũ, habens immediatum actũ in vtrasq; sed secundariò, vt inclusa in persona Verbi: quę sicut potest identificare sibi naturam diuinam, non identificatis sibi reliquis personalitatibus, ita potest eandem naturam vnire humanitati, eidem non vnitis cæteris personalitatibus. *Rogas.* 35. Quare dicitur natura diuina incarnata, & non passa, aut mortua? *Resp.* Resp. incarnari est proprium Verbi, quod communicatur naturę diuinæ vt essentialiter inclusæ in Verbo: Pati verò, vel mori, est proprium naturæ humanæ: & quia solum Verbum est suppositum naturæ humanæ, & homo; solum Verbum dicitur passum & mortuum per idiomatum communicationem, non natura diuina.

36. *Obijcies* 4. Si Verbum vniretur humanitati proprietate relatiua, redderet illam formaliter relatam ad Patrem, quia communicaret illi effectum formalem Filiationis, qui est referre ad Patrem. *Resp.* Nego sequel. quia non vnitur vt actus informans, sed vt terminus subsistens: quo pacto licet ipse referatur ad Patrem, non tamen reddit naturam, cui vnitur, formaliter relatam: sicut nec reddit naturam diuinam, cum quâ identificatur, formaliter relatam.

SECTIO IV.

An qualibet Relatio diuina immediatè terminare potuerit vnionem naturæ humanæ?

PERSONA diuina quælibet naturam humanam assumere potuisse; habet enim sufficientem virtutem ad sustentandam, & suppositandam naturam humanam, cùm sit perfectè subsistens. Controuersia est de relatione spirationis actiuæ, quę non est personalis, nec subsistens subsistentiâ propriâ, distinctâ à subsistentiâ Patris & Filij, quorum est communis proprietas, & principium *quo* spirandi Spiritum S. & cùm non habeat peculiarem subsistentiam, non videtur posse immediatè terminare hypost. vnionẽ naturæ humanæ. Confirm. Quod non habet in se, alteri communicare non potest; cùm igitur hæc relatio non habeat propriam subsistentiam, nec natura humana sit capax, nisi subsistentiæ, non poterit vnionem hypost. cum naturâ humanâ immediatè terminare. 37. *Cõtrouersia hanc apud neminem propositam reperio.* *Ratio dubitandi pro parte negatiuâ.*

DICO 1. potuit spiratio actiua immediatè terminare substantialem vnionem naturæ humanæ ad se. 38. Fundam. natura humana, & quæuis alia substantia creata exigit propriam subsistentiam, vt vltimum complementum substantiale ad perfectè existendum, sine quo vel æquiualenti non posset illa existere, cùm effectus non existat, nisi habeat omnes causas ad existentiam requisitas, inter quas est subsistentia, à quâ vt à causâ intrinsecè terminatiuâ pẽdet omnis natura creata, *vt suprà*: At potuit hoc vlt. complem. natura humana habere à spiratione actiuâ: nam *ex 1. to. disp. 19. sect. 7.* spiratio actiua est perfectio substantialis, habens suam propriam existẽtiam, ratione distinctam tam ab existentiâ absoluta naturæ, quàm ab existentijs relatiuis Patris & Filij: ergo potuit per hanc existentiam substantialem, vt ratione distinctâ ab existentiâ absolutâ naturæ, & ab existentijs relatiuis Patris ac Filij, immediatè terminare substantialem vnionem naturę humanæ ad se, eamque reddere per se existentem. nam existentia spirationis actiuæ, etiam vt distincta ab existentiâ absolutâ naturæ, & relatiuis Patris & Filij, est per se & independens ab illis per identitatem cum illis, licet inexistat illis vt virtus proximè spiratiua Spiritus S. ergo potuit illam, non in ratione existendi simpliciter, cùm hæc supponatur in naturâ assumptâ, sed in ratione existendi completè & per se, communicari humanitati. quia potest communicari humanitati, quicquid humanitas non habet vi propriæ naturæ: sed vi propriæ naturæ, vt distinctæ à propriâ subsistentiâ, non habet existere completè & per se, sed tantùm incompletè, cum essentiali exigentia ad existendum completè per vlteriorem terminum intrinsecum substantialem. *Fundam.* *Conseq. prob.* *Patet.*

DICO 2. non potuit spiratio actiua terminare substantialem vnionem humanitatis ad se, quin eandẽ mediatè terminauerint Pater & Filius: *ex præceden. sect.* quia nequit vnio naturæ creatæ per se primò terminari ad aliquod commune, quin mediatè & secundariò terminetur ad omnes Personas, quibus illud est commune: atqui spiratio actiua est communis Patri & Filio: ergo. Vnde eo euentu, licet solum principium spiratiuum esset immediatè incarnatum, tamen mediatè etiam Pater & Filius dicerentur incarnati: non secùs ac 39. *2. Assertio* *Fundam.*

nunc solum Verbum est immediatè incarnatum, mediatè est incarnata etiam natura.

40. *Assertio 5.* DICO 3. natura humana immediatè terminata existentiâ relatiuâ spirationis actiuæ, non esset vlteriùs immediatè terminabilis ab alio supposito, nisi attemperato concursu terminatiuo spirationis actiuæ. *Fundam.* Fundam. posito, quòd spiratione actiuâ humanitas esset completa in vltimâ ratione existendi per se, nō esset vlterioris perfectionis substantialis capax: at nequit substantialiter communicari alteri vt supposito, nisi substantialiter ab illo perficiatur; nec natura vltimò completa in sua ratione substantiali existendi, vlteriùs substantialiter cōpleri; cùm etiam supponatur ex se cōpleta in ratione principij productiui. Antec. prob. eatenus natura creata postulat propriam subsistentiam, vt eâ completè existat: & eatenus habens propriam subsistentiam, non est vlteriori supposito substantialiter communicabilis, quatenus reddita propriâ subsistentiâ in suâ ratione existendi vltimò completa, non est ampliùs substantialis perfectionis capax.

41. *Obijcies* 1. humanitas terminata Spiratione actiuâ, adhuc vlteriùs terminaretur Paternitate & Filiatione, *ex asser.* 2. ergo terminata spiratione actiuâ, adhuc vlterius substantialiter terminari posset supposito Patris & Filij.

42. *Resp.* Resp. antecedens de terminatione immediatâ & dictâ à terminatione Spirationis actiuæ, nego; de eâdem, quâ simul immediatè terminatur à Spiratione actiuâ, & mediatè à Paternitate & Filiatione identificatis cum Spiratione actiuâ, cōcedo: *A pari.* vt humanitas vnitur immediatè Verbo, & mediatè naturæ diuinæ; nam hoc modo non est terminari ad distinctum terminum, tribuentem distinctum esse substantiale, quo pacto implicat, naturam vltimò completam substantialiter, recipere nouum esse substantiale; sed ad eundem, tribuentem vnū & idem esse substantiale, quamuis illud idem tribuat vnâ ratione immediatè, aliâ mediatè.

43. *Obijcies* 2. natura diuina adhuc terminata spiratione actiuâ, est vlteriùs substantialiter terminabilis Patre & Filio vt suppositis distinctis: ergo etiam natura creata terminatâ spiratione actiuâ, posset vlteriùs substantialiter terminari supposito Patris, aut Filij, terminatione etiam immediatâ & distinctâ.

44. *Resp. Discrimen naturæ increatæ ac creatæ.* Resp. Nego conseq. nam natura diuina per suppositum Patris redditur fœcunda ad generandum; per suppositum filij completur in ratione principij spirantis tertiam personam. Prętereà completur supposito Filij, vt intrinseco termino intellectualis fœcunditatis: sicut completur persona Spiritûs S. vt intrinseco termino appetitiuæ fœcunditatis: nullum autem ex his complementis habet natura diuina à solâ Spiratione actiuâ, nisi tantùm proximam potentiam spirandi. Natura creata vltimò completa, in ratione existendi & operandi, tam intra quàm extra se, non remanet vlteriori supposito substantialiter communicabilis, nec substantialis communicatio fieri potest, vbi nulla potest substantialis perfectio communicari, scilicet vbi vtrumque extremum communicabile supponitur vltimò substantialiter completum.

45. *Obijcies* 3. natura creata terminata Spiratione actiuâ non existeret perfectiùs, quàm existat Spiratio actiua: sed hæc etsi in se perfectè existat, adhuc est vlteriùs communicabilis Patri & Filio: ergo etiamsi natura creata terminata à spiratione actiuâ perfectè existeret, adhuc esset vlteriùs communicabilis suppositis Patris & Filij.

46. *Resp. Spiratio actiua est proxima potentia productiua Spiritus sancti.* Nego conseq. nam spiratio actiua est proxima potentia productiua Spiritûs S. omnis autem potentia essentialem communicabilitatem includit ad suppositum, cuius est proxima potentia. Cum Natura creata, cùm spiratione actiuâ perfectè compleatur in ratione existendi, nec possit communicari Patri & Filio vt proxima virtus & potentia operatiua ipsorum, non potetit illis substantialiter communicari.

47. DICES: posset humanitas terminata spiratione actiuâ communicari Patri & Filio, vt natura, quâ Pater & Filius proximè operarentur operationes humanas: vti de facto communicata est humanitas Verbo, vt natura, quâ Verbū operatur operationes humanas. *Resp.* Nego assump. nam vt posset humanitas substantialiter cōmunicari Patri & Filio, vt natura, quâ proximè essent operatiui operationum humanarum, deberet humanitas completa vltimò vlteriùs ea communicatione substantialiter perfici; cùm non possint perfici Pater & Filius assumptione humanitatis, vt Spiratione actiua, & nequeat fieri substantiale compositum, ac proinde substantialis cōmunicatio, nisi alterutrum saltem extremū substantialiter perficiatur. Nec est eadem ratio de humanitate substantialiter communicata Verbo; quia hæc supponitur incompleta in vltima ratione existendi ante vnionem ad Verbum; adeoque potest illi substantialiter vniri, accipiendo vltimum substantiale complementum perfectè existendi in illo.

48. *Obijcies* 4. Esto natura creata terminata Spiratione actiua perfectè existeret, adhuc tamen non subsisteret; nam spiratio actiua formaliter non est subsistens, cùm fiat subsistens per subsistentias Patris ac Filij: ergo adhuc esset capax vlterioris perfectionis substantialis subsistentię, non solùm existentiæ. Confir. Si perfecta existentia sufficeret ad denominandam naturam subsistentem, deberet natura diuina, etiam vt præcisa à subsistentijs relatiuis denominari subsistens; cùm etiam præcisa ab ijs perfectè existat: contra id, quod 1. *to. disp.* 21.

49. *Resp. Natura & spiratio actiua communicatur Patri ac Filio vt intrinsecis terminis substan.* Nego antec. nam subsistere nihil aliud importat, quàm perfectè existere, connotata essentialiter negatione communicabilitatis alteri, vt termino intrinsecè terminanti. Defectu huius negationis, nec natura diuina vt præcisa à subsistentijs relatiuis, nec spiratio actiua vt distincta à Paternitate & Filiatione, dicitur subsistens: esto vtraque sit perfectè existens. Natura verò creata terminata spiratione actiua, quia vltra perfectam & completam existentiam, diceret ętiam negationem substantialis communicabilitatis alteri, vt termino substantiali intrinseco; idque ex eo, quòd nō esset ampliùs substantialiter perfectibilis, non solùm haberet rationem perfectè existendi, sed etiam subsistendi.

50. Ad prob. antec. spiratio actiua cōtinet perfectionem subsistētiæ quoad rationem positiuam, seu existentiam perfectā; non quoad rationem negatiuam essentialiter importatam; ita natura diuina vt præcisa à subsistentijs relatiuis, perfectè tantùm existit nō subsistit eadem ratio positiua perfectè existendi, quę est spiratio actiua, quia communicata naturæ creatæ includit negationem vlterioris substantialis communicabilitatis, habet completam rationem subsistentiæ. Patet ad confirm.

51. *Obijcies* 5. anima separata non solùm existit, sed etiam subsistit, & tamen est communicabilis corpori: vna pars aquæ non modò subsistit, sed etiam est completum suppositum; cùm tamen sit vlteriùs communicabilis alteri parti aquæ, cum quâ aptè est componere vnum integrale perfectius. Idem dici potest de elementis, si ea manent formaliter in mixto. Igitur falsum est, subsistens essentialiter importare negationem vlterioris communicabilitatis substantialis.

52. *Resp.* Resp. importari à subsistente solam negationem substantialis communicabilitatis alteri, vt termino substantiali intrinseco: ita nec anima

anima est communicabilis corpori, vt termino substantiali intrinseco, sed vt comparti heterogeneæ compositi substantialis: nec vna pars aquæ est communicabilis alteri, vt termino substantiali intrinseco, sed vt comparti homogeneæ compositi integralis: nec elementa communicantur mixto, vt intrinseco termino substantiali, sed vt formę perfectioris compositi. ita suppositum connotat naturam completam; subsistens esse potest etiam in naturâ incompletâ; anima separata dicitur subsistens, non suppositum; aqua separata non solùm dicitur subsistens, sed etiam suppositum: non perfectum, seu negans omnem substantialem communicabilitatem, vt equus, homo, planta, & quodcunque viuens, ac mixtum perfectū; sed imperfectum, seu constās ex partibus homogeneis, quod semper dicit substantialem communicabilitatem cum alijs suppositis homogeneis. Vnde talia supposita sunt tota in actu, partes in potentiâ, quâ substantialiter vniri possunt cum alijs similaribus suppositis, & cum illis componere perfectius suppositum integrale.

Differt subsistens à supposito.

Suppositum duplex est.

53. Dices: subsistentia est vltimus terminus substātialis naturæ: ergo nullam relinquit in naturâ substantialem communicabilitatem; R. dist. antec. est vltimus terminus substantialis in ratione existendi, concedo, in ratione compositi & perfectæ naturę, nego. vnde potest complere vltimò substantiam in ratione existendi, & adhuc relinquere illam vlteriùs substantialiter communicabilem in ratione partis. Ratio: subsistentia est actus immediatè afficiens existentiam rei, eamque tantùm formaliter complens. Quocirca si substantia est partialis, non tollit ab illâ substantialem communicabilitatem, quâ vt pars substantialis habet, ad aliam partem substantialem; sed solam communicabilitatem ad vlteriorem terminum substantialem intrinsecum. Nam eam dumtaxat cōmunicabilitatem tollit subsistentia, quā ipsa formaliter est: porrò ipsa formaliter non est, nisi incommunicabilitas terminatiua intrinseca substantialis: ergo eam tantùm incommunicabilitatem tribuit naturæ. Sed de his *infrà*.

Subsistentia est actus immediatè afficiens existentiam rei, eamq; formaliter complens.

SECTIO V.

An possit DEVS *naturâ absolutâ immediatè terminare vnionem naturæ creatæ?*

54. *1. Sentent. Fundam.* PRIMA Sent. *Alen. 3. p. q. 2. m. 2. Bonau. in 3. dist. 1. art. 1. quæst. 3. & dist. 5. art. 1. q. 4. Mayro. dist. 1. q. 4. Vasqu. disp. 15.* negantium. quia omnis vnio aut est in naturâ, aut in personâ, neque aliam agnoscunt Patres cōtra hæret. At vnio in naturâ repugnat Deo: ergo sola vniò in personâ est possibilis: hæc autem immediatè est ad relatiuum vt relatiuum: ergo.

55. *2. Sentent.* SECVNDA affirmat: *Scotus in 3. dist. 1. q. 2. §. Ad qu. Richar. ar. 1. q. 4. Duran. q. 4. Argent. dist. 5. q. 1. ar. 2. Ocham q. 1. a. 3. Rubio. dist. 5. q. 1. §. His præmissis, concl. 2. Maior. dist. 1. q. 3. §. Secunda. Gabrie. dist. 1. q. 1. ar. 3. dubit. 4. Caiet. 3. p. q. 3. ar. 3. §. Quoad. Medin. Cabre. ibid. Suar. disp. 13. sect. 1. S. Thom. cit.* vbi docet, quòd *abstractâ personalitate per intellectum adhuc possumus intelligere naturam assumentem* in Deo. Cæterùm *Scotus, Duran. Caiet. Medi. Suar. Cabre.* hanc fundant in eo, quòd putent, naturam diuinam habere subsistentiam absolutam ratione distinctam à relatiuis & secundùm hanc posse assumere naturam creatam: quod fundam. vt falsum suppono ex 1. *to. disp.* 21. ideo cum reliquis *cit.*

56. *1. Assertio.* DICO 1. non repugnat, naturam diuinam immediatè terminare substantialem vnionem naturæ creatę ad se, etiamsi nullam habeat subsistentiam absolutam, ratione distinctam à relatiuis: ex *præced. sect.* si potest relatio spirationis actiuæ terminare substantialem vnionem naturæ creatæ ad se, à fortiori id poterit natura diuina. Ratio: existentia naturæ diuinæ est positiuè perfecta & completa in ratione existentiæ; solumque illi deest, vt non sit & dicatur subsistentia, negatio communicabilitatis alteri, vt termino substantiali intrinseco: existentia autē cuiuscunque naturæ creatæ, etiam in ratione existentiæ, est positiuè incompleta, vlteriùs positiuè complebilis per intrinsecum terminum substantialē, propriæ, vel alienæ subsistentiæ: ergo poterit hanc perfectionem positiui complementi ad perfectè existendum accipere à naturâ diuinâ. quia potest à naturâ diuinâ accipere, quicquid à propriâ subsistentiâ, seu incommunicabilitatem alteri supposito, & positiuum complementū perfectè existendi. Quòd natura creata exigat subsistentiam, non tantùm vt per eam fiat incommunicabilis, sed primariò & principaliter vt per eam positiuè compleatur in ratione existendi; ostendo: Incommunicabilitas est effectus negatiuus, cùm formaliter dicat negationē communicabilitatis, quod est quid positiuum. Nulla autem perfectio primariò & per se exigitur à naturâ propter effectum negatiuum, sed propter effectum positiuum, quem immediatè & per se importat; alioqui frustraneus esset effectus positiuus, si solùm propter negatiuum exigeretur, ergo si subsistentia creata exigitur à naturâ creatâ, primariò & per se exigitur propter effectum positiuum, quem primariò confert naturæ; scilicet vt compleat illā in ratione existēdi; cū reliquas perfectiones ad substantialem naturam requisitas, habeat natura ex se.

Fundam.

Potest à natura diuina accipere quidquid à propriâ subsistit.

Nota.

Obijcies Implicat, ens actuale existere existentiâ alterius: ergo implicat, naturā creatam existere existentiâ Dei. R. Disting. de existentiâ: nam alia est, quæ dat existere simpliciter, & hæc nequit esse aliena: alia, quæ solùm dat complementum & perseitatem in existendo, supponendo existere simpliciter: & hæc potest esse aliena; nam sicut hęc habetur à subsistentiâ creatâ distinctâ, ita haberi potest à subsistentiâ, vel existentia increata, à qua potest natura creata habere, quicquid habet à propria subsistentia, pręcisis imperfectionibus. 57.

Existentia duplex.

DICO 2. natura creata immediatè terminata à natura diuina, simul esset mediatè & concomitanter terminata ab omnibus personis diuinis: cōtra *Suar. disp. 13. sect. 1.* cuius fundam. in diuinis absoluta nō includunt essentialiter relatiua, vti relatiua essentialiter includunt absoluta: vnde vnita persona concomitanter cum illa vnitur etiā natura: vnita verò immediatè natura, non eo ipso concomitanter vniuntur Personalitates. Et licet tali casu tota Trinitas esset incarnata, ratione naturæ communis, essentialiter inclusæ in singulis personis, non tamen ratione propriarum personalitatum, ne mediatè quidem, vt de facto dicitur natura mediatè incarnata cum persona Verbi. Assertio est *Argen. Ocham. Gabrie.* nititurque contrario fundam. nempe quòd non solùm in diuinis relatiua includant absoluta, sed etiam contrà, absoluta relatiua, vt 1. *to. disp.* 19. *sect.* 5. Igitur si propter essentialem inclusionem absolutorum in relatiuis, nequit terminari vnio ad relatiua, quin etiam mediatè & concomitanter terminetur ad absoluta; propter inclusionem relatiuorum in absolutis, nequit terminari vnio ad absoluta, quin simul cōcomitanter terminetur ad relatiua. Fundā. nō minùs natura diuina in sua simplicissima formalitate includit perfectiones tā absolutas quā relatiuas,

58. 2. Assertio. Suarez fundam.

59. Fundam. Assertionis.

uas, quàm relatio diuina perfectiones tam relatiuas quàm absolutas. Confirm. Si natura diuina esset in vnâ tantùm personâ, non posset vniri natura, quin cum ipsâ vniretur personalitas: sed non minùs nunc natura diuina est identificata singulis personis, quàm foret identificata vni, si vna tantùm foret persona in Deo: nam ex eo quòd illa sit communis omnibus, non tollitur perfecta identificatio cum singulis.

60.

61. *Obijcies*: etiamsi actio ad extra proficiscatur à naturâ, non tamen à personalitatibus, nisi tantùm denominatiuè; ergo etiamsi vnio terminetur ad naturam, non propterea intrinsecè terminatur ad personalitates, nisi purè concomitanter, & denominatiuè. Nego conseq. Ratio: quamuis natura sit eadem cum personalitatibus, potest tamen effectus producibilis contineri in naturâ, & non in personalitatibus; & quia effectus est à causâ, ratione perfectionis contentæ in eâ, esto ille indiuisibiliter sit à totâ Deitate, peculiari ratione est à Deo ratione naturæ, non ratione proprietatum relatiuarum. Vnio verò eatenus dicitur terminari ad vnibile, quatenus attingit eius entitatem à parte rei existentem: hoc ipso autem, quòd entitas est vna indiuisibilis, nulla eius perfectio repugnantiam dicit ad vnionem: consequenter si vnitur, tota indiuisibiliter vnitur; quamuis vnâ ratione primariò, aliâ secundariò, & concomitanter.

62. *Effectus potest contineri in naturâ, & non in personalitatibus, licet illa sit eadem cum his.*

63. *3. Assertio* Dico 3. natura creata immediatè & adæquatè terminata à naturâ diuinâ, non posset vlteriùs immediatè terminari ab alio supposito creato, vel increato. *Fundam.* Fundamentum *ex præcedente sect.* natura creata adæquatè completa in ratione existendi, non est vlteriùs substantialiter perfectibilis: at implicat immediatè à supposito substantialiter terminetur, nisi accipiendo substantialem perfectionem ab illo, seu vltimum complementum existendi: ergo, si hoc supponitur habere à naturâ diuinâ, non est quod ei communicetur à personalitate.

64. *Subsistentia est propter naturam.* Nec dici potest, hanc substantialem communicationem fieri subsistentiæ creatæ, vt alteri extremo compositionis: quia propter naturam est subsistentia; & implicat, vt creata tribuat suum effectum formalem naturæ vltimò completæ substantialiter: nam formalis effectus eius est, actu reddere naturam per se completè existentem; vt de ratione modi actu præstare, quantum potest; si subsistentia creata in naturâ est, actu confert suum effectum formalem. repugnat autem vt natura habens esse completum ab vno, idem accipiat substantialiter ab alio: de quo *infrà*.

65. *Natura diuina à Personis accipit complementum fœcunditatis.* Nec est eadem ratio de naturâ diuinâ, quæ adhuc perfectè existens, est vlteriùs substantialiter communicabilis tribus Personis: quia non est illis communicabilis, vt ab ijs accipiat complementum existendi, quod habet ex se, etiam vt præcisa à personalitatibus, sed complementum fœcunditatis, quod non habet ex se formaliter, sed tantùm radicaliter. Natura verò creata, cùm non egeat, nisi vt perfectè existat, habito hoc complemento à naturâ diuinâ, non erit vlteriùs substantialiter communicabilis alteri supposito, à quo non posset, nisi existendi complementum, quod iam supponitur habere, accipere. Confirm. sicut potest pro-

66. ductio vnius effectûs procedens ab vno principio, esse generatio, procedens ab alio principio, non esse generatio: ita poterit eadem perfectio cum vnâ naturâ constituere suppositum, cum aliâ non: scilicet productio vermis à verme, est generatio; ab homine est simplex productio: complementum existendi cum naturâ creatâ constituit suppositum, cum increatâ non constituit. Ratio: sicut generatio dicit adæquatam communicationem principij producentis, quæ reperitur in productione vermis ab alio verme, non eiusdem ab homine: ita suppositum præter complementum existentiæ, supponit complementum naturæ, tam in esse naturæ, quàm principij fœcundi ad operandum; quod reperitur in vnâ naturâ, & non in alia; ideò poterit eadem perfectio cum vnâ naturâ constituere suppositum, & non cū aliâ. Quia igitur ad suppositum constituendum requiritur negatio substantialis communicabilitatis, quæ esset in naturâ creatâ adæquatè terminatâ à diuinâ, & nō in diuinâ præcisâ à suis personalitatibus, poterit existentia diuinæ constituere suppositum cum creatâ, & non cum eâdem diuina, defectu illius negationis; cùm communicabilitatem habeat natura diuina ad sua supposita, & non habeat natura creata adæquatè terminata ab existentiâ naturæ diuinæ ad quodcunque suppositum.

Generatio dicit adæquatam communicationem principij producentis.

Requiritur ad suppositum negatio substantialis communicabilitatis.

67. Dices: per nos sola communicabilitas termino intrinseco substantiali, complenti naturam ad perfectè existendum, repugnat subsistenti, & supposito; vt de animâ separatâ & aquæ guttâ *infrà*: sed natura diuina non est cōmunicabilis suppositis, vt terminis complentibus ad perfectè existendum, sed vt terminis immanentis suæ fœcunditatis: ergo etiam natura diuina vt præcisa à subsistētijs relatiuis, est subsistens & suppositum. Disting. minor. personalitates diuinæ non complent naturam in ratione existendi absolutè, concedo; relatiuè, nego. Et quia natura diuina postulat perfectè existere & terminari existentiâ etiam relatiuâ, ideò præcisa à personalitatibus non habet rationem subsistentis vel suppositi, quia nondum concipitur vltimò terminata in ratione existentiæ relatiuæ, quam exigit vt vltimum terminum substantialem intrinsecum, idque propter substantialem fœcunditatem, quam natura diuina ob infinitam suam perfectionem postulat intra se. Anima autem non exigit corpus vt vlteriorem terminum existentiæ, sicut nec vna pars aquæ aliam, sed vt compartem, cum quâ constituant vnum compositum heterogeneum, vel homogeneum perfectius.

68. *Resp.*

69. *Ad authoritates 1. sententiæ.* Patet ad fundam. primæ; *Alensis* nobiscum sentit *quæst.* 7. *m.* 1. *art.* 3. vbi docet, faciliùs naturam diuinam vniri, quàm personam: *Quia natura*, inquit, *intelligitur in maiori distantiâ ab vltimâ distinctione, quæ est ex proprietate personali, vnde & in maiori aptitudine ad vnionem, non tamen ad vnionem in vnitate personæ, sed hypostaseos, vel habentis naturam. Nec est aliqua ratio proposita cogens ad contrarium: cogunt tamen ad ostendendum, quod nec res naturæ, nec hypostasis in quantum huiusmodi potest intelligi vnibilis in vnitate Personæ*: tantùm negat, ex huiusmodi compositione resultare vnum in ratione personæ. *Hæc Alen.* Bonau. *dist.* 1. *qu.* 3. hoc affirmat de facto, non de possibili. *Bonauent.*

SECTIO VI.

An plures Personæ diuinæ possint immediatè assumere eandem naturam creatam?

70. *1. Sentent.* Prima Sent. negat. *Alberti in* 3. *dist.* 1. *art.* 10. *Scoti qu.* 2. §. *Ad quæst. Lychet. ibid. Richar. art.* 1. *qu.* 4. Prob. 1. auct. *Ansel. lib.* 2. *Cur Deus homo, ca.* 9. vbi *Plures*, inquit, *Personæ nequeunt vnum eundemq́; hominem assumere in vnitate Personæ*. 2. implicat eundem effectum pendere à pluribus causis totalibus: ergo eandem naturam à pluribus personis suppo-

Prob. authoritate, Ratione.

suppositari: nam quælibet sustentaret totaliter naturam. Antec. prob. 1. implicat, eundem effectum
Probat. 1. pendere à pluribus causis efficientibus vel materialibus totalibus in eodem genere. 2. idem effectus à nullâ causâ penderet essentialiter; nam quâlibet non existente, existeret; si enim quælibet est totalis, quâuis circumscriptâ, manet totalis causa. 3. Si tres personæ assumerent eandem humanitatem, talis homo esset Pater, Filius & Spiritus S. ergo per communicationem idiomatum, proprium Patris prædicaretur de Filio, & vice versâ: Filius diceretur ingenitus, Pater genitus, vterque spiratus. 4. natura creata foret infinita: nam inde colligitur, natura diuina infinita, quia subsistere potest in tribus suppositis.

71. *2. Sentent.* Secunda affirmat: *Alens. 3. p. q. 2. memb. 4. Henrici quodlib. 6. qu. 7. S. Thom. 3. p. qu. 3. art. 6. Caiet. Medin. Syluij ibid. Capreol. in 3. dist. 1. q. vn. art. 1. concl. 2.* inclinat *Herue. qu. 7. art. 1.* est expressa *Duran. in 3. dist. 1. q. 3. Argent. q. 2. art. 3. Aureol. qu. 4. art. 2. Gabr. qu. 1. art. 3. dub. 3. Marsil. qu. 2. art. 3. Maior. qu. 3. Mayro. dist. 5. q. 3. Ocham in 3. q. 1. art. 3. Almay. q. 1. art. 3. dub. 3. Rubio. dist. 2. qu. 1. art. 1. Palat. dist. 1. disp. 3. Suarez disp. 13. sect. 2. Vasq. disput. 27. c. 2.* inclinat *Bonau. in 3. dist. 1. art. 1. q. 3.* vbi etsi neget, tres personas assumere posse naturam in vnitatem Personæ, quia tunc non esset vnitas assumentis, tamen concedit *ad vlt. argu.* posse tres personas assumere eandem naturam, in vnitatem assumpti: quia tunc tres personæ, ratione vnius naturæ assumptæ, essent vnus homo. Nota,

72. *Dupliciter possunt omnes diuinæ Personæ eãdem naturam creatã assumere sibiq; vnire.* posse omnes diuinas Personas eandem naturam creatam assumere, 1. mediâ naturâ diuinâ, quâ omnes personæ mediatè assumerent; 2. immediatè, vt Personæ immediatè terminarent vnionem naturæ ad se. In 1. sensu disputatum *sect. praced.* & hoc tantùm modo nonnulli ex *cit. auth.* asserunt, omnes personas assumere posse eandem naturam. In 2. disputo scilicet an possint omnes Personæ eandem naturam creatam sibi vnire, substantialiter, componendo vnum per se cum illâ; an accidentaliter, non componendo vnum per se cum illâ.

73. Dico 1. eadem natura creata, adæquatè terminata ab vnâ Personâ diuinâ, nequit vlteriùs substantialiter terminari à reliquis: hoc sensu veram
Fundam. puto primam sent. Fundam. non potest ex duobus entibus vltimò completis substantialiter fieri vnum substantiale per se: at tali casu vtrumque extremum esset vltimò completum substantialiter, scilicet persona ex se, natura per subsistentiam personæ, adæquatè terminantis suppositabilitatem il-
In composit. vnum extremũ perfici debet. lius. Antec. prob. in omni compositione substantiali, debet vnum saltem extremum substantialiter perfici; seu acquirere aliquam perfectionem substantialem, per se requisitam ad substantiale complementum sui esse. Vnde etiamsi perfectio acquisita sit substantialis, si non sit per se requisita ad complementum substantiale ipsius, non poterit illud substantialiter perficere; alioqui quidlibet perficeret quidlibet, seu omnis perfectio substantialis addita substantiæ perficeret illam substantialiter. At nequit substantialiter perfici, quod supponitur substantialiter adæquatè completum: non enim habet exigentiam vlterioris perfectionis substantialis, nec substantialem perfectibilitatem: nam omnis exigentia seu perfectibilitas, essentialiter est indigentia alicuius perfectionis per se requisitæ ad complementum essendi: quæ nulla est, vbi est adæquatum complementum totius esse rei. Confirm.
74. *Confirm.* Ideò vna natura adæquatè completa in ratione naturæ, nequit componere vnum substantiale cum aliâ pariter completâ, quia nullam habet exigentiam, nec indigentiam vlterioris perfectionis substantialis, spectantis ad complementum naturæ. Ergo nec vna substantia adæquatè completa in ratione substantiæ habebit exigentiam, nec indigentiam vlterioris perfectionis substantialis.

Obijcies 1. Natura diuina adæquatè terminata personalitate Patris, adhuc est vlteriùs substantialiter terminabilis personalitate Filij & Spiritûs S. ergo etiam natura humana adæquatè terminata personalitate Filij, adhuc erit vlteriùs substantialiter terminabilis personalitate Patris & Spiritus S. Anteced prob. alioqui personalitas Patris non esset de se sufficiens substantialiter terminare naturam diuinam in ratione existentiæ relatiuæ. Nego antec. 75.

Resp. Etenim cùm enim natura diuina non exigat suas personalitates ad subsistendum purè, sed per modum principij adæquatè fœcundantis ad intra; & sit adæquatè fœcunda ad intra per principium intellectiuum & volitiuum, requirit personalitatem Patris, quâ fiat fœcunda vt principium intellectiuum Filij, quâ vnâ cum Patre fiat completè fœcunda in ratione principij volitiui, & simul terminetur intrinseco Verbo substantiali producto; & Spiritûs S. quâ vltimò terminetur amore notionali spirato. Natura verò creata non eget personalitate, nisi ad purè subsistendum, cùm aliàs ex se supponatur, tam ad intra, quàm ad extra fœcunda: vnde hâc perfectione subsistendi adæquatè habitâ ab vnâ personâ, non manet in eâ exigentia ad alias personas. Ad prob. esto personalitas Patris esset sufficiens ad terminandam naturam diuinam in ratione existentiæ relatiuæ paternitatis, non est tamen sufficiens ad terminandam illam in ratione existentiæ relatiuæ Filiationis, & spirationis passiuæ, quas exigit, vt principia & terminos immanentis fœcunditatis. 76. *Natura diuina triplicem requirit ad complemẽtum sui fœcunditatem personalitatem.*

Obijcies 2. Materia adæquatè informata vnâ formâ substantiali, adhuc est vlteriùs substantialiter informabilis aliâ formâ: ergo natura adæquatè terminata est vlteriùs terminabilis. Nego conseq. nam materia adæquatè informata vnâ formâ substantiali, adhuc componere potest vnum substantiale cum aliâ, ratione alterius extremi substantialiter perfectibilis: cùm ad substantialem compositionem sufficiat vnum tantùm extremum substantialiter perfectibile, & omnis forma substantialis possit substantialiter perfici in compositione cum materiâ adæquatè informatâ aliâ formâ substantiali. Natura verò creata adæquatè suppositata vnâ hypostasi diuinâ, non potest componere vnum substantiale cum aliâ, cùm neutrum extremum supponatur in tali compositione substantialiter perfectibile. Instas 1. ergo saltem non poterit materia adæquatè informata vnâ formâ substantiali, vlteriùs informari animâ rationali conseruatâ concursu creatiuo, cùm non sit talis forma à tali materiâ substantialiter perfectibilis, nam eo casu forma esset substantialiter completa concursu creatiuo supplente concursum vnitiuum, vel sustentatiuum materiæ. Nego conseq. nam licet talis forma concursu creatiuo esset completa in ratione existendi partialiter, non tamen naturæ, & substantiæ simpliciter; cùm maneret pars & semiens; incompletudo non alio concursu auferibilis, quàm concursu vnitiuo cum materiâ, vt cum comparte eiusdem ordinis. Vrges: natura creata conseruata concursu effectiuo fortiori extra omnem subsistentiam, posset vt sic adæquatè completa substantialiter perfici à propria, vel à diuina hypostasi; nam maneret vt pars respectu subsistentiæ, cum quâ est apta componere vnum suppositum. 77. 78. *Resp.* 79. *Instabis.* 80. *Resp.* 81. *Vrgebis.*

vnum compositum substantiale adæquatè perfectum cum natura creata, componere aliud æquè perfectum cum alia: ergo è conuerso, poterit natura creata componens vnum substantiale perfectum cum persona Filij, adhuc componere aliud æquè perfectum cum persona Patris, aut Spiritûs S.

93. *Resp.* Nego conseq. nam non solùm in prima compositione, sed etiam in 2. & in alia, quam persona diuina cum quauis creata facere potest, interuenit vnũ saltem extremum substantialiter perfectibile, naturâ scilicet creata. In aliâ verò compositione ex naturâ adæquatè suppositatâ personâ Verbi, & ex personâ Patris nullum interuenit extremum substantialiter perfectibile: quod substantiali compositioni repugnet.

94. *Dices.* Dices: ideò non potest natura humana vnâ personâ diuinâ adæquatè suppositata, substantialiter suppositari ab aliâ, quia facta substantialiter Deus, non potest denuò per alias personas diuinas fieri substantialiter Deus. Ergo nec persona diuina vnâ humanitate factus substantialiter homo, poterit aliâ humanitate assumptâ iterum fieri substantialiter homo.

95. *Resp.* Nego causalem: ideò enim natura humana facta personâ diuinâ Deus, non potest aliâ personâ diuinâ fieri Deus, quia per primam facta est adæquatè subsistens; nec per vnionem cum alia persona sit aliud extremum substantialiter perfectibile, ex cuius extremi perfectibilitate, & personæ diuinæ perfectiuitate resultare queat substantialis compositio, ex quâ oriri possit noua denominatio substantialis in naturâ assumptâ, vel in personâ assumente. At verò vna Persona diuina, etsi vnâ humanitate fiat substantialiter homo, tamen vnione cum aliâ humanitate, ob substantialem perfectibilitatem assumptæ, facere potest nouum compositum substantiale, ex quo resultet noua denominatio substantialis *Hominis* in eâdem Personâ, absque vllâ mutatione sui, solâ substantiali mutatione assumptæ; scilicet ad nouam substantialem denominationem sufficit noua compositio substantialis cum aliâ naturâ assumptâ substantialiter perfectibili.

Ita Verbum dicitur homo subst. ex solâ mutatione substantiali humanitatis.

96. *Obiectio 5.* *Obijcies* 5. humanitas adæquatè suppositata hypostasi Filij, potest aliquo modo vniri cum hypostasi Patris, aut Spiritûs S. vt constat de Angelo, qui vniri potest cum corpore assumpto completo, vt motor illius; & Deus vnire posset duas naturas integras, etiamsi illę non componerent vnum tertium substantiale. At nunc secunda vnio cum Patre vel Spiritu S. non esset accidentalis; *Probat* 1. quia implicat, Deum venire in compositionem accidentalem cum creaturâ; 2. tali vnione Pater, aut Spiritus S. diceretur incarnatus; concreta naturæ humanæ in recto & substantialiter prædicarentur de Patre, aut Spiritu S. & vice versâ, concreta Patris, & Spiritûs S. de tali natura in concreto sumptâ; 3. ex quâ prædic. colligitur contra *Nestorium* substantialis vnio inter Filium Dei & naturam humanam; 4. eodem modo Pater, aut Spiritus S. esset intimè vnitus & alligatus humanitati, sicut est Filius. Igitur, talis vnio foret substantialis, adeoque idonea ad componendum vnum substantiale.

97. *Resp.* Resp. posset humanitas adæquatè suppositata hypostasi Filij, aliquo modo vniri hypostasi Patris, aut Spiritûs S. vnione accidentali; cùm implicet substantialis, quâ nullum extremum substantialiter perficiatur. Vnio enim dicitur substantialis potissimùm ab extremis substantialiter perficientibus: vnde etiamsi Angelus & corpus assumptum sint extrema substantialia, quia tamen non sese perficiunt substantialiter, nõ dicitur vnio inter illa substantialis, sed accidentalis.

98. *Ad primam prob.* Ad 1. prob. implicat Deum venire in compositionem accidentalem per modum extremi accidentalis, concedo; per modum extremi non perficientis substantialiter naturam, defectu substantialis perfectibilitatis ipsius naturæ, nego: nam sicut non implicat, ex 2. *tom.* vt Deus vniatur corpori vt motor tantùm corporis; quo casu non componeret vnum substantiale cum corpore assumpto, vti neque cum illo componit angelus assumens: ita nec implicabit, vniri cum naturâ, & non componere vnum substantiale cum illâ, defectu substantialis perfectibilitatis ipsius naturæ.

99. *Ad secundam.* Ad 2. tali vnione diceretur Pater, aut Spiritus S. incarnatus denominatiuè & *in quale*, concedo; substantiuè & *in quid*, quo modo denominatur nunc Verbum, nego: scilicet eo modo denominaretur Pater incarnatus, seu humanatus, quo quis denominatur vestitus à veste, accidentaliter sibi coniunctâ, & angelus corporeus à corpore sibi accidentaliter vnito.

100. *Ad tertiam.* Ad 3. nego, tali casu concreta humanitatis in recto & substantialiter prædicari de Patre, aut Spiritu S. sed solùm denominatiuè *& in quale:* non enim ex quâcumque prædicatione colligimus, Filium Dei constituere vnum per se in ratione personæ cum naturâ humanâ, sed ex prædicatione substantiali, *& in quid*, quo modo Filius Dei prædicatur de hoc homine, & hic homo de Filio Dei; non ex prædicatione denominatiuâ *& in quale*, quo modo eo casu Pater & Spiritus S. dicerentur incarnati, & humanati, non homo, & caro.

101. *Ad quartam.* Ad 4. nego, tali vnione Patrem, aut Spiritum S. fore vnitum cum eâdem dependentiâ humanitatis ad se, cum quâ est vnitum Verbum, & consequenter cum eadem alligatione. Nam Verbum est alligatum humanitati vt terminus perficiens & complens illam substantialiter in esse; Pater, aut Spiritus S. esset eo casu alligatus humanitati vt terminus cum ea intimè vnitus, non vt illam substantialiter perficiens & complens in esse, cùm iam supponeretur vltimò substantialiter completa vnione cum Verbo, sed ad instar, quo angelus esset intimè vnitus corpori assumpto.

102. *Obiectio 6.* *Obijcies* 6. Sublatâ eo casu ab humanitate vnione cum Filio, manente tantùm vnione cum Patre, talis humanitas maneret substantialiter vnita cum Patre: ergo ante talem sublationem vnionis cum Filio, vnio cum Patre erat substantialis: quia cùm non possit ex accidentali fieri substantialis, absque intrinsecâ mutatione sui, solâ extrinsecâ sublatione alterius vnionis, concomitanter sibi coniunctæ, debuit ex se ante sublationem talis vnionis esse substantialis. Anteced. prob. sublatione vnionis cum Filio, humanitas non desineret esse, sed perseueraret in suo esse vi solius vnionis cum Patre: igitur talis vnio cum Patre necessariò foret substantialis: cùm non possit humanitas perseuerare in suo esse, nisi substantialiter completa.

103. *Duplex responsio ad obiectionem. Prima.* Resp. 1. talis vnio foret accidentalis, vel substantialis iuxta capacitatem extremi, quod vnitur: si quod vnitur, aliunde supponatur substantialiter completum, talis vnio diceretur accidentalis, quia non inueniret in extremo, quod vniret, capacitatem ad illud substantialiter perficiendum: sicut noua actio adueniẽs effectui adæquatè conseruato aliâ actione, vel ex eo tantùm non diceretur substantialis, quia inueniret in effectu aliâ actionem adæquatè illum conseruantem. Cæterùm, cessante tantùm primâ actione, eadem 2. actio, quæ anteà dicebatur accidentalis, inuariata in se diceretur substantialis.

104. *Secunda probabilior.* Resp. 2. melius: talis vnio foret intrinsecè, & suâ natura accidentalis, nec fieri posset substantialis, solâ sublatione alterius vnionis substantialiter perficientis

tis: nam vnio, quâ humanitas adæquatè sustentata à Filio, vniretur Patri, non esset sufficiens ad eandem cum Patre vniendam, casu quo non supponeretur
105. *A priori.* sustentata à Filio: Vnio enim est actualis modus, necessariò tribuens subiecto quidquid actu habet; cùm adæquata essentia ipsius consistat in huiusmodi actuali ac totali præbitione sui subiecto, in quo est: ergo tam implicat, vnionem naturâ suâ esse substantialiter perfectiuam extremi, & illud substantialiter non perficere; quàm non esse naturâ suâ substantialiter, aut completè extremi perfectiuam, & nihilominus illud substantialiter, aut completè perficere. Ergo implicat, vt vel vnio, quâ humanitas adæquatè sustentata & completa à Filio, vniretur Patri, non perficiat substantialiter humanitatem, si illa sit substantialiter humanitatis perfectiuâ: vel vt eadem vnio, quâ adæquatè & completè sustentata à Filio, vniretur Patri, substantialiter perficiat humanitatem, sublatâ tantùm substantiali vnione ad Filium, si illa naturâ suâ non sit huma-
106. nitatis essentialiter perfectiua. Ad exemplum de actione: nego, posse effectum duplici actione adæquatâ accipere in eodem loco suum esse. 2. dispar est ratio: quia cùm actio sit actualis influxus in terminum, implicat, vt sit adæquata actio, & non contineat adæquatè terminum, vt physica & entitatiua via ad illum. Vnde in hac sententiâ admittente duplicem actionem adæquatam in termino, posterior actio solùm extrinsecè diceretur accidentalis termino. Vnio verò cùm tantùm copulet perfectiuum cum perfectibili, poterit copulare perfectiuum cum perfectibili, non secundùm perfectiuitatem & perfectibilitatem substantialem, sed accidentalem. Nec satis est, vt vnum extremum sit suâ naturâ substantialiter perfectiuum, & alterum substantialiter perfectibile, vt quomodocumque vnita, vnum substantialiter perficiat, & alterum substantialiter perficiatur: sed prætereà requiritur proportionata vnio, quæ vnum extremum vniat vt substantialiter perfectiuum, & alterum vt substantialiter perfectibile: nam sicut potest vnio vnire vnum extremum cum alio vnâ ratione, & non aliâ; vt humanitatem immediatè tantùm cum naturâ absolutâ, & non proprietate relatiuâ: ita potest vnire vnum extremum cum alio, in ratione accidentaliter tantùm perfectiuâ: esto ratio ipsa perfectiua sit substantialis in se. Instas: Implicat,

Actio est actualis influxus in terminum.

107. *Instantia I.* vt ratio perfectiua sit substantialis, & vniatur extremo substantialiter perfectibili, & illud non perficiat substantialiter: cùm substantialiter perficere nihil aliud sit, quàm vnire perfectiuum substantiale in ratione substantiali cum perfectibili substantiali. Confirmat. Hoc ipso quòd subsistentia creata
Confirm. vnitur propriæ naturæ, perficit substantialiter illam, etiamsi inueniat illam substantialiter perfectam: ergo hoc ipso quod hypostasis Patris vniretur cum humanitate, perficeret substantialiter illam, etiamsi inueniret illam adæquatè subsistentem in Filio.

108. *Resp.* Nego anteced. ad probat. nego, perficeret substantialiter, nil aliud esse; nam necessaria est vnio ad substantialiter perficiendum commensa, quia potest perfectiuum substantiale vnitum cum perfectibili substantiali, & solùm inadæquatè perficere illud substantialiter, defectu vnionis requisitæ ad perficiendum adæquatè substantialiter; imò nullo modo substantialiter perficere, defectu vnionis ad perficiendum substantialiter simpliciter requisitæ: quo casu perfectiuum & perfectibile substantiale non vnirentur secundùm perfectiuitatem, & perfectibilitatem substantialem, formaliter; sed tantùm materialiter. Ad Confirmationem, 109. *Ad confir.*
neg. anteced. implicat enim non modò, vt subsistentia creata perficiat substantialiter propriam naturam, si illam inueniat aliunde adæquatè substantialiter completam, sed vt simpliciter illi vniatur. Nam cùm subsistentia creata sit vltimum actuale complementum naturæ, implicat recipi in illâ, & non esse vltimum complementum actuale substantiale illius; & aliunde implicet, naturam vltimò completam substantialiter, adhuc vlteriùs compleri substantialiter: scilicet de ratione modi, qualis est subsistentia creata, est actu præstare quicquid potest, cùm actus 1. & 2. in modis non distinguantur; implicat ergo subsistentiam creatam simpliciter recipi in propriâ naturâ adæquatè completâ substantialiter. Instas 2. repugnat, vnum extremum vniri alteri vnione physicâ, & non conferre illi aliquam perfectionem: ergo implicat, Patrem physicâ vnione vniri cum humanitate adæquatè à Filio suppositatâ, & nullam illi perfectionem, neque substantialem, vt supponitur; neque accidentalem, cùm nulla sit assignabilis, illi conferre. Resp. 1. neg. anteced. nam posset angelus physicè vniri corpori, & nullam illi perfectionẽ conferre: & accidentia Eucharist. physicè vniuntur corpori & sanguini Christi, vt *seq. to.* & tamen nullam aut corpori, aut sanguini perfectionẽ conferunt. Hoc ipso enim quòd subiectum non sit capax perfectionis, posset præfectiuum illi vniri, & nullam perfectionem, præter ipsum esse vnitum, illi tribuere. 2. Hoc ipso, quòd perfectiuum substantiale vniretur alteri, quod tali perfectiuo substantiali ad sui complementum non egeret, talis perfectio substantialis esset illi accidentalis, vti accidentalis est perfectio substantialis angeli corpori, cum angelo, vnito.

Actus primus & secundus in medio non distinguuntur.

110. *Instantia 2.*

111. *Resp.*

2.

Dico 2. non implicat, naturam creatam immediatè vniri omnibus diuinis personis, & cum omnibus constituere vnum substantiale per se. Fundament. potest natura creata immediatè sustentari adæquatè ab omnibus, inadæquatè à singulis diuinis personis; ergo potest immediatè vniri omnibus, & cum omnibus componere vnum per se: nam quotiescumque vnum extremum substantialiter perficitur ab alio, constituit vnum per se cum illo. Ita materia non solùm facit vnum per se cum anima rationali, sed cum reliquis etiam formis partialibus substantialibus, à quibus substantialiter perficitur. Antec. prob. nam possunt omnes diuinæ personæ ita attemperare suum concursum sustentatiuum, vt singulæ inadæquatè, omnes adæquatè sustentent eandem naturam assumptam: ergo. Duplicem quippe effectum confert persona diuina naturæ assumptæ, vnum formalem seu quasi formalem, communicando seipsam naturę; alterum sustentatiuum, quo natura, mediâ vnione, nixa supposito diuino sustentatur, & conseruatur in suo esse; cùm natura creata à proprio supposito non solùm habeat, vt in genere causæ formalis vltimò ab illo substantialiter terminetur, sed etiam vt in suo proprio esse conseruetur: ex his prior attemperari non potest, cùm consistat in ipsâ communicatione personæ diuinæ, quæ si se communicat, tota se communicat: attemperari potest posterior, quia non consistit formaliter in receptione hypostasis diuinæ, sed in quodam nisu, quo natura assumpta in hypostasi diuinâ mediâ vnione innititur, & sustentatur. Quæ vnio cùm possit variari, & de adæquatâ fieri inadæquata, poterit nisus ipse, quo natura mediâ vnione à personâ diuinâ sustentatur, variari. Confirmatur: 113. *Confirm.*
licet non possit accidens vnitum pluribus subiectis,

112. *2. Assertio* *Ad Fundamentum.*

Duplicem effectum confert persona diuina natura assumpta.

totum

totum suum effectum formalem vnicuique non conferre, potest tamen ab vnoquoque non totaliter sustentari. Sicut vnio naturalis vtrique extremo confert totum effectum formalem vniti, non tamen ab vnoquoque totaliter, sed tantùm partialiter sustentatur. Contra verò, vnio hypost. à solâ humanitate adæquatè sustentatur, etiamsi vtrique extremo conferat formalem effectum vniti; ergo licet non possit diuina hypostasis non totum effectum formalem sui communicare naturæ assumptæ, potest tamen natura assumpta non totaliter, sed tantùm partialiter sustentari ab illa: & tunc poterunt aliæ etiam personæ ad huiusmodi sustentationem concurrere, ac proindealiæ etiam personæ facere vnum per se cum illâ; fieri autem hoc posset vel vnâ vnione terminatâ ad omnes personas sub ratione sustentantis, vel tribus vnionibus, singulis inadæquatè terminatis ad singulas personas. Infertur, posse

114. *Illatio.* humanitatem retentâ vnione cum Verbo, de facto vniri cum reliquis diuinis personis, non tamen cum illis facere vnum per se. Ratio cùm de facto hâc vnione ad Verbum adæquatè sustentetur in suo esse, non posset, stante tali vnione, substantialiter perfici à reliquis etiam personis; vt igitur posset cum reliquis etiam personis constituere vnum per se, deberet mutare vnionem, quam de facto ad Verbum habet, & aliam recipere, quæ adæquatè terminetur ad omnes, vt ad vnum sustentatiuum per se. Vnde ad *Anselm.* respond. solùm eo

Ad authoritatem Anselmi. loco negare, posse tres personas diuinas assumere eandem naturam in vnitatem vnius dumtaxat personæ, vt *cit. Scholastici* explicant; nam hoc implicat, cùm nequeant tres personæ componere cum naturâ assumptâ vnam tantùm personam. Ad 2. quic-

115. *Ad 2.* quid sit de anteced. nego consequentiam: nam posset eadem natura inadæquatè sustentari à singulis, adæquatè ab omnibus personis. Ad 3. nego con-

Ad 3. sequentiam, sicut enim proprium Patris subsistentis in naturâ diuinâ, non prædicatur de Filio subsistente in eâdem naturâ; nec Filius dicitur ingenitus, aut Pater genitus: ita nec proprium Patris subsistentis in naturâ humanâ, prædicaretur de Filio subsistente in eâdem, quia ex vnione naturæ humanæ cum tribus personis diuinis non sequeretur, nisi prædicatio proprietatum eiusdem naturæ humanæ concretè sumptæ de naturâ diuinâ, & singulis eius personis concretè acceptis; & è contrà, prædicatio proprietatum naturæ diuinæ, & personarum eius concretè acceptarum de naturâ humanâ, etiam concretè significata, non prædica-

116. *Ratio à priori.* tio proprietatum personarum ad inuicem. Ratio: hæc mutua idiomatum communicatio, seu proprietatum prædicatio fundatur in vnione prædicati cum subiecto; sed ex vnione naturæ humanæ cum tribus personis diuinis, non sequitur vnio earumdem personarum inter se: si vna numero albedo foret in Petro & Paulo, diceretur, *Petrus est albus, Paulus est albus, hoc album est Petrus, hoc album est Paulus*, non tamen *Petrus est Paulus*; quia ex vnione albedinis cum Petro & Paulo non sequitur vnio Petri & Pauli inter se. Vnde falsus est hic syllog. *hic homo est ingenitus: Filius est hic homo; igitur Filius est ingenitus:* sicut & iste: *hic Deus est ingenitus: Filius est Deus; ergo Filius est ingenitus:* In vtroque enim variantur termini: quia in maiore *hic homo* sumitur pro naturâ humanâ subsistente in Patre, in minore pro eâdem subsistente in Filio, sicut in alio *hic Deus* sumitur in maiore pro Deo Patre, in minore pro Deo simpliciter. Ad 4. ne-

117. *Ad quartũ eiusq; prob.* go sequel. ad prob. nego, ex eo præcisè colligi infinitatem naturæ diuinæ, quia subsistit in tribus suppositis, sed quia subsistit in illis naturaliter, & per summam identitatem.

SECTIO VII.

An si plures Personæ incarnarentur, esset vnus, vel plures homines? & contrà.

PRIMA sentent. *Marsil. in 3. quæst. 2. art. 3. dub. 2. Gabrielis dist. 1. quæst. 1. art. 3. dub. 3.* affirmantium, 118. *1. Sentent.*
fore plures homines. Quia homo est nomen suppositi, sed eo casu essent plura supposita; ergo plures *Fundam.*
homines. 2. Si eadem albedo inhæreret tribus subiectis, denominaret tria alba; ergo eadem humanitas subsistens in tribus Personis, denominaret tres homines. 3. Pater eo casu esset homo, & non idem qui Filius, quia est aliud suppositum à Filio, quod importat hoc nomen *homo*; ergo alius homo à Filio.

SECVNDA *Heruæi in 3. dist. 1. quæst. 2. ad 2. Caiet. 3. p. q. 3. fine Comment. art. 6. Medin. ibid.* affirmantium, 119. *2. Sentent.*
fore plures homines simpliciter, vnum secundùm quid. Inclinant *S. Thom. art. cit. ad 1. & Richard. in 3. dist. 1. art. 1. qu. 4. ad 2.* Eandem docet *Palat. in 3. dist. 1. disp. 3. fol. 5. argum.* Fundament. *Caiet.* vnus simpliciter importat vnitatem naturæ & personæ; sed *Fundam. Caietani.*
eo casu licet esset vnitas naturæ, non esset vnitas personæ. Cæterùm Deus subsistens in tribus personis dicitur vnus simpliciter, quia non solùm in eo est vnitas naturæ, sed etiam subsistentiæ absolutæ. Confirm. 1. eo casu esset homo, & homo; ergo plu- 120.
res homines. 2. Si esset homo: ergo esset vnum sup- *Septem confirm. Medinæ.*
positum humanum, quod falsum est: nam tot sunt supposita humana, quot sunt personæ habentes naturam humanam. 3. Aut esset vnus homo Pater, aut vnus homo Filius, & tunc sequeretur, quod Pater esset Filius, & Filius Pater, & quilibet omnes personæ simul. 4. Assumât duo Angeli eandem humanitatem, & vnus existat Viennæ, alter Romæ: homo, qui est Viennæ, non est idem qui est Romæ. 5. Si Michael, & Filius Dei assumant eandem humanitatem, non potest dici, quòd ille homo, qui est Michael, est hic homo, qui est Filius Dei: quia ille est creatura, hic creator: ergo alius & alius homo. 6. Assumant tres personæ hodie hanc humanitatem, erunt vnus homo A. Assumant cras aliam humanitatem, erunt vnus homo B. ergo vnus homo, & non vnus homo: vnus homo, quia omnes tres personæ sunt vnus homo: non vnus homo, quia sunt plures humanitates, & supposita humana. 7. Assumat Pater vnam, Filius aliam humanitatem numero, Spiritus S. vtramque simul, sequeretur, quòd Spiritus S. esset vnus homo cum Patre & Filio, quia esset illemet homo, qui est Pater, & Filius: & non esset vnus homo, quia sunt duo supposita, & duæ humanitates.

TERTIA *S. Tho. in 3. dist. 1. q. 2. art. 4. ad 6. Bonau.* 121.
art. 1. q. 3. fine. Altisiod. lib. 3. tract. 1. c. 1. q. 6. Rubio. in 3. dist. 2. q. 1. art. 1. fine. Suarez 3. p. disp. 13. sect. 2. Cabre. disp. 2. Vasqu. 1. p. disp. 155. cap. 5. affirmantium, fore *3. Sentent.*
vnum hominem simpliciter. Inclinat *Durand. in 3. dist. 1. q. 3. ad 3.* Quæ sent. verior est. Fundam. ex *tom. 1. disp. vlt. regulâ 2.* nomina substantiua vnitatem sumunt à formâ, quam directè significant; sed hæc nomina *Deus, angelus, homo*, directè significant naturam, indirectè suppositum: quia suppositum important confusè per modum habentis, naturam distinctè per modum formæ per se stantis: ergo non multiplicantur ad solam multiplicationem supposito- *Nomina substantiua vnitatem sumunt à formâ quã directè significant.*
rum.

rum. Propter quod non dicimus tres, sed vnum Deum: non propter vnum subsistens commune, vt opinatur *Caiet.* sed propter vnam numero naturam, quam directè significat hoc nomen DEVS, nam etiamsi non esset subsistens commune, adhuc diceretur vnus, non tres Dij; cùm hoc sit verius illo; illud enim multi, hoc nemo Catholicus negat. Ratio: ex

122. *Ratio à priori.* eo debet nomen suam vnitatem, aut pluralitatem desumere, à quo habet directam significationem; quia nomen est propter significationem; sed nomina substantiua directam significationem habent à formâ, ad quam significandam primariò imponuntur: ergo ab illâ debent vnitatem, vel pluralitatem desumere.

123. *Respondetur Marsilio. Nomen adiectiuum vnitatem, vel pluralitatē sumit ex subiecto cui adiacet.* AD 1. nego maior. directum enim significatum hominis non est suppositum, sed humanitas in concreto. Ad 2. nego conseq. nam album, est nomen adiectiuum, quod vnitatem, vel pluralitatem sumit ex subiecto, cui adiacet: at homo, nomen est substantiuum, quod vnitatem sumit à formâ, quam directè significat; vnde dicimus *tres immensos, tres æternos* adiectiuè, *vnum immensum, vnum æternum* substantiuè: nam adiectiua significant formam per modum accidentis; accidens, sicut esse suum habet in subiecto, ita vnitatem, aut pluralitatem sumit ex subiecto: substantiua significant formam per modum subsistentis, subsistens sicut habet esse in se, & non in alio; ita à se, & non ab alio vnitatem, vel pluralitatem sumit. Ad 3. nego minor. nam Pater eo casu esset idem homo, qui Filius, & Spiritus S. licet aliud suppositum: sicut Pater est idem Deus, qui Filius, & Spiritus S. licet aliud suppositum. Ad *Caiet.* nego maior. nam ad vnitatem simpliciter sufficit vnitas formæ directè significatæ.

Ad fund. Caietani.

124. *Respondetur Medin.* AD 1. confirm. neg. conseq. nam in dictâ propos. non affirmatur alietas naturæ, atque adeò non liceret inferre, esse plures homines. Ita 1. *tom. disp. vlt. num.* 23. admisi hanc propos. *in diuinis est Deus & Deus.* Ad 2. nego conseq. quia homo directè est nomen naturæ, non suppositi: ergo ex eo, quòd esset vnus homo, non sequitur, quòd esset vnum suppositum humanum, quia humanum dicitur denominatiuè ab humanitate, & multiplicatur ad multiplicationem denominati. Ad 3. dico, fore vnum hominem quouis supposito increato demonstrato: sicut dicitur vnus Deus, quâuis personâ diuinâ ostensâ; nego inde sequi, Patrem prædicari de Filio, aut contrà. Ad 4. nego, eo casu hominem

125. existentem Viennæ, non esse eundem hominem, qui existeret Romæ. Ad 5. pronomina *Hic, ille, Michael, Filius Dei,* &c. directè importare suppositum, & ideò non posse de diuinis suppositis prædicari; sicut non rectè dicitur; *hic Deus,* ostenso Patre, *est hic Deus,* ostenso Filio; quia *hic Deus* in prædicato supponit formaliter pro hoc Deo Filio. Ad 6. nego paritatem, si enim persona diuina, siue vna, siue omnes hodie assumant vnam humanitatem, cras aliam, siue dimissâ, siue retentâ priori non erit vnus, sed duo homines, quia multiplicatur formâ directè significata, quæ est humanitas. Ad 7. eâdem ratione, Spiritum S. eo casu fore duos homines, ob duas humanitates assumptas: nec est eadem ratio de pluribus suppositis supposititantibus eandem humanitatem. Sequitur, si eadem humanitas dimissa à Ver-

126. bo, assumeretur à Patre, vel subsisteret in proprio supposito, dicendum fore eundem hominem, quia in vtroque casu maneret idem directum significatum.

An eadem Persona diuina assumere possit plures naturas humanas simul?

CONCLVSIO affirmans: *S. Thom. 3. p. q. 3. art. 7. & omnium Scholast. in 3. dist.* 1. Fundam. quælibet 127. *Fundam.* persona diuina habet infinitam virtutem terminatiuam, quæ exhauriri nequit à quâuis naturâ creatâ, cùm quæuis finito egeat concursu terminatiuo hypost. neque vlla est ex parte naturę assumptibilis repugnantia, quin plures simul assumi valeant in vnitatem Personæ, cùm de facto vtraque natura diuina & humana subsistat in eâdem hypostasi Verbi.

Obijcies: si Verbum assumeret naturam angelicam & humanam, valeret hæc prædicatio: *angelus est homo, homo est angelus;* vel si assumeret duas humanitates albam vnam, nigram alteram, valeret: *hoc album est nigrum; hoc nigrum est album;* si vna vocaretur Petrus, altera Paulus, Petrus prædicaretur de Paulo, & Paulus de Petro. Respondet *Caiet. cit.* neg. conseq. nam ad communicationem idiomatum nō sufficit vnio naturarum in eodem supposito, sed requiritur etiam vnio naturarum inter se: sed ex vnione naturæ angelicæ & humanæ in eodem supposito diuino non sequitur vnio earundem inter se, vti sequitur ex vnione humanitatis cum Verbo vnio humanitatis cum naturâ Verbi, quia Verbum est sua natura, non est sua assumpta natura; & ideò nequit vniri naturæ assumptæ, quin eidem vniatur sua propria natura: potest vniri vni naturæ assumptæ, quin illi vniatur alia assumpta; vnde posset mori in vnâ, viuere in aliâ; & si secundùm vnam vocaretur *Christus,* secundùm aliam *Ioannes,* mortuo Christo, non posset dici mortuus *Ioannes;* bene tamen diceretur mortuus *Filius Dei;* & viuo *Ioanne* tantùm, non verè diceretur viuus Christus, sed viuus Filius Dei. Hæc resp. est contra *S. Thom. in 3. dist. 1. qu. 2. art. 5. ad* 2. vbi docet, ad veritatem prædicationis diuersarum naturarum de se inuicem sufficere solam identitatem suppositi. Vnde contra *Caiet.* concedit, eo casu, *Ioannem* prædicari de *Christo,* & contrà: eâdem ratione concederet, mortuo *Ioanne,* verè dici mortuum *Christum;* & è conuerso, propter identitatem eiusdem suppositi, pro quo supponeret vtrumque nomen: sicut ob eandem suppositi identitatē, proprietates naturæ diuinæ prędicantur de hoc homine IESV, quod est nomē impositum ad significandam naturam humanam in Christo, & proprietates naturæ humanæ prædicantur de Deo. Nullum igitur foret absurdum, positâ tali vnione, omnes dictas prædic. concedere in concreto, non in abstracto: nam sicut in abstracto vna natura non esset alia, ita nec prædicari posset de alia.

128. *Obiectio.*

129. *Resp. Caietanus.*

130. *Contra S. Thom.*

Caietanus.

An Persona in pluribus naturis subsistens esset vnus vel plures homines?

PRIMA Sent. *S. Tho. 3. p. q. 3. ar. 7. ad 2. Caiet. Medin. Cabre. Suarez ibidem disputat. 13. sect. 3. Ferrar. 4. con. gentes cap. 11. §. Circa istam propositionem Marsil. in 3. quæst. 2. articul. 3. Gabr. dist. 1. quæst. 2. ar. 3. dub. 4. Maior. quæst. 4. Heruæi quæst. 2. ad 3.* affirmantium, fore vnum hominem. Fundam. nomina concreta non plurificantur ad plurificationem solius formæ significatæ, sed etiam suppositi consignificati. Constat 1. Christus habens duas naturas completas, non dicitur duæ, sed vna substantia. 2. multitudo diuisionem significat, diuisio vnionem negat: 131. *1. Sententia.* *A pari.*

negat: vnitas dicit indiuisionem; vt autem aliqua sint vnum, sufficit, vt sub aliquâ ratione vniantur; vt sint plura, oportet, vt simpliciter diuidantur, & sub nullâ ratione vniantur. Eandem fortiùs prob. Recent. 1. Si vna persona cum tribus humanitatibus constitueret tres homines; ergo cum duabus naturis viuentibus constitueret duos viuentes; ergo Christus, in quo sunt duæ naturæ intellectuales viuentes, essent duo viuentes: hoc est falsum; alioqui posset vnum viuens de alio viuente in Christo negari; nam vbi sunt duo, ibi potest vnum de alio negari: cùm nihil aliud sint duo, quàm vnum & aliud, adeoque vnum non esse idem, quod aliud.

132. *A posteriori.*

133. *A priori.* 2. Nomina concreta substantiua, vt *homo* Devs &c. in recto important tantùm suppositum, in obliquo naturam; ergo multiplicatâ tantùm naturâ, non multiplicato supposito, non multiplicantur concreta; quia hæc non multiplicatur, nisi multiplicato recto significato ipsorum, quod est suppositum. Anteced. prob. rectum significatum suppositi seu personæ, non est natura, sed personalitas: ergo pariter rectum significatum naturæ, vt *homo* Devs, non est natura, sed personalitas: at si rectum significatū huius nominis *persona*, non esset idem, quod rectum significatum huius nominis *homo*, non posset homo de personâ, nec persona de homine prædicari; cùm tamen rectè dicatur, *Verbum est homo: hic homo est Verbum.* Sequela prob. omnis vera prædicatio postulat identitatem inter rectum subiecti, & rectum prædicati. Defectu cuius cōditionis non est vera hæc: *Personalitas terminans hanc humanitatem, est hæc humanitas terminata à personalitate*, quia rectum subiecti non est rectum prædicati; ergo si persona verè prædicatur de homine, & homo de personâ, idem erit rectum significatum vtriusque: at rectum significatum personæ, non est natura, sed personalitas: ergo neque rectum significatum hominis erit natura; sed personalitas: alioqui si rectum significatum hominis esset *Humanitas subsistens*, sicut verè dicitur *Verbum est homo*: ita verè diceretur, *Verbum humanitas est subsistens.*

Hoc in omnium ferè sententiâ.

134. *2. Sentent.* Secvnda *S. Thom. in 3. dist. 1. quæst. 2. art. 5. ad 2. Duran. q. 3. ad 3. nu. 22. Argent. q. 2. art. 4. Lycheti q. 3. Capreoli in 1. dist. 4. quæst. 1. art. 1. ad 1. Altisiod. lib. 3. tract. 1. cap. 1. q. 5. Vasquez 1. p. disp. 155. cap. 4. & 5.* affirmantium, fore plures homines. Hæc probabilior est.

135. *Fundam. S. Thomas.* Fundam. ex *B. Thom. in 3. cit. & 1. p. qu. 39. art. 3.* sicut vnitas nominis substantiui sumitur ex vnitate formæ per nomē significatæ: dicimus enim tres personas, vnum Deum, quia Deitas significata per nomen Devs, est vna in omnibus; ita plurificatio eiusdem sumenda erit ex plurificatione solius formæ per nomen significatæ: sed forma significata per hoc nomen *homo*, est humanitas; ergo eâ tantùm plurificata, plurificatur hoc nomen substantiuum *homo*.

136. *Ratio à priori. Maior prop. Plurificatâ humanitate plurificantur homines.* Ratio: nomen substantiuum suam vnitatem, aut pluralitatem sumit ab vnitate, aut pluralitate formæ primariò & explicitè importatæ: sed forma primariò & implicitè importata per hoc nomen *homo*, est humanitas, non suppositum: negare enim nemo audeat, eadem nomina naturam importare explicitè & determinatè, suppositum cōfusè & indeterminatè; ac proinde principaliùs in significando importari, quod expressiùs & dearticulatiùs; minus principaliter, quod confusè tantùm importatur: cùm nomina significationem habeant ab imponente, imponens eam significationem primariò in nomine intendat, ad quam nomen distinctè ac dearticulatè exprimendam imponitur.

137. *An vnitas à naturâ, pluralitas à supposito?* Maiorem concedunt Aduersarij quoad vnitatem, quam desumi volunt non à supposito in recto & confusè significato, sed à naturâ in obliquo & distinctè importata; negant quoad pluralitatem, quam desumi contendunt, non à naturâ in obliquo & distinctè significatâ, sed à supposito in recto & confusè importato; quia sicut in omni propositione affirmatiuâ, rectum subiecti debet esse idem, quod rectum prædicati; ita è cōuerso, in omni propositione negatiuâ, rectum subiecti debet reipsâ distingui à recto prædicati; at in his propositionibus affirmatiuis: *Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus: Pater, Filius, & Spiritus S. est Deus*: rectum subiecti est idem re, quod rectū prædicati; nam rectum, quod importat hoc nomen Devs, est suppositum in communi, licet confusè & indeterminatè significatum: rectum autem, quod important supposita *Pater, Filius, & Spiritus sanctus*, sunt supposita in particulari & distinctè significata. Porrò suppositum in communi reipsâ non distinguitur à suppositis particularibus, vt animal in communi reipsâ non distinguitur ab animalibus particularibus: & consequenter sicut verè dicitur, *animal est homo & equus: homo & equus est animal*: ita verè etiam dicetur, *Deus est Pater, Filius, & Spiritus sanctus; Pater, Filius, & Spiritus S. est Deus.* Contra verò in hac propositione negatiuâ; *hic homo non est ille homo*, posito, quòd idem suppositū habeat duas humanitates, rectum subiecti non distinguitur reipsâ à recto prædicati; quia rectum subiecti est suppositum confusè & indeterminatè importatum: rectum autem prædicati est idem suppositum implicitè etiam importatum, quod respectu vtriusque est idem: vnde non poterit vnus homo de alio negari; quia negatio requirit distinctionem inter rectum subiecti & rectum prædicati, sicut è contrà, affirmatio identitatem inter rectum subiecti & rectum prædicati. 138.

139. *Par vtriusque ratio.* Sed contrà: ideò à priori terminus vnitatis appositus concreto naturæ, determinat & designat naturam, etiam obliquè importatam, & non suppositum, quia natura significatur explicitè & determinatè, suppositum confusè & indeterminatè; ergo etiam terminus multitudinis appositus concreto naturæ, designabit naturam etiam obliquè importatam, non suppositum confusè significatum, cùm sit eadem vtriusque ratio. Nec rectè hoc principium negatur respectu termini multitudinis, non respectu termini vnitatis, propter rationem allatam; cùm rectè illa saluari possit, vero manente hoc principio. Confirm. ex oppositâ sententiâ sequeretur Verbum successiuè assumens plures humanitates, fore vnum hominem propter vnitatem suppositi. *Confirm.*

140. *Ad fund. opposita.* Ad 1. Fundam. oppositæ, neg. anteced. nam sicut substantiua naturæ habent vnitatem simpliciter à solâ formâ expressè & determinatè significatâ, & non à supposito confusè & indeterminatè importato, ita etiam pluralitatem.

141. *Ad prob. eiusdem.* Ad prob. nego, Christum dici non posse duas substantias: cùm hanc propositionem concedat *August. serm. 58. de verbis Domini. Agnoscamus geminam substantiam Christi, diuinam scilicet, quâ æqualis est Patri; humanam, quâ maior est Pater.* Vbi etiam concedit hanc propositionem; *Christus est Deus, & anima rationalis, & caro.* Confirm. sicut dicitur duæ naturæ, ita duæ substantiæ; dici non potest *duo* masculinè, bene *duo* neutraliter: quia *duo* masculinè refertur ad suppositum; *duo* neutraliter ad naturam. Semper tamen cautè in hâc materiâ loquendum, ne ansa detur *Nestorianis* diuidendi in Christo personas. *Confirm.*

141. *Ad rationē à priori.* Ad rationem: concedo, multitudinem dicere diuisionem; sicut vnitatem, indiuisionem: nego, vt aliqua

qua sint vnum simpliciter, sat esse quamlibet vnionem; sed necessaria est vnio, quæ constituat vnum simpliciter; & consequenter, vt aliqua significentur vt vnum simpliciter, non sat est, vt illa quouis modo vniantur, sed, vt vniantur ad constituendum vnum simpliciter sub ea ratione, quâ directè & primariò significantur: nam res eo modo significantur, quo à nobis concipiuntur; concipiuntur autem vt sunt: ergo quæ simpliciter sunt plures, absolutè significantur vt plures; quia nomen simpliciter prolatum, importat rem secundùm ea, quæ illi simpliciter conueniunt: sed *homo* directè & primariò significat naturâ humanam, quæ cum alia naturâ in eodem supposito non facit vnum: ergo, in ratione naturæ, non possunt significari vt vnum, sed vt plura: quia nomen absolutè prolatum immediatè applicat suam singularitatem, aut pluralitatem significato formali, quod in concreto naturæ est natura. *S. Thomam* explicat *Capreolus*, vt tantùm loquatur de hoc nomine *homo*, quatenus imitatur conditionem adiectiui, significantis formam adiacentem supposito: quod colligit ex exemplo, quo id confirmat, de homine induto duabus vestibus: nam hoc modo non dicerentur duo, sed vnum humanatum, seu incarnatum: sicut dicitur vnus artifex plures habens artes.

143. *Ad argumenta Recent.* Ad Recent. nego, Christum dici non posse, duos viuentes: nam ipsis aduersarijs cõcedentibus, Christus dici potest duæ naturæ: ergo duæ naturæ intellectuales; ergo duæ naturæ viuentes: ergo duo viuentes: nam terminus dualitatis immediatè cadit supra expressum significatum viuentis, quod est natura intellectualiter viuens. Hinc tamen non sequitur, posse de Christo vnum viuens in concreto simpliciter de alio negari, vt, *Hoc viuens non est illud viuens.* Sicut licet dici posset duo homines, si duas haberet humanitates: haud tamen vnus homo simpliciter negari posset de alio, præsertim signatus pronomine *Hic*, vel *Ille*, vt, *Hic homo non est ille homo.* *Ratio.* Ratio: vt propositio affirmatiua sit vera, sufficit, vt vnâ tantùm parte subiecti verificetur: quia igitur prior propositio, *Christus sunt duo viuentes*, vel *duo homines*, si duas haberet humanitates, est affirmatiua, ad ipsius veritatem sufficit, vt vnâ tantùm parte subiecti verificetur: quia licet Christus non sit duo supposita, est tamen duæ naturæ viuentes. Vt autem negatiua propositio sit vera, debet omni subiecti parte verificari. Quia igitur negatiua non verificatur ratione suppositi, quod est idem respectu vtriusque, simpliciter est falsa; vti est falsa hæc: *homo non currit*, vno tantùm currente. Contra verò, hæc est vera: *homo currit*, etiamsi vnus tantùm currat: quia negatiua reddit sensum vniuersalem, distribuitque pro omnibus subiecti partibus.

144. *Dices.* Dices: si ad veritatem affirmatiuæ sufficit, vt vnâ tantùm parte subiecti verificetur, hæc erit vera: *Christus est vnus viuens*, etiamsi duas habeat naturas viuentes, quia saltem verificaretur de vnitate suppositi. *Resp.* Nego sequel. quia cùm termini vnitatis, & multitudinis immediatè determinent explicitum significatum naturæ, talis propositio per se importaret vnitatem naturæ, & non tantùm suppositi. Nec est eadem ratio de negatiuâ: nam hæc vi suæ significationis, quam habet ab imponente, negat omnem identitatem subiecti, cum prædicato, tam explicitam, quàm implicitam.

145. *Ad rationem à priori.* Ad 2. resp. 1. esto, directum significatum concreti naturæ, sit suppositum, vnitas tamen & multitudo concreti naturæ non desumitur ex directo significato, confusè & indirectè importato; sed ex indirecto distinctè & determinatè importato, quod in substantiuis concretis naturæ est natura, non suppositum. 2. Directum significatum concreti naturæ non est suppositum sed natura: illud enim est directum significatum nominis, quod expressè & distinctè importatur: quòd si esset suppositum, sequeretur, in Eucharistia nomine *Corporis* per se venire Verbum diuinum, vt directum significatum: nam vi verborum sub sacramento venit quidquid est directum significatum *corporis & sanguinis.* 146. *Sequela est contra communem sent.* Cæterùm ad veram & rectam prædicationem affirmatiuam, non est necesse, vt semper rectum prædicati sit idem, quod rectum subiecti: vt patet in hâc propositione, quam aduersarij admittunt: *Christus est duæ naturæ vnita:* in quâ rectum subiecti est suppositum; rectum prædicati, est natura humana & diuina vnita; sufficit, vt quod subiectum implicitè importat, distinctè explicet prædicatum; cùm finis artificiosæ prædicationis sit, per prædicata explicare attributa subiecti: vnde dicitur subiectum in propositione supponere materialiter, prædicatum formaliter: quia subiectum in propositione stare solet pro supposito, prædicatum pro formâ distinctè significata. 147. *Recta & vera prædicatio.* Illa propositio, *Personalitas terminans hanc humanitatem, est hæc humanitas terminata à personalitate*, non est vera; quia in abstracto affirmat obliquum significatum subiecti de recto significato subiecti, quod falsum est. 148. *De prædicatione abstractorum.* Pro quo sciendum, in prædicatione abstractâ terminos sumi formaliter, & reduplicatiuè, in concretâ materialiter & specificatiuè: vt constat in his propositionibus, *Pater & Filius sunt spirator*, vera prædicatio: *Paternitas & filiatio est spiratio*, falsa. *Rationale est animal*, vera: *Rationalitas est animalitas*, falsa. Ratio: in prædicatione abstractâ prædicatum applicat suum explicitum significatum explicito significato subiecti; in concretâ prædicatum applicat suum explicitum significatum implicito significato subiecti: vt *Verbum est homo*, terminus, *homo*, applicat explicitum suum significatum implicito significato Verbi. Vnde ad veritatem concretæ prædicationis, sufficit, vt prædicatum contineatur in subiecto. Eodem vitio laborat altera: quia cùm Verbum sit nomen personæ explicitè & directè significans personam, implicitè & indirectè naturam, de eo non licet in abstracto directè affirmare naturam.

149. *Contra casum titulo propositum.* *Obijcies* 1. aut eo casu vnus homo esset idem, aut distinctus ab alio. Si idem; ergo non duo homines: si distinctus; ergo vnus non esset alius: ergo non duo, sed vnus homo. Resp. Fore eundem hominem significato implicito, duos explicito: & quia nomina substantiua multiplicantur significato explicito, duos homines simpliciter; & vnum distingui ab alio; non tamen dici posset absolutè, vnũ non esse alium: nam priores propositiones sunt affirmatiuæ, posterior negatiua, quæ absolutè negat omnem identitatem, etiam implicitam inter subiectum & prædicatum.

150. *Obiectio 2.* *Obijcies* 2. eo casu vna natura assumpta prædicaretur de aliâ in concreto: sicut nunc Deus prædicatur de homine, & homo de Deo in concreto: igitur non essent plures, sed vnus homo, cùm non possint distincta de se inuicem prædicari. *Resp.* Nego conseq. nam ad concretam prædicationem vnius de alio, sufficit identitas suppositi, ex *S. Thom. in 3. dist. 1. quæst. 2. art. 5. ad 2.* Ratio: in prædicatione *homo* subiectum stat, materialiter pro supposito; *homo* prædicatum, formaliter pro humanitate; vnde cùm dico *hic* DEVS *est homo*, sensus est, *hoc subsistens est homo:* & quia eo casu esset vnum subsistens

stens in duabus naturis, vnus homo prædicaretur de alio homine; quia vnus homo supponeret pro supposito, alter pro naturâ. Ob eandem subiecti vnitatem valet hæc prædicatio: *Hoc album est hoc dulce*, licet non valeat hæc alia: *Hoc est plura qualia*: sicut è contrario valeret hæc: *Christus est duo homines*, si duas haberet humanitates, propter discrimen inter adiectiua, & substantiua: nam illa non multiplicantur, nisi ad multiplicationem subiectorum: hæc multiplicantur ad multiplicationem solius formæ. Ad euitandos errores, in eo casu Christus dici posset vnus personaliter, trinus naturaliter.

An possit DEVS *vniri creaturæ sub ratione vitæ, vel alterius perfectionis?*

151. CErtum est, non posse Deum vniri creaturæ sub ratione vitæ vegetantis, aut sentientis: quia cùm hæc vnio fieri debeat in ratione causæ formalis, & nequeat causa formalis conferre effectum, quem formaliter non continet, non poterit Deus vniri creaturæ sub ratione vitæ vegetantis, aut sentientis; igitur controuersia est de vita intelligente, quam Deus formaliter continet, actuali, & potentiali.

152. *1. Assertio. Fundam.* DICO 1. Implicat, Deum vniri creaturæ sub ratione vitæ intelligentis actualis. Fundam. vniri Deum creaturæ sub ratione vitæ intelligentis actualis, est conferre illi effectum formalem vitæ intelligentis actualis: conferre autem effectum formalem vitæ intelligentis actualis, est reddere subiectum, cui talis effectus communicatur, tali effectu formaliter intelligens: cùm hic sit formalis effectus vitæ actualis, scilicet reddere subiectum actu viuẽs; non secus ac formalis effectus albedinis est, reddere subiectum actu album: implicat autem viuens actu viuere, ac proinde intelligere actuali vitâ alterius; quia vita actualis, maximè intellectiua, dicit essentialem ordinem ad proprium principium intellectiuum: est enim essentialiter actiua tendentia ipsius in obiectum intelligibile, quæ alteri communicari nequit. Infero, neque posse Deum vniri creaturæ in ratione volitionis, aut nolitionis, quia omnes hi actus sunt vitales Dei.

153. *2. Assertio. Fundam.* DICO 2. Implicat, Deum vniri creaturæ sub ratione vitæ potentialis, seu radicalis. Fundam. vniri sub ratione vitæ potentialis, est, vniri per modum principij immanenter operantis: seu vniri vt actum primum in ordine ad actum 2. vitæ; cùm nequeat actus 2. vitæ recipi, nisi in actu 1. à quo elicitur, cui tantùm, & non alteri aptus est conferre suum effectum formalem vitæ actualis. Implicat, Deum vniri creaturæ per modum immanenter operantis, & immanenter recipere actus vitæ à se distinctos, per eosque intelligere, ac velle: cùm hoc inuoluat imperfectionem distinctionis, compositionisque actûs cum principio intelligente & volente, tum successiuæ mutationis de vno in alium actum accidentalem intellectionis & volitionis.

154. *3. Assertio. Fundam.* DICO 3. Implicat, Deum vniri creaturæ sub ratione immensitatis, vel æternitatis; hoc est communicare effectum formalem immensitatis, & æternitatis diuinæ: quia effectus formalis immensitatis, est, vel actu esse in infinito spatio imaginario, vt ego puto, vel saltem posse esse absque sui mutatione in omni loco reali possibili: nam tam esse actu in infinito spatio, quàm posse esse absque sui mutatione in omni loco reali possibili, supponit substantiam actu infinitam; at nulla dabilis est creatura infinitæ substantiæ. Effectus autem formalis æternitatis increatæ, est, habere perpetuum esse ab omni prorsus mutatione immune, cuius creatura capax non est, quæ hoc ipso, quòd creatura est, mutabilis est, atque adeò talis æternitatis incapax.

An possit vniri sub ratione omnipotentiæ? Negant communiter cum *S. Thom. 3. p. q. 13. art. 1.* Fundam. Omnipotentia est proprietas consequens naturam diuinam, sicut potentia actiua cuiuslibet rei, est proprietas consequens formam eiusdem: implicat autem, Deum vniri creaturæ in ratione naturæ, faciendo vnum in ratione naturæ cum illâ; ergo implicat, Deum vniri creaturæ sub ratione omnipotentiæ. 155. *Difficilior quæstio: Fundam. S. Thom.*

156. *Duplex modus.* Distinguitur duplex modus, quo posset Deus vniri creaturæ sub ratione omnipotẽtiæ formaliter: (nam effectiuè, vt certum suppono, non posse Deum se communicare creaturæ per omnipotentiam, cùm implicet per modum causæ principalis creaturam se extendere ad omne possibile;) 1. sicut anima, faciẽdo vnum in ratione naturæ cum corpore, reddit totum compositum intellectiuum: ita Deus, faciendo vnum in ratione naturæ cum creaturâ, redderet totum compositum omnipotẽs: implicat autem Deum vniri creaturæ in ratione naturæ, vel vt subiectum informabile, vel vt formam informantem; vtrumque enim importat mutabilitatem. *Primus.* Alio modo vniri posset Deus creaturæ in ratione omnipotentiæ, vniendo intrinsecè suam omnipotentiam creaturæ, cum expresso decreto concurrendi ad omne, ad quod creatura voluerit; hic modus non implicat, neque ratione vnionis; nam sicut potuit Verbum sub ratione subsistentiæ immediatè vniri humanitati, ita posset Deus sub ratione omnipotentiæ intrinsecè vniri creaturæ: Neque ratione decreti de concurrendo ad omne id, ad quod creatura voluerit, cùm in hoc nulla inuoluatur imperfectio. An autem in eo euentu creatura diceretur omnipotens, spectat ad modum loquendi. Nam omnipotens propriè dicitur is, qui ex se, & ex intrinsecâ naturâ, non tantùm extrinsecè, & ab alio est omnia potens. Saltem certum est, non posse eo casu, creaturam dici omnipotentem substantiuè, quia hoc supponit substantialem vnionem in ratione naturæ cum Deo. 157. *Secundus.*

An suppositum creatum terminare valeat alienam naturam?

PRIMA Sententia *Ocham. in 3. qu. 1. ad 13. Bassoli dist. 1. q. 6. Maior. quæst. 5. concl. 2. Almay. q. 2. dub. vlt. Molin. 1. p. quæst. 51. art. 2. disp. 1. fine* affirmantium. *Scotus qu. 4. Gabriel quæst. 2. art. 3. dub. 5. Marsil. quæst. 2. art. 3. post 7. dub. coroll. 2.* vtrumque probabile putant. 158. *1. Sentent.*

SECVNDA Sent. *Valent. 3. p. disp. 1. q. 3. puncto 6.* affirmãtis, de facto nullum suppositum creatum posse alienam naturam terminare; de possibili tamen non repugnare, produci personam, quæ alienam naturam terminare valeat, imò & infinitas, si darentur. Fundam. ad terminandas infinitas naturas non requiritur virtus infinita, sed satis est finita altioris ordinis, quàm sit quæuis de facto creatura. 159. *2. Sentent.* *Fundam.*

TERTIA *Caiet. 3. p. quæst. 3. art. 1. §. Præterea, Durandi in 3. dist. 1. q. 5. Palud. q. 1. art. 2. Aureoli q. 3. art. 3. Argent. q. 1. art. 1. Mayro. dist. 5. q. 2. Ioan. de Neapol. q. 34. punct. 4. ad 12. Palat. dist. 1. disp. 5.* qui etsi vtramque opinionem defendat, in negatiuam inclinat: *Henrici quodlib. 11. q. 10. Sotus in 4. dist. 9. q. 2. art. 2. §. Sed & opinio: Medin. 3. p. q. 3. art. 1. Suar. disp. 13. sect. vlt. Vasqu. disp. 25. cap. 2.* negantium: *quæ probabilior: ex S. Thom.* 160. *3. Sentent.*

S.Thom.3.p.quæst.3.art.1. ad 2.vbi docet,proprium esse diuinæ personæ, propter eius infinitatem, vt in eâ fiat concursus personarum secundùm subsistentiam.Difficultas est in assignandâ implicantiâ.

161. *Prima implicant.* PRIMA *Thomist.* cum *Durand.* sequeretur, suppositum creatum esse infinitæ virtutis; si posset suppositare duas naturas,posset infinitas;quod sup-
162. *Sed contrà.* ponit vim suppositandi infinitam.Sed contrà:nullum videtur absurdum, quòd suppositum creatum sit in potentia obedientiali ad terminandas plures naturas in infinitum: nec arguitur infinita virtus terminatiua intrinseca, vt nec infinita informatiua in formâ, quæ est in potentia obedientiali ad plura subiecta informanda;nec infinita sustentatiua subiecti ad plura accidentia; imò de facto finita virtus sustentatiua creaturæ intellectualis potest naturaliter sustentare plures species intelligibiles infinitorum actuum,tam intellectionis,quàm volitionis, quos in totâ æternitate elicitura est: *Omnis actus tam intellectûs, quàm voluntatis relinquit sui speciem in intellectu.* omnis quippe actus tam intellectûs, quàm voluntatis, relinquit sui speciem in intellectu,vt patet ex memoriâ, quam ex præteritis actibus habemus, quæ sine propriâ specie præteriti actûs exerceri non posset: igitur erit in intellectu creato naturalis potentia finita ad sustentandas species intelligibiles infinitas,vt 2.*tom.disp.9.sect.9.*

163. DICES,posse supplere infinitas perfectiones hypost.efficienter arguit infinitam virtutem actiuam: ergo posse supplere infinitas perfectiones hypost. formaliter, arguit infinitam virtutem formalem.
164. *Duo effectus distinguendi in subsistentia.* Res.effectus in subsistentiâ, vnus immediatus,quo seipsâ vnitur naturæ; alter mediatus, quo mediante seipsâ concurrit ad conseruationem naturæ; posse supplere infinitos effectus immediatos, solâ immediatâ vnione sui cum naturâ,non arguit infinitam virtutem,sicut nec illa arguitur in formâ, quæ obedientialiter vniri potest infinitis subiectis; arguit autem infinitam virtutem, posse supplere infinitos effectus mediatos conseruatiuos infinitarum naturarum: nam ad purè terminandum, eadem forma,quæ sufficit pro vnâ,sufficit pro pluribus naturis; sufficit enim vt seipsum exhibeat subiecto: at qui conseruat, addere debet vim conseruatiuam subiecto.Posset igitur tali casu suppositum creatum tribuere effectum primum,purè terminandi infinitas naturas, non secundum, conseruandi illas. Nec est eadem ratio de virtute effectiuâ,quia quando suppletur efficienter, suppletur vis conseruatiua; quando suppletur formaliter, suppleri potest solùm pura terminatio.

165. *Secunda eiusdē Durandi.* SECVNDA ratio *Durandi.* Nullum suppositum creatum terminare potest dependentiam supernaturalem: quam habet natura ab alieno supposito; quia nullam habere potest subsistentiam supernaturalem, quæ necessaria est ad terminādam dependentiam supernaturalem: nam si hanc habet ex principijs suæ naturæ,illa esset naturalis, proinde insufficiens ad terminandam dependentiam supernaturalem,si ex aliquo addito,cùm id esset accidēs, & dependens à subiecto,non posset dare supposito
166. *Contrà.* rationem subsistentis.Sed contrà: 1.falsum est,dependētiam naturæ creatæ ad alienum suppositum esse supernaturalem, cùm sit entitas naturæ, quæ tantùm dicitur supernaturalis terminatiuè. 2. posset suppositum naturale potentiâ obedientiali terminare dependentiam supernaturalem naturæ, vt de facto in *sententia Durandi,* & omnium,humanitas Christi potentiâ obedient.terminat dependentiam supernaturalem vnionis hypostaticæ, & natura intellectualis dependentiam accidentis supernaturalis.

TERTIA *Aureoli.*Formalis ratio suppositi creati 167. *Tertia.*
non est quid reale à naturâ distinctum, sed completur solâ operatione intellectûs: ergo non potest terminare alienam naturam.Hæc ratio suppo- 168. *Contrà.*
nit tria falsa: 1. quòd suppositum creatum sit quid rationis: cùm independenter ab omni operatione intellectûs natura creata subsistat in proprio supposito.& Verbum supplēdo suppositum creatum suppleat aliquid reale. 2.quòd non sit à parte rei distinctum à naturâ.3.quòd ex eo,non possit alienam suppositare:cùm nec diuinum distinguatur à naturâ diuinâ,& tamen alienam suppositat.

QVARTA *Gabriel.* nullum suppositum potest 169. *Quarta.*
alienam naturam terminare,nisi sit independens & incommunicabile cōtradictoriè:hoc est proprium suppositi diuini. Maior prob.natura pendet à supposito vltimatè, cùm non pendeat ab illo, mediante alio supposito: non potest autem effectus pendere à causâ vltimatè, nisi talis causa sit independens; sicut non potest effectus pendere ab agente vltimatè,nisi tale agens sit independens: vnde nullus effectus pendere potest vltimatè, nisi à causâ primâ. Minor prob. suppositum creatum, suppositans alienam naturam, potest pendere ab alio supposito: ergo non est independens contradictoriè,proinde nequit vltimatè suppositare alienam naturam. Neque dicas,quantitatem terminare dependentiam alterius accidentis, cùm tamen ipsa sit dependens à materiâ; quia nullum accidens dependet vltimatè nisi à materiâ, quæ in ratione subiecti est independens. Minor est falsa: 170. *Contrà.*
nam & suppositum creatum, in ratione suppositi est independens ab alio supposito: nam quamuis pendeat à naturâ, in quâ subiectatur, non pendet ab illâ,quâ suppositum est formaliter, sed quâ modus est; quia,vt suppositum, causat naturam in ratione subsistentis.causa autem vt sic, non pendet à suo effectu vt sic.

QVINTA *Vasquez disput.25.cap.3.* si suppositum 171. *Quinta.*
terminaret alienam naturam naturaliter, ergo dari debet agens naturale, quod illud cum alienâ naturâ coniungere posset: quia omnis virtus naturalis ordinata ad actum postulat agens naturale,quod illam possit ad actum reducere:si supernaturaliter; illam non sustentaret virtute sibi intrinsecè communicatâ, quia talis perfectio extrinsecùs communicata esset accidens, quod nequit talem effectum causare; & tunc non persona, sed ea virtus alienam naturam sustentaret: Nec ex solâ assistentiâ Dei; nam etsi posset, in genere causæ efficientis, creatura eleuari ad effectus supernaturales solâ assistentiâ Dei,non tamen in genere causæ materialis aut formalis: sicut enim prima causa efficiens nequit eleuari, ita nec quæcumque alia in suo genere prima: sed materia & forma,sunt primæ in suo genere;& persona sustentat naturam in genere causæ formalis;ergo nequit eleuari: vnde si sustentaret, naturaliter sustentaret. Sed contrà: 172. *Contrà.*
posset suppositum creatum, potentiâ obedientiali alienam naturam terminare, esto in ratione terminandi esset prima causa: ita anima est prima causa materialis receptiua qualitatum supernaturalium, & tamen ad illas non dicit nisi potentiam obedientialem: vnde sicut necesse non est,vt detur agens naturale,quod reducat de potentiâ ad actum supernaturalem animam; ita nec agens naturale, quod reduceret de potentiâ ad actum, in modo saltem supernaturalem, suppositum creatum. At 173. *Responsio.*
diuersa, inquit *Vasquez,* est ratio de capacitate obedientiali passiuâ ad recipiendum actum, & de virtute actiuâ, seu quasi actiuâ ad præstandum effectum

effectum proprium: nam illa potest esse obedientialis,etiamsi sit natiua subiecto; quia potest subiectum recipere actum supernaturalem: hæc si sit intrinseca,& actu naturalis, non potest esse obedientialis, sed naturalis;& consequenter reducibi-
174. *Contrà.* lis ad actum ab agente naturali. Sed contrà: quia quod facit actus quoad substantiam supernaturalis,in capacitate passiua obedientialis,vt illa reduci non possit ad actum per virtutem naturalem,facere potest actus quoad modum supernaturalis, in potentiâ terminatiuâ obedientialis, vt illa reduci non possit ad actum, nisi virtute supernatur. ergo quamuis effectus,quem præstaret suppositum creatũ in aliena natura,esset in entitate naturalis, quia tamen ille esset in modo supernaturalis; cùm nec suppositum naturaliter exigeret terminare alienam naturam, nec natura terminari alieno supposito, non esset reducibilis virtute naturali. Sicut effectus,quem præstaret extensio localis, quam haberet corpus in distincto loco replicatum,esset quoad substantiam naturalis; quia tamen corpus non exigit naturaliter esse in diuersis locis, talis effectus diceretur supernaturalis,& à nullo agente naturali producibilis.

175. DICES: effectus supernaturalis quoad modum, debet aliquando posse fieri virtute naturali, sicut oculus aliquando fit virtute naturali. *Resp.* cùm in effectu naturali ex modo,quo fit,includitur modus supernaturalis, fieri nequit ab agente naturali:nam ratione modi fit extra sphæram virtutis naturalis: ita oculus quoad substantiam naturalis, dum stat sub modo productionis supernaturalis:nequit fieri, nisi ab agente supernaturali, sed suppositum creatum terminare alienam naturam, semper inuoluit modum supernaturalem: quia vel terminaret illam per separationem à propriâ naturâ, & vnionem cum alienâ; & sic interueniret duplex modus supernaturalitatis: Vel terminaret per solam vnionem cum alienâ naturâ,absque separatione à propriâ; & sic etiam interueniret duplex modus supernat.scilicet ex parte naturæ assumptæ, destructio propriæ subsistentiæ; ex parte suppositi assumentis,noua informatio, & sustentatio alienæ naturæ: productio verò oculi potest aliquando separari à modo supernaturali; & ideò non repugnat, aliquando fieri virtute naturali.

Suppositum creatum terminare alienam naturam, semper inuoluit modum supernat.

176. *Vera implicantia.* Vera igitur implicantia huius rei sumenda est ex naturâ subsistentiæ creatæ:Subsistentia creata est modus;de ratione autem modi est, actu modificare tantùm proprium subiectum: implicat igitur, suppositum creatum alienam naturam suppositare: non enim posset naturam suppositare, nisi illam actu modificando; nec posset illam actu modificare, nisi ad eam modificandam haberet aptitudinem: igitur essentia ipsius non consisteret in solâ actuali modificatione propriæ naturæ,sed etiam in aptitudinali modificatione alienæ. De ratione modi esse modificare tantùm proprium subiectum,
Inductio. Prob.1.inductione:*actio*,est solus actualis respectus ad agens, cuius est actio, implicatque fieri actualem respectum ad aliud agens: *Figura*, est actualis modificatio huius subiecti,implicatque aliud subiectum figurare: *Vbi*, est actualis respectus huius mobilis ad hunc locum, repugnatque aliud corpus vbicare,vel fieri actualem respectum ad alium locum: ergo subsistentia cùm sit modus naturæ,
177. *A priori.* implicat alienam naturam modificare. 2. Modus seipso vnitur subiecto;si enim modus requireret distinctum modum, vt vniretur subiecto, etiam hic modus requireret alium modum, & sic in infinitum,cùm non sit potior ratio de vno,quàm de alio:

ergo non potest alienum subiectum modificare: implicat enim modum distinctum subiectum modificare, absque mutatione sui: si autem posset seipso id modificare, posset absque mutatione sui; quia inuariatus in se,nullo medio nexu distincto, de nouo vniretur subiecto.Confirm.implicat,for- *Confirm.* mam nouum effectum formalem tribuere subiecto,absque vllâ mutatione sui: ergo & modum,distinctum subiectum modificare, absque vllâ mutatione sui. Nec sufficit mutatio subiecti, cùm non tantùm subiectum, sed modus mutetur, cùm de non modificante fiat actu modificans,& de non sustentato fiat actu sustentatus à nouo distinctoque subiecto.

Obijcies 1. potest suppositum creatum terminare 178.
dependentiam noui accidentis; ergo & nouæ sub- *Obiectio I.*
stantiæ. 2. Dum anima vnitur corpori,non solùm *II.*
vnitur vt forma ad componendam vnam naturam, sed etiam vt subsistentia ad componendum vnum subsistens: ergo sicut potest subsistentia partialis vniri duplici naturæ partiali, ita subsistentia totalis duplici naturæ totali. 3. Non omnis modus *III.*
seipso vnitur subiecto, sed tantùm ille, qui est essentialiter vnio;sed subsistentia creata non est essentialiter vnio; ergo non vnitur seipsâ naturæ, sed vnione distinctâ: ergo potest variare vnionem ad distinctum subiectum, non variatâ eius essentiâ. Maior prob. ille tantùm modus non eget vnione, qui est formaliter talis;sicut nõ omnis modus seipso fit ab agente, sed tantùm ille, qui est essentialiter
actio. Resp. ad 1.negando suppositum immediatè 179.
terminare dependentiam accidentis ratione sup- *Resp.ad I.*
positalitatis formaliter,sed ratione naturæ,cui tantùm accidentia inhærent, vt patet in humanitate Christi,in quâ tantùm,& non in subsistẽtiâ increatâ,quæ capax non est, accidentia inhærent; licet requiratur subsistentia vt complementum substan-
tiale,vt natura valeat accidentia sustentare. Ad 2. 180.
nego, animam subsistentiâ partiali vniri formali- *Ad 2.*
ter subsistentiæ partiali corporis, sed tantùm concomitanter.Ratio:vnio non vnit nisi vnibilia; modi autem non sunt vnibiles distinctâ vnione, cùm
sint ipsæ actuales modificationes subiecti. Ad 3. 181.
nego maior. omnis enim modus, sicut essentiali- *Ad 3.*
ter est modificatio subiecti, ita seipso vnitur subiecto: at non omnis modus seipso fit ab agente, sed tantùm ille, qui est essentialiter actio. Ratio: cuilibet modo est intrinsecum subiectum, non agens;& ideò,vt vniatur subiecto, non eget distincto modo, eget vt fiat ab agente, exceptâ actione, quæ seipsâ respicit agens.

DISPVTATIO XV.

De Causa subiectiua Vnionis.

SECTIO PRIMA.

An quælibet natura substantialis creata Vnionem hypost. subiectare possit?

PRIMA Sententia *Alberti in 3. dist.2. art.2.* 1.
negantis de naturâ angelicâ. Fundament.in *1.Sentent. Fundam.*
Angelo suppositum non distinguitur à naturâ: implicat assumi naturam cum proprio supposito.Maior videtur *S.Thom. 1.p. quæst.3. art.3.4.cont.Gent. cap.55.ad 4.ration. in 3.dist.2.q.1.*
art.1. corp. ration.2. quia Angeli non constant ex *Fundam.*
materiâ & formâ, ex quâ desumitur indiuiduatio, sed

sed sunt ipsæ formæ subsistentes: ergo in ijs suppositum non distinguitur à naturâ.

2. *2. Sentent.* SECVNDA *Henrici quodlib.13.q.5.§.Propterea. Alens.3.p.qu.11.memb.1. Albert.suprà cit.art.1.* negantium de naturâ irrationali, quam problematicè defendunt *Richard.in 3.dist.2.art.1.quæst.4. & Gabriel dist.1.q.2.art.1.& 2.* *Probatio Alensis.* Prob.1. non potest natura eleuari ad vnionẽ cum Deo, nisi disponatur per gratiam; natura irrationalis non est capax gratiæ; ergo nec vnionis cum Deo.

3. *Probatio aliorum.* 2. nulla natura eleuari potest ad vnionem cum Deo, quæ eleuari non potest ad fruitionem Dei: nequit natura irrationalis eleuari ad fruitionem Dei: ergo neque ad vnionem cum Deo. Maior prob. sicut se habet esse naturale ad posse naturale, ita esse supernaturale ad posse supernaturale; sed fieri non potest, vt natura accipiat esse naturale, quin simul accipiat aliquod posse naturale, cùm omne esse ordinetur ad aliquod posse: quia omne esse est propter aliquod operari: ergo nec fieri potest, vt natura accipiat esse supernaturale hypost. quin simul accipiat posse supernaturale fruendi Deo, ad quod talis vnio ordinatur. *Confirm.1.* Confirm. minùs est frui, quàm hypostaticè vniri Deo: ergo quod non potest eleuari ad fruitionem, nequit eleuari ad hypost. vnionem.

4. 3. Natura irrationalis non est capax personalitatis, quia persona est rationalis naturæ indiuidua substantia: ergo assumi non potest ad vnionem personalem. 4. Dedecet Dei maiestatem, fieri asinum, lapidem &c. 5. Nulla forma vniri potest, quin tribuat suum effectum formalem primarium: ergo nec diuina persona, quin tribuat effectum formalem sanctificationis; sed natura irrationalis est incapax sanctificationis.

5. *3. Sentent.* TERTIA *S.Thom. in 3.dist.2.quæst.1.art.1. Scoti quæst.1.§.Contra istud: Durand.quæst.1.Argent.qu.1.art.1.Aureol.q.2.art.3.Rubion.qu.2.art.2.concl.2.Capreol.q.1.art.1.concl.1. Maior.quæst.1.Palatij disput.1. Heruæi dist.1.quæst.1.§.Quantum ad secundum, concl.3.Almaj.quæst.2. Mayron.dist.15.q.1. Ocham q.1.art.3.ad 9. Marsil.q.3.art.1.concl.1. Caiet.3.p.quæst.4.art.1.in resp.ad 1.Medin.ibid.Suar.disp.14.sect.2.Vasquez disp.30.cap.2.* affirmantium, assumi posse quamlibet naturam substantialem creatam.

6. *Iuxta 3. sent. assertio.* DICO 1. assumptibilis est in vnitatem diuinæ personæ natura angelica: est Angelici *cit. ad 2. qu.* & colligitur *ex 3.p.qu.4.art.1.* nec obscurè indicat *Paulus ad Hebr.2. Nusquam Angelos apprehendit.* Ex quo Patres arguunt, potuisse Deum naturam angelicam assumere. *In Angelo suppositum distinguitur à naturâ.* Fundam. in angelo suppositum distinguitur à naturâ; *ex disp.1. sect.2.* ergo assumi potest in vnitatem personæ: nam cæterùm habet omnia requisita, vt assumi possit. Nec S. Thomas negat anteced. sed oppositum insinuat *cit. quæst. 4. art.1.ad 3.* sed solùm docet, principia indiuiduantia, quæ sunt radix multiplicandi supposita, in ijs non distingui.

7. *Assertio 2.* DICO 2. quæuis natura substantialis, etiam irrationalis, assumptibilis est à Deo in vnitatem suppositi. Prob. 1. Verbum in triduo suppositauit corpus ab animâ, & sanguinem à corpore separatum: ergo suppositare potuit quamlibet creaturam rationis expertem.

8. *Responsio Alens. Gabrielis.* Respondet 1. *Alens.* Verbum in triduo suppositâsse corpus mediâ dispositione relictâ ab animâ, per quam manebat dispositum ad vnionem cum Verbo. 2. *Gabr.art.2.ad 8.* mansisse in triduo corpus vnitum Verbo, non vnione sibi inhærente, sed tantùm animæ, à quâ corpus denominabatur personaliter vnitum Verbo.

9. *Cõtra resp. Accidens nequit disponere ad vnionem cum Verbo.* Sed contra *Alens.* pugnat ratio: quidquid erat in corpore ab animâ relictum, erat accidens: accidens nequit disponere ad vnionem cum Verbo, quæ intrinsecè terminatur ad substantiam. Contra *Gabriel.* præter rationem, pugnat etiam fides, quæ docet, Filium Dei in triduo fuisse sepultum: sed *ex S. Thom. 3.p. quæst.50. art.2.* non possunt ea, quæ sunt humanæ naturæ, de Filio Dei prædicari, nisi ratione vnionis: sed sepeliri est proprium corporis: ergo non potest conuenire Filio Dei, nisi ratione vnionis hypostaticæ cum illo: sicut ratione eiusdem conuenit ei concipi, nasci, mori &c.

2. Prob. quælibet substantia est capax subsistentiæ; ergo & vnionis hypostaticæ cum Deo: nam hæc intrinsecè terminatur ad subsistentiam: ergo quæcumque natura est capax subsistentiæ, est etiam capax hypostaticæ vnionis cum Deo. 10. *A priori.* Anteced. patet: omnis substantia essentialiter exigit modũ proportionatum existendi: hic autem est subsistentia à parte rei distincta; nam si illa distinguitur in substantijs spiritualibus, & perfectioribus, à fortiori distinguetur in substantijs materialibus, & imperfectioribus.

11. *Nulla dispositio requiritur ad vnionem personalem cum Deo.* Ad 1. secundæ, neg. maior; nam nulla dispositio requiritur ad vnionem personalem cum Deo, vt *suprà.* Ad 2. neg. maior: ad prob. 1. nego minor. quia posset Deus separare aliquod esse ab aliquo posse, vt de facto ab esse humano Christi separat posse peccare. 2. argum. solùm concludit de esse essentiæ, quæ tantùm ordinatur ad operari, non de esse subsistentiæ, quæ tantùm complet naturam, quæ sola est formale principium operandi. Ad confirm. nego conseq. nam quando minus non continetur sub maiori, non sequitur; si non potest minus, nec potest maius: homo volare non potest, intelligere potest; quod maius est.

12. *Ad 3.* Ad 3. esto ex personalitate Verbi, & naturâ irrationali nõ fieret persona, quia hæc connotat naturam intellectualem, fieret tamẽ suppositum, quod ex subsistentiâ, & quâcumque naturâ resultat. *Leg. Scotus in 3.dist.2.qu.1. §.Contra istud.* *Ad 4.* Ad 4. non magis foret indecens, Deum fieri lapidem, asinum &c. per communicationem idiomatum, quàm esse crucifixum, mortuum &c. nam hoc nullam arguit imperfectionem in personâ diuinâ, sed solam denominationem prouenientem ex tali vnione.

13. *Duplex sanctificatio.* Ad 5. sanctificatio, altera moralis rectitudinis in ordine ad actus liberos honestos, & huius natura irrationalis capax non est; altera Deificationis, prouenientis ex Deitate hypostaticè vnita naturæ assumptæ, ratione cuius debetur illi peculiaris cultus, & adoratio; & huius capax est natura irrationalis; sicut capax fuit corpus Christi, quod etiam ab animâ separatum peculiari cultu, & adoratione Latriæ adorandum erat.

An partes substantiales sint per se assumptibiles à personâ diuinâ.

Duplices partes substantiales. DVplex est genus partium substantialium, integralium & essentialium; de vtrisque controuersia est, an sint per se assumptibiles in toto, vel extra totum.

14. *1. Sentent.* 1. Sententia *Vasq.3.p.disp.30.cap.5.& disp.31. à cap.3.& 39.cap.3. Cabrer. quæst.4.art.1. disp.4.* negantium, partes essentiales assumi posse per se, siue in composito, siue extra compositum, vnâ exceptâ animâ rationali, quæ quoniam naturaliter existit separata à toto, assumi potest per se extra cõpositum, non in ipso cõposito, in quo non subsistit subsistentiâ propriâ, sed totius; ad cuius assumptionem dicitur ipsa mediatè tantùm assumi. *Fundam.* Fundam. subsistere, non est partis, sed totius; nihil autem potest à Verbo assumi, nisi quod subsistit.

15. *2. Sentent.* 2. Sententia *Mayroni in 3.dist.1.quæst.3 & dist.5.q.1. Rubion.quæst.2. Maior.dist.2. qu.3.concl.1. & 3. Suar. 3.p.disp.*

3.p.disp.14.sect.3. asserentium, partes substantiales,
tam integrales, quàm essentiales separatas, esse per
se assumptibiles. Addit *Suarez*, formas materiales
coniunctas cum toto, non esse per se assumptibi-
les, nisi ratione totius: nam vt coniunctæ cum to-
to, non sunt capaces subsistentiæ, quia pendent à
materiâ, vt à sustentante; quæ dependentia pugnat
cum subsistentiâ, quæ dicit independentiam à su-
stentante; separatas verò, quia amittunt dependen-
tiam à subiecto, & fiunt existentes per se, assumi
16. *3. Sentent.* posse. 3. Sententia *Medin. 3.p.qu.4.art.1.& omnium*
Thomist. affirmantium, vtrasque partes esse assum-
ptibiles per se, exceptâ materiâ; quæ quia existit
existentiâ formæ, non est per se à forma separabi-
lis, & consequenter nec assumptibilis, à formâ se-
paratâ.

17. *Fundam.* DICO 1. partes integrales tam separatæ, quàm
coniunctæ, sunt per se assumptibiles. Fundam. ha-
bent propriam subsistentiam: ergo etiam coniun-
ctæ cum toto, quo modo habent rationem par-
tis, sunt per se assumptibiles independenter à com-
partibus; vt caput independenter à reliquis mem-
bris. Nec propterea diceretur Deus caput, aut ca-
pitatus, nam prior est prædicatio totius suppositi,
& naturæ completæ, posterior formæ informantis,
vel partis integrantis, quo pacto non vniuntur
partes Verbo, sed solùm subsistenter.

18. *Fundam.* DICO 2. potest Deus immediatè sibi vnire ad
hypostasim omnes partes essentiales, tam separatas,
quàm coniunctas in toto. Fundam. tam separatæ,
quàm coniunctæ, habent propriam subsistentiam,
vice cuius subrogari potest diuina. Prob. 1. anima
rationalis separata habet propriam subsistentiam;
alioquin non posset subsistere subsistentiâ Verbi:
ergo etiam coniuncta, quia per coniunctionem
ad corpus, non amittit suas intrinsecas perfectio-
nes, alioquin per coniunctionem ad illud non per-
ficeretur; sed talis subsistetia est partialis: tum quia
debet proportionari subiecto, quod partiale est:
tum quia etiam materia subsistit, alioquin non
posset facere vnum subsistens cum formâ materia-
li: ergo supponit in materiâ aliam subsistentiam
partialem; ergo etiam materia est assumptibilis.
19. *Forma materiales assumpta.* Quòd etiam formæ materiales, ostendo: hæ ha-
bent propriam subsistentiam, alioquin ex illis &
materia non fieret vnum subsistens completum:
cùm enim materia habeat subsistentiam partia-
lem, quâ complet vnum subsistens totale cum ani-
mâ rationali, nisi etiam formæ materiales habe-
rent suas partiales subsistentias, non posset mate-
ria, dum componit vnum cum illis, facere vnum
subsistens completum, sed maneret cum solâ suâ
subsistentiâ partiali, & incompletâ, cōtra propriam
20. inclinationem. 2. Non fuisset assumptus sanguis à
Verbo: quia neque vt coniunctus informatur ani-
Ex communi sentent. mâ rationali, sed propriâ formâ materiali. Et et-
iam separatus in triduo, fuit immediatè vnitus
Verbo; si autem formæ materiales non haberent
propriam subsistentiam, non potuisset tota natura
21. *A priori.* sanguinis, sed sola materia assumi. 3. Subsistentia
formaliter non dicit quamcumque independen-
tiam, sed eam dumtaxat, quæ est propria ipsius, &
sine quâ non consistit formalis ratio subsistentiæ;
sicut ea tantùm independentia est de essentiâ ma-
teriæ, aut formæ, quæ est propria materiæ, aut for-
mæ, & sine quâ non consistit formalis ratio mate-
riæ, aut formæ: sed hæc est sola independentia à
termino, siue à supposito, quam retinet forma ma-
terialis, etiam vnita materiæ, à quâ pendet in ra-
Forma materialis pendet à materia solùm in ratione subiecti, non termini. tione subiecti, non termini: nam ea tantùm inde-
pendentia est propria subsistentiæ, quam habet vt
subsistentia formaliter: hæc autem est sola indepen-
dētia à termino, seu supposito, non à subiecto; nam
hæc communis est alijs rebus, materiæ, animæ ra-
tionali, & cuilibet substantiæ completæ, quæ inde-
pendentiam dicunt à subiecto.

DICES: esse in se, & esse in alio, sunt modi re- 22.
pugnantes: ergo non potest forma esse in subiecto,
& in supposito simul, quia per illud fieret in alio,
per hoc in se. Negó anteced. quando esse in se, & *Resp.*
in alio fundātur in diuersâ dependentiâ, per ordi-
nem ad diuersos terminos; sic anima rationalis est in
se per subsistentiam, & in subiecto per informatio-
nem. Ad fundam. primæ; totius tātùm est subsistere 23.
completè; partis, incompletè; sicut totius tantùm *Ad fund. contraria.*
est existere completè; partis, incompletè. Verbum
autem non modò assumere potest, quod subsistit
completè, sed etiam quod subsistit incōpletè, alio-
quin assumere non posset animam rationalem se-
paratam à toto, quæ incompletè subsistit. Ad fun- *Ad fund.*
damentum *Suarez*, constat ex dictis. Ad *Medina*, *Suarez. Medinæ.*
nego, materiam existere existentiâ formæ, ac pro-
inde inseparabilem esse à formâ.

An formæ accidentales possint vniri Deo secundùm hypostasim?

PRIMA Sententia *Mayroni in 3.dist.5.q.1. concl.* 24.
3. Bassoli dist.2.q.1.art.2. Palat. in 3.dist.2.disp.1. *1. Sentent.*
Suar. disp.14.sect.4. Vasq. disp.30.cap.5. Cabre.3.p.q.4.
art.1.disp.5.& 6. negantium. Fundam. accidens non *Fundam.*
est capax subsistentiæ: ergo nec vnionis hypostati-
cæ, hæc enim terminatur ad subsistentiam. Antec.
prob. subsistentia est proprietas substantiæ, vt di-
stinguitur contra accidens; ergo non potest com-
petere accidenti; sicut inhærentia, quæ est proprie-
tas accidentis, nequit competere substantiæ. Con- *Confirm.*
firm. si Verbum terminaret vnionem albedinis, de-
nominaretur album; consequens est falsum. 2. Sen- 25.
tentia *Marsil. in 3.q.3.art.1.concl.2. Rubion. dist.2.q.* *2. Sentent.*
2.art.2.concl.3. Almay. dist.1.q.2. Gabr. q.2.art.1. Me-
din. 3.p.qu.4. art.1. affirmantium: inclinat *Aureol.*
dist.1.q.2.art.4.

DICO 1. non repugnat, accidens separatum vnio- 26.
ne sustentatiuâ, immediatè vniri Verbo. Prob. 1. *Prob. 1.*
de facto Verbum, in genere causæ terminatiuæ hy-
postat. supplet dependentiam sustentatiuam, quam
vnio naturaliter postulat à subiecto seu vtroque
extremo, cùm sit nexus vtriusque: ergo supplere
posset sustentatiuam dependentiam, quam acci-
dens naturaliter postulat à subiecto: magis enim
pendet vnio à subiecto, à quo pendet vt modus,
quàm accidens à substantiâ, à quâ pendet vt enti-
tas: igitur si potest supplere dependentiam vnio-
nis, à fortiori supplere poterit dependentiam acci-
dentis; nisi quod dependentiam vnionis Verbum
suppleat immediatè terminando dependentiam
vnionis ad se; dependentiam accidentis mediatè,
quia suppleret illam mediâ vnione distinctâ; vt
mediatè supplet dependentiam humanitatis, quam
naturaliter postulat à propriâ subsistentiâ. 2. Vt 27.
accidens immediatè vniatur Verbo, non est ne- *Prob. 2. A priori.*
cesse, vt recipiat in se modum substantialem, sed
sufficit, si vnione accidentali sibi proportionatâ,
terminetur ad illud, vt ad terminum, à quo su-
stentetur in esse; quia vt accidens vniatur propriæ
substātiæ, non est necesse, vt vniatur modo substan-
tiali, sed accidentali sibi proportionato, vt termi-
no suæ dependentiæ: ergo neque, vt immediatè
vniatur Verbo, quia Verbum non suppleret in-
trinsecum modum vnionis accidentis cum substā-
tiâ, sed solam terminationem substantiæ; sicut de

facto non supplet intrinsecum modum vnionis ex parte humanitatis, sed solam intrinsecam terminationem ex parte suppositi. Illud autem non implicat; nec ex parte accidentis; hoc enim aptum est sustentari à substantiâ; nec ex parte suppositi diuini, quia sustentare accidens, non per modum subiecti informabilis & receptiui, sed per modum termini sustentatiui, nullam inuoluit imperfectionem; nec implicat, Verbum terminare vnionem accidentibus: quia cùm illam non debeat recipere in se, nihil refert, vtrum sit accidentalis, an substantialis, cùm non minùs vnio substantialis, quàm accidentalis postulet sustentari, vel à subiecto, vel à termino, cùm vtraque essentialiter sit modus: ergo si potest vna terminatiuè sustentari à Verbo, poterit & alia: nec vlla potior ratio assignari poterit pro vnâ quæ non militet pro aliâ.

28. *Fundam.* DICO 2. non repugnat, accidens coniunctum vniri Verbo. Fundam. potest accidens, retinendo vnionem informatiuam cum proprio subiecto, sustentari à Verbo: sunt enim hi effectus diuersi, & vnus separabilis ab alio: nam accidẽtia Eucharistiæ sustentantur à corpore Christi, & non informant; contrà verò, anima rationalis informat corpus, & non sustentatur ab illo; ergo posset accidens sustentari à Verbo, & simul informare subiectum; quia sustentari distinguitur ab informare, nec vnũ repugnat cum alio; nam Verbum supplendo sustentationem, non tolleret ab accidente informationem ad proprium subiectum: sicut enim potest Deus effectiuè supplere sustentationem, non tollendo informationem, ita posset illam supplere terminatiuè: Et de facto Verbum terminat dependentiam vnionis hypost. quæ tamen inhæret, & informat humanitatem: igitur terminare posset dependentiam vnionis accidentis, quod informaret proprium subiectum.

29. *Deductio 1.* Deducitur 1. potuisse Verbum non solùm terminare depẽdentiam formæ sanguinis quoad suppositalitatem, vt de facto terminauit, sed etiã quoad sustentabilitatem. Quia forma materialis non solùm pendet à subsistentiâ in ratione termini, sed etiam à subiecto in ratione sustentatiui; at illam de facto non terminauit, sicut nec dependentiam accidentium humanitatis, quia nec illa necessaria erat ad substantiam mysterij, & connaturaliùs sustentantur à proprio subiecto.

30. *Deductio 2.* 2. non posse Deum terminare dependentiam alicuius modi præexistentis, nec coniuncti, nec separati, quia essentia modi est actu modificare & respicere quidquid potest; posse terminare dependentiam alicuius modi respectiui, qui simul fiat, & actu terminetur: quia potest Deus esse terminus vnionis hypostaticæ, vel sustentatiuæ, seu producere vnionem, quæ loco subiecti partialis respiciat seipsum vt intrinsecum terminum suppositantẽ, vel sustentantem.

31. *Ad oppositam Sent.* Ad fundamentum oppositæ, concedo, accidens non esse capax subsistentiæ, sub ratione subsistentis, seu suppositantis, quia hoc exigit in termino assumptibili suppositabilitatem, quæ est propria substantiæ; esse tamen capax subsistentiæ sub ratione sustentantis, cui in termino assumptibili respõdet sustentabilitas, quæ communis est modo, accidenti, & substantiæ imperfectæ; vnde concedo, inhærentiam, quia est modus existendi proprius accidentis, non posse conuenire substantiæ; sicut nec subsistentia, sub ratione subsistentiæ, conuenire potest accidenti; potest illi conuenire sub ratione sustentantis, sub quâ accidens conuenit cum substantiâ. nam quamuis subsistentia vt sic, non dicat formaliter, nisi virtutem terminatiuam hypost. quatenus tamen non est modus, sed entitas, vt est subsistentia increata, dicit etiam virtutem sustentatiuam cuiuscumque accidentis, & substantiæ imperfectæ. Ad confirm. 32. *Ad confirm.*
concedit sequel. *cit. loco ad 1. Marsilius*, nam *sicut*, inquit, *est homo per humanitatem assumptam, ita esset album per albedinem assumptam.* Negat *Almayn.* meritò, eò quòd esse album, importat albedinem inhærentem, & informantem: nequit autem albedo inhærere, & informare Deum: concedit tamen iste, quòd eo casu Verbum diceretur albedo. Sed contrà: huiusmodi prædicationes in abstracto nequeũt verificari, nisi propter identitatem prædicati cum subiecto, quæ inter albedinem, & Verbum non est. Nec sufficit tantùm vnio, alioquin de facto albedo prædicaretur de proprio subiecto.

SECTIO II.

An possit natura assumi in propriâ personalitate existens?

PRIMA Sententia *Bacho. in 3. dist. 5. quæst. 1. art. 2.* & quorundam recent. affirmantium. Prob. 1. quando in eodem non repugnant potentiæ, nec actus talium potentiarum repugnabunt; sed non repugnat in eâdem naturâ potentia naturalis ad propriam personalitatem, & obedientialis ad diuinam: ergo nec in eâ repugnabunt subsistentia propria, & diuina. Sed contrà: licet non repugnent potentiæ, possunt tamen repugnare actus simul: vt in corpore est naturalis potentia ad descensum, & simul obedientialis ad ascensum; cùm tamen nequeant ascensus & descensus in eodem corpore esse simul. In intellectu est simul potentia ad errorem, & scientiam; non tamen ad actum erroris, & scientiæ simul. 2. Quando actus sunt diuersæ rationis, non pugnant simul: ideò notitia rerum in Verbo, & in proprio genere, possunt esse simul, quia sunt actus diuersæ rationis: sed subsistere in proprio, & diuino supposito, sunt actus diuersæ rationis: Ergo. Sed contrà: amor & odium, error & scientia sunt actus diuersæ rationis, & tamen nequeunt esse simul. Ad prob. nego Causalem; sed ideò tales actus possunt esse simul, quia non sunt sibi inuicem repugnantes. 3. Non repugnat, naturam humanam personatam personalitate Filij, personari personalitate Patris: ergo nec personatam personalitate propriâ, personari diuinâ; quia personalitas diuina perfectiùs terminat, & complet naturam in ratione subsistentis, quàm creata. Sed contrà: repugnat, naturam humanam adæquatè personatam personalitate Filij, personari personalitate Patris, *ex præced. disp. sect. 6.* Probant 4. natura diuina personata paternitate, adhuc est personabilis filiatione: ergo natura creata personata propriâ, adhuc est personabilis alienâ. Sed contrà: natura diuina est essentialiter fœcunda per productiones immanentes: & quia istæ terminantur ad supposita, ideò essentialiter postulat esse in tribus suppositis vt in terminis suæ fœcunditatis; natura autem creata solùm postulat esse in supposito, vt in eo complete existat: ergo si per proprium complete existit, non videtur posse existere cum proprio in alieno, faciendo vnum per se cum illo.

33. *1. Sentent. Probant multis.*
Contrà.
34. *Probant 2.*
Contrà.
35. *Probant 3.*
Contrà.
36. *Probant 4.*
Contrà.

37. *2. Sentent.* SECVNDA communis *Scholast.* negat: *Alensis 3. p. quæst. 4. memb. 6. ad 2. & memb. 7. S. Thom. in 3. dist. 5. qu. 3. art. 3. Bonau. art. 2. quæst. 2. Scoti dist. 1. q. 2. §. Ad quæst. & Quodlib. 19. art. 3. Richard. dist. 5. art. 2. qu. 2. Rubion. q. 1. art. 2. concl. 3. Mayroni q. 3. Durand. dist. 1. quæst. 3. ad 2. Palud. quæst. 3. art. 2. Aureoli dist. 1. quæst. 4. art. 2.*

4. art. 2. fine: Bassols quaest. 4. §. Ad rationes, ad 3. Argent. q. 2. art. 3. ad 2. & concl. 2. Capreoli eadem d. 1. q. 1. art. 3. ad 1. cont. 2. concl. §. Dicitur 4. Maior. quaest. 1. & 3. Marsil. quaest. 2. art. 3. dub. 1. ad 5. Gabr. quaest. 2. art. 3. dub. 2. Caiet. 3. p. q. 3. art. 6. §. Ad cuius clar. Medin. ibid. ad 4. Suar. disp. 14. sect. 1. Valent. disp. 1. q. 3. puncto 3. §. Probabil. Vasquez disp. 33. cap. 2. Albertini coroll. 8. ex praedicam. substant. Ragusa disp. 47. Cabrer. qu. 3. art. 6. disp. 1. ad 5.

38. *Praesens controu.* Controuersia non est, an personalitas ipsa creata formaliter assumi possit, nam hoc repugnat: scilicet personalitas est modus essentialiter consistens in actuali independentiâ ab extrinseco supposito; seu aliqua incommunicabilitas est de essentiâ personalitatis: non alia quàm haec, cùm nulla alia eius essentiam constituat: nam ea independentia est de essentiâ personalitatis, quae formaliter constituit personam in esse personae: hanc autem formaliter constituit independētia ab aliâ personâ; nam, hâc tantùm sublata, tollitur ratio ipsa personae. *Ratio.* Si autem personalitas assumeretur, fieret actu dependens ab extrinseco supposito: nam assumi ad subsistendum in alio, formaliter est, assumi ad dependendum ab illo, vt à supposito: igitur implicat, assumi ad subsistendum in extrinseco supposito, & non fieri actu dependens, vt à supposito ab illo. Quòd haec dependentia ab extrinseco supposito repugnet subsistentiae, prob. nam haec actualis independentia, est ipsa formalis ratio subsistentiae seu personalitatis: cùm personalitas creata sit modus: modus essentialiter cōsistat in actuali modificatione seu terminatione, quâ variatâ ab extrinseco supposito, variatur eius essentia: sicut, quia creatio est actualis independentia à subiecto, implicat fieri dependentem à subiecto, etiam per modum extrinsecum additum. Et è contrà, quia eductio est actualis dependentia à subiecto, implicat, etiam per modum additum fieri à subiecto independentem.

39. *Confirm. 1.* Confirm. 1. Implicat, recipere actum terminationis hypostaticae, quod nullam habet potentiam terminabilitatis hypost. nam actus 2. supponit primum: sed personalitas creata nullam habet potentiam terminabilitatis hypostaticae! vt deducitur ex naturâ modi, cuius tota essentia cōsistit in actuali modificatione subiecti: & consequēter nulla in eo esse potest potentialitas ad vlteriorem perfectionem recipiendam.

40. *Confirm. 2.* 2. Personalitas creata essentialiter est vltimus terminus actu terminans naturam intellectualem: si terminaretur personalitate increatâ, fieret terminus terminatus personalitate increatâ, proinde non solùm esset actualis terminus propriae naturae, sed etiam terminabilis alienâ personalitate: ergo eius essentia non solùm cōsisteret in actuali terminatione, sed etiam in potentiali terminabilitate: quod est contra naturam modi, cuius essentiâ tota consistit in actuali modificatione, exclusâ omni subiectiuâ potentialitate. *Omne ens creatum contingenter actu existit.* Dixi, *subiectiua*, vt excluderem potentialitatem obiectiuam, quam habet omne ens creatum: cùm nullum essentialiter actu existat, sed contingenter; proinde habet obiectiuam potentialitatem ad existendum. Dicitur potentialitas *obiectiua*, in ordine ad diuinam potentiam, virtute cuius omne ens creatum transit à non esse ad esse.

41. *Confirm. 3.* 3. Vel personalitas creata terminaretur personalitate increatâ immediatè, nullâ mediâ vnione distinctâ, vel mediâ vnione distinctâ: vtrouis modo terminaretur, destrueretur natura modi: nam vterque modus, praeter actualem terminationem actiuam, supponit aptitudinalem terminabilitatē passiuam.

42. *Obiectio 1.* *Obijcies* 1. personalitas creata actu pendet à naturâ, cùm sit modus ipsius: ergo non potest consistere in actuali independentiâ ab extrinseco supposito, quia repugnat, idem esse actu dependens & independens. Nego conseq. Ad prob. nego repugnare, idem esse dependens & independens respectu diuersorum. *Resp.* Est igitur personalitas creata subiectiuè dependens, independens terminatiuè; siue dependens in ratione causae materialis, independens in ratione causae formalis terminatiuae hypostaticae: sicut creatio est independens subiectiuè, dependens effectiuè: & humanitas est dependens à Verbo hypostaticè, independens subiectiuè.

43. *Obiectio 2.* *Obijcies* 2. Vnus modus vnitur subiecto per alium modum diuersae rationis: ergo potest subsistentia vniri alieno supposito per alium modum. *Resp. 1.* Nego conseq. nam vnio cum alieno supposito destruit formaliter rationem subsistentiae, quae est actualis independentia ab alieno supposito. 2. Nego antecedens. omnis quippe modus seipso vnitur subiecto: *Omnis modus seipso vnitur subiecto.* sicut omnis actio seipsa fit ab agente: alioquin actio ipsa vniretur cum modo, cuius est actio, medio distincto modo; *Omnis actio seipsâ fit ab agente.* quia cùm actio non sit formaliter vnio, quae sola, per aduersarios; non eget distincto modo, vt vniatur; egebit distincto modo, vt vniatur. Consequens est falsum: nam etiam modus secundus, quo actio vniretur cum primo, deberet fieri distinctâ actione, cùm sit quid reale distinctum à primo, proinde petens fieri distinctâ actione. Rursus actio, quâ fieret hic secundus, deberet vniri cum suo modo, medio alio modo, cùm non sit minor ratio de isto, quàm de primo: &, iterum hic tertius modus fieret distinctâ actione, & sic in infinitum. *A priori.* Ratio: omnis modus est actualis modificatio subiecti; ergo seipso immediatè modificat subiectum: sicut quia actio est actualis dependentia ab agente, seipsa fit ab agente: si autem vniretur distincto modo, non esset actualis, sed aptitudinalis modificatio subiecti, quia non respiceret illud immediatè & vt *quo*, sed mediatè & vt *quod*: hanc enim ob causam entitas non est modus, quia non respicit subiectum seipsâ immediatè & vt *quo*, sed mediatè & vt *quod*.

44. *Instantia.* Instabis. Modus fit ab agente distinctâ actione; ergo vnitur subiecto distinctâ vnione. *Resp.* Nego conseq. quia modus non respicit formaliter agens, sicut respicit formaliter subiectum; vt quia actio respicit formaliter agens, nequit fieri distinctâ actione.

45. His certis, concertatio est, an possit natura creata personata propriâ personalitate, saltem concomitanter & specificatiuè assumi à personâ diuinâ: quo sensu, *Assertio.* Negandum est cum cit. Scholast. talem naturam à personâ diuinâ assumi posse. Difficilè efficax implicantia assignatur.

46. *Implicātia. Prima Valentia.* PRIMA sit *Valentiae*. Concilia & Patres contra *Nestor.* definiunt, non esse in Christo personam creatam, idque ex eo, quòd in Christo sit persona increata: ergo supponūt, illas simul implicare, alioqui nulla foret conseq. Sed contrà: Concilia solùm definiunt, quid de facto sit, non quid esse potuerit; nam haec tantùm erat contra *Nestor.* controuersia; idque ex naturali tantùm repugnantiâ, quae est inter personam creatam, & increatam; *Ob similem naturalem repugnantiam plura definita.* vti ob similem, quae est inter naturam humanam & priuationem suarum proprietatum, Conciliae contra *Monothelitas*, praeter diuinam, humanā in Christo voluntatem, caeterasque humanae naturae proprietates, definire potuerunt; & *Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 2.* definit, totam substantiam panis & vini transsubstantiari in corpus & sanguinem Christi, cùm alioqui non implicet manere corpus cum substantiâ panis sub ijsdem accidentibus: nam etsi primariò huiusmodi transsubstantiationem Concilium

cilium

cilium colligat ex ipsis verbis Christi, quæ vera non essent, si maneret substantia panis cum corpore Christi: negari tamen non potest, id definire potuisse ex solâ repugnantiâ naturali, quæ est inter duas substantias sub iisdem accidentibus: sicut è contrà ob solam connexionem naturalem *cap.3.* definit, vnà cum corpore & sanguine Christi, quæ sola vi verborum fiunt sacramentaliter præsentia, fieri etiam sacramẽtaliter præsentes omnes Christi partes, sub quâuis specie. Ratio: *vt ex 4.tom.* naturalis euidentia, fundata in solâ naturali repugnantiâ, vel connexione cum obiecto reuelato, est sufficiens ad explicandam propositionem de fide; scil. ea quæ sufficit ad faciendum obiectum euidenter credibile humano modo: homo enim ad credendum inducitur modo sibi accommodato, per euidentiam naturalem, aut moralem; & consequenter Deus, qui in reuelandis obiectis, se accommodat modo humano, cum veritate explicitè reuelata, censetur etiã reuelare, quæ in ea naturaliter continentur: proinde cum hâc veritate explicitè reuelata, *Christus est persona increata*, implicitè etiam reuelata est hæc alia, *Christus non est persona creata.* Sicut cum hac propositione explicitè reuelatâ, *Christus est homo*, implicitè reuelata est hæc alia, *Christus habet intellectum & voluntatem humanam.*

Ratio.

47. *Dices.* DICES: vnio humanitatis cum Verbo est supernaturalis, & in latitudine potentiæ diuinæ absolutæ: ergo si intra latitudinem eiusdem potentiæ absolutæ, non repugnant simul persona creata & increata, ex vi talis vnionis cum personâ increatâ non potest colligi negatio personæ creatæ in Christo.

Resp. Nego conseq. nam esto persona creata & increata de potentiâ absolutâ non implicarent simul, esset tamen nouum miraculum nec connexum cum mysterio Incarnationis: ergo Deus, quæ ipsius est suauis prouidentia, semper operatur, etiam quando supernaturaliter, iuxta connaturalem exigentiam rerum, rectè ob naturalem repugnantiam personæ creatæ cum increatâ, colligitur, si in Christo est persona increata, in eodem non esse creatam. Atque adeò talis repugnantia sufficiens motiuum esse potuit Concilijs ad hanc veritatem sanciendam. Quemadmodum licet intra latitudinem eiusdem potentiæ absolutæ sit, ponere corpus Christi sacramentaliter præsens sub speciebus panis, & ponere illud sine animâ, & reliquis perfectionibus, ad formalem constitutionem humani corporis non pertinentibus; quia tamen hoc esset maius miraculum, neque cum priori necessariò connexum, rectè deduxit *Trident.* ob naturalem cõnexionem, quam habent partes cum toto, simul cum corpore sub iisdem accidentibus, per naturalem concomitantiam adesse omnes partes & perfectiones cum Christi corpore connexas.

Persona creata & increata naturaliter implicant simul. Hoc Concilia definiũt.

48. *Secunda implicantia.* SECVNDA *Scoti in 3. dist.1. qu.1. §. Non asserendo.* Quod formaliter complet naturam in ratione personæ, est negatio actualis & aptitudinalis dependentiæ ab extrinseco supposito: sed cum hâc negatione contradictoriè pugnat actualis dependentia ab increato supposito Verbi: implicat igitur, naturam creatam pendere ab extrinseco supposito Verbi, & simul subsistere in proprio. Sed contrà; falsum est, *ex disp.1. sect.2.* personalitatem creatam supra naturam addere solam negationem actualis, & aptitudinalis dependentiæ.

Contrà.

49. *Tertia.* 3. Implicantia *Durandi & Capreoli*, quæ simul est disparitas, cur eadem natura creata possit personari duabus personis increatis, non creata & increata: quia existens in proprio supposito, deberet assumi ad nouum subsistere in alio, quod pugnat cum proprio subsistere in se: existens in vnâ personâ increatâ, non debet assumi ad nouum subsistere, sed ad nouum dumtaxat terminum relatiuum. Sed contrà: 1. hi supponunt, diuinas personas non subsistere distinctis subsistentijs relatiuis, sed vnâ dumtaxat absolutâ: quod falsum est. Nam per eas diuinæ personæ subsistunt, per quas constituuntur, distinguuntur & opponuntur, scilicet per subsistentias relatiuas, cùm nulla ratio absoluta in diuinis possit esse ratio distinctiua & alteri opposita. Tum 2. in hâc implicantiâ non assignatur ratio, cur repugnet, naturam simul subsistere in proprio, & in alieno supposito.

Diuinæ personæ subsistũt distinctis subsistentijs relatiuis.

50. *Quarta.* QVARTA *Caiet. & Medinæ.* Personalitas creata est modus intrinsecus naturæ: modus propter intrinsecam connexionem cum naturâ, necessariò assumitur cum naturâ: implicat autem, personalitatẽ formaliter assumi, *vt suprà:* personalitas verò increata, cùm sit entitas, non necessariò assumitur cum naturâ: igitur potest natura personata vnâ personalitate diuinâ, simul personari alijs diuinis; non potest personata personalitate propriâ, personari diuinâ. Sed contrà: cùm modus à parte rei distinguatur à naturâ, necesse non est, vt simul assumatur cum naturâ: sicut nec esset, si natura personata Verbo, assumeretur à Patre, vt simul cum naturâ, assumeretur etiam vnio ad Verbum.

Modus à parte rei distinguitur à naturâ.

51. Confirm. ex eo quòd natura diuina terminata paternitate, vlterius terminetur Filiatione; non sequitur, quod etiam Paternitas terminetur; cùm tamen identificetur Paternitas cum naturâ diuinâ, non propria subsistentia cum naturâ creatâ: scilicet vt subsistentia assumatur, non satis est, vt natura, à quâ propria subsistentia pendet, assumatur; sed necessarium quoque est, vt subsistentia immediatè cum assumente vniatur: at ex eo quòd, cum assumente immediatè vniatur natura, non necessariò cum eodem immediatè vnitur subsistentia: sicut ex eo quòd immediatè assumitur natura, non necessariò cum illâ immediatè assumuntur accidentia naturæ.

Natura vnita non necessariò vnitur subsistentia.

52. *Quinta.* QVINTA ex *Durand. Palud. Aureol.* Subsistentia absoluta excludit aliam subsistentiam ab eâdem naturâ: subsistentia relatiua non excludit consortium alterius subsistentiæ relatiuæ ab eâdem naturâ: sed subsistentia creata est absoluta, increata relatiua; ergo possunt plures subsistentiæ increatæ esse in eâdem naturâ creatâ, non creata cum increatâ. Sed contrà: non assignatur sufficiens ratio, cur subsistentia creata, ex eo quòd sit absoluta, excludat omnem aliam subsistentiam ab eâdem naturâ; cùm multi, præter relatiuas, concedant absolutam in Deo, quæ tamen non excludit relatiuas ab eâdem naturâ.

Contrà.

53. *Sexta.* SEXTA *Richard. Argent. Marsil. Suar. Vasqu.* &c. Per subsistentiam propriam natura fit in se, & per se; per assumptionem verò, fit in alio: implicat autem, vt eadẽ natura fiat in se, & in alio. Nam quamuis isti modi sint positiui, vnus tamen includit negationem alterius, non secus ac curuitas & rectitudo, inhærentia & perseitas: non enim potest accidens habere modum essendi per se, & simul inhærere subiecto. Potest autem eadem natura suppositari pluribus suppositis extrinsecis, quia omnes illi modi faciunt naturam esse in alio: non repugnat autem, vt eadem natura sit pluries in alio, sicut neque vt accidens sit in pluribus subiectis.

54. *Non satisfacit.* Hæc ratio probabilis est, haud tamen plenè satisfacit, 1. quia non apparet manifesta implicantia, cur non possit eadem natura ratione diuersorũ modorum, esse per se & in alio: sicut accidens posset esse per se sustentatiuè, si à solo Deo efficienter sustentaretur;

retur; & simul in subiecto informatiuè, non secùs ac animus rationalis, qui simul est in corpore informatiuè,& in se sustentatiuè:& eadem subsistentia est in naturâ subiectiuè, à quâ pendet,vt à proprio subiecto; & in se terminatiuè, cùm non sit vlteriori termino terminabilis. 2.quia non minùs natura pendet à proprio supposito, cui innititur, & quo fit per se formaliter; quàm ab alieno,à quo etiam fit per se formaliter: sed non implicat, pendere & fieri per se à pluribus alienis *per aduersarios*; ergo nec à proprio & alieno simul. Nec refert, quòd illud sit entitas, hic modus: nam vtrumque facit naturam per se terminando illius dependentiam.

55. *Confirm.* Confirm.in sententia *Suar.* si humanitas supposita-retur ab angelo, posset eadem vlteriùs suppositari à Verbo; cùm tamen suppositum angeli sit modus, non minùs quàm proprium suppositũ humanum: igitur etiam constituta per se per proprium modum, suppositari posset à Verbo: quia modus siue intrinsecus, siue extrinsecus, semper subiectũ modificat per immediatam inhærentiam sui. Vnde ad

56. *Per se negat in alio, in subiecto immediato.* rationem, concedo, modum essendi per se essentialiter includere negationem modi essendi in alio, non in subiecto mediato, sed in subiecto immediato. Sicut albedo essentialiter includit negationem nigredinis, non in substantiâ, in quâ simul potest esse cum nigredine, vt in subiecto mediato, sed in seipsâ,vt in subiecto immediato; cùm implicet, ipsam non includere negationem nigredinis: alioqui ipsa albedo fieri posset nigredo, quod implicat.

57. DICES: non implicat, albedinem obedientialiter eleuari ad sustentandam & recipiendam in se nigredinem: implicat, modum essendi per se eleuari ad recipiendum in seipso modum essendi in alio: ergo albedo recipere potest in seipsâ, nigredinem, vt in subiecto immediato; cùm tamen modus essendi per se nullo modo in seipso recipere possit modum essendi in alio. Resp. Dist. conseq. potest albedo recipere nigredinem in seipsâ, vt in subiecto immediato inhæsionis, concedo; vt in subiecto immediato identificationis, nego. In quo tantùm sensu concessum est, albedinem includere negationem nigredinis. Nec refert, quòd modus essendi per se, neque vt in subiecto inhæsionis recipere possit in seipso modum essendi in alio: nam hoc pugnat tum cum naturâ modi; tum cum naturâ talis modi. Hinc tamen non sequitur, non posse vtrumque recipi in eodem subiecto mediato substantiæ.

Albedo recipere potest in se nigredinem, vt in subiecto immediato inhæsionis, non identificationis.

58. Ad 1.exempl. curuitas & rectitudo mutuò sese excludunt ab eâdem lineâ ratione diuersi spatij, quod connotant; curuitas enim essentialiter pendet à tali spatio, quod necessariò tollit rectitudo; rectitudo à tali spatio, quod necessariò tollit curuitas. Et quia actualis respectus esse nequit sine actuali termino, implicat conseruari rectitudinem, vel curuitatem in lineâ, sine tali spatio essentialiter connotato. Eadem ratione implicat, subiectum moueri sursum & deorsum, intellectum assentiri & dissentiri eidem obiecto; modi autem essendi per se, & in alio, hanc implicantiam non inuoluunt.

Actualis respectus nequit esse sine actuali termino.

59. *Accidens secundùm diuersos modos potest inhærere, & esse per se.* Ad 2.nego, accidens secundùm diuersos modos non posse inhærere, & esse per se: nam vel inhærentia dicit informationem, & sic non implicat, accidens sustentari efficienter à Deo, & simul subiectum informare; vel dicit dependentiam à subiecto, & tunc posset admittere duos modos adæquatos sustentabilitatis, alterum dependentem à subiecto, alterum à Deo independentem à subiecto; siquidem in sententia *Suarez* non implicat, eundem effectum pendere à pluribus causis adæquatis.

Ratio igitur implicantiæ, cur nequeat natura creata in propriâ personalitate existens, ne specificatiuè quidem concomitanter, assumi ad vnum per se constituendum, hæc est. 60. Implicat, ex duobus fieri vnum per se, nisi saltem vnum extremum ipsâ vnione substantialiter perficiatur *vt supra*: nequit autem natura creata in propriâ personalitate existens, per vnionem cum personâ increatâ substantialiter perfici: Personalitas enim creata est vltimum complementum substantiale naturæ, adæquatè necessariò complens illam in ratione vltimi complementi substantialis: scil. est complementum modale substantiale, vltimum naturæ *vt supra*: de essentia autem modi est, actu ac necessariò modificare, quantum modificatiuus est; *ex præced. disp. sect. vltim.* nam natura modi adæquatè consistit actuali modificatione, exclusâ omni omninò potentialitate subiectiuâ: si autem posset non modificare, quantum ipse modificatiuus est, ex eâ parte quâ non modificaret, cùm posset, non esset actualis, sed aptitudinalis modificatio: quòd, si est vltimum complementum substantiale naturæ, necessariò illam vltimò complet substantialiter; cùm non possit, ne diuinâ quidem potentiâ, ipsius actualis modificatiuus concursus attemperari, nec ab eius essentia distinguatur. Igitur tali complemēto complente naturam essentialiter in ratione vltimi substantialis, vlteriori perfici implicat. Ex *S. Thom. in 3. dist. 5. q. 3. art. corp.* vbi, *Quod*, inquit, *assumitur, trahitur ad aliquod completius, ipsum incompletum existēs, & hoc est contra rationem personæ, quæ maximam complementum importat.* ex *Alens. 3. p. quæst. 4. memb. 6. ad* 2. vbi definit: *Persona sic dicit rem completam, & sic diffinitam, vt non sit possibilis ad vlteriorem vnionem, & distinctam per proprietatem digniorem.* Eandem rationem repetit *memb. 7. in solut. argum.* Ex hâc facilè assignatur discrimen, cur natura humana personata Verbo, possit vlteriùs personari, & facere vnum per se cum Patre: non autem personata personalitate propriâ, facere vnum per se cum alienâ; scil. personalitas propria est modus: modus non potest inesse subiecto, & non conferre illi quidquid potest. Personalitas increata, cùm sit entitas realiter distincta à naturâ assumptâ, eiusque essentia non consistat in actuali ratione complendi vltimò substantialiter naturam assumptam, poterit illam inadæquatè sustentando, relinquere vlteriùs substantialiter complebilem aliâ subsistentiâ increatâ, & cum ea facere vnum per se: vt *disput. præced. sect. 6.*

Ex imperfectibilibus substantialiter non fit vnum per se.

Actualis modificatiuus concursus, ne diuinitus attēperari potest.

61. *Ratio ista colligitur ex S.Thom.*

Alens.

62.

Personalitas increata est entitas realiter distincta à naturâ assumptâ.

Obijcies 1. potest concursus effectiuus, quo natura creata substantialiter conseruatur in suo esse, attemperari, vt quiuis alius Dei, admittendo concursum causæ 2. sicq; attēperatus suppleri in genere causæ terminatiuæ formalis hypost. à personâ increatâ: ergo non implicat, naturam creatam in propriâ personalitate existentem, concomitanter & specificatiuè assumi in vnum per se cum assumente constituendum; vt quodcumque ens substantialiter incompletum, aptum substantialiter compleri ab alio. Anteced. prob. sicut potest concursus materialis subiectiuus, aut formalis terminatiuus suppleri effectiuo: ita contrà, effectiuus suppleri subiectiuo, aut formali hypost. Confirm. potest natura creata, sublato omni concursu hypost. conseruari duplici concursu effectiuo; altero, quo conseruabatur à Deo in proprio supposito; altero, qui suppleat concursum hypost. propriæ subsistentiæ: ergo poterit attemperato concursu effectiuo, quo conseruabatur à Deo in proprio supposito, natura eadem conseruari duplici hypost. proprio, & alieno

63. *Obiectio 1.*

A pari.

64. *Confirm.*

alieno supplente partialem effectiuum.

65. Resp. Concursus effectiuus per se cōfert primum esse rei. Nego, posse concursum effectiuum, per se debitum naturæ, suppleri alio sustentatiuo, aut terminatiuo. Ratio: concursus effectiuus per se confert primum esse rei: vnde sicut vnaquæque res habet determinatum esse, ita determinatum exigit concursum effectiuum. Concursus verò sustentatiuus subiecti, aut formalis formæ, aut hypostaticus subsistentiæ, non conferunt primum & intrinsecum esse rei, sed illud præsuppositum vi concursûs effectiui, sustentant ac terminant, complendo illud, non in eo genere causæ, in quo illud supponunt, sed in alio diuerso. Implicat igitur, minui effectiuum concursum, naturæ creatæ debitum ad suum primum & intrinsecum esse, illumque suppleri sustentatiuo vel hypostatico. Nam hoc ipso quòd minueretur effectiuus, per se debitus naturæ ad suum primum & intrinsecum esse, minueretur entitas naturæ, quæ ab effectiuo influxu essentialiter pendet. Ad probat. anteced. concedo, posse Deum attemperare suum concursum effectiuum circa effectus creatos, admittendo concursum causarum 2. circa eosdem effectus: nego tamen, loco concursûs effectiui admittere posse sustentatiuum, aut terminatiuum, ob rationem assignatam: quia semper sustentatiuus, aut intrinsecè terminatiuus, supponit effectiuum adæquatum & proportionatum entitati rei: nam sicut illam supponit cum certo ac determinato esse, ita cum certo ac determinato influxu effectiuo: Et nego paritatem: alioqui sequeretur, quòd sicut potest Deus commutare totum concursum sustentatiuum, vel hypostaticum in effectiuum; ita contrà, commutare posset totum concursum effectiuum in sustentatiuum, vel hypostat. quod implicat. Ratio: cùm concursus effectiuus sit omnium perfectissimus, eminenter continet concursum sustentatiuum & hypostaticum; contrà verò sustentatiuus & hypostaticus non continet eminenter effectiuum: proinde potest effectiuus supplere sustentatiuum & hypostaticum non hic effectiuum. Ad confirm. neg. conseq. Ratio: potest concursus hypostaticus suppleri concursu effectiuo, non contrà, effectiuus, debitus & commensus intrinsecæ entitati naturæ, suppleri concursu hypostaticæ. Dixi, *debitus & commensus intrinsecæ entitati naturæ*: nam secundus effectiuus supplens hypostaticum, non est per se debitus ad primum & intrinsecum esse naturæ, sed solùm ad complementum & quasi ad 2. esse naturæ, supponens primum esse per effectiuum priorem: proinde sicut hic effectiuus non dat primum & intrinsecum esse naturæ, ita commutari potest in hypostaticum, vti hypostaticus commutari potuit in ipsum.

Negatur paritas.

Concursus effectiuus eminenter continet sustentatiuū & hypostaticum.

66. Ad confirm.

67. II. *Obijcies* 2. saltem posset persona diuina assumere in vnitatem suppositi, naturam materialem in proprio supposito existentem: quia posset suo hypostatico concursu supplere sustentatiuum, quem forma materialis habet à subiecto: quia cùm hic non sit effectiuus, poterit suppleri concursu hypostatico, qui persimilis est sustentatiuo. Ergo.

68. Resp. Nego antec. Ad prob. nego, eo casu personam diuinam suppleturam concursum hypost. sed solùm sustentatiuum, quem forma materialis habuisset à proprio subiecto, præcisâ omni imperfectione: consequenter talis natura non faceret cum personâ diuinâ vnum per se in ratione suppositi, sed vnum per se in ratione sustentabilis & sustentatiui.

Ratio. Ratio: ad hypostaticum concursum, non sat est, vt extremum perfectiuum sit hypostasis, sed requiritur etiam, vt alterum extremum sit perfectibile concursu hypost. Cùm igitur in eo casu forma materialis supponeretur completa per suam partialem hypostasim, quam retineret cum vnione ad increatam, non esset in ratione hypostalis vlteriùs perfectibilis; ac proinde non posset in ratione hypostalis constituere vnum per se cum personâ increatâ, sed solùm in ratione sustentabilis & sustentatiui: nam sub eâ ratione constitueret vnum per se cum personâ diuinâ, sub quâ esset perfectibilis.

SECTIO III.

An posit natura creata subsistere pluribus subsistentijs naturalibus adæquatis?

Prima ratio dub. potest natura diuina subsistere pluribus subsistentijs naturalibus adæquatis: ergo & creata, saltem diuinitus potest. 2. idem effectus produci & conseruari pluribus actionibus substantialibus adæquatis; ergo eadem natura pluribus subsistentijs naturalibus adæquatis subsistere. 3. Potest idē numero corpus vbicari pluribus *vbi* adæquatis: ergo. Nota, posse eandem naturam subsistere pluribus subsistentijs naturalibus adæquatis, vno modo, vt cum singulis faciat vnum per se; alio modo, vt cum vnâ tantùm faciat vnum per se, reliquis accidentaliter tantùm vnitis cum naturâ. Rursus natura subsistere potest pluribus subsistentijs naturalibus adæquatis, vel in eodem, vel in diuersis locis. 69. Rationes dubitandi. I. 70. Secunda. 71. Tertia. 72. Nota.

Dico 1. Implicat, eamdem naturam creatam subsistere pluribus subsistentijs naturalibus adæquatis, & cum singulis componere vnum per se. Fundam. implicat, naturam vltimò substantialiter completam, vlteriori perfectione substantialiter compleri; ac proinde componere vnum substantiale perfectius: vt *praced. sect.* nam quoad hoc eadem omninò ratio est de pluribus subsistentijs adæquatis naturalibus, ac de pluribus subsistentijs adæquatis, quarum vna sit naturalis propria, altera supernat. aliena; imò quarum ambæ sint supernat. alienæ. nam quomodocumque natura vltimò substantialiter compleatur, implicat vlteriùs substantialiter compleri. 73. Assertio 1. Fundam.

Dico 2. Implicat, naturam creatam vltimò substantialiter completam, vnâ subsistentiâ naturali adæquatâ etiam accidentaliter vniri cum alijs subsistentijs naturalibus. Fundam. cùm tota essentia subsistentiæ creatæ sit, actu substantialiter perficere vltimò naturam, in quâ est; implicat eam vniri naturæ, & hanc non complere vltimò substantialiter: igitur. Nec est eadem ratio de subsistentijs diuinis: quia cùm hæ non consistant essentialiter in ipso actuali vltimo complemento substantiali naturæ assumptæ, poterunt cum naturâ assumptâ vniri, & illam substantialiter non perficere. 74. Fundam.

Dico 3. non implicat, eadem natura creata in vno loco habeat vnam subsistentiam naturalem adæquatam; in alio verò aliam etiam adæquatam; quia cùm subsistentia sit modus distinctus à naturâ, potest replicari natura, non replicatâ subsistentiâ, vt *seq. tom.* sed in eo loco, in quo natura non haberet subsistentiam, posset subsistentiam recipere: quia in eo loco esset incompleta substantialiter, capax complementi substantialis; vt si materia in vno esset cum formâ adæquatâ, in alio sine formâ, posset vbi esset sine formâ, recipere substantialiter formam, ab eaque substantialiter perfici, & componere vnum substan- 75. Fundam. A pari.

substantiale cum illâ. Pari modo posset idem effectus in vno loco habere vnam actionem substantialem adæquatam, in alio aliam; quia posset in alio loco replicari cum aliâ actione substantiali. Confirm. etiamsi implicet in eodem corpore, in vno tantùm loco posito, præsentia localis circumscriptiua, & sacramentalis simul; eo quòd vna constituat corpus diuisibiliter, alia indiuisibiliter in ordine ad spatiũ: non tamen implicant hæ duæ præsentiæ in eodem Christi corpore diuersis in locis replicato. Ergo pariter, etiamsi duæ subsistentiæ adæquatæ simul impliceent in eâdem naturâ in ordine ad eundem locum, non implicabunt in ordine ad diuersa.

76. *Confirm.*

77. *Obiectio I.* *Obijcies* 1. Esse completum substantialiter, est quid prius & independens à loco: ergo si natura creata in vno loco est vltimo completa substantialiter vnâ subsistentiâ, non poterit in alio esse capax alterius subsistentiæ. *Resp.* Distinguo anteced. est quid prius & independens à loco, vt à ratione formaliter constituente, concedo; vt à conditione necessariò requisitâ, nego. Non enim potest forma complere substantialiter materiam, aut subsistentia naturam, nisi positâ intimâ præsentiâ vtriusque. Vnde si poterit subsistentia non habere intimam præsentiam localem cum naturâ, in distincto loco replicatâ, non poterit illam in tali loco positam substantialiter complere, defectu localis præsentiæ ad substantiale complementum tribuendum necessariò prærequisitæ: igitur poterit tunc substantialiter compleri per aliam, quæ sit illi in tali loco intimè præsens. Similiter nisi actio sit cum effectu replicata, non poterit illi dare esse, vbi non est cum effectu ipso replicata: ergo poterit ibi accipere esse vi alterius actionis.

Locus est conditio necessariò requisita ad complendũ substantialiter.

78. *Obijcies* 2. non potest subsistentia increata ob suam immensitatem in vno loco terminare vnionem naturæ assumptæ, quin eandem terminet in alio. Ergo natura creata habens propriam subsistentiam in vno loco, non poterit habere increatam in alio, vel plures increatas in pluribus locis replicata. *Resp.* Nego conseq. nam licet persona increata non possit non vbique terminare vnionem naturæ assumptæ, ratione suæ immensitatis; potest tamen illam non terminare defectu replicationis ipsius vnionis, quæ cum naturâ esse potest in vno loco, & non in alio, cùm talis vnio distinguatur à naturâ. Nec ad terminandum sufficiat, vt tantùm persona sit præsens, sed vt sit præsens vnio; & quia potest vnio esse præsens in vno loco, & non in alio, potest persona increata illam terminare in vno loco, & non in alio. Pari ratione poterit natura assumpta in vno loco habere adæquatam vnionem ad Patrem, in alio verò adæquatam vnionem ad Filium.

Poterit hic propriâ, alibi diuinâ subsist.

79. *Ad rationes dubitandi. Ad 1.* Ad 1. rationem dubit. neg. conseq. nam natura diuina non adæquatè terminatur vnicâ subsistentiâ, sed ad vltimum sui complementum requirit tres relatiuas, Patris, Filij, & Spiritûs S. principia & terminos suæ intellectualis fœcunditatis, (qui sunt Verbum & Amor) primam, quâ intelligendo Verbum gignat; secundam, quâ Verbo genito simul terminetur & compleatur ad amorem spirandum; tertiam, quâ vltimò terminetur amore spirato. Natura verò creata subsistentiam tantùm requirit ad perfectè & completè existendum; quod expletur vnicâ subsistentiâ adæquatâ: cuius primarius effectus est conferre naturæ perseitatem in existendo; secundarius incommutabilitatem alteri supposito; quæ cùm sit negatio, nequit communicari naturæ, nisi ei communicatâ positiuâ ratione, ad quam ea consequitur: scilicet ad omnem perseitatem vltimò terminantem naturam in ratione existendi, sequitur talis incommunicabilitas.

Duplex effectus subsistentiæ creatæ, primarius & secundarius.

Ad 2. neg. anteced. implicat enim effectum in eodem loco existentem produci aut conseruari duplici actione totali; non minùs quàm implicat, eandem naturam in eodem loco existentem terminari duplici subsistentiâ adæquatâ. Nec dici potest, vnâ actione substantialiter; aliâ accidentaliter produci aut conseruari. Quia, cùm de ratione actionis, sit dare immediatè ipsum esse substantiale rei, quod actio vt via entitatiua continet, implicat, illud accidentaliter; quia semper esse accidentale supponit esse substantiale. Cùm igitur actio essentialiter det ipsum primum esse substantiale rei, non potest illud accidentaliter dare. Nec dici potest dare illud accidentaliter, quà supponit illud substantialiter datum aliâ actione: quia cùm vtraque actio det idem omninò esse substantiale, & alterutrâ actione sublatâ, maneat totum esse substantiale rei, nulla est potior ratio, cur effectus suum esse substantiale substantialiter accipiat ab vnâ, quàm ab aliâ actione. 80. *Ad secundam.*

Ad 3. Resp. 1. nego consequent. si consequens intelligatur de naturâ existente in eodem loco: concedo, si intelligatur de naturâ existente in pluribus locis: nam sicut potest idem corpus habere plura *Vbi* in diuersis locis, non in eodem: ita poterit eadem natura habere plures subsistentias adæquatas in diuersis locis, non in eodem. 2. nego simpliciter conseq. nam corpus non pendet substantialiter, sed tantùm accidentaliter ab *Vbi*, non enim *Vbi* substantialiter complet rem vbicatam; vti substantialiter complet subsistentia naturam. Sed non implicat, rem accidentaliter completam, vlteriùs accidentaliter compleri; cùm non repugnet idem subiectum plura in se accidentia aliquo modo diuersa recipere: implicat rem vltimò substantialiter completam, vlteriùs substantialiter compleri. Nec dici potest, quòd sicut datur vltimus terminus substantialis rei, ita detur vltimus accidentalis eiusdem: quia res habet determinatam naturam, adeoque determinatum esse substantiale; non habet determinata accidentia, saltem per ordinem ad diuinam potentiam. 81. *Ad tertiam.*

Corpus pendet accidentaliter tantùm ab Vbi.

An natura creata subsistere possit pluribus subsistentijs naturalibus inadæquatis?

Prima ratio dub. Proprium munus subsistentiæ est, reddere naturam vltimò terminatam incommunicabiliter: sed quælibet subsistentia etiam partialis reddit naturam vltimò terminatam incommunicabiliter: nam concursus hypostat. est concursus formalis; & hic indiuisibilis. 2. Si posset natura creata subsistere pluribus subsistentijs partialibus creatis, subsistere posset subsistẽtijs partialibus infinitis; cur enim possit tot, & non pluribus? Et talis concursus esset in infinitum minorabilis, ac proinde in infinitas subsistentias partiales partibilis. 3. Inde colligimus infinitatem naturæ diuinæ, quòd possit pluribus subsistentijs subsistere: ergo. 82. *Rationes dubitandi.* 83. *Secunda.* 84. *Tertia.*

Dico, non implicare contradictionem, naturam creatam subsistere pluribus subsistentijs partialibus naturalibus. Probat. 1. non implicat, eundem effectum pluribus actionibus partialibus naturalibus produci & conseruari: idem accidens à pluribus subiectis partialibus sustentari; eandem materiam pluribus formis partialibus informari: ergo 85. *Assertio.* *A pari.*

ergo nec eandem naturam pluribus subsistentijs partialibus subsistere: cùm non minùs pendeat effectus ab actione, & accidens à subiecto, & materia à formâ, quàm natura à subsistentiâ. 2. Quoties-
86. *A priori.* cumque totalis & adæquatus concursus, quo aliquis effectus à causâ conseruatur, minorabilis est, potest talis concursus in partiales diuidi ac multiplicari, donec omnes partiales adæquent vnum totalem. Sed totalis & adæquatus concursus hypost. quo natura in suo esse à propriâ subsistentiâ conseruatur, est minorabilis: ergo potest in multos partiales diuidi ac multiplicari, qui adæquent vnum totalem: nam concursus hypost. quo natura à propriâ subsistentiâ conseruatur, non distinguitur ab ipsâ subsistentiâ, quæ immediatâ vnione sui, conseruat illam: ergo non possunt multiplicari hypostatici concursus naturales, quin multiplicentur ipsæ naturales subsistentiæ. Maior patet: quia quando concursus, quo effectus in suo esse conseruatur, est minorabilis, non necessariò est vnus totalis, sed diuidi potest in plures partiales. Minor prob. *vt præced. disp. sect. 6.* potest natura creata assumi à tribus Personis diuinis, ad vnum per se cum omnibus constituendum. Quod fieri non posset, nisi singulæ personæ partialiter concurrerent ad hypost. concursum præbendum: 2. sicut minorabilis est concursus effectiuus & sustentatiuus, ita & hypostaticus.

Concursus hypostaticus non distinguitur à subsistentia.

87. *Ad rationes dubitandi. Ad primã.* Ad 1. rationem dub. neganda maior: nam primarium munus subsistentiæ, non est reddere naturam incõmunicabilem, sed reddere illã per se, perseitate, quam natura exigit. Quia verò hæc perseitas naturæ debita non expletur vnâ subsistentiâ partiali, possunt plures partiales multiplicari, quæ adæquent vnam totalem. Ad prob. minor. esto hypostaticus concursus non sit partibilis respectu vnius eiusdemque subsistentiæ; potest tamen esse partibilis respectu diuersarum subsist. Sicut forma non est partibilis respectu sui ipsius, est tamen partibilis respectu diuersarum formarum: quia quod facit vna forma totalis, facere possunt plures partiales.
88. *Ad secundã.* Ad 2. neg. sequel. nam ex antec. eiusque probat. aliud non sequitur, nisi quod eadem natura creata subsistere possit pluribus subsistentijs partialibus creatis in infinitum, nunquam actu infinitis. Nec est maius absurdum, quàm quòd possit idem numero effectus pendere à pluribus causis partialibus in infinitum; idemque accidens à pluribus subiectis, & materia à pluribus formis partialibus in infinitum.

89. *Ad tertiam.* Ad 3. nego, ex eo præcisè colligi infinitatem diuinæ naturæ, quòd possit pluribus subsistentijs simpliciter subsistere: sed ex eo quòd possit subsistere pluribus subsistentijs connaturaliter, & singulis in suo genere adæquatis, & per summam identitatem cum naturâ diuinâ: natura creata subsistet pluribus subsistentijs creatis obedientialiter; singulis inadæquatis & imperfectis; per distinctionem ex naturâ rei ab ipsâ naturâ.

SECTIO VII.

An de facto Verbum immediatè assumpserit omnes partes naturæ humanæ?

90. QVADRVPLEX est genus partium in naturâ humanâ: essentialium, vt anima & corpus; integralium, vt quatuor humores, sanguis, phlegma, flaua & atra bilis; ornantium, vt dentes, vngues, capilli; excrementitiarum, vt lachrymæ, saliua, sudor &c. Sicut certum est, assumptas fuisse primas, quæ essentialiter constituunt humanitatem, ita indubitatum est, non fuisse assumptas postremas, quæ ad integritatem naturæ humanæ non spectant, cuius signum est, quia non resurgunt cum corpore glorioso. Controuersia igitur est de intermedijs & præcipuè de sanguine, cuius nomine veniunt reliqui humores.

PRIMA Sent. *Durand. in 4. dist. 10. q. 1. n. 19. Gabr. in can. Missæ lect. 53. lit. K. & suppl. in 4. dist. 44. qu. 1. art. 3. dub. 6.* negantium, sanguinem fuisse immediatè assumptum à Verbo. Fundam. non est actu pars corporis humani; est enim, teste *Philos. 2. de part. animal. cap. 4.* vltimum alimentum, quod est tantùm in potentia pars. Vnde *S. Thom. 3. p. q. 31. art. 5. ad 1.* hoc assignat discrimen inter carnes, ossa, & sanguinem, quòd illæ sunt actu partes corporis, non transmutabiles in alias partes; hic est potentiâ tãtum, transmutabilis in partes viuentis: Verbũ autem non assumpsit, nisi quod est actu pars humanitatis. SECVNDA *Caiet. 3. p. q. 54. art. 2. fine: Syluest. in rosiâ tr. 3. q. 31.* distinguentium duplicem sanguinem, nutrimentalẽ; & hunc negant fuisse immediatè à Verbo assumptum; & perfectum seu vitalem, & hunc affirmant, mansisse semper vnitum Verbo. Fundam. prior non est de veritate & integritate naturæ humanæ, sicut posterior, vnde non resurgit in corpore glorioso. TERTIA *Richard. in 3. dist. 2. art. 2. q. 1. ad 2. Mayro. in 4. dist. 43. q. 1. Abul. paradox. 2. cap. 43. & quorumdam tempore Pij II. apud Syluest.* affirmantium, sanguinem fuisse quidem hypostaticè vnitum Verbo ante separationem à corpore, post verò fuisse à Verbo dimissum: quia alioquin Deus diceretur in triduo effusus, iacens, terræ commixtus, sicut dicebatur iacens in sepulchro, descendens ad inferos. QVARTA *S. Thom. quodl. 5. art. 5. Capreol. in 4. dist. 11. q. 1. art. 3. ad 5. con. 1. concl. Sot. dist. 10. q. 1. art. 2. Dom. de Dominicis lib. de sanguine Christi; Medin. q. 5. art. 2. Suar. disp. 15. sect. 6. Vasqu. disp. 36. cap. 4. Maior in 3. dist. 37. q. 25. Ioan. de Lugo disp. 14. sect. 2. 3. & 5. &c.* affirmantium, totum sanguinem fuisse assumptum, nec fuisse per separationem à corpore, à Verbo seiunctum. 91. *1. Sentent.* *Fundam.* 92. *2. Sentent.* *Fundam.* 93. *3. Sentent.* *Fundam.* 94. *4. Sentent.*

95. *Censura Auctorum de opinione Durandi.* DICO 1. aliquis sanguis fuit à Verbo assumptus immediatè. Est certa; & opposita opinio *Durand.* à *Capreol.* notatur vt erronea & hæretica; à *Medinâ* vt intolerabilis error; à *Suar.* vt erronea; à *Vasqu.* digna temeritatis & erroris notâ; à *Gabr.* digna erroris & hæresis censurâ; & sanè ad minimum temeritatis notam effugere non potest, cùm sit cõtra communem loquendi modum Patrum & Conc. qui eodem modo asserunt, Verbum carnem assumpsisse, ac sanguinem; sed carnem assumpsit immediatè; ergo & sanguinem. 2. Clemens *VI. in extrauag. Vnigenitus. Nõ guttam,* inquit, *sanguinis modicam quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis sufficeret, sed copiosè velut quoddam profluuium noscitur effudisse.* Nec intelligi potest de vnione mediatâ, quæ satis erat, vt opus Christi esset infiniti valoris, ob dignitatem personæ operantis; nam hanc vnionem mediatam habebant etiam lachrymæ & sudor, cùm tamen Pontifex infinitatem pretij pro nobis oblati tribuat soli sanguini, ob infinitatẽ scilicet rei oblatæ, quæ non erat in lachrymis, & sudore. 96. *Prob. 2.*
3. non eodem modo ex vi consecrationis foret Verbum per concomitantiam sub speciebus vini, ac est sub speciebus panis; nam sub speciebus panis, est immediatâ cõcomitantiâ corporis à Verbo immediatè suppositati, sub speciebus vini, solũ esset mediatâ cõcomitãtiâ corporis. Quo fit, vt si in triduo cõsecratũ fuisset, posito quòd totus sanguis è corpore effluxisset, nullo modo Verbũ adfuisset sub spec. vini; quia cũ in triduo totus sang. fuisset sæparatus à corpore, 97. *Prob. 3.*

non

non potuisset Verbum adesse sub speciebus vini per concomitantiam corporis; vnde nullo modo adfuisset, si non esset immediatè vnitum sanguini. 4.
98. Prob. 4. foret in Christo aliqua hypostasis creata, quod est contra Concilia & Patres: nam sanguis est natura substantialis; ergo habet suam hypostasim; ergo nisi immediatè esset vnitus Verbo, subsisteret in propriâ hypostasi; quia nequit substantialiter existere absque aliquâ hypostasi. 5. sanguis est pars inte-
99. A priori. grans naturam humanam, ex *S. Thom. 3. part. quæst. 54. art. 2. ad 3.* & non purum alimentum, alioquin non resurgeret in corporibus gloriosis, alimento non egentibus. Id ipsum colligitur ex *Trident. sess. 13. cap. 3.* vbi docet, per concomitantiam sacramentaliter poni tam *Corpus sub specie vini*, quàm *sanguinem sub specie panis, animamq́; sub vtraque vi naturalis illius connexionis, & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus, inter se copulantur.* Quibus testatur, sanguinem esse partem Christi, non diuinitatis; ergo humanitatis. Ratio: sanguis non solùm deseruit corpori vt nutrimentum, sed etiam vt principium multarum operationum, quæ ad veritatem naturæ humanæ necessariæ sunt. At Verbum assumpsit naturam humanam integram & perfectam: ergo cum eâ simul assumpsit omnes partes, quæ illam substantialiter integrant & perficiunt.

100. Assertio 2. DICO 2. Verbum immediatè assumpsit ad suam hypostasim totum sanguinem. Hæc est tantùm probabilior sentent. & conformior scripturis & Patrib. qui eodem modo loquuntur de carne, ac de sanguine: *Hebr. 2. Quia ergo pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem.* Nazianz. orat. 50. *Verbum*, inquit, *verè caro factum est, quia assumpsit corpus ex carne, ossibus, &*
Prob. 1. *sanguine constans.* Vbi vniuersaliter loquitur de quouis sanguine, humanum corpus integrante; & eodem modo de sanguine, ac de carne, & ossibus, quæ procul dubio omnia fuerunt à Verbo imme-
101. Prob. 2. diatè ad hypostasim assumpta. 2. hoc ipsum confirmat *cit. Clement. VI.* qui nisi supponeret, totum sanguinem in passione effusum, fuisse Verbo hypostaticè vnitum, non posset vniuersaliter affirmare, quamlibet effusi sanguinis guttam fuisse, propter vnionem ad Verbum, sufficientem pro redemptione generis humani; nam procul dubio propositio illa Pontif. *Non guttam sanguinis modicam, quæ tamen propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis suffecisset, sed copiosè velut quoddam profluuium noscitur effudisse*, æquiualet vniuersali: nam cùm indifferenter loquatur de quouis sanguine à Christo effuso, reddit sensum vniuersalem, vt quælibet gutta sanguinis à Christo in passione effusa fuerit sufficiens pro redemptione totius generis humani. 3. Christus ratione naturæ humanæ
102. Prob. 3. Ex naturâ & defini. Generationis. fuit verè genitus à Virgine, vt Concilia contra *Nestor.* definiunt: de ratione autem veri geniti est vi generationis accipere naturam, vel partem naturæ vt principium coniunctum ab ipso principio gignente; cùm Generatio sit *origo viuentis à viuente, à principio coniuncto, in similitudinem naturæ*; vbi per *principium coniunctum* intelligitur pars aliqua naturalis decisa à principio gignente, & communicata vi generationis ipsi genito, ergo Christus, vt verus genitus, vi humanæ generationis, accipere debuit naturam humanam, vel partem naturę humanæ, vt principium sibi coniunctum ab ipsa Virgine, tanquam à principio gignente. Sed teste *Arist. 1. de Gener. anim. cap. 20. & lib. 2. cap. 4 ante med. Caiet. 2. 2. q. 154. art. 12. §. Ad euident.* id quod cæteri filij à suis matribus vi generationis accipiunt, est sanguis, non vi-

talis, sed alimentalis & excrementitius, quem *S. Tho. 3. p. q. 31. art. 5.* appellat *Semen imperfectum.* Igitur nō tantùm sanguis vitalis, sed etiam alimentalis, fuit à Christo ad hypostasim immediatè assumptus: nam si immediatè assumpsit naturam humanam, & quidquid est pars naturæ; cùm sanguis nutrimentalis sit pars naturæ, alioquin non posset Christus ratione naturæ esse verus filius Virginis; cùm vi humanæ generationis vt principium coniunctum à Virgine Alioqui Christus nō esset filius Virg.
non accipiat nisi sanguinem nutrimentalem, qui solus ex parte matris materiam subministrat genito, consequenter etiam immediatè assumere debuit sanguinem nutrimentalem. Confirm. per hunc san- 103. Confirm.
guinem nutrimentalem Christus formaliter participat naturam matris: ergo si hic non esset pars naturæ humanæ, Christus non participaret naturam matris. Nec participat eam mediatâ vnione ad Verbum; nam si Christus non vniret sibi immediatè ad hypostasim naturam vi generationis humanæ à matre acceptam, non esset idem filius Virginis qui filius Dei, contra Concilia: quia vt filius Dei, dicitur filius Virginis, quatenus vt filius Dei, est idem supposito, quod filius Virginis: si autē immediatè non supponeret naturam vi humanæ generationis à Virgine acceptam, non posset esse idem supposito filius Dei, & Virginis: cùm per aduers. natura vi generationis humanæ à matre accepta, non subsisteret supposito Verbi, sed proprio: Nec participat naturam matris per carnem & ossa ex sanguine à Virgine transfuso genita: quia non tota natura vi generationis à matre accepta, immediatè esset ad hypostasim filij Dei assumpta, sed tantùm quæ mediatè gignitur ex principio coniuncto immediatè acce-
pto. 4. talis distinctio sanguinis in nutrimentalem & integralem, nullum habet sufficiens funda- 104. Prob. 4.
ment. cùm totus sanguis hoc ipso quòd incorporatur viuenti, & fit pars ipsius, vim habet simul nutriendi & integrandi naturam. Quòd si *S. Thom. cit. quodlib.* videatur distinguere sanguinem nutrimentalem à vitali; non ideò, vt vnum asserat esse partem naturæ viuentis, alterum verò non: sed vt ostendat diuersa munia, quæ idem sanguis in humano corpore exercet, nutriendi scilicet & vegetandi: & quia corpora gloriosa alimento non indigent, docet illum, quâ nutritiuus est, ad gloriam non resurgere, hoc est non in tantâ copiâ, quanta necessaria est ad mortalia corpora nutrienda.

Obijcies: Si Christus immediatè assumpsit san- 105. Dices.
guinem; ergo debuit etiam immediatè assumere aerem: quia etiam aer est necessarius ad vitam humanam, sine cuius continuâ attractione & respiratione conseruari non potest; & deseruit ad quædam munia vitæ necessaria. Neg. conseq. cùm aer 106. Resp.
non sit pars addicta vni potiùs, quàm alteri animanti, sed communis omnibus: Sanguis autem est pars propria addicta vnicuique indiuiduo.

DICO 3. nullus Christi sanguis per separatio- 107.
nem à corpore, fuit à Verbo sciunctus, contra *Cabre. quæst. 5. art. 2. disp. 2.* docentem, sanguinem nutrimentalem in passione fuisse à Verbo separatum, vtpotè non ampliùs assumendum. Assertio de sanguine absolutè intellecta, à *Vasquez* & alijs Recentior. censetur de fide: propter author. *Clement. VI. suprà*: & quia mandato eiusd. damnata fuit per *F. Nicol. Rosellam inquisit. in regno Catal.* vt hæretica propositio Theologi, qui in publicâ concione *Barcinone* asseruerat, sanguinem Christi in passione effusum, à diuinitate fuisse separatum, cuius meminerunt *cit. Syluester, & Dom. de Dominicis.* Ego
cum alijs Recent. oppositam damnare non audeo, 108.

propter author. Pij II. qui Bullam super hac re edidit anno 1464. quâ sub pœnâ excommun. præcipit, ne quis aliam partem damnare præsumat, donec ipse authoritate apost. controuersiam definiat: quæ Bulla habetur *in collect. Priuileg. Ordin. Mendic. & non Mendic.* Damnatio *Clementis VI.* vel non fuit authentica, cùm non fuerit publicè promulgata; vel certè, quod verosimilius est, illa non tam fuit Pontificis damnatio, quàm simplex delegatio facta Inqui-
109. sitori, vt rem examinaret, & de iure procederet. Est igitur hæc theologica tantùm conclusio, ex certis fi-
Fundamentum Assertionis. dei principijs probabilissimè deducta. Fundam. posito, quòd Verbum immediatè supponat sanguinem suo corpori coniunctum, probabilissimè sequitur, illum in passione non dimisisse: nam cur dimisisset, statim in resurrectione resumendum? ideò nec dimisit corpus, quod etiam debebat per resur-
110. *Magnum auctoritatis pondus.* rectionem reassumere. Huic veritati pondus attulit *Trident. sess. 13. c. 3. cit.* vbi definit, sanguinem, non minùs quàm corpus & animam, esse partem Christi, igitur sanguis, etiam in passione effusus, mansit pars humanitatis Christi, vnita Verbo. Propter quā author. aliqui Recent. putant, oppositam sentent.
111. absque notâ post *Trident.* defendi non posse. Rationem huius inseparabilitatis assignat *S. Thom. 3. p. quæst. 50. art. 2.* quia, quod Deus semel per gratiam concedit, nunquam sine nostrâ culpâ reuocat; nam *Roman. 11. sine pœnitentia sunt dona Dei.* Vnde gratiam adoptionis semel nobis collatam, nunquam sine nostrâ culpâ à nobis aufert. Cùm igitur vnio hypost. sit maxima gratia Dei, facta naturæ humanæ, & ex naturâ suâ stabilior, permanentior, substantialis, proximiùs participans esse diuinum non potuit ordinatâ lege semel collata absque culpâ reuocari: at nulla ex parte Christi præcedere potuit: ergo ordinatâ lege non potuit vnio sanguinis ad Verbum, separatione à corpore, dissolui: præsertim cùm vnio sanguinis ad Verbum non pendeat ex vnione sanguinis ad corpus.

112. *4. Assertio.* DICO 4. totus sanguis, moraliter loquendo, qui fuit in passione effusus, resurrexit cum Christi corpore glorioso: probabile tamen est, aliquas particulas, illius ad Christi passionis memoriam in cordibus fidelium altiùs imprimendam, in terris fuisse relictas. Prior pars est *S. Th. cit. quodl. & 3. p. q. 54. a. 2. ad 3.*
113. *Prior pars asser. Prob. 1.* Eam probo 1. toti Christi sanguini in passione effuso tribuitur redemptio, & sanctificatio generis humani, iuxta illud *Hebr. vlt. Propter quod & Iesus, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est.* Et 1. Petri 1. *scientes quod non corruptibilibus auro & argento redempti estis de vana vestra conuersatione paternæ traditionis, sed pretioso sanguine quasi agni immaculati Christi.* Habet autem sanguis Christi virtutē ad sanctificandos & redimendos homines à peccatis ex vnione ad Verbum, *vt Clemens VI. in cit. extrau.* si autem non totus sanguis, saltem moraliter loquēdo, qui fuit in passione effusus fuisset à Christo reassumptus, non totus habuisset virtutem ad sanctificandum & redimendum: nam ille, qui non fuisset reassumptus, mansisset sine supposi-
114. *Prob. 2.* to diuino cum proprio creato: 2. si vt ex *Aug. 22. de ciuit. c. 20.* rectè ratiocinatur *cit. Thom.* illæ Martyrum partes, quæ pro Christo passionem sustinuerūt, specialem quendam ac priuilegiatum fulgorem in resurrectione habebunt: quantò magis credendum est hunc gloriæ fulgorem habiturum sanguinem Christi, pro redemptione humani generis effusum,
115. per gloriosam sui cum reliquis corporis partibus re-
2. pars prob. historijs: 1. surrectionem? Parti 2. certam fidem faciunt historiæ, de sanguine Christi in terris existente: 1. quam refert *Maior cit.* de vitrea ampulla, plena terra, medium inter rubrum & nigrum colorem referente, quam in Parasceue sub cruce collegisse censetur B. Magdalena; seruatur illa apud S. Maximianum, vbi Magdalena pœnitentiam egit, & dicitur, lectâ Christi passione, tota ebullire, ac si recens intùs sanguis esset. 2. est de sanguine, qui seruatur Mantuæ in 116. *Secunda.*
Abbatia S. Benedicti, in Templo S. Andreæ, quem eò attulisse fertur Longinus, qui & ibi quieuisse dicitur, & Leo III. illumque vt verum Christi sanguinem comprobasse corā maturo examine. 3. est re- 117. *Tertia.*
uelatio B. Virginis, facta S. Brigittæ, *lib. 6. ipsius reuel.* in quâ Virgo testatur, se vnâ cum sacri præputij mēbranâ, sanguinem ex vulneribus Christi collectum, cùm de cruce depositus est, instante eius vocatione ad cœlum, tradidisse S. Ioanni custodiendum. 4. 118. *Quartò.*
constat, ex sanguineis maculis, quæ tum in sacrâ sindone, tum in sudario, tum in spinis & clauis, alijsque reliquijs passim cernuntur. Quas negare, esset sensum negare. 5. accedit Bulla *Pij II.* quam referunt 119. *Quintò.*
Supplem. Maior. Syluester, & c. ad Abbat. Monast. S. Mariæ diœcesis Xanton. in quâ Pontifex asserit: *Nos igitur, qui de prædictis certam notitiam habemus, attendentes quod veritati fidei nullatenus repugnat, affirmare, Redemptorem nostrum de sanguine præfato ob ipsius passionis memoriam, aliquam partēm in terris reliquisse; ac propterea deuotionem ipsorum fidelium plurimum conseruari &c. datum Romæ apud S. Petrum anno Incarn. Dom. 1461.* Id ipsum confirmat *Baron. anno* 804. qui ait, ita esse hanc veritatem à Romanis pontif. diu examinatam, & per sacra diplomata comprobatam, vt de eā non sit ampliùs dubitandum.

Respondet *cit. S. Thom.* sanguinem, qui in Ec- 120. *Responsio S. Thomæ.*
clesijs seruatur, non fuisse sanguinem, qui in passione fusus est, sed qui miraculosè effluxisse dicitur ex Christi imagine à Iudæis percussâ: historiam narrans *Athanas. de pass. imag. Christi,* concludit: *Hæc est vera & vehementer credula ratio de cruore lateris Domini nostri Saluatoris, qui profluxit de sancta imagine ipsius, quæ crucifixa est in Syriâ in Beritho ciuitate. Hic est etiam sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur. Nec esse aliter æstimandum est à verè Catholicis, præter id quod scribitur à nobis, quasi ex carne & sanguine Christi aliquid possit inueniri, nisi illud, quod in arâ altaris per manus sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur.* Hæc *Athan.* qui negare videtur, aliquid de sanguine Christi in terris mansisse. Sed contrà: hæc resp. 121. *Contrà.*
non saluat sanguineas maculas, quæ in sindone, sudario, & spinis, clauisque cernuntur: neque enim verosimile est, has maculas impressas fuisse his reliquijs ex contactu sanguinis miraculosi; cùm multò anteà istæ notatæ fuerint. Neque *Athanas.* sanguinem, qui per contactum veri Christi sanguinis in his reliquijs cernitur negat, sed potiùs talem, qui ad instar illius sanguinis qui ex percussâ imagine effluxit, adhuc in se seruet speciem & formam sanguinis. Respondet 2. *Maior fine,* Chri- 122. *Responsio Maior.*
stum resumpsisse totum sanguinem in passione effusum: illum verò, qui in varijs locis seruatur, esse eundem, quem in cœlo Christus hăbet, circumscriptiuè replicatum, absque vnione ad Verbum: Sed contrà: hic author multiplicat miracula absque necessitate. *Contrà.*

Respondent 3. alij, huiusmodi sanguineas macu- 123. *Responsio alior.*
las, non esse propriè sanguinē, sed colorem sanguini persimilem, quem dictæ reliquiæ contraxerūt ex *Contrà.*
contactu sanguinis Christi. Sed contrà: sanguis non reddit rubeum subiectum, quod tangit, producendo tantùm in illo colorem, cùm talem virtutē producendi non habeat, sed particulam propriæ substantiæ adhæsione illi communicando. Sicut corpus album

albam non reddit rem, quam tangit, albam, producendo in eâ tantùm albedinem, sed communicando illi per contactum particulam substantiæ albæ.

124. *Conclusio.* Quare dico, illas esse veras sanguinis maculas, ex vero Christi sanguine contractas, eas tamen nec manere hypostaticè vnitas Verbo, nec sub propriâ formâ sanguinis: sicut etiam de præputio assero quod *teste Toleto annot. 31. in Luc.* seruatur in Calcata pago, viginti passuum millibus ab Vrbe distante, in æde S. Cornelij & Cypriani. Quo fit, vt nec talis sanguis sub speciebus, vini, nec præputium sub speciebus panis, fiat vi consecrationis in altari præsens: cùm nec is seruet veram formam sanguinis; nec id veram formam carnis.

125. *Dices.* Dices: posterior pars assert. repugnat priori: si enim totus sanguis cum Christi corpore glorioso resurrexit; nihil sanguinis in terris remansit; quia de eo non verificarentur scripturæ, & Patres, qui testantur, totum sanguinem in passione effusum, sufficientem fuisse ad sanctificandum & redimendum; Et alioquin ille sanguis, qui in terris remansit, priuatus fuisset priuilegio gloriæ, quod habet reliquus in resurrectione reassumptus. Nego antecéd.

126. *Resp.* ad probat. totus Christi sanguis in passione effusus, fuisse reassumptus, explicatur moraliter: scripturæ & Patres intelliguntur de toto sanguine moraliter, non physicè, quod ad saluandas vniuersales locutiones sufficit: nec obstat speciali priuilegio gloriæ sanguinis Christi, vti neque præputij, quòd aliquæ ipsius particulæ ad fidelium deuotionem & passionis Christi comprobationem remanserint in terris. Confirm. non minùs resurrectionis priuilegium debitum est Christi præputio quàm sanguini, cùm vtrumque pro redemptione generis humani sit passum.

127. *Probatio trina.* Dico 5. non totus sanguis, quem totâ vitâ Christus habuit, fuit in resurrectione assumptus. 1. multæ partes sanguinis, conuersæ fuerunt in alias partes solidas corporis, carnem, ossa, neruos, &c. 2. multæ continuâ exhalatione fuerunt à Christi sanguine secretæ, & in alias substantias conuersæ; ac proinde à Verbo dimissæ, vtpotè nunquam resumendæ.

Potissima. 3. si Christus totum sanguinem, quem successiuè totâ vitâ, naturali actione hepatis sibi aggenerauit, in resurrectione resumpsisset, longè impar fuisset, eius gloriosum corpus, nimiâ sanguinis copiâ; & corporis molem reliqui humores, qui vnâ cum sanguine reassumi debuissent, enormiter auxissent.

128. Dico 6. reliqui etiam humores fuerunt hypostaticè à Verbo assumpti: minùs certa assertio, ex

Probat. certis principijs probabilissimè deducitur: nã quatuor humores sunt de integritate corporis humani: Ita Damasc. *lib. 2. Fidei cap. 12. Omne,* inquit, *sensibile corpus ex quatuor elementis conflatur, & animalium corpora ex quatuor humoribus.*

Coroll. Infertur, etiam spiritus vitales & animales, fuisse immediatè à Verbo assumptos: cùm etiam hi sint de integritate corporis humani, & ad plurima munia, naturæ humanæ necessaria, deseruiant. Par ratio de elementis: si mixtum constet ex elementis actu & formaliter.

129. Dico 7. probabile etiam est, Verbum assumpsisse ad suam hypostasim dentes, vngues, & capil-

Ratio. los. Ratio: hæc omnia & ornant corpus humanum, & ad nonnulla munia, vt de dentibus & vnguibus certum est, per se ordinantur: probabile autem est, verbum non solùm ad hypostasim assumpsisse corpus quoad omnes partes integrantes, sed etiam quoad omnes ornantes, & ad peculiaria munia vitæ humanæ deseruientes. 1. quia has partes nunquam erat dimissurum, siquidem illas retinet adhuc in corpore glorioso: in quo quidquid est substantiale immediatè vnitur Verbo, ne in eo maneat aliqua hypostasis creata, cùm nulla substantia naturaliter conseruari possit absque hypostasi. 2. quia aliquæ ex his partibus generabantur in Christo ex præsuppositâ materiâ vnita Verbo. Ergo verisimile est, partialis illa materia, dum subiectabat nouam formam, remansit simul cum nouâ vnione formæ, vnita Verbo.

Dices: eodem modo debuisset assumere lachrymas, sudorem, & reliquas excrementitias partes, 130. *Dices.*
nam etiam hæ generabantur ex præsuppositâ materiâ à Christo assumptâ. Resp. nego sequel. quia mul- *Resp.*
ta excrementa non fiebant ex præsuppositâ materiâ assumptâ, sed secernebantur ex alimento digesto, & nondum in partes integrales conuerso, vt lachrymæ, &c. 2. etiamsi aliqua pars excrementitia fieret ex præsuppositâ materiâ assumptâ, quia tamen illa vt inutilis erat extra corpus emittenda, necesse non erat, illam à Verbo assumi. Contrà verò, etiamsi capilli generentur ex vaporibus excrementitijs, quia tamen manent in corpore, vt ornamenta ipsius, assumebantur ad hypostasim Verbi.

Ad fundam. primæ, *ex S. Thom. in 4. dist. 44. q. 1. art. 2. ad 3. qu.* corporis humani aliæ ita sunt partes, vt 131. *Ad fund. 1. Sent.*
non sint transmutabiles in alias, vt ossa, nerui, caro; aliæ ita sunt partes, vt sint transmutabiles in alias: ta- *Ad secunda constat.*
les sunt sanguis, & reliqui humores, qui sunt & actu partes, quatenus integrant corpus humanum, & potentiâ partes, quatenus transmutabiles sunt in alias.

Ad fundam. tertiæ. 1. possent illæ prædic. admitti 132. *Ad fund. 3.*
de Deo ob communicationem idiomatum, iuxta illud, *effusus sum velut aqua.* 2. denominationes quæ non conueniunt nisi parti, quales sunt in argum. assignatæ, quæque tantùm conueniunt sanguini, non possunt Verbo conuenire; quæ verò possunt conuenire toti, quales sunt, *iacere in sepulchro, descendere ad inferos,* possunt conuenire Verbo.

DISPVTATIO XVI.

De gratia habituali Christi vt singularis homo est.

Explicato mysterio quoad substantiam, explicandum quoad accidentia; & 1. quoad gratiam habitualem, & virtutes infusas ad eam consequentes: potest hæc gratia in Christo considerari, vt quædam ipsius personalis perfectio est, quo pacto de ea hîc disputo; & vt est principium merendi & satisfaciendi pro alijs, sub quâ considerat. disp. seq.

SECTIO I.

An in Christo sit gratia habitualis cum reliquis virtutibus infusis?

Prima ratio dubit. gratia habitualis in Christo esset frustranea: nam non alio fine hæc da- 1. *1. Ratio dubitandi.*
tur creaturæ rationali, quam, vt illam sanctificet & eleuet ad esse diuinum, cuius particeps effecta, fiat per habitus infusos, quos vt potentias secum affert gratia, connaturaliter operatiua diuinarum actionum: sed anima Christi ratione vnionis hypostat. altiori forma sanctificatur, & euehitur ad esse diuinũ, scilicet ipsâ increatâ hypostasi Verbi: ergo nec ad sui sanctificationem, nec ad connaturalem modum operan-

operandi operationes diuinas, indiget gratiâ habituali: nam virtutes infusæ arctiori ac nobiliori iure debitæ sunt animæ Christi, scilicet gratiæ substantialis vnionis.

2. *Secunda.* 2. implicat poni formam, vbi implicat primarius effectus ipsius: forma enim est propter effectum suum formalem primarium: at primarius effectus gratiæ habitualis, est subiectum adoptare in filium Dei: implicat autem animam Christi adoptari in filium Dei; adoptiuus enim excludit ab eodem subiecto filium naturalem: ergo implicat recipere primarium effectum gratiæ habitualis.

3. *Tertia.* 3. anima Christi gratiam habitualem non habuit ab instanti suæ conceptionis; vt constat ex *Lucæ* 2. IESVS *proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines*: nec successu temporis per opera meritoria; alioqui non statim ab initio suæ conceptionis fuisset plenus gratiâ, contra illud *Ioan.* 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*.

4. *Quarta dubitandi ratio.* 4. saltem non omnes virtutes infusæ possunt esse in anima Christi: nam multæ in suo conceptu formali inuoluũt imperfectionem repugnantem, Fides inuoluit obscuritatem obiecti, Spes absentiam gloriæ, Pœnitentia supponit peccatum, cùm ipsius formale obiectum sit cõpensatio diuini iuris à se læsi: Continentia connotat negationem subordinationis partis inferioris erga superiorem, & difficultatem in eâ moderandâ.

5. *Quinta.* 5. virtutes infusæ dantur ad facilè operandum, & ad superandas difficultates, quæ cum honestate obiecti misceri solent: sed anima Christi opera virtutum summâ facilitate exercebat, ex amore beatifico necessariò, & summâ subordinatione partis inferioris erga superiorem, & superioris erga Deum.

6. *Assertio.* Constans est omnium Scholasticorum sententia cum *Magist. in 3. distinct. 13. & S. Thom. 3. part. quæst. 7.* in Christo esse gratiam habitualem cum omnibus virtutibus infusis, imperfectionem non includentibus:

Probatur ex scripturâ. Primus locus ex. Ioan. 1. ex *Ioan. 1. Vidimus eum quasi vnigenitum à Patre, plenum gratiæ & veritatis*: Quæ verba iuxta communem expos. & textus versionem, connectenda sunt cum præcedentibus, *Et Verbum caro factum est*; non cum subsequentibus, *Ioannes testimonium perhibet de ipso*: (vt *Caietan. & Erasm.* immeritò contendunt) id ostendunt proximè sequentia: *Et de plenitudine eius nos omnes accepimus*. quibus proculdubio ad illam *gratiæ & veritatis* plenitudinem allusit *Euangelista*: at hæc plenitudo, de quâ nos omnes accepimus non nisi de Christo verificari potest, qui, ex *Trident. sess. 6. cap. 16. Tanquam caput in membra & tanquam vitis in palmites, in ipsos iustificatos virtutem influit*: ergo etiam prior:

7. *Christus, non Ioannes, plenus gratiæ & veritatis.* non esset autem Christus plenus gratiæ, si in eo non esset gratia habitualis; aut in se aliquam capacitatem retineret vacuam gratiæ accidentalis, quam habere posset plenam; scilicet non esset Christus, ratione naturæ humanæ vndequaque plenus gratiæ, cùm adhuc posset esse plenior.

8. Confirm. 1. nam talem plenitudinem gratiæ, ratione naturæ humanæ, habet Christus, qualem, *teste Cyrill. Alexand. lib. vltim. de rectâ fide ad reginas*, habere decet Deum: Vnde sicut, *eod. teste lib. 2. in Isai.* in illa, *Egredietur virga*. Christus naturam diuinam habet cumulatam omnibus perfectionibus ad ipsam spectantibus, ita naturam humanam habere debet cum omnibus perfectionibus ipsam, vt factam propriam Verbi, perficientibus.

9. *Inductio.* 2. Nunquam gratia specialis excludit communem, sed supponit illam: nam nec gratia consummata gloriæ in Beatis excludit gratiam inchotam viæ: nec gratia specialis confirmatorum excludit gratiam communem iustorum non confirmatorum: ergo nec specialis gratia vnionis hypostaticæ excludit à naturâ humanâ Christi gratiam habitualem, iustis omnibus communem, sed supponit illam, non antecedenter, sed consequenter, vt proprietatem sibi debitam. Ita Ambros. *lib. 3. de Spiritu S. cap. 11. Quem* (nempe Christum) *si natum de Spiritu S. confitemini, quia non potestis negare, renatum autem negatis? Magna insipientia, vt quod singulare Dei, confiteamini: quod commune est hominum, denegetis.*

Nec dici potest Christus plenus gratiæ, ratione vnionis hypostat. & sanctitatis increatæ, in quâ 10. *Dices.*
eminenter continetur omnis gratia accidentalis; *Contrà.*
sicut non diceretur plenus veritatis, ratione solius sapientiæ increatæ, nisi etiam esset plenus sapientiâ creatâ: nam perfecta & consummata plenitudo, *A pari.* non solùm dicit plenitudinem eminentem & intensiuam, sed etiam formalem & extensiuam, quando subiectum est vtriusque capax: Et sicut Christus nec sufficienter, nec proximè sapit sapientiâ increatâ, sed creatâ: ita nec sufficienter, nec proximè operatur opera supernaturalia per gratiam substantialem increatam, sed per accidentalem creatam.

Alter locus, *Isaia* 11. *Et requiescet super eum Spiritus Domini, Spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini.* 11. *Secundus, vnde hæc veritas eruitur.* Porrò totam huius *cap.* prophetiam intelligi de Christo testis est *Hieronym. in hunc locum* cum communi Patrum: *Omnis*, inquit, *hæc prophetia de Christo est*: & ex verbo, *requiescet*, colligit *S. Thom. cit. quæst. 7. artic. 1. in argum. sed contra*, gratiam habitualem in Christo: nam dicitur spiritus Dei requiescere & manere in nobis per inhærentem gratiam, iuxta illud *Ioan. 14. ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus*: mansionem facit Deus in creaturâ rationali, in quâ vt in proprio templo inhabitat, per gratiam & virtutes infusas. Cæterùm ex hoc septenario, vt ex perfecto & completo numero, non solùm colligitur septenarius numerus donorum, sed omnium diuinorum charismatum, ac supernaturalium virtutum, quarum capax est anima Christi; sicut ex priori loco *Ioan.* cum plenitudine gratiæ veniunt reliquæ etiam virtutes infusæ.

Ex Patribus hanc veritatem docuerunt Damascen. *lib. 3. fidei cap. 22.* vbi de Christi humanitate loquens: 12. *Probatur ex Patribus.*
Quomodo non perfectè ditata est omni sapientiâ & gratiâ? non ipsa quidem per gratiam participans vt nos; neque secundum gratiam ea, quæ Verbi sunt, participans, sed potiùs propter vnionem secundùm hypostasin, humana & diuina vnius Christi facta participat. Sed & quia ipse erat Deus simul & homo, gratiæ & sapientiæ, & omnium bonorum plenitudinem mundo irrigat. Vbi propter hypost. vnionem ad Verbum, vtriusque gratiæ plenitudinem, & quæ Dei, & quæ hominis propria est, in Christo agnoscit. 13.
Et Bernard. *homil. 4. super Missus est*, ante med. explicans illa, *Lucæ 1. Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum; Posuit*, inquit, *indefinitè sanctum, quia quicquid illud fit, quod Virgo genuit, sanctum proculdubio, ac singulariter sanctum fuit, & per spiritus sanctificationem, & per Verbi assumptionem*: quibus vtramque Christi sanctitatem complectitur, substantialem, *per Verbi assumptionem*; & accidentalem, *per spiritus sanctificationem*.

14. *Fundam. Assertionis communis vnicum.* Fundamentum: ratione vnionis hypostaticæ, omnia dona supernatnralia creata, humanæ naturæ perfectiua, esse connaturaliter debita humanitati Christi, demonstro. Cui intrinsecè communica-

municatur aliquod esse, eidem connaturaliter debentur omnes perfectiones à tali esse promanabiles, quæ subiectum, cui tale esse communicatur, possunt perficere. At humanitati Christi intrinsecè & substantialiter communicatum est ipsum esse diuinum Verbi: ergo ei connaturaliter debentur omnes perfectiones supernaturales creatæ, ab hoc esse diuino promanabiles, quæ humanam Christi naturam quocunque modo perficere, ac decorare possunt. Maior prob. ideò corpori humano debentur omnes perfectiones ab animo rationali promanabiles, quę ipsum corpus ornare possunt, quia eidem intrinsecè communicatur ipsum esse substantiale animi rationalis. Ideò habenti gratiam habitualem sunt connaturaliter debitæ omnes virtutes infusæ, morales, theologales, lumen gloriæ, visio, amorq; beatificus; quia hæc apta sunt pro manare vt

A pari. à primâ radice, ab ipsa gratia habituali. ergo ideò omnia dona supernat. creata, humanæ naturæ perfectiua, sunt cōnaturaliter debita humanitati Christi, quia hæc omnia sunt apta promanare à naturâ diuinâ verbi, quod intrinsecè & substantialiter

A priori. est illi communicatum. Ratio: cui datur esse, consequenter cum illo datur ius ad omnia, quæ à tali esse quoquo modo consequi possunt. nam sicut in ipso esse continentur reliqua omnia: ita qui accipit esse, simul cum illo accipit ius ad omnia, quæ in tali esse continentur. Igitur humanitas Christi accipiendo vnione hypost. esse increatum Verbi, simul cum illo accipit ius ad omnia dona supernat. quæ in esse Verbi eminenter continentur, quæque apta sunt naturam humanam perficere ac decorare.

15. *Coroll. 1.* Infertur 1. humanitas Christi habet ius ad gratiam & gloriam infinitam syncategorematicè; scilicet ad totam, quæ promanabilis est à naturâ diuinâ Verbi, quæ intrinsecè vnita est humanitati Christi: habitura autem fuisset ius ad gratiam & gloriam categorematicè infinitam, si hæc possibilis foret.

16. *Secundum.* 2. De facto anima Christi habet gratiam habitualem finitam, maiorem tamen, quàm habeant omnes angeli & homines simul, ac proinde maximam, quam de lege & potentiâ ordinariâ Deus producere posset. quia cùm implicet esse infinitam categor. nec sit infinita syncategorematicè, cùm tale infinitum implicet, poni totum actu simul; necessariò erit actu finita. Et cùm debita esset animæ Christi gratia actu infinita, si possibilis foret, saltem dari debuit maior, quàm sit tota gratia, quæ simul data est omnibus angelis & hominibus simul; ac proinde maxima, quam de lege & potentiâ ordinariâ Deus producere posset.

17. *Tertium.* 3. gratiam habitualem, virtutes infusas, intellectuales & morales accipit anima Christi instanti suæ conceptionis, posterius

Fundam. naturâ, quàm fuerit hypostaticè vnita Verbo. quia hęc omnia debita fuerunt animę Christi vt proprietates connaturaliter consequentes esse hypostaticum Verbi.

18. *Quartum.* 4. Hæc dona non promanâsse effectiuè ab vnione hypost. neque à personalitate increatâ Verbi: sed efficienter tantùm à naturâ diuinâ, radicaliter verò, morali & physicâ exigentiâ, ab ipsâ

Ratio. vnione hypost. Ratio; nec vnio, cùm sit purus modus, est actiua; nec personalitas Verbi, vt distincta à naturâ, est alicuius effectûs ad extra productiuâ: & tantùm moraliter exiguntur, quæ extrinsecâ dumtaxat ordinatione Dei, non intrinsecâ naturâ & exigentiâ rei, vti hæc dona exiguntur

19. *Quintum.* ab vnione hypost. 5. Tam gratia habitualis, quàm virtutes infusę, sunt eiusdem speciei physicæ cum gratia habituali, & virtutibus infusis reliquorum iustorum; differre tamen moraliter in ratione dignitatis & valoris, quem illæ ex increata persona Verbi sortiuntur infinitum. nam nullam physicam variationem hæc dona sortiūtur ab vnione hypost. vnde manerent eadem physicè cum nostris, si humanitas Christi dimitteretur à Verbo; quia neque *Ratio à priori.* ab vnione hypost. habet specificationem, neque effectionem. dignitas verò personalis Verbi non solùm immediatè deriuatur in humanitatem, sed eâ mediâ in omnia accidentia humanitati inhærentia. ergo ratione moralis dignitatis gratia Christi, cum reliquis donis infusis, infinitè distat à gratia, & donis infusis reliquorum.

Obijcies 1. posset vnio hypost. immediatè tantū exigere habitus & virtutes infusas, vt proxima principia operationum supernat. non gratiam habitualem; nam hæc tantùm datur, vt subiectum eleuet ad esse & statum supernat. in quo anima fiat connaturaliter operatiua actionum supern. per habitus infusos, quos connaturaliter secum aduehit gratia habitualis. Cùm igitur anima Christi vnione hypost. sit euecta ad perfectius esse, quàm posset euehi gratia habituali, non eget illâ, vt connaturaliter fiat receptiua habituum infusorum, per eosque connaturaliter operatiua diuinarum operationum; cùm huiusmodi habitus altiori iure exigat habere per vnionem hypost. 20. *Dices.*

Nego antec. ad prob. nego, gratiam habitualem tantùm dari, vt subiectum eleuet ad esse & statum supernat. datur etiam vt virtutes infusæ connaturaliter recipiantur & existant in anima: ergo anima Christi eget illâ, vt in se connaturaliùs existant & recipiantur virtutes infusæ. nam licet hæ altiori titulo sint debitæ animæ Christi, scilicet vnionis hypost. sunt tamen illi debitæ cum eo ordine prioritatis, & poster. quem seruant ad inuicem. Cùm igitur virtutes infusæ, præsupponant gratiam habitualem, vt principia proximè operatiua essentiam, non possunt esse aliter debitæ animæ Christi, cùm nequeant illi esse debitæ, nisi prout à parte rei sunt. Neque physica exigentia vnionis hypost. potest variare intrinsecum ordinem, quem dona ista seruant ad inuicem: vt neque physica exigentia, quam gratia habitualis habet respectu earundem virtutum infusarum, variat intrinsecum ordinem, quem tales virtutes inter se seruant. ergo sicut nequit gratia habitualis exigere virtutes infusas morales, non priùs exigendo virtutes infusas intellectuales, ad morales præsuppositas; ita nec vnio hypost. virtutes infusas, non priùs exigendo gratiam habitualem, ab infusis virtutibus præsuppositam. 21. *Resp.* *A pari.*

Confirm. eo ordine vnio hypost. exigit has virtutes, quo sunt à natura diuina promanabiles: exigit enim hæc dona, vt sibi debitas proprietates à natura Verbi promanabiles. Sed à natura diuina priùs natura est promanabilis gratia, quàm virtutes infusæ: nam illa perfectio creata est à Deo priùs natura promanabilis, quæ in Deo supponit perfectionem increatam, à qua est formaliter participabilis, virtute priorem: sed gratia habitualis supponit in Deo talem perfectionem scilicet ipsum esse diuinum, virtute priorem, quàm sit perfectio increata, quam in Deo præsupponunt virtutes infusæ, scilicet ipsum operari diuinum, quod supponit esse diuinum virtute prius: ergo prius naturâ promanabilis est à Deo gratia habitualis, quàm virtutes infusę. 22. *Ordo exigentia.*

Obijcies 2. vnio hypost. non exigit omnes virtutes intellectuales infusas, vt constat de Fide: ergo etiam posset non exigere gratiam habitualem, exigendo tantùm virtutes infusas. 23. *Dices.*

Nego conseq. quia fides dicit imperfectionem, vnde non manet in Beatis, quibus succedit visio clara: quam imperfectionem *Resp.*

fectionem non dicit gratia habitualis, quæ manet etiam in statu beatifico. Cæterùm loco Fidei anima Christi habebat tum visionem beatam respectu amoris beatifici; & aliorum actuum supernat. quos vt viator eliciebat.

14. *Dices.* *Obijcies* 3. persona Verbi non vnitur humanitati, vt virtus operatiua, sed vt perfectio hypost. ergo nullum ex hâc vnione ius humanitas acquirit ad dona supernat. quæ effectiuè promanare possunt à naturâ Verbi, quia non potest aliud ius ex hâc acquirere, quàm quod illi communicatur ex personâ Verbi, scilicet quod proximè & formaliter sequitur ad communicationẽ diuinę perfectionis sibi cõmunicatæ: ergo si persona Verbi immediatè & proximè non communicatur humanitati suâ virtute productiuâ, quam communem habet cum reliquis personis, sed tantùm perfectione hypost. distinctam habet à reliquis personis, non poterit illi ius dare ad dona & virtutes supernat. quæ sunt proprietates promanabiles à Verbi virtute productiuâ communi omnibus personis. Confirm. ius ad effectus acquiritur mediante iure ad causam: sed humanitas Christi vnione hypost. non acquirit ius ad causam donorum supernat. nã hæc est natura Verbi, vt virtus productiua ad extra, non vt perfectio hypost.

Persona communicatur secũdùm virtutem productiuam, mediatè.

25. *Resp.* Distinguo antec. Persona Verbi non vnitur humanitati, vt virtus operatiua, immediatè & primariò, concedo; mediatè & secundariò, nego. Nam eo modo vnitur illi vt virtus operatiua, quo illi vnitur vt natura; nam persona Verbi est virtus operatiua ad extra, quatenus est natura: sed persona Verbi vnitur humanitati secundùm naturam, saltem mediatè & secundariò; ergo etiam mediatè & secundariò vnitur illi, vt virtus operatiua ad extra: quod sufficit ad tribuendum illi ius ad omnes habitus infusos & dona supernat. quæ possunt à naturâ diuinâ Verbi promanare. nam hoc ipso, quòd Verbum substantialiter vnitur humanitati, tribuit illi ius ad omnia bona supernat. quod ratione naturæ diuinæ commune habet cum reliquis personis. Sicut si per impossibile Petrus filius vniret substantialiter suum proprium suppositum cum extraneâ naturâ Ioannis, hoc ipso tribueret naturæ Ioannis omne ius, quod Petrus habet ad bona Pauli patris, ratione naturæ ab eo per generationem acceptæ. Ex his patet ad confirm. nam sufficit mediatum ius in causam, vt quis habere possit ius ad effectus, à causâ promanabiles.

26. *Ad 1. rationem dubitandi.* Ad 1. rationem dub. nego antec. ad prob. gratia habitualis in Christi humanitate, etsi non sit necessaria, vt illam eleuet ad esse & statum supernat. est tamen necessaria, vt in eâ habitus infusi, diuinarum actionum operatiui, connaturaliùs recipiantur & permaneant. nam licet huiusmodi habitus sint connaturaliter debiti animæ Christi, ratione vnionis hypost. sunt tamen ei connaturaliter debiti mediâ gratiâ habituali, quam isti habitus connaturaliter in subiecto, in quo recipiuntur, supponũt. vt licèt risiuum sit connaturaliter debitum homini, tamen mediante admiratiuo, quod risiuum præsupponit. Quòd autem hi habitus connaturaliter præsupponant in subiecto, in quo recipiuntur, gratiam habitualem, constat ex dictis: nam hi habitus sunt participationes diuinarum operationum; gratia est participatio diuini esse: & consequenter sicut in Deo operari supponit esse, ita participatio diuinæ operationis supponit participationem diuini esse.

27. *Ad secundam.* Ad 2. nego, primarium effectum gratiæ habitualis, esse subiectum adoptare in filium Dei, sed potiùs illud sanctificare sanctitate accidentali, qui effectus non pugnat cum sanctitate increatâ, quæ licet eminenter & intensiuè, non tamen formaliter & extensiuè continet sanctitatem accidentalem. Cęterùm non habet gratia habitualis in Christo effectum filiationis adoptiuæ, non defectu alicuius esse positiui, quod gratia habitualis confert nobis, & non Christo; sed defectu solius negationis filiationis naturalis, quam negationem filiatio adoptiua in eodem supposito essentialiter supponit.

Ad 3. gratiam habitualem Christus habuit ab instanti suæ conceptionis, vt proprietatem, hypost. vnionem naturaliter consequentem. Ad prob. communis resp. Patrum est, Christum profecisse sapientia, & gratiâ apud Deum & homines, non realiter & in seipso, sed apparenter, & in alijs, quatenus per bona opera, & ipse quotidie sapientior, & sanctior apparebat hominibus, & ex eius sapientiâ, & sanctitate homines ipsi sapientiores, & sanctiores euadebant. Ita *Cyrill. Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 17. fine: Athanas. lib. 4. con. Aria. longè post med.* concludit: *Corporis igitur erat proficere, quo proficiente proficit in eo exhibitio Deitatis coram illis, qui ipsum videbant: quantò autem magis diuinitus reuelabatur, tantò plenius gratia crescebat hominis apud homines.* Bernardus *homil. 2. super, Missus est, circa med. Nam quod de sapientia & gratia,* inquit, *hîc dictum est, non secundùm quod erat, sed secundùm quod apparebat, intelligendum est: non quia videlicet aliquid ei nouum accideret, quod non haberet, sed quod accidere videretur, quando volebat ipse vt videretur.* Idem passim reliqui Patres. 2. anima Christi etiam realiter & in reipsa creuit sapientiâ, & gratiâ apud Deum, & homines; sapientiâ, per scientiam experimentalem, quam sibi per frequentatos actus intellectus comparabat, iuxta illud Hebr. 5. *Didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam* gratiâ & sanctitate apud Deum & homines, propter bona opera, quæ continuò propter Deum & homines exercebat; & reddebant animam Christi extensiuè apud Deum & homines gratiorem ac sanctiorem. nam sicut peccata, quò magis multiplicantur, eò animam efficiunt turpiorem & iniquiorem apud Deum & homines: ita contrà opera honesta, quò magis multiplicantur, eò animam reddunt pulchriorem & sanctiorem apud Deum, & homines. Hæc resp. colligitur ex *Ambro. lib. de Incarn. c. 7. Quomodo proficiebat sapientia Dei? doceat te ordo verborum. Profectus ætatis, & profectus sapientiæ, sed humanæ est. Ideo ætatem antè præmisit, vt secundum hominem crederes dictum. Ætas enim non diuinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientiâ hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia à sensu sapientia.* Qui apertè in Christo admittit profectum sapientiæ experimentalis, quæ per sensus potissimè comparatur. Eadem ratio est de profectu sanctitatis, qui comparabatur ex operibus sanctis ac iustis. Confirm. sicut, non obstante sanctitate substantiali, communicata ex personâ increatâ Verbi, humanitas Christi effecta est extensiuè sanctior per gratiam habitualem: ita, non obstãte sanctitate refusâ ex intrinsecâ personâ Verbi, & gratiâ habituali eadem humanitas fieri potuit extensiuè sanctior & gratior Deo, per quotidiana opera iusta & sancta.

28. Ad tertiã. Resp. 1. — 29. Respondere posset 2. fortè probabiliùs. — A pari.

Ad 4. concedo, in Christo non fuisse virtutem fidei, & Continentiæ, propter imperfectionem, quam hæ virtutes inuoluunt: nego, in eo non fuisse virtutem spei, & Pœnitentiæ. de spe prob. anima Christi habuit spem de gloriâ & immortalitate sui corporis: & hæc virtus fuit in Christo ad secundarios actus complacentiæ circa gloriam suæ animæ exercendos: propter quos 4. *tom.* docui, hanc virtutem manere in Beatis, ad huiusmodi actus connaturaliùs

30. Ad quartã rationem dubit. — De spe.

naturaliùs

naturaliùs exercendos, habitu intrinseco & inhærente. Quoad virtutem Pœnitentiæ, docuit *Argen. in 4. dist. 14. qu. 1. art. 1. fine*, eam fuisse in Christo: colligitur ex *Scoto eadem dist. qu. 2. Ad 3. an resp. 2.* vbi docet, hanc virtutem manere in Beatis, & futuram fuisse in statu Innocentiæ, vbi nullum futurum fuisset peccatum: quia *Pœnitentia*, inquit, *est habitus inclinans ad faciliter vindicandum in se reum: & quod in se, hoc est materiale, quia formalis ratio virtutis esset eadem, si committeretur sibi vindicare in alium reum. Beatus autem & innocens* (& eadem ratio est de Christo) *possunt habere habitum promptè vindicandi in alium reum, sicut in Deo manet iustitia vindicatiua, licet non in seipsam.* Ratio, virtus Pœnitentiæ, sicut & quęuis alia virtus, pro primario obiecto respicit bonum aliquod honestum: hoc est honestas compensationis iuris diuini, ad quod illæsum seruandum hæc virtus per se primò ordinatur: pro secundario verò, fugam & detestationem mali. Cæterùm hæc virtus ante vllum peccatum, affectu complacentiæ versari potest circa primum obiectum, vt ius diuinum seruetur illæsum; etiam actu doloris & detestationis circa secundum propter peccatum, non à se, sed ab alio commissum: ergo si in Christo potest esse affectus complacentiæ illæsum seruandi ius diuinum, nec non dolor & detestatio peccati ab alijs commissi, poterit in eo esse virtus Pœnitentiæ. scilicet quælibet virtus affectu complacentiæ versari potest erga suum obiectum. Quòd autem dolor & detestatio alieni peccati elici possit ex eodem motiuo formali pœnitentiæ, prob. hæc est honestas, quæ in compensatione iuris diuini læsi relucet: & licet qui peccatum non commisit, illud detestando, offensam non tollat (nam hæc pendet etiam à detestatione eius, qui peccauit) potest tamen pro eâ compensationem offerre ex motiuo virtutis pœnitentiæ, cùm possit vnus pro offensâ alterius ex motiuo pœnitentiæ compensationem exhibere. Quòd Pœnitentia habeat, & quæuis alia virtus, pro primario obiecto, aliquod bonum honestum, sic ostendo: omnis auersio & fuga mali necessariò fundatur in amore & prosecutione alicuius boni, quod appetitum mouet ad detestandum malum oppositum tali bono, quia omne malum est detestabile propter aliquod bonum, quo priuat: ergo id, quod primariò mouet appetitum ad detestãdum malum, est bonum, cuius malum detestabile, est priuatiuum. Confir. sicut natura, ita & voluntas, & consequenter virtus non tendit ad detestationem vnius, nisi propter conseruationem alterius, quod primò & principaliter

31. *De pœnitentiâ.*

32. *Ratio.*

Virtus affectu complacentiæ versatur circa primarium obiectum.

Ratio à priori.

33. mouet. Vnde nego virtutem Pœnitentiæ necessariò supponere peccatum commissum, cùm affectu complacentiæ versari possit circa ipsam honestatem obiecti, de illæso iure diuino, ante vllum commissum peccatum. 2. concedo. virtutem Pœnit. supponere peccatum commissum, non ab eo, qui illud detestatur ex affectu & motiuo compensationis diuini iuris, sed ab alio.

34. *Ad quintã.* Ad 5. nego, virtutes infusas dari ad faciliter posse, sed ad posse simpliciter, vt Concilia definiunt: sunt enim ad instar potentiæ, quæ animam reddunt simpliciter potentem ad opera supernat. vnde neque anima Christi sine huiusmodi virtutibus infusis erat simpliciter potens ad opera supernat. nam persona Verbi, vel vnio hypost. non reddebat animam Christi proximè & formaliter potentem ad huiusmodi opera, sed tantùm remotè & radicaliter.

35. *Dubitari posset.* Rogas, an anima Christi egeat habitibus acquisitis ad faciliùs exercenda opera honesta, siue naturalia, siue supernaturalia? nam etsi habitus infusi non præbeant facilitatem, sed potentiam dumtaxat ad operandum, hanc tamen facilitatem præbent habitus acquisiti, quos tam ex frequentatis actibus virtutum naturalium, quàm supernat. acquirimus, vt quotidiana experientia docet, & *tom. de Pœnit.* Suppono, habitus acquisitos in nobis non esse aliud, quàm species ex frequentatis actibus magis ac magis perfectas, & dispositas ad clariùs, promptiùs efficaciusque repræsentandum; scilicet quò perfectiores sunt species, cò perfectior, clariorque obiecti notitia; cò faciliùs promptiusque mouetur voluntas ad illud prosequendum, si est bonum; vel fugiẽdum, si est malum. 2. vt *infrà de scientiâ Christi*, in intellectu humano Christi est genus specierum intelligibilium, vnum intuitiuarum à Deo immediatè infusarum, aliud abstractiuarum, quas anima virtute propriâ intellectûs agentis ex phantasmatibus sibi cruebat.

36. *Pro explic. diffic. suppono duo.*

37.

Dico anima Christi non eguit habitu facilitante acquisito, ad eos actus virtutum, ad quos exercendos vtebatur præuiâ notitiâ intuitiuâ, elicitâ per species proprias à Deo immediatè infusas; eguit ad eos actus virtutum, ad quos exercendos vtebatur præuiâ notitiâ abstractiuâ, elicitâ per species propria virtute erutas ex phantasmatibus. Ratio prioris: cùm tota hæc facilitas, quam in actibus virtutum experimur, proueniat ex speciebus, clarè, promptè, efficaciterque repræsentantibus obiectũ: & nequeant species intuitiuæ, per species acquisitas actuum frequentatorum, clariùs, promptiùs, efficaciusque obiectum repræsentare, quàm ipsæ ex se repræsentant, consequenter per tales actus, ex speciebus intuitiuis elicitos, nullus acquiritur habitus potentiam ad consimiles actus eliciendos facilitans: nam totam facilitatem habet ex speciebus intuitiuis proprijs obiectorum, immediatè à Deo infusis. Ratio posterioris: cùm species ex quibus tales actus eliciuntur, sint abstractiuæ; ac proinde aptæ magis ac magis per acquisitas species subsequentium actuum perfici, consequenter per tales actus frequentatos acquiritur habitus ad consimiles actus potentiam facilitans. Hinc sequitur, vtrosque actus tam elicitos ex speciebus intuitiuis, quàm elicitos ex speciebus abstractiuis, relinquere speciem sui in intellectu humano Christi, cùm vtrorumque actuum anima Christi reminiscentiam habeat, quæ non fit sine specie actûs præteriti; species priorum actuum non gignere habitum, gignere species posteriorum actuum. quia species priorum nequeunt species, ex quibus ipsi eliciuntur, magis perficere, quàm ex se sint perfectę, cùm res exprimant intuitiuè & dearticulatè quoad omnes proprietates: possunt species posteriorum actuum perficere species, ex quibus ipsi eliciuntur, cùm illæ sint abstractiuæ, adeoque perfectibiles ad clariùs, promptiùs, efficaciusque obiectum repræsentandum.

38. *Assertio.*

Ratio prioris partis.

39. *Ratio posterioris.*

Obycies 1. anima Christi ratione visionis beatæ summâ ac totâ cum facilitate operabatur omnes actus virtutum, tam naturalium, quàm supernat. nam visio beata repræsentabat clarè etiam omnes creaturas & obiecta, ad quæ per actus tam intuitiuos, quàm abstractiuos aliarum scientiarum voluntas ferebatur: ergo egere non poterat habitu acquisito. Distinguo antec. anima Christi operabatur omnes actus virtutum vi visionis beatæ, vt regulæ proximæ, nego; vt remotæ, concedo. nam proxima & immediata regula, ex quâ actus virtutum tam naturalium, quàm supernat. humana Christi voluntas regulabatur, erat vel notitia clara elicita ex speciebus infusis; vel cognitio abstractiua producta ex

40. *Dices.*

41. *Resp.*

cta ex speciebus, propriâ virtute erutis ex phantasmatibus. Vnde sicut hæc repræsentabat obiectum cum difficultate; nam hoc ipso, quod non repræsentabat clarè & intuitiuè, repræsentabat illud eum obiectiua difficultate: ita vi huius notitiæ non poterat voluntas humana Christi summâ cum facilitate ad obiectum ferri: quia voluntas non est apta ad obiectum ferri, nisi vi proximæ notitiæ. quâ mouetur & regulatur. Neque hæc obiectiua difficultas tollitur visione beatâ: quia sicut hæc non tollit libertatem in reliquis actibus virtutum, quos anima Christi exercet circa Deum & proximum; ita nec tollit obiectiuam difficultatē, quam abstractiua notitia per se importat. Neque est vlla imperfectio in Christo, operari actus virtutum cum difficultate, tenente se ex parte obiecti: esset autem imperfectio, operari actus virtutū cum difficultate tenente se ex parte subiecti: nam prior difficultas oritur ex naturâ cognitionis abstractiuæ, posterior ex imperfectione subiecti, & passionum inordinatione. ita nec totam facilitatē, quam voluntas Christi habere poterat ex habitu acquisito, habebat ex visione beatâ; quia hæc non erat proxima & immediata regula, ex quâ operabatur.

Visio clara non est proxima regula volun.

42. *Dices.* *Obijcies* 2. non poterat anima Christi in ordine ad actus virtutum supernat. vti notitiâ abstractiuâ, productâ ex speciebus naturalibus propriâ virtute erutis ex phantasmatibus, nequit enim obiectum supernat. virtutis infusę eâ exprimi, sed notitiâ infusâ elicitâ ex speciebus supernat. à Deo immediatè collatis: ergo ad faciliùs eliciendos actus virtutum supernat. non egebat habitu acquisito potentiam facilitante. quia eùm hæc sententia sit intuitiua per proprias species rerum producta. non est apta vlteriùs perfici ad clariùs, promptiusque obiectum repræsentandum. Nego antec. ad prob.

43. *Resp.* nego, obiectum supernat. non posse, in ratione materiali repræsentari notitiâ abstractiuâ, elicitâ à speciebus naturalibus, propriâ virtute comparatis: vt constat in nobis, in quibus notitia obiecti supernat. quâ à Deo promouemur ad aliquod bonum supernat. prosequendum, est abstractiua producta per species naturales, propriâ virtute comparatas. ergo, vt notitia repræsentatiua obiecti supernat. sit supernat. non est necesse, vt producatur per species supernat. sed sufficit, si ad illam concurrat aliquod principium supernat. vt patet de actibus supernat. intellectûs & voluntatis. Porrò principium supernat. quod ad notitiam abstractiuam obiecti supernat. concurrit, est habitus supernat. influens non ad obiecti materialis repræsentationem, sed ad iudicium de formali motiuo supernat. eiusdem obiecti: vt patet in actu fidei supernat. ad cuius solum assensum, & iudicium circa motiuum supernat. concurrit habitus supernat. repræsentatio verò obiecti producitur à speciebus naturali virtute comparatis.

Repræsentatio obiecti supernat. à speciebus natur.

SECTIO II.

Quo certitudinis gradu tenendum sit, gratiam habitualem cum virtutibus infusis esse in Christo?

44. *1. Sent. Prob. 1. ex testimonijs scriptu.* PRIMA sent. affirmat, esse certum certitudine fidei diuinę, adeoque oppositum esse hæreticū: Barthol. *Medina 3. p. q. 7. art. 1. Cabr. ibid. Suarez disp. 18. sect. 2. &c. Recen.* ex psalm. 44. *Propterea vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*; scilicet gratiâ habituali, iuxta communem Patrum interpret. *Isaiæ 11. Requiescet super eum Spiritus Domini*; vt suprà: Lucæ 1. *Ideoq; & quod nascetur ex te sanctum* &c. Lucæ 2. *Et gratia Dei erat in illo*: non nisi gratia habitualis: Ioa. 1. vt suprà, *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Ioan. 10. vbi de seipso Christus *Quem Pater*, inquit, *sanctificauit & misit in mundum.*

45. *Prima ratio.* Probant 2. rationib. 1. De fide est animam Christi esse sanctam & gratam Deo, ex illo *Matth. 3. & 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: Sed hic est effectus gratiæ habitualis: igitur.

46. *Secunda.* 2. De fide est, Christum habere charitatem infusam, cùm hęc communis sit omnibus iustis, quorum Christus est caput: hæc autem non est sola operatio transiens, sed aliquid per modum habitûs inhærens, vt Concilia & Patres S. Scripturam interpretantur, vbicunque de ea loquitur: ad Rom. 5. *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris*: ad Ephes. 3. *In charitate radicati* & alibi. Confirm. Christus eodem modo loquitur *Ioan. 15.* de charitate propriâ, & iustorum; *si præcepta mea seruaueritis, manebitis in dilectione mea. sicut & ego Patris mei præcepta seruaui, & maneo in eius dilectione*: sed charitas in iustis est etiam habitualis, vt *Triden.* definit *sess. 6. ca. 7.* ergo etiam in Christo.

47. *Tertia.* 3. Vniuersaliter *cit. Triden.* de omnibus iustis definit, eos iustificari per infusionem gratiæ & charitatis: quæ cùm sit communis etiam paruulis, qui Baptismo iustificantur, intelligi non potest de iustificatione per charitatem actualem, cuius illi capaces non sunt, sed per habitualem, quæ vel à charitate reipsâ non distinguitur, vel certè illam inseparabiliter comitatur; & Christo est necessaria ad debitam illius pulchritudinem & dispositionem, ad connaturalem modum operandi, ad consummatam participationem diuini esse.

48. *Quarta.* 4. Concilia & Patres testantur, in Christo vtramque naturam, diuinam & humanam fuisse perfectam & cumulatam omnibus perfectionibus, ad vtramque naturam spectantibus: Cyrillus Alexan. *lib. 2. in Isai. verba: Egredietur virga de radice Iesse*, sic scribit: *Dicimus autem prophetam in hoc præconio suo artificiosè sic temperasse, vt non hominem merum nobis inducat* IESVM, *deis spiritu afflatum, & quasi nostri ordinis ac conditionis esset charismatum diuinorum participem factum: sed potiùs Dei sermonem humanam naturam assumpsisse declarat, cumulatum bonis omnibus (quatenus ad ipsius naturam pertinet) ac etiam vnà cum humanitate, quæ ad eam spectant, velut sua ac propria sibi vindicantem: Fulgentius libr. de fide ad Petr. cap. 2. fine*, sic habet: *Ideo S. Euangelista plenum gratia & veritatis prædicat, quia in diuina natura, in qua Deus veritas est, plenus est, & in humana natura, in qua homo verus gratia factus est, plenus est.* Confirm. sicut corpori Christi glorioso collatæ sunt omnes dotes, quæ conferri solent reliquis gloriosis: ita & ipsius animæ conferri debuerunt omnia dona, quæ conferri solent reliquis iustis. *Confirm.*

49. 5. Communis consensus Patrum & Scholast. conspirantium in aliquam veritatem, vt indubitatam, & in diuinis oraculis contentam, facit infallibilem certitudinem fidei: sed omnes Patres & Schol. ita conspirant in hanc: ergo hæc sententia est certa certitudine fidei.

50. *2. Sent. Assertio.* SECVNDA negat; ait, id esse certum dumtaxat authoritate Scholast. cuius oppositum est tantùm temerarium, contra communem sent. in re graui: est *Vasquez 3. p. disput. 41. cap. 1.* & *Recen.* sententia procul dubio probabilior. *Fundam.* Fundam. vt aliquid sit fide diuinâ certum, requiritur vel expressa authoritas scripturæ, vel definitio Pontificis, vel certa

certa traditio Ecclesiæ ab omnibus recepta; hæ enim sunt regulæ fidei, quibus inniti oportet omnem propositionem fidei. At nulla ex his expressè testatur, in Christo esse gratiam habitualem: Scripturæ enim allata loca, nec sunt expressa, nec omnes Patres ea explicant de gratiâ acciden. sed de substantiali vnionis, *vt infrà*; vt autem authoritas scripturæ faciat rem diuinâ fide certam, debet aut esse expressa in se, aut in eâ explicandâ omnes conuenire: nec vlla de hâc re extat vel Pontificis definitio, vel Ecclesiæ traditio: nec aduersarij has duas regulas pro suâ sent. assignant, sed tantùm primam.

51. *In scriptur. explic. non conueniunt Patres.* Primum autem locum ex *psal.* 44. explicant communiter Patres de vnctione sanctitatis substantialis. ita Origenes *libr. 2. Periarch. cap. 6. Vngi namque oleo lætitiæ, non aliud intelligitur, quàm Spiritu Sancto repleri. Quod autem præ participibus dixit, indicat, quia non gratia spiritus, sicut Prophetis, ei data est, sed ipsius verbi Dei in ea substantialis inerat plenitudo, sicut & Apostolus dixit, in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Cyrillus Alexan. *lib. 8. con. Iulian. fine, Victi, Deus vngitur à Deo. At quomodo hoc factum sit dicimus. Quando enim factus est homo, mansit id quod erat: tunc & sicut nos humano modo vngebatur in Apostolum; factus est enim sacerdos, & Apostolus confessionis nostræ*: vbi vnctionem hanc refertad assumptionem humanitatis Ambrof. *lib. 1. de fide cap. 2. Deus est qui vngit, & Deus qui secundum carnem vngitur Dei filius.* Et paulò pòst: *Vides igitur, quia Deus à Deo vnctus, sed in assumptione naturæ vnctus humanæ Dei filius designatur.* Et *lib. 1. de Spiritu S. ca. 8. Plerique arbitrati sunt, vnguentum Christi esse Spiritum S.* Quam sent. confirmat ex *Act. 10. Quomodo vnxit eum Deus Spiritu S.* concludit: *Ergo vnguentū Christi est Spiritus.* Hierony. in eund. locum. *Christus naturâ vnctus, nos per gratiam: quia in illo plenitèr fuit diuinitas: nam in Sanctis per partes datur.* In eandem August. *Deus ergo homo; & ideo vnctus Deus, quia homo Deus, & factus est Christus.* Eidem sent. reliqui Patres subscribunt, docentes Christi humanitatem fuisse oleo diuinitatis vnctam ac delibutam: vt potiùs ex hoc loco expressè probetur nostra sent.

(Margin notes: *Coroll.* — *Ambrof.* — *Hieronym.* — *Augustin.*)

52. *Secundus examinatur.* 2. locus *Isaiæ* solùm probat, in Christo fuisse septem dona Spiritûs S. quod vt certum de fide non dubitò, cùm locus expressus sit, & ad illum explicandum conueniant omnes Patres, & Scholastici. Ex eo tamen certò colligi non potest, in Christo esse etiam gratiam habitualem: nam hæc ad sanctificandum, illa ad operandum ordinantur: Christus autem, vtpote sanctus sanctitate increatâ Deitatis *in ipso corporaliter inhabitantis*, non egebat sanctitate accidentali gratiæ habitualis; egebat donis Spiritûs S. ad operanda opera diuina. Quin neque ex hoc loco vt de fide certum colligi potest, hæc dona Spiritûs S. in Christo esse per modum habitûs. nam licet id probabiliter ex verbo *Requiescet*, quod permanentiam importat, cum *S. Thom. præced. sect.* probauerim, id tamen neque omnes asserunt, neque locus apertè exprimit.

53. *Tertius locus examinatur.* Tertium *Bernardus, vt suprà*, interpretatur de vtràque sanctitate tam substantiali per vnionem hypost. quàm accidentali per gratiam habitualem. *Toletus in Luc. annot. 104.* intelligit de sanctitate substãnali: & de eâdem intelligi docet à Patribus, dum affirmant, Christi humanitatem fuisse vnione diuinitatis sanctificatam. *Maldona.* pro *sanctum*, aduerbialiter exponit *sanctè*: nec sic facit certitudinem fidei, quòd in Christo præter gratiam substan. sit etiam accidentalis. Cæterùm notant hîc interpretes poni verbum *nascetur* pro *concipietur*, vt ex Græco deducit *Maldona.* & ratio demonstrat, nam Christus fuit sanctus sanctitate increatâ in primâ sui conceptione. Quartum *Luc. 2. & gratia Dei erat in illo*, 54. *Ad 4. locū.*
Cyrillus Alexan. *lib. vlt. de rectâ fide* intelligit de gratiâ increatâ: *Non enim vt gratiam habens ab alio Deo, habere dicitur, sed quod gratiam habuit puer, vt Deum decet, etenim erat, & est Deus Verbum, quod in carne prodijt, hoc est homo, sicut nos. ita præced. sect.* ex hoc loco cum allatâ interp. in Christo esse gratiam habitualem, probabiliter tantùm ostendi, cùm tam locus, quàm interpretatio possit pro vtràque sent. intelligi. Eund. *Toletus in Lucam* interpretatur de gratiâ Christi capitali, quâ causa erat gratiæ membrorum, quę, vt *disp. seq.* includit gratiam substantialem Vnionis. Quintum *Ioan. 1.* plerique etiam Patres interpretantur de plenitudine gratiæ & veritatis substantialis. 55. *Ad 5. locū.* Cyrillus Alexan. *lib. 1. in Ioan. cap. 17. Non enim mensura sibi datur, vt cæteris nec desoris accedit, sed vt in perfecto perfecta substantialiter inest à Patre naturaliter habita.* August. 13. *de Trinit. cap. 19. In rebus per tempus ortis illa summa gratia est, quòd homo in vnitatem Personæ coniunctus est Deo: in rebus verò æternis summa veritas rectè tribuitur Dei Verbo. Quod verò idem ipse est vnigenitus à Patre plenus gratiæ & veritatis, id actum est, vt idem ipse sit in rebus pro nobis temporaliter gestis, cui per eandē fidem mundamur, vt eum stabiliter contemplemur in rebus æternis.* Fulgentius *de fide ad Petrum Diaco. cap. 2. fine* hanc plenitudinem Gratiæ in Christo, intelligit ipsam sanctitatis increatæ, quam Verbum assumendo formam serui, non amisit. Beda in eund. *Plenum gratiæ & veritatis. Gratiæ plenus erat, & est homo Christus* IESVS*, cui singulari munere præ cæteris mortalibus datum est, vt statim ex quo in vtero Virginis conciperetur homo, fieri inciperet verus esse Deus.* Et paulò pòst: *Idem veritate plenus erat, & est, ipsa videlicet Verbi diuinitate, quæ hominem illum singulariter electum, cum quo vna persona Christi esset, assumere dignatus est.* Sextum interpretantur Cyril- 56. *Ad 6. locū*
lus *Alex. lib. 7. in Ioan. cap. 12.* primò de sanctifica- *trifariam*
tione naturæ diuinę per æternam generationem: *interpret.*
Porrò sanctificauit Pater filium, non quòd vnquam ille factus non fuerit, sed quia sanctum illum genuit, atque, vt sanctus esset, gignendo ei dedit. Sicut enim Deus Deū, Immensus Immensum, sic sanctus sanctum Pater Filium genuit: August. *tract. 48. in Ioan. Vt enim sanctus* *August.*
esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit. 2. de 57.
sanctificatione humanæ naturæ, per ipsius assumptionem ad personalem sanctitatem Verbi: *aut sanctificauit secundùm hominem & humanam in eo naturam, id est, cum sanctitate immunitateq́, peccati, & syncerâ puritate eum, incarnari constituit pro salute mundi, quemadmodum angelus dixit ad sacrosanctam Virginem: & quod nascetur ex tę sanctum, vocabitur filius Dei:* Et Paulus *ad Rom. 1. Qui prædestinatus est filius Dei in virtute secundum spiritum sanctificationis.* Eand. exposit. habet Athanas. *de Incarnat. Christi initio.* 3. Cyrillus exponit de extrinsecâ sanctifi- 58.
catione Christi per diuinam sanctionem & designationem vt idem sit, filium à Patre sanctificari, quod à Patre sanciri, vt pro salute hominum offeratur: *aut demum sanctificauit eum, id est sanxit & constituit, ipsum sacrificari, & oblationem offerri pro mundi salute. Nam id sanctificari in scripturâ plerumque dicitur, quod templi vsui designatum Deo offertur & consecratur: quemadmodum Exodi 13. Sanctifica mihi omne primogenitum.* Infero, hanc sent. nec esse virtute con-
tentam in aliquo principio fidei, vt saltem per cui- 59. *Conclusio.*
dentem illationem possit ex illo deduci, & deducta facere certitudinem fidei, saltem vt explicata: ad hoc enim deberet deductio ipsa esse euidens saltem morali-

moraliter, quæ moraliter tollat omne dubium, quò minùs talis conclusio sit virtute reuelata cum ipso principio immediato fidei, vt hæc popos. *Christus est risibilis:* quæ censetur virtute reuelata cum hoc principio immediatè reuelato: *Christus est homo.* At sententia affirmans, in Christo esse gratiam habitualem, per probabiles dumtaxat coniecturas, & extrinsecam authoritatem Scholast. colligitur, vt *præced. sect.* etiam collegi ex principijs reuelatis: ergo.

60. *Ad Rationes.* Ad 1. ration. concedo, certum fidei dogma esse, animam Christi esse gratam & acceptam Deo: nego hunc esse effectum solius gratiæ habitualis, sed nobiliori iure, gratiæ substantialis, quâ Christi humanitas est grata & dilecta Deo. Citata *Matth.* 3. & 17. Hieronymus *in eum loc.* Augustinus 2. *de Trin. cap.* 10. &c. referunt ad solum Patrem, qui sibi in proprio filio complacet, propter eandem sanctitatem & naturæ diuinæ consubstantialitatem. Alij, vt Adrianus I. *in Epist. ad Episc. Hispaniæ,* quæ habetur in *Concil. Francoford.* referunt ad totam Trinitatem. Cæterùm non necessariò intelligenda sunt de complacentiâ & dilectione propter gratiam accidentalem, sed propter vnionem hypost. quæ sicut à Trinitate, communicata est humanitati Christi, ita Trinitas propter eam in assumpto homine sibi complacet.

61. *Ad secundã.* Ad 2. concedo, fide certum esse, in Christo fuisse & esse charitatem infusam: nego de fide esse, hanc fuisse, vel esse habitualem, sed posse tantùm esse actualem. Cæterùm, esto de fide sit, vt probabilius puto, & *in* 3. *tom.* docui, homines iustificari per habitum gratiæ & charitatis, dispar tamen est ratio de Christo, qui non indigebat nec indiget gratiâ habituali, vt sit sanctus & iustus coram Deo, etiam sanctitate & iustitiâ sibi intrinsecâ, sed solùm ad connaturaliorem modum operandi, per principium operatiuum intrinsecum: quem modum non cogimur ex principio fidei, sed solâ ratione, & authoritate Scholast. in Christo ponere. *Ad confir.* Ad confirmationem esto, Christus eodem modo *cit. loco Ioan.* 15. loquatur de charitate propriâ, & aliorum iustorũ: adhuc nego de fide esse eodem modo dicta verba intelligenda esse de charitate propriâ, ac de charitate aliorum iustorum. Cùm ex citatis verbis Christi id expresè non colligatur: sed solùm, quòd sicut reliqui iusti, seruando præcepta Christi, manent in dilectione Christi: ita Christus, seruando præcepta Patris, manet in dilectione Patris. Quod optimè intelligi potest de dilectione actuali Beatifica, quæ per modum habitus permanenter erat in Christo: & de dilectione habituali in reliquis iustis: quod satis est, vt ex obseruantiâ præceptorum in vtrisque colligatur permanentia dilectionis erga Deum.

62. *Ad tertiã.* Ad 3. nego, in eâ definitione iustificationis à Concilio traditâ, Christum comprehendi: 1. quia ibi describit iustificationem impij, quę vt *cap.* 4. docet, est *Translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ, in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei per secundum Adam* IESVM *Christum saluatorem nostrum:* 2. quia ibidem docet, hanc iustificationem post promulgatum Euang. sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non posse. 3. demum *cap.* 7. Christum non obscurè ab hâc iustificatione à se traditâ excludit, dum illum docet esse finalem, & meritoriam causam huius nostræ iustificationis. Nec refert, quod hæc dona sint necessaria animæ Christi, saltem ad connaturalem modum operandi: quia licet hoc sit rationi congruũ, adeoque verum, non tamen fide certum, quod tantùm hîc nego.

Ad 4. Resp. 1. Aliquos Patres intelligi posse de solis perfectionibus spectantibus ad perfectam constitutionem naturæ humanæ, contra eos hæret. qui negabant, in Christo fuisse perfectam naturam humanam quoad omnes suas proprietates, & naturales perfectiones; vti fuit natura diuina iuxta *Athanasij Symbolum Perfectus Deus, perfectus homo.* 2. Esto, multi loquantur etiam de perfectionibus, illam supernaturaliter ornantibus & perficientibus, vti nos *suprà* adhuc tamen posset quis absque notâ hæresis contendere, gratiam habitualem non esse perfectionem compossibilem cum vnione hypost. eo quòd secum afferat filiationem adoptiuam, quæ pugnat cum filiatione naturali in eodẽ subiecto. 3. etsi aliqui Patres id asserant, non tamen rem faciunt diuinâ fide certam; cùm & pauci sint, & non nisi generaliter loquantur: Similitudo de omnibus perfectionibus supernaturalibus glorioso Christi corpori concessis, vt eâdem proportione respondere debeant & perfectiones supernat. animæ, cum reliquis iustis communes, solùm facit hanc sententiam longè probabiliorem, non fide certam, cui accedente authoritate omnium Scholasticorum fit moraliter certa, vt non possit absque summâ temeritate negari. 63. *Ad quartã. Resp.* 1. *Resp.* 2. *Resp.* 3.

Ad 5. ratio tantùm probat, quando id, in quod Doctores omnes conspirant, vt in veritatem fide diuinâ credendam, esse certâ fide amplectendam. Patres & Scholastici non conspirant in hanc sententiam, vt diuinâ fide certam, neque sic illam nobis credendam proponunt, sed absolutè Scholastici dicunt, fuisse in Christo gratiam habitualem cum omnibus donis & virtutibus infusis; Patres neque id expresè asserunt, *vt suprà.* 64. *Ad quintã.*

SECTIO III.

Quo fine data sit Gratia habitualis, & virtutes infusæ Christo Domino?

PRIMA Sentent. *Alen.* 3. *part. quæst.* 7. *membr.* 2. *art.* 1. *& quæst.* 12. *membr,* 1. *art.* 1. asserente, illam necessariam fuisse ad disponendam humanitatem ad vnionem cum Verbo. Sed hæc confutata est disputat. 13. 65. 1. *Sentent.*

SECVNDA *Palud. in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 2. *opin.* 4. *Argentina quæst.* 1. *art.* 2. *Marsi. qu.* 10. *art.* 1. *concl.* 2. *Medin. Cabre. cit.* affirmantium, illam necessariam fuisse, 1. vt humanitas fieret sancta & grata Deo; 2. vt eius opera essent meritoria. Ob 2. ponit illam *Durand. qu.* 1. *num.* 8. Fundam. nec formalis sanctitas, nec meritum esse potest nisi à gratiâ habituali. Confirmat. *Trident. sess.* 6. *ca.* 7. docet, vnicam causam nostræ iustificationis esse iustitiam nobis inhærentem. 66. 2. *Sent.* *Fundam.*

TERTIA *Vasquez* 3. *part. disp.* 41. *cap.* 5. &c. asserentium, gratiam habitualem cum virtutibus infusis necessariam fuisse in Christo ad connaturaliùs tantùm elicienda opera supernaturalia. 67. 3. *Sentent.*

DICO 1. Humanitas Christi non indiguit gratiâ habituali, vt esset sancta & grata Deo. Fundam. vnione hypost. fuit altiori modo sanctificata & grata Deo; quàm quâcunque gratiâ accidentali, quia ad perfectam sanctificationem tria sunt necessaria ex *Triden. sess.* 6. *cap.* 7. perfecta emundatio à peccato; dignitas amicitiæ diuinæ; & ius seu ordinatio ad Dei hæreditatem: nam ideò gratia habitualis perfectè sanctificat, quia præstat hæc tria: at hæc altiori modo præstat vnio hypost. 1. emundat ab omni peccato etiam veniali, in quo excedit gratiam habitualem; 68. *Fundam.*

lem; tollit potentiam intrinsecam ad peccandum, in quo superat gratiam Confirmatorum; extinguit fomitem peccati, *teste S. Thom. 3. part. q. 15. articul.* 2. in quo conuenit cum iustitiâ originali, quæ partem inferiorem perfectè subijciebat superiori, & superiorem Deo. 2. constituit subiectum dignum speciali dilectione & amicitiâ Dei, iuxta illud *Matth. 3. & 17. Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui*: nam siue hæc verba referantur ad solum Patrem, siue ad Trinitatem, semper possunt verificari de Christo, vel ratione vnionis hypost. vt *quo*, si referantur ad Trinitatem; vel ratione eiusdem vnionis vt *quod*, si referantur ad solum Patrem. 3. tribuit ius ad gloriam, & ad omnia bona Dei, perfectiori iure, quàm gratia habitualis; nam hæc titulo tantùm filiationis adoptiuæ, illa naturalis.

69. *Dices.* DICES: si Angelus iustus ac sanctus suppositaret naturam humanam, peccatricem, non sanctificaret illam: ergo nec Verbum suppositans humanitatem. *Resp.* Nego consequentiã. nam personalitas Angeli, quâ tantùm vniretur naturæ humanæ, non est formalis sanctitas, vt est personalitas Verbi. nec ex eo quòd vniretur personalitate, necessariò vniretur gratiâ habituali quâ angelus est formaliter iustus: ac proinde posset esse iustus in se, & nihilominus assumptam naturam non iustificare.

70. DICO 2. neque anima Christi indiguit gratiâ habituali ad condignè satisfaciendum & merendum pro nobis. *Fundam.* Fundamentum, ad hoc requirebatur, & satis erat persona increata: nam non sufficiebat actio valoris creati, propter offensam, quæ est contra personam increatam. Vt igitur satisfactio esset condigna, debebat esse valoris increati, seu actio personæ increatæ, quæ magis Deo placebat, quàm illi displicuerat offensa.

71. DICO 3. Gratia habitualis & virtutes infusæ collatæ sunt Christo ad connaturalem modum agendi actiones supernaturales nec non ad extensiuam & consummatam perfectionem animæ Christi. *Fundam.* Fundamentum anima Christi ad elicienda opera supernaturalia indigebat influxu supernaturalis, sed hic non deriuabatur ex personâ Verbi, quia hæc non vnitur vt immediatum principium operandi, sed vt ratio subsistendi; ergo ab aliquo principio supernaturalis connaturalius autem est, vt hoc sit intrinsecum & inhærens. ideò ponitur in Beatis lumen gloriæ, à quo vt ab intrinseco principio moueantur ad visionem Dei. Ergo datur in Christo principium proximum eliciendi opera supernaturalia: hoc autem sunt virtutes infusæ, quę connaturaliter supponunt gratiam habitualem, vt potentiæ essentiam, in qua radicantur. *Ad fund. 2. Sentent.* Eadem verò gratia & virtutes, quia intrinsecè perficiunt animam reddunt illam quasi extensiuè perfectiorem, & venustiorem in ordine ad finem supernat. Dixi, *extensiuè*: nam intensiuè tota hæc accidentalis perfectio eminenter continetur in gratiâ substantiali vnionis. Hinc patet ad Fundam. secundæ. *Ad Trid.* Ad *Triden.* dico, loqui tantùm de iustificatione accidentali viatoris, quæ fit gratiâ habituali: loquitur enim de iustificatione, quæ fit mediâ passione, & merito Christi.

72. *Coroll. 1.* Deducitur 1. non potuisse Verbum assumere humanitatem existentem in puris naturalibus, contra *Medin. & Durand. in 3. dist. 12. quæst. 2. num. 5.* quia non potuit illam assumere, & formaliter non sanctificare. Vnde sicut per assumptionem illam formaliter sanctificat, ita formaliter eam extrahit à puris naturalibus.

73. *Coroll. 2.* 2. In Christo cum gratiâ habituali & virtutibus infusis, charitate, spe, non quoad primarium actum circa beatitudinem animæ, quâ beatus fuit ab instanti suæ conceptionis, sed tum quoad secundarios circa beatitudinem animæ: tum quoad primarium erga beatitudinem corporis, quam nondum perfectè possidebat, & nominis exaltationem; obedientiâ, Religione, cæterisque virtutibus, quæ vel imperfectionem non important, vt Continentia; vel cum Beatitudinis statu non pugnant, vt Fides, fuisse etiam septem Spiritûs S. dona si hæc reipsâ distinguuntur à virtutibus infusis, de quâ diffic. 3. *tom.* cum his fuisse etiam virtutes gratis datas, quæ nouem numerantur ab *Apostolo 1. ad Corint.* 12. Sermo sapientiæ, sermo scientię, fides, prout dicit habitum promptè ac facilè proponendi explicandique mysteria Fidei, gratia sanitatum, operatio virtutum, prophetia, discretio spirituum, genera linguarum, Interpretatio sermonum: oportebat has virtutes esse in Christo, primò, quia caput est Ecclesiæ, in quo, *Augustino teste epistol. 57. ad Dardan. fine*, vigere debent omnes sensus, vt ex eo influxus omnis ad membra deriuetur. Secundò, quia Doctor est Ecclesię, & Euangelij prædicator, ad quem pertinebant omnes gratiæ gratis datæ, vt cum dignitate Doctoris munus exercere posset. *Duplici ex causâ.*

SECTIO IV.

An Christo fuerit necessaria Gratia actualis ad eliciendos actus supernaturales?

GRATIA actualis, vna per modum concursûs; altera per modum principij moraliter excitantis, vel ad bonum prosequendum, vel ad malum fugiendum; quæ consistit in aliquâ sanctâ cogitatione ex parte intellectûs, & piâ motione indeliberatâ ex parte voluntatis. 74. *Duplex gratia actualis.* *Per modum concursus.* Prior fuit omninò necessaria animæ Christi scilicet concursus supernat. ad actus supernaturales eliciendos, non minùs quàm necessarius sit concursus naturalis ad eliciendos actus naturales. quia nullus effectus produci potest absque proportionato cõcursu causæ. 1. Posterior fuit etiam animæ Christi necessaria ad actus supernaturales extra Deum clarè visum eliciendos: ad quos non modò est necessarius concursus supernat. sed etiam pia cogitatio supernaturalis distincta à clarâ visione Dei, quæ proximè voluntatem dirigat & applicet ad opus supernaturale prosequendum, vel oppositum malum fugiendum: cùm nequeat visio beata voluntatem proximè dirigere & applicare ad tales actus eliciendos. 75. *Per modum principij moraliter excitantis.* *Resp.* Ratio: voluntas tales actus extra Deum clarè visum, elicit ex proprio motiuo virtutum, quarum sunt actus, exempli causâ, actum misericordiæ ex proprio motiuo misericordiæ: nequit autem, nisi ex practico iudicio talis motiui: nam ad actum deliberatum, non pendet ex solâ simplici apprehensione obiecti, sed etiam ex practico iudicio intellectûs, quo iudicatur, obiectum ex hoc vel illo motiuo, esse prosequendum, vel fugiendum, vt constat ex 3. *tom.* Cùm igitur visio beata omnia obiecta, etiam creata, proponat vt practicè diligenda ex motiuo solius bonitatis increatæ in se visæ, non poterit esse proportionata regula ad mouendam practicè voluntatem ad actus aliarum virtutum ex proprio motiuo eliciendos. Est igitur in Christo, necessaria notitia distincta, quę proximè dirigat, & applicet humanam voluntatem ad a-

ctus supernaturales virtutum ex proprio motiuo eliciendos. hæc notitia dicitur gratia excitans, quatenus vitali obiecti propositione mouet & allicit voluntatem, vel ad bonum prosequendum, vel ad malum fugiendum. Sola diffic. est, an ad hanc noti-
Difficultas. tiam supernaturalem egeat anima Christi impelli, & excitari immediatè à Deo, vti egemus nos; an verò valeat ipsa seipsam immediatè excitare, vti nos nosipsos excitare valemus ad opera naturalia. Pro
76. Duplex status animæ Christi. explic. potest anima Christi considerari, in statu solius vnionis cum Verbo, absque vllâ scientiâ actuali supernat. aut beatâ, aut infusâ, qui non implicat; & in statu vnionis simul cum scientiâ actuali, vel beatâ, vel infusâ.

77. Dico 1. anima Christi in statu solius vnionis cum Verbo, absque vllâ scientiâ actuali beatâ, vel infusâ, non posset seipsam excitare ad actus supernat. eliciendos, sed egeret ad eos excitari immediatè ab ipso Deo, non minùs quàm egemus nos: proinde necessaria esset illi in tali statu ad huiusmodi actus eliciendos gratiâ excitans, ab extrin-
Fundam. seco infusa, vt necessaria est nobis. Fundamentum: vnio hypost. non est immediatè directiua & regulatiua humanæ voluntatis Christi, per vitalem obiecti propositionem, cùm sit pura tantùm vnio hypostasis diuinæ cum naturâ humanâ ad subsistendum: nequit autem voluntas seipsam excitare ad bonum prosequendum, vel malum fugiendum, nisi ex præuiâ notitiâ saltem confusâ obiecti, ex quâ excitata possit intellectui imperare clariorem notitiam de eodem obiecto eliciendam: nec à seipsâ notitiam habere potest nisi per actuales notitias sensuum, & species per sensus comparatas excitando: at nulla notitia per sensus, & species sensuum ministerio excitata, potest esse supernaturalis, cùm originem ducat ab obiectis naturalib.

78. Dices. Dices: omnis notitia supernat. est debita animæ Christi, ratione vnionis hypost. ergo etiam consideratæ cum solâ vnione hypost. absque vllâ scientiâ actuali, est illi debita gratia excitans ad o-
Resp. perationes supernat. Concedo totum. Neque enim hîc contendimus, an talis gratia sit animæ Christi debita, sed an eam possit sibi excitare? Concedimus igitur, talem gratiam esse illi debitam, negamus autem illam posse in tali statu sibi excitare.

79. Dico 2. anima Christi non potuit seipsam ad visionem beatam excitare, sed debuit, vel ab ipso Deo immediatè excitari, vel physicè ad illam per
Ratio 1. lumen gloriæ prædeterminari. 1. quia visio beata fuit primus actus cognitionis simpliciter, quo anima Christi post vnionem ad Verbum, fuit à Deo præuenta: implicat autem, vt anima seipsam excitet ad primum actum cognitionis simpliciter; cùm nequeat seipsam excitare, nisi per imperium voluntatis, quo intellectui imperet aliquam notitiam de obiecto habendam, nec suum imperium, vel quemcunque actum exercere, absque præuiâ notitiâ intellectûs, quippe quæ nequit ferri in incogni-
Ratio 2. tum. 2. esto, visio beata non fuisset primus actus simpliciter; demus priùs tempore intellectum humanum Christi fuisse illustratū actu scientiæ infusę, adhuc non potuisset ex tali actu sciētię infusæ anima Christi seipsam excitare ad actū visionis beatæ. quia vel cum actu scientiæ infusę habitum luminis gloriæ non accepisset; sic non habuisset in suâ potestate actum visionis beatificæ, quia non habuisset in se principium, ex quo illa effectiuè pendet: vel accepisset: sic cùm lumen gloriæ in producendâ visione beatâ non subsit liberæ potestati creaturæ, sed sit principium necessarium physicè prędeterminans intellectum, independenter ab vllo actu & imperio voluntatis, vt 3. tom. non potuisset anima Christi ex actu scientię infusæ per imperium seipsam excitare ad eliciendum actum visionis beatificæ, medio lumine gloriæ sibi inhærente: nam, vt id potuisset, debuisset pro suâ libertate liberè applicare posse lumen gloriæ ad visionem beatam producendam; nam ad ea dicimur nos excitare posse, ad quę liberam facultatem habemus, nosipsos excitandi: non enim dicimur nosipsos excitare ad actus vitæ vegetantis, vel angelus ad cognitionem suæ essentiæ, ad quam necessariò à naturâ determinatur. Fateor, si eo casu anima Christi cum actu scientiæ infusæ, accepisset habitum luminis gloriæ subordinatum suæ potestati in producendâ visione beatâ, potuisse ex actu scientiæ infusæ seipsam excitare ad actum scientiæ beatæ: nam tunc ex cognitione Dei abstractiuè cogniti, etiam vt trini, *vt infrà*, potuisset seipsam excitare ad claram visionem Dei, liberè applicando intellectum vnà cum lumine gloriæ ad illam eliciendam.

Dico 3. ex visione beatâ potest anima Christi 80.
seipsam excitare ad quemcunque actum scientiæ
infusæ. Fundamentum cùm per visionem beatam Fundam.
actu vel saltem virtute repræsententur in Deo omnia obiecta, tam naturalia, quàm supernat. quæ anima Christi actu, vel habitu noscit per scientiam infusam; Et tam habitus, quàm species scientiæ infusæ perfectè subordinentur humanæ voluntati Christi, poterit ex actu visionis beatæ seipsam excitare ad actum scientiæ infusæ, huius, vel illius obiecti, cùm omnium obiectorum notitia, quæ ab anima Christi haberi potest scientiâ infusâ, præcedat in beatâ. Dixi, *vel saltem virtute*, propter infinitas cogitationes æternùm futuras, quæ non se, sed in causâ; nempe in potentiâ creatâ repræsentantur à scientiâ beatâ, quæ cognitio effectus in causâ sufficit ad excitandum intellectum, vt exprimat effectum in se.

Dico 4. potest anima Christi ex actu scientiæ 81.
infusæ seipsam excitare ad quemcūque actum scientiæ naturalis, vel supernaturalis & è contrà, ex actu scientiæ acquisitæ potest seipsam excitare ad actum
scientiæ infusæ de eodem obiecto: cùm per actum Ratio prioris.
scientiæ infusæ, vel omnia, vel pleraque obiecta, tam naturalia, quàm supernat. quæ potest anima Christi extra scientiam infusam cognoscere, actu exprimantur; & possit anima Christi ex actu scientiæ acquisitæ seipsam excitare ad actum scientiæ infusę circa obiectum, quod non supponitur actu cognosci scientiâ infusâ ab intellectu Christi; non enim semper humanus intellectus Christi fuit in actu adęquato scientię infusę.

Obijcies: non repugnat, humanam voluntatem 82.
Christi ex visione beatâ immediatè moueri ad Objicies.
quodcunque obiectum creatum, in eâ expressum, ex motiuo charitatis diuinæ, ex quo per visionem beatam illa proponuntur practicè diligenda: ergo saltem ad ea ex motiuo charitatis diuinæ diligenda, non est necessaria distincta gratia excitans ab ipsa
visione beatifica. Nego antec. talia enim obiecta 83.
non amarentur propter Deum; cùm ex tali moti- Resp.
uo, eadem obiecta supponantur necessariò & adæquatè dilecta amore beatifico cum Deo clarè viso; & non possint eadem obiecta multiplicato actu beatifico amari; Nec propter seipsa & bonitatem propriam; quia visio beatifica non proponit obiecta practicè diligenda propter se, sed propter increatam bonitatem Dei; scilicet perfectissimo modo quo diligibile est quidquid creatum est, & cùm visio

visio beata sit perfecta participatio visionis increatæ quæ omnia creata diuinæ voluntati proponit vltimatè diligenda propter Deum, nequit eadem obiecta humanæ voluntati Christi proponere vt practicè diligenda propter seipsa: ergo ad ea diligenda propter seipsa actu dilectionis distincto à beatifico, eget voluntas humana Christi distincto actu practico iudicij à visione beatâ; nam hæc proponit obiecta diligenda solùm propter Deum, quippe quæ proponit ea diligenda perfectissimo amore amicitiæ Dei. Confirmat. practicum illud iudicium, quod in nobis necessarium est ad amandas creaturas propter Deum perfectissimo amore amicitiæ dilectum, non est sufficiens ad easdem amandas propter seipsas, etiamsi vterque actus amoris proficiscatur ab eodem habitu charitatis: ergo nec visio beata proponens creaturas amandas propter Deum, erit sufficiens ad easdem amandas propter se.

SECTIO V.

An Christi humanitas non solùm sanctificetur à Gratia habituali, sed etiam ab alijs formis.

84. *Grauis diffic.* ADhuc superest difficultas de formâ, à quâ præter gratiam habitualem, Christi humanitas fuerit proximè & immediatè sanctificata; nam triplex potest esse ea forma, scilicet natura diuina, personalitas Verbi, Vnio hypost.

85. *1. Sentent.* PRIMA Sentent. negat, Christi humanitatem ab aliâ formâ, quàm à gratiâ habituali, sanctificari: Est eorum, qui docent, gratiam fuisse ad hunc effectum in Christo necessariam; vt *sect.* 3. *Fundam. esse potest.* Fundam. illa sola forma potest subiecto communicare effectum formalem sanctitatis, quæ potest subiecto inhærere; cùm effectus formalis non sit nisi forma ipsa inhærens subiecto: nulla autem forma, præter gratiam habitualem, potest Christi humanitati effectum formalem sanctitatis tribuere: nec enim natura diuina, ne personalitas Verbi inhærere potest humanitati vt subiecto; vnio hypost. etsi inhæreat, quia tamen non est forma formaliter sanctificans, non potest ei tribuere effectum formalem sanctitatis.

86. *2. Sent. Vasquez.* SECVNDA *Vasquez 3. p. disp.* 41. *cap.* 3. & 4. affirmantis, Christi humanitatem solâ Deitate, vt formâ immediatè sanctificari, non personalitate nec vnione hypost. nisi vt conditione, sine quâ Deitas non posset sanctificare. Probat 1. apud Patres idem est, humanitatem diuinitate inungi, ac sanctificari, ex *Cyrill. Alex. in Epistol. ad Monach. Ægyp. post med.* quæ refertur *in Concil. Ephes. p.* 1. idem *Auctoritas Patrum.* deificari ac sanctificari Deitate. Probat 2. quòd nô sanctificetur vnione hypost. tum quia humanitas Christi est infinitè sancta: igitur forma illam sanctificans debet esse infinita: at vnio hypost. non est forma infinita: tum quia, *vt disput.* 30. *cap.* 3. arguit, Si vnio hypost. esset forma formaliter sanctificans, non posset à Deo assumi natura irrationalis, contra ea quæ *disputat.* 15. *sect.* 1. in quo enim impossibilis est effectus formalis formæ intrinsecè inhærentis, impossibile est, talem formam inhærere: sed impossibilis est in naturâ irrationali effectus formalis sanctitatis: ergo impossibile est, in eâ vnionem hypost. inhærere. Secus est, quando forma sanctificans non est intrinsecè inhęrens, sed tantùm extrinseca, vti est Deitas respectu naturæ assumptæ: nam tunc non implicat, deriuari ex eâ, per extrinsecum respectum, effectum sanctitatis in vnam naturam, quæ est sanctitatis capax, & non in aliam, quæ sanctitatis capax non est.

87. *Ratio Vasquez de Vnione.*

88. *De persona Verbi.* De personalitate Verbi *disputat.* 5. *cap.* 5. docet, opera Christi non fuisse sancta & condigna, quà erant à supposito diuino, sed potiùs quà ab humanitate sanctificatâ Deitate, vt formâ morali: nam si sancta fuissent, quà erât à supposito in humanitate subsistente, sequeretur, eodem modo fuissent condigna, etiamsi elicita ab humanitate cum peccato habituali assumptâ, quod non implicat; nam eodem modo fuissent tunc opera suppositi diuini subsistentis in eâ humanitate, ac sunt nunc. vnde sequitur, humanitatem Christi sanctificari formaliter solâ Deitate vt formâ morali, quæ eo casu non communicaret effectum formalem sanctitatis propter impedimentum peccati.

89. *3. Sentent.* TERTIA affirmat, Christi humanitatem formaliter sanctificari etiam personalitate Verbi, vt virtualiter distinctâ à naturâ diuinâ, etiamsi vt virtualiter distincta non sit formalis sanctitas; vnione hypost. non sanctificari vt formâ communicante sanctitatem, sed tantùm vt viâ ad sanctitatem; sicut vnio, quâ gratia habitualis vnitur subiecto, non sanctificat formaliter subiectum, sed est via tantùm ad sanctificationem subiecti: Per- *Ita docti Recen.* sonalitas Verbi, vt virtute distincta à naturâ non est formalis sanctitas; tum quia sanctitas non est quæuis perfectio, sed quę subiectum perficit in ordine ad beatitudinem supernaturalem per modum primæ radicis; aliàs habitus à gratiâ distincti infusique sanctificarent nos formaliter: at nulla personalitas diuina est prima radix Beatitudinis nec impeccabilitatis respectu personæ: Tum quià in Deo essent tres sanctitates relatiuæ; cùm attributum sanctitatis sit absolutum, non minùs quàm beatitudinis. 90.

91. Hoc tamen non obstante, personalitas Verbi sanctificat formaliter humanitatem: quia licet non sit ipsi personæ Verbi radix beatitudinis, potest tamen ea esse naturæ assumptæ: quia ratione personalitatis Verbi, etiam vt virtualiter distinctæ à naturâ debetur humanitati beatitudo supernat. & hæreditas æterna; proinde est illi prima radix beatitudinis.

92. *4. Sentent.* QVARTA docet, humanitatē Christi ab omnibus enumeratis formis formaliter sanctificari, ab vnaquâque in suo genere. Hanc docere videtur *Suarez 3. p. disp.* 18. *sect.* 1. quamuis quoad vnionem declinare interdum videatur in præcedentes Sentent. vt velit, illam tantùm esse conditionem; non rationem formalem sanctificandi. Eandem expressè docent multi Recen. Controuersiæ decisio pendet ex intelligentia huius nominis, *sanctitas*, quid per illud formaliter importetur, vt hinc videre possimus, qualem effectum formalem sanctitatis habeat Christi humanitas à Deitate, personalitate Verbi, vnione hypost. gratiâ habituali. Sanctitas, vna imperfecta, quæ conuenit rebus etiam inanimis & ratione carentibus, vt templis, vasis, vestibus, cęterisque rebus diuino cultui dicatis, iuxta illud *Leuit.* 12. *Omne sanctum*, hoc est Deo dicatum, *non tanget*, & psalm. 94. *Domum tuam decet sanctitudo*: quę consistit in extrinsecâ tantùm denominatione, à voluntate dicantis & ordinantis rem ad cultum diuinum, & deriuat in rem ipsam consecratam, passiuam quandam exigentiam honoris & venerationis. Altera est sanctitas perfecta, soliusque naturæ intellectualis propria, quæ in primo & explicito suo conceptu importat internam mentis munditiem à sorde peccati, & rectam

93. *Tota huius controu. decisio.*

94. *Sanctitas duplex.*

Imperfecta.

95. *Perfecta.*

rectam dispositionem ad honestè operandum, absque defectu peccati. Dionysius 12. *cap. de diu. nom.* illam definit: *Sanctitas est omni scelere libera, perfectàque, & penitus incoinquinata munditia.* Sunt enim ad primum & explicitum perfectæ sanctitatis constituendum necessaria: primum vt sit forma ipsa spiritualis munditiei, à sorde peccati pura: secundum, vt sit honestè operatiua, absque defectu peccati: est enim sanctitas, quædam animi sanitas: vnde sicut perfecta corporis sanitas formaliter constituit corpus in certâ humorum temperie, & expeditum reddit ad exercenda munia animanti salubria; Ita primò & per se proportionaliter sanctitas animi ipsum mundum constituit à sorde & labe peccati per formam incompossibilem cum peccato; & simul expeditum reddit ad exercenda opera naturæ rationali consona: ita gratia habitualis, quæ est perfecta sanctitas accidentalis, reddit seipsa mundum animum à sorde peccati, & simul illum potentem facit ad operandum honestè absque defectu. Quod duplex gratiæ, atque adeò sanctitatis munus expressit *S. Ioan. in suâ 1. Canonica cap. 3. Omnis qui natus est ex Deo*, scilicet per gratiam habitualem, quæ est forma regeneratiua nouę creaturæ in Christo, *peccatum non facit*: ecce facultas rectè operandi absque peccato, quam tribuit gratia: *Quoniam semen ipsius in eo manet*: Ecce formalis animi mundities, quam simul cum potentiâ honestè operandi præstat gratia, ex eo quòd sit semen & participatio increatę sanctitatis. Quin etiam *ibidem* addit, eum, qui ex Deo per gratiam natus est, non posse peccare, scilicet ex suppositione, quòd maneat in eo gratia Dei: nam quamdiu hęc in nobis manet, manet spiritualis mundities, & expedita facultas operandi absque peccato. Ratio: sanctitas importat singulare & excellens esse suâ naturâ oppositum peccato: ad omne autem esse consequitur aliquod posse, non destructiuum, sed conseruatiuum talis esse: ergo ad esse suâ naturâ oppositum peccato, quale est esse, quod secum affert sanctitas, sequi debet posse, non destructiuum, sed conseruatiuum sanctitatis: hoc autem est, posse honestè & iustè operari absque peccato; nam hoc tantùm est conseruatiuum sanctitatis.

Dionysius eam describit. *Duo requisita.* *Duplex munus sanctitatis.* *Ratio omnium.*

96. *Triplex conceptus conseq.* Ex hoc primario conceptu, consequuntur alij per se connexi cum eâdem sanctitate. Primus reddit subiectum dignum, imò actu dilectum speciali amore amicitiæ Dei; cùm nequeat Deus speciali amore amicitiæ non diligere, quem videt similem sibi, & suæ naturæ consortem. Secundus ius confert ad beatitudinem supernaturalem & visionem æternam Dei: nam hoc ipso, quòd facit diuinæ naturæ participē, facit etiam participem eiusdem beatitudinis. Tertius constituit subiectum dignum speciali honore & veneratione. nam sicut omne esse excellens & singulare, excellentiâ & singularitate suâ, trahit alios ad admirationem sui, ita iure suo postulat, vt ab ijsdem honoretur.

97. *Assertio 1. Ratio.* Dico 1. Humanitas Christi formaliter sanctificatur à gratiâ habituali. Prob. Humanitas Christi accipit primarios effectus formales gratiæ habitualis, vt sanctitas creata est: qui sunt spiritualis munditia à sorde peccati, & facultas rectè operandi absque defectu peccati: nam licet hos ipsos effectus strictiori iure, ac nobiliori modo accipiat à sanctitate increatâ Verbi, scilicet cum summâ munditiâ ab omni prorsus labe peccati, & cum omnimodâ impotentiâ ad defectum moralem peccati, hinc tamen non tollitur, quin alio titulo possit eosdem effectus accipere, seu aliâ perfectione inferiore, quâ sunt debiti gratiæ accidentali, sublatâ imperfectione, per gratiam & sanctitatem substantialem. Non enim repugnat, eandem rem accipi diuersis titulis, quorum vnus propter suam perfectionem includit & excedit alium: vt constat de gloriâ corporis & nominis exaltatione, quam titulo meriti consecutus est Christus: Siquidem vtraque non solùm vt proportionatum præmium respondit actibus meritorijs Christi, vt ab increatâ personâ Verbi infinitè dignificatis, sed etiam ijsdem, vt ab intrinsecâ honestate & accidentali gratiâ meritorijs, saltem nominis exaltatio, cùm sit extrinseca perfectio Christi, non est præmium excedens actus meritorios Christi, à solâ intrinseca honestate & gratiâ accidentali dignificatos; cùm tamen eadem sit data Christo in præmium corundem actuum, quâ erant à persona Verbi dignificati. Confirmatur: sicut anima Christi accipit effectus formales secundarios gratiæ habitualis, qui sunt, constituere subiectum dignum speciali amore amicitiæ Dei: conferre ius ad supernaturalem beatit. reddere naturam dignam speciali honore & veneratione; nam hos eosdem effectus participat humanitas Christi, limitatè tamen à gratia habituali: ita accipit effectus formales primarios eiusdem: cùm non minùs effectus formales primarij sanctitatis accidentalis sint debiti naturæ humanæ Christi, ratione sanctitatis substantialis, quàm effectus ipsi formales secundarij. 98. *Confirm.*

99. *Assertio 2. Fundam. vnicum præter authoritatem Patrum.* Dico 2. Humanitas Christi formaliter sanctificatur Deitate Verbi. Fundam. Deitas, etiam vt virtute distincta à personalitate Verbi, habet omnia ad Christi humanitatem sanctificandam requisita: scilicet est realiter vnita humanitati, & humanitas est capax sanctificationis: habet omnia ad effectum formalem præbendum requisita; ergo illum actu præbet, cùm non liberè, sed necessariò, positis requisitis, illum præbeat: & sanctificare sit tribuere effectum formalem sanctitatis: ad hunc autem tribuendum non est necessarium, vt forma inhæreat subiecto, sed sufficit, vt illi substantialiter vniatur: quia, cùm hic effectus formalis sanctitatis consistat tantùm in morali respectu prouenientе ex Deitate substantialiter vnitâ humanitati, non requirit intrinsecam inhærentiam formæ sanctificantis: sicut huiusmodi inhærentiam requirit personalitas Verbi, vt suam moralem dignitatem communicet humanitati, eiusque operibus. Deitas autem etiam vt virtute distincta à personalitate Verbi, terminat vnionem hypost. eandem quam terminat Verbum: alioqui non posset dici incarnata & vnita humanitati, vt dicunt Patres. Ratio: cùm natura diuina sit idem realiter cum personalitate Verbi, non potest terminari vnio ad Verbum, quin saltem mediatè terminetur etiam ad naturam Verbi. *A priori.*

100. *Dices.* *Obijcies* 1. Christi humanitas sanctificaretur totâ Trinitate; quæ tota mediatè cum Deitate est vnita humanitati. Nego sequel. nam neque mediatè gloriosissima Trinitas est vnita humanitati, sicut nec mediatè est incarnata: Ratio: illud tantùm mediatè vnitur, quod est idem realiter cum eo, quod vnitur per se: at sola natura diuina est idem realiter cum personalitate Verbi, quæ per se tantùm cū humanitate vnitur, non reliquę Personę: igitur sola natura diuina mediatè vnitur cū humanitate, & consequenter sola hæc cum personalitate Verbi illā formaliter sanctificat, nō reliquæ Personę diuinæ. Ratio: quod conuenit formæ, non absolutè, sed vt informanti tale subiectum, non potest eidem conuenire vt informanti aliud subiectū. Sicut quia conuenit *Resp.* *A priori.*

conuenit animæ rationali intelligere, vt informanti caput, non potest idem intelligere ei conuenire, vt informanti pedes, licet eadem anima informet caput & pedes. Ita quia terminare vnionem hypostaticam non conuenit naturæ diuinæ simpliciter, sed prout includitur in personâ Verbi, quæ sola terminat per se, non poterit eandem vnionem terminare, prout includitur in reliquis
A pari. personis. Eodem modo si albedo replicaretur in duplici subiecto, & terminaret visionem, prout esset in vno, non diceretur eandem visionem terminare, prout esset in alio.

101. *Obijcies* 2. si sanctitas importaret potentiam iustè operandi absque defectu peccati, sequeretur, Christi humanitatem à Deitate non sanctificari sanctificatione increatâ, sed creatâ. nam hæc potentia iustè operandi est ipsa voluntas humana Christi instructa auxilijs ad semper iustè & rectè operandum necessarijs: quæ omnia, vt patet, sunt
102. *Resp.* creata. Nego sequel. Ad probationem concedo, proximam & formalem potentiam rectè operandi, absque defectu peccati in humanitate Christi esse creatam; non potentiam remotam & radicalem: nam hæc est ipsa Deitas, quę vt forma sanctificans humanitatem, exigit in humanitate proximam & formalem potentiam semper iustè & rectè operandi absque vllo defectu peccati, vt complementum sibi essentialiter debitum. Sicut facultas honestè operandi absque defectu peccati, quam per se primò importat gratia habitualis, vt creata sanctitas est, non sunt habitus infusi proximè operatiui, alioqui sola gratia absque habitibus non sanctificaret: sed est gratia vt radix exigens proximam facultatem rectè operandi absque peccato. Est igitur proxima potentia iustè operandi absque defectu peccati complementum essentialiter debitum, non formaliter constituens sanctitatem.

103. *Obijcies* 3. Humanitas Christi ex vnione cum naturâ diuinâ non fit immensa: ergo nec sancta. quia non minus Christi humanitas vnitur cum natura diuina vt immensa & æterna, quàm cum
104. *Resp.* eadem vt sancta. Nego conseq. humanitas enim ex vnione cum naturâ diuinâ, vt sanctâ, participat in seipsa etiam abstractè considerata effectus formales sanctitatis, qui sunt, immunem fieri ab omni labe & sorde peccati; amari à Deo singularissimo amore amicitiæ; habere ius ad æternam beatitudinem; reddi dignam supremo cultu latriæ: Non autem in seipsa abstractè considerata participat effectus formales immensitatis & ęternitatis, qui sunt, fieri vbique præsentem, & nullum in duratione initium habere: hos enim effectus solùm participat humanitas in concreto per communicationem idiomatum: quatenus eadem, quæ conueniunt naturæ diuinæ in concreto, conueniunt & prædicantur de naturâ humanâ etiam in concreto sumptâ, ratione suppositi diuini vtram-
A priori. que naturam supposítantis. Ratio: effectus formales sanctitatis sunt morales, qui communicari possunt humanitati etiam abstractè consideratæ: Effectus formales immensitatis, æternitatis, reliquorumque attributorum, sunt physici, qui nequeunt communicari humanitati, nisi humanitas ipsa constituatur in spatio, & tempore infinito.

105. *Obijcies* 4. Si sanctificatio, quam Christi humanitas accipit à naturâ diuinâ, consisteret in solo respectu morali, non posset esse increata; necessariò enim distingueretur à Deitate. Nego seque-
106. *Resp.* lam, nam cùm iste moralis respectus, formaliter consistat in denominatione immediatè desumptâ ab ipsâ Deitate, physicè vnitâ humanitati, non poterit distingui ab ipsâ Deitate, quam essentialiter includit; sicut omnis denominatio essentialiter includit formam denominantem, non minùs quàm omnis effectus formaliter essentialiter includit formam informantem; cùm etiam denominatio sit effectus formalis, licet extrinsecus, à formâ denominante. Instas: natura diuina physicè 107.
vnitur humanitati: ergo physicè, & non tantùm *Instabis.*
moraliter, communicat illi suum effectum formalem sanctitatis. Confirmat. effectus formalis, *Confirm.*
est concretum ex formâ & subiecto: igitur effectus formalis sanctitatis in Christo, est concretum ex humanitate & Deitate: at hoc est physicum: ergo effectus formalis sanctitatis non est
moralis, sed physicus. Nego consequentiam: nam 108. *Resp.*
physicè fieri sanctum, non est tantùm physicè vniri cum sanctitate: sed est reddi per illam intrinsecè sanctum, vel per intrinsecam inhærentiam, vel per identitatem. Cùm enim esse sanctum sit denominatio intrinseca; nemo potest esse sanctus sanctitate alterius; Deitas non inhæret humanitati, vt physica forma ipsius, sed vt perfectissima substantia in seipsa subsistens; non poterit per physicam vnionem cum Deitate humanitas Christi denominari physicè, sed moraliter tantùm sancta, sanctitate moraliter in humanitatem deriuatâ à physicâ
sanctitate increatâ Deitatis. Ratio: sanctificatio *A priori.*
debet concipi per modum effectûs formalis intrinsecè afficiens humanitatem; nam humanitas secundùm se dicitur participare sanctificationem Deitatis: igitur nequit hæc denominatio saluari præcisè per Deitatem vnitam cum humanitate, licet hoc sit proximum fundamentum: sed formaliter saluatur per denominationem moraliter deriuatam ab ipsa Deitate, physicè vnitâ, in humanitatem: eo modo, quo *suprà*, dignitas personalitatis increatæ moraliter deriuatur in humanitatem, eâque mediâ in omnia opera eius. Confirmat. sicut humanitas in seipsa intrinsecè participat immunitatem à peccato, impeccabilitatem, ius ad supernaturalem beatitudinem, singularem amabilitatem, & cæteros effectus formales sanctitatis; ita & sanctificationem, cùm nil aliud sit sanctificatio, quàm effectus ipsi formales sanctitatis à subiecto participati.

Ad confirmationem distinguo minor. si per con- 109. *Ad confir.*
cretum physicum intelligatur reale, concedo, concretum ex humanitate & Deitate, esse concretum physicum, cùm vtrumque extremum sit reale. Si verò per physicum concretum, intelligatur concretum ex subiecto & formâ intrinsecè inhærente; nego, concretum ex humanitate & Deitate, esse physicum, sed morale in ordine ad effectum sanctitatis. Nec obstat, quòd anima rationalis, etiam si non inhæreat materiæ, physicè tamen illi communicet effectum formalem animati: quia licet illi non inhæreat, tamen vnitur illi vt forma physica, quod sufficit ad communicandum illi effectum formalem animati physicè. Deitas cùm non vniatur humanitati vt forma physica, non poterit illi communicare effectum sanctitatis physicè. sed tantùm moraliter, per denominationem afficientem intrinsecè moraliter humanitatem.

Obijcies 5. supra docui, opera Christi non fuisse 110.
se dignificata à naturâ diuinâ, vt à formâ moraliter dignificante, sed à personâ Verbi, vt supposítante naturam humanam: ergo nec sanctitas humanitatis est à naturâ diuinâ, vt à formâ moraliter sancti-

sanctificante, sed à personâ Verbi, vt humanitatem
111. Resp. suppositante. Neg. consequentia: nam ad sanctificandam humanitatem sufficit, vt Deitas illi vniatur vt forma moralis sanctitatis: ad dignificandas ipsius operationes, in ratione operationis id non sufficit, sed requiritur, vt illi vniatur vt suppositum: quia operatio in ratione operationis per se postulat dignificari à principio operatiuo, vt operatiuo, qualis non est Deitas vnita humanitati vt forma moralis, sed persona Verbi eidem humanitati vnita vt forma hypost. *vt ibid.*

112. *Obijcies* 6. Deitas vt virtute distincta à personalitate Verbi, non includitur formaliter, sed potiùs formaliter excluditur à personalitate Verbi; alioqui esset eadem virtute cum illa, non virtualiter distincta ab illa: ergo Deitas vt sic non sanctificat humanitatem, sed quatenus vnitur illi mediâ personalitate, quæ per se tantùm vnitur. Nego
113. Resp. conseq. sufficit enim vt Deitas reipsâ formaliter sit inclusa in personalitate Verbi, ad hoc vt cum illâ vniatur humanitati, etiamsi virtute & fundamentaliter distinguatur à personalitate Verbi. nam vnio terminatur ad rem, prout est à parte rei, ac proinde secundùm perfectiones, quas à parte rei includit, non prout virtute ratiocinantis intellectus illas à se excludit.

114. *Obijcies* 7. si sanctitas per se primò non importaret ius ad beatit. supernat. sed solam munditiam à peccato, & potentiam ad rectè operandum absque defectu peccati, posset dari sanctitas naturalis: quia posset dari intra ordinem naturæ qualitas excellens, quæ esset singularis participatio Dei, vt author naturæ est: quæ seipsâ formaliter emundaret à peccato, & exigeret expeditam facultatē rectè operandi absque defectu peccati intra ordinem naturæ. Ne-
115. Resp. go sequel. cùm enim sanctitas dicatur illa, quæ subiectum simpliciter emundat ab omni peccato saltem mortali, & ad illud vitandum expeditam facultatem postulet; multa sint peccata, ad quæ vitanda necessaria est facultas ordinis supernat. vt sunt peccata contra præcepta supernat. & nequeat forma ordinis naturalis exigere facultatem supernat. non poterit intra ordinem naturæ dari talis forma subiecti sanctificatiua.

116. Vrges. Quòd si contendas, saltem possibilem esse qualitatem naturalem, quæ subiectum emundet, & facultatem exigat vitandi tantùm peccata contra legem naturæ; ac proinde possibilem esse formam, quæ saltem hominem sanctificaret in purâ naturâ constitutum, in quâ nulla essent peccata contra legem
Resp. 1. supernat. Resp. 1. talem formam excedere ordinem naturæ, cùm necessariò debeat exigere multa auxilia indebita naturæ, sine quibus moraliter vitari non possent multa peccata contra legem naturæ. 2. adhuc nego, talem formam mereri nomen sanctitatis: nam sanctitas, est forma subiectum emundās ab omni peccato saltem mortali, & ad illud vitandum proportionatam facultatem exigens. 3. cùm dico, sanctitatem primariò importare formam à peccato emundantem, & exigentiam facultatis rectè operandi, non excludo ab eâdem formâ effectus secundarios sanctitatis, sed solùm contendo, illos non in primo & explicito conceptu sanctitatis importari. Cætera 3. *tom. de gra. & in* 4. *de charitate.*

117. 3. Assertio quod implicitè asserit Prob. 1. Dico 3. personalitas Verbi, etiam vt virtute distincta naturâ diuinâ, perfectè & completè sanctificat humanitatem, etiamsi in seipsâ, vt sic distincta, non sit completa sanctitas. Prob. 1. quòd personalitas Verbi, etiam vt virtute distincta à naturâ diuinâ, aliquam in se saltem incompletam sanctitatem participet: habet infinitam repugnan- 118. Probatur.
tiam cum quolibet peccato, est obiectum singularissimi amoris diuini, est digna supremo cultu Latriæ: nam est purissima munditiеs ab omni sorde peccati, cum quo quæuis perfectio diuina habet infinitam repugnantiam: at ex definitione sanctitatis à *Dionysio* traditâ, primus conceptus sanctitatis, est munditiеs à peccato, & repugnantia cum illo: igitur qui hanc participat, aliquam sanctitatem participat. 2. aduersarij contendunt, solam primam 119. Prob. 2. destruendo fund. aduers.
radicem supernaturalis beatitud. quæ in diuinis est sola Deitas, in creatis sola gratia habitualis, esse sanctitatem; Contrà, in definitione *Dionysij*, nulla mentio fit huiusmodi radicis, sed solius mundiciei, & incoinquinationis ab omni peccato: & alioqui visio beata nullam conferret beatis sanctitatem; non enim est radix beatitud. sed ipsa formalis beatitudo; cùm prima radix beatitudinis sit gratia habitualis. Quis autem dicere audebit, sublatâ solâ gratiâ habituali à beatis, eos non fore sanctos, cùm per visionem maneant ab intrinseco impeccabiles, & omninò immunes ab omni peccato etiam veniali? Confirmatur ratione solius visio- 120. Confirm.
nis Dei, beati diliguntur singularissimo amore amicitiæ à Deo: ius habent non tantùm remotè & in actu 1. sed etiam proximè & in actu 2. ad supernaturalem beatitatem: exigunt ab intrinseco potentiam ad operandum sine vllo defectu: sunt digni aliquâ veneratione: ergo sunt sancti, cùm participent omnes effectus formales sanctitatis. Hinc deducitur, cur non etiam habitus infusi à gratiâ distincti, sanctificent: quia non emundant à peccato, nec habent repugnantiam cum illo, cum quo manere possunt; & de facto aliqui habitus infusi cum illo perseuerant. 3. Ex eo quòd persona- 121. Prob. 3.
litas diuina sanctitatem non habeat à se vt nec suam perfectionem relatiuam, sed à naturâ diuinâ vt à primâ radice, non sequitur, quin illam verè in se habeat. Confirm. Si nullo modo, neque à se, neque à naturâ diuinâ sanctitatem participaret, non posset illam suæ humanitati communicare, quia non potest suæ humanitati communicare, nisi quod habet in se, vel vt prima radix, vel participatiuè à naturâ diuinâ. Cùm enim effectus for- Effectus formalis quid
malis nil aliud sit, quàm concretum ex formâ & subiecto capaci vnitis, non potest aliqua perfectio in concreto contineri, quæ non contineatur in his tribus, formâ, subiecto, & vnione: ergo si neque in humanitate, neque in vnione, neque in personalitate Verbi continetur sanctitas, non poterit in concreto ex his tribus conflato contineri.

Dices: non potest personalitas Verbi conti- 122.
nere sanctitatem incompletam; ergo si continet, continet completam. Resp. non potest esse incompleta absolutè & priuatiuè, concedo; comparatiuè ad sanctitatem perfectiorem naturæ, & negatiuè, nego. Dicitur igitur sanctitas incompleta negatiuè, quia non dicit sanctitatem perfectiorem naturæ; non priuatiuè, quia non est apta habere illam. Sicut persona Spiritûs S. dici potest imperfecta negatiuè, quatenus non est apta producere, vt reliquæ personæ diuinæ.

Secundum, quòd personalitas Verbi, vt virtute 123. Prob. parte 2. asser.
distincta à naturâ diuinâ, non sit completa sanctitas, prob. illa dicitur completa sanctitas, quæ hæc omnia in se ipsa habet vt prima radix: at personalitas Verbi, vt virtute distincta à naturâ diuinâ, hęc omnia non habet vt prima radix; quia quicquid perfectionis habet personalitas increata, habet à naturâ diuinâ, vt à primâ radice omnium diuinarum perfectionum, maximè, quia tam

tam impeccabilitas, quàm principium beatitudinis, non possunt, nisi soli naturæ diuinæ conuenire; cùm soli conueniat, esse principium beatitudinis ad intra, & indefectibiliter operandi ad extra.

124. *Dices.* Dices: ergo perfectior sanctitas est gratia habitualis, quàm visio beata, cùm non visio beata, sed gratia habitualis sit prima radix harum proprietatum. *Resp.* Concedo; in vno genere gratia habitualis est perfectior sanctitas visione beatâ, quatenus gratia hæc omnia exigit vt prima radix & essentia supernaturalis: in alio genere, visio beata est perfectior sanctitas, quatenus perfectiorem exigit impeccabilitatem, & potentiam operandi ab omni peccato, etiam veniali liberam.

125. *Prob. pars altera asser.* Tertium, quòd his non obstantibus, personalitas Verbi, etiam vt virtute distincta à naturâ diuinâ, perfectè sanctificet humanitatem. prob. personalitas Verbi, etsi non sit prima radix impeccabilitatis, & reliquorum effectuum formalium sanctitatis comparata cum naturâ diuinâ, ea est tamen comparata cum humanitate, quam vt propriam naturam supposit at: nullam enim præsupponit in naturâ humana radicem vel exigentiam impeccabilitatis, vti illam supponit in naturâ diuinâ, sed illam primò in eâ ponit: scilicet positâ personalitate Verbi, statim debita est naturæ humanæ omnimoda impeccabilitas, perfectum ius ad gloriam, supremus cultus Latriæ, & reliqui effectus completæ sanctitatis.

126. *Obijcies* 1. Personalitas Verbi supponit primam radicem impeccabilitatis in naturâ humanâ, illi communicatam à diuinâ: ergo non potest illi communicare primam. *Resp. 1.* Nego anteced. quia cùm natura diuina vniatur humanæ mediâ personalitate Verbi, potiùs præsupponit personalitatem priùs ratione vnitam, quàm ipsa vniatur cum naturâ humana. *Resp. 2.* 2. Nego conseq. nam licet personalitas Verbi, seu potiùs natura diuina supponat in humanitate aliam radicem impeccabilitatis, quia tamen non supponit illam vt perfectionem propriam ipsius humanitatis, sed vt perfectionem propriam suæ personalitatis diuinæ, non tollit, quin respectu naturæ humanæ vtraque sit prima radix impeccabilitatis: quia neutra in naturâ humanâ supponit intrinsecam exigentiam impeccabilitatis.

127. *Obijcies* 2. Personalitas Verbi, vt virtute distincta à naturâ diuinâ, non habet sanctitatem à se, vt à primâ radice. sed participatâ à naturâ diuinâ: ergo non potest esse prima radix sanctitatis respectu naturæ humanæ: quia non potest aliam sanctitatem illi communicare, quam habet in se: ergo si illa est participata à naturâ diuinâ, vt à primâ radice, eodem modo illam communicabit naturæ humanæ, vt participatam à naturâ diuinâ, & non vt à se, vt à primâ radice. 128. *Resp.* Nego conseq. ad prob. concedo, personalitatem Verbi communicare naturæ humanæ sanctitatem participatam à naturâ diuinâ vt à primâ radice; nego, illam non esse primam radicem respectu naturæ humanæ. Nam esse primam, vel 2. radicem, est per respectum ad subiectum, cui communicatur: Sicut gratia dicitur prima, quæ aliam in subiecto non supponit: eadem verò futura fuisset secunda, si aliam gratiam in eodem subiecto supposuisset. Item gratia habitualis non est prima radix sanctitatis simpliciter, cùm sit sanctitas participata à naturâ diuinâ, vt à primâ radice & fonte omnis sanctitatis; cùm tamen eadem respectu naturæ creatæ sit prima radix, quia nullam aliam supponit sanctitatem.

129. *Obijcies* 3. Implicat esse formam in subiecto, & non conferre illi suum effectum formalem: sed posset personalitas Verbi vniri naturæ creatæ, & non conferre illi effectum formalem sanctitatis; vt si vniretur cum creatura rationali naturaliter impeccabili, nullum effectum formalem sanctitatis illi tribueret: ergo non est in se sancta formaliter. *Resp. 1.* 130. Resp. 1. Maior est intelligenda, quando adsunt omnia requisita, inter quæ est subiecti capacitas, defectu cuius non sanctificaretur lapis, si in eo poneretur gratia habitualis. 2. ad minor. datâ tali hypothesi impossibili, scilicet creaturâ intellectuali suâ naturâ impeccabili, adhuc nego, talem naturam non fore sanctificandam à personâ Verbi hypostaticè illi vnitâ, quia sanctitas creata, quâ sancta esset talis natura, non impediret effectum formalem increatæ sanctitatis Verbi: vti de facto sanctitas creata gratiæ habitualis non impedit effectum formalem increatæ sanctitatis personæ diuinæ. *2. Vt tom. 2.* *Ratio.*

131. Dico 4. Vnio hypostat. non est pura tantùm conditio, sed ratio formalis, minùs tamen principalis, & solùm inchoatiua sanctitatis humanitatis Christi. *Probatur authoritate Patrum.* Prob. 1. author. Patrum, qui sæpè docent, humanitatem Christi fuisse sanctificatã ipsâ vnione & assumptione, vt *Bernardus homil. 4. super Missus est, & alij.* Immeritò *Vasquez* hos Patres explicat, vt nihil aliud voluerint Patres, cùm dixerunt, humanitatem vnione, & assumptione fuisse sanctificatam, quàm ipsâ Deitate coniunctâ humanitati.

132. *Probatur ratione.* 2. Vnio hypost. etiam vt modus creatus distinctus à Personâ Verbi, participat inchoatiuè & vt *quo* sanctitatem: pugnat cum omni peccato, postulat in natura, in qua est, omnimodam impeccabilitatem, reddit etiam illam singulari amore diuino, ac speciali adorationis cultu dignam, & ius illi confert ad supernatur. beatitud. ergo ad Christi humanitatem sanctificandam Vnio hypost. non concurrit vt pura conditio. 133. *Confirm.* Confirm. Ita se habet vnio hypost. ad Christi humanitatem sanctificandam, sicut visio Dei ad animam beandam: sed visio Dei ad animam beandam se habet vt ratio formalis *qua*: ergo & vnio ad sanctificandam vt ratio formalis *qua*, sanctitatis inchoatiua. *Minor ab omnib. admittitur.* Maior prob. sicut visio beata est ratio, quâ vt intentionali viâ communicatur Beato obiectum beatificum, quod tantùm principaliter beat: ita vnio hypost. est ratio, quâ vt physicâ viâ communicatur humanitati persona Verbi, quæ tantùm principaliter sanctificat: scilicet ideò illa non est pura conditio ad beandum, quia vt via intentionalis inchoat Beatitudinem, quæ principaliter completur obiecto increato visione repræsentato: sed etiam vnio hypost. inchoat vt physica via sanctitatem, quæ principaliter completur personâ increatâ per vnionem communicatâ. *A pari.*

134. *Obijcies*: si vnio hypost. formaliter concurreret ad sanctificandam humanitatem, etiam actio, quâ producitur vnio, formaliter concurreret. *Resp.* Nego sequel. quia vnio habet vim sanctificandi humanitatem præcisè & formaliter ex immediato respectu ad personam Verbi: ex hoc enim formaliter sortitur repugnantiam cum quouis peccato, & potentiam proximam ad illud vitandum. Actio, quâ vnio hypost. producitur, non habet immediatum respectum & ordinem ad personam Verbi, sed tantùm ad vnionem vt ad proprium & intrinsecum terminum; vnde non specificatur à Verbo, sicut vnio, sed tantùm ab vnione.

135. *Ad fund. 1. sent.* Ad fundam. primæ, neg. maior: 1. quia ad effectum formalem communicandum non est necessaria inhærentia, sed sufficit vnio, etiamsi non sit inhæsiua, vt constat de animâ rationali vnitâ materiæ. 2. esto inhærentia sit necessaria ad effectum formalem physicè, non tamen ad effectum formalem

lem moraliter, communicandum, qualiter communicatur effectus formalis sanctitatis: vt constat de operibus humanitatis Christi, quæ dicuntur sancta & digna dignitate increatâ Verbi, cum quo tamen non vniuntur per inhærentiam, imò neque immediatè, sed tantùm mediatè.

136. *Ad argumenta secundæ sententiæ.* AD 1. secundæ, vltrò concedo, 2. *Assert.* Christi humanitatem sanctificari Deitate, non tamen solâ, vt *in reliquis* ostensum. Ad 2. nego, humanitatem non sanctificari vnione hypost. inchoatiuè & vt *quo.*

137. *Ad primam rationem.* Ad 1. rationem, dist. primum conseq. forma, quæ Christi humanitatem sanctificat principaliter, vltimatè, & vt ratio *qua*, debet esse infinita, concedo; quæ tantùm sanctificat inchoatiuè, vt via, & ratio *qua*, debet esse infinita, nego. Sicut, quod beat naturam intellectualem principaliter, vltimatè, & vt finis *qui*, debet esse infinitum, non quod beat inchoatiuè, vt via intentionalis, & ratio *qua*, vt beat visio creata.

138. *Ad secundam.* Ad 2. neg. sequel. ad probat. primò dist. maior. In quo est impossibilis omnis effectus formalis formæ intrinsecè inhærentis, est impossibilis forma, concedo: in quo est impossibilis aliquis tantùm effectus formalis, est impossibilis forma, nego. Vt enim possit forma vniri subiecto, sufficit, vt aliquem effectum formalem illi conferre valeat: posset enim gratia vniri lapidi, cui tamen non conferret primarium effectum faciendi gratum. 2. sufficit, vt subiectum sit capax effectûs formalis primarij inhærentis formæ: effectus autem formalis primarius vnionis hypost. non est sanctificare, sed vnire extrema ad vnum substantiale componendum. Quod patet, quia hunc effectum communicat etiam Verbo, quod vnit realiter cum humanitate, cui tamen non communicat effectum formalem sanctitatis.

139. *Instabis.* Instas: Implicat, modum inhærere subiecto, & non conferre illi omnem effectum formalem, quem continet: ergo implicat, vnionem hypost. inhærere naturæ irrationali; & non conferre illi effectum formalem sanctitatis, si hunc continet. Antec. prob. essentia modi est, actu modificare subiectum, quantum modificatiuus est. Igitur si vnio hypost. non sanctificaret naturam irrationalem, non esset, quia natura irrationalis non est capax, sed quia vnio non est formaliter sanctitas.

140. *Respondent.* Respondent aliqui; non quælibet vnio hypost. cum personâ diuinâ habet vim sanctificandi naturam, quam nectit, sed solùm illam, quæ cum personâ diuinâ nectit naturam rationalem, quæ vnio specie differt ab eâ, quæ cum eâdem copulat irrationalem. Vt non quælibet vnio cum personâ diuinâ constituit personam, sed quæ cum eâ copulat naturam intellectualem.

141. *Contrà.* Sed contrà: quæuis vnio hypost. cum personâ diuinâ, est via ad communicandam sanctitatem increatam naturæ assumptæ; ergo habet inchoatam vim sanctificandi naturam assumptam: nam inde formaliter habet inchoatam vim, quia est via ad communicandam illi sanctitatem increatam.

142. *Confirm.* Confirm. quælibet visio intuitiua Dei habet inchoatam vim beandi naturam intellectualem; quia est via ad communicandum illi obiectum beatificum increatum: ergo quæuis vnio cum personâ diuinâ habet inchoatam vim sanctificandi naturam assumptam, ex eo quòd est via ad communicandam illi sanctitatem increatam: non quæuis vnio cum personalitate diuinâ constituit cum assumptâ naturâ personam, quia persona essentialiter importat subsistentiam in naturâ intellectuali: Vnde variatâ naturâ intellectuali in irrationalem, variatur integrum significatum personæ. Vnio hypost. non habet inchoatam vim sanctificandi naturam ab ipsâ naturâ rationali, sed à solâ personâ diuinâ, quæ cum quâuis naturâ assumptâ esset eadem.

Resp. igitur, neg. conseq. nam effectus formalis sanctitatis non solùm importat formam sanctitatis, sed etiam determinatum subiectum, nempe naturam intellectualem, quâ tantùm variatâ, variatur integer effectus formalis sanctitatis. Sicut persona importat subsistentiam in natura intellectuali, quâ tantùm variata in non intellectualem, variatur ratio personæ. 143. *Respondeo ad argum.*

Ratio: effectus formalis est concretum ex formâ & subiecto; est enim forma in subiecto: ergo quando in effectu formali importatur determinatum subiectum, eo tantùm variato, variatur integer effectus formalis, qui ex tali determinato subiecto & formâ constituitur. Cùm igitur *Sanctum*, quod est effectus formalis sanctitatis, sit concretum ex sanctitate & natura intellectuali, hac solâ variatâ, variatur effectus formalis *Sancti*, qui ex sanctitate & natura intellectuali conflatur. Quo fit, vt etiamsi vnio hypost. conferat naturæ irrationali, quicquid ex parte suâ conferre potest, adhuc non dicetur illam sanctificare: quia sanctificare, præter formam sanctificantem, importat naturam intellectualem in fieri *Sancti*; sicut esse sanctum importat eandem in facto esse *Sancti*. Vnde miror, quòd *Vasquez* neget, vnionem hypost. sanctificare formaliter ex eo, quòd alioqui deberet posita in naturâ irrationali sanctificare illam. *Ratio.*

144. *Ad aliam rationem.* AD aliam rationem, quâ idem probat, personalitatem Verbi non sanctificare humanitatem, quâ supposítat illam, nego, *vt infrà*, à personâ Verbi assumi posse naturam cum aliquo peccato. Et esto assumi posset, eo casu persona Verbi vt suppositans talem naturam, sanctificaret illam, & omnia eius opera bona: nam solùm tunc peccatum impediret, ne in ipsum deriuaretur effectus formalis sanctitatis, cùm ipsum tantùm sanctificationis capax non esset, non natura, & omnia ipsius opera bona: vt valor, & dignitas moralis adhuc deriuaretur in humanitatem, & in omnia eius opera bona, etiamsi in tali natura esset aliquod peccatum.

145. *Ad argum. tertiæ sententiæ.* AD argum. 3. Sent. Ad exemplum de vnione gratiæ habitualis, quod affertur ad probandum, vnionem hypost. non sanctificare formaliter, neg. antec. nam pari modo vnio gratiæ habitualis cum subiecto sanctificat in suo genere inchoatiuè, & vt via ad sanctitatem creatam, sicut vnio hypost. inchoatiuè, & vt via ad sanctitatem increatam: vti & visio Dei beat inchoatiuè, & vt via intentionalis ad obiectum beatificum increatum.

146. *Ad 2.* AD 2. rationem, quâ prob. personalitatem diuinam, vt virtute distinctam à naturâ diuinâ, non esse sanctam formaliter, neg. maior: nam licet illa sit vera de sanctitate perfectâ & completâ, non tamen de quacumque, *vt suprà.* Ad 1. prob. nego, ideò solam gratiam habitualem, non reliquos habitus infusos sanctificare formaliter, quia sola gratia est prima radix supern. beatitud. alioqui, *vt suprà*, visio beata nullo pacto sanctificaret beatos; sed quia sola gratia habet repugnantiam cum mortali, non reliqui habitus infusi, qui stare possunt cum mortali, vt 3. *tom.* *Ad priorem prob.*

147. *Ad posteriorem.* AD 2. rat. nego simpliciter, in Deo esse tres sanctitates: quia sanctitas simpliciter dicta importat completam sanctitatem, tum quoad omnes effectus; tum quoad primam radicem eorundem. Cæterùm si haberemus nomina, quibus exprimere possemus præcisam sanctitatem, quam personalitates diuinæ, vt virtute distinctæ à naturâ, formaliter includunt, nullum esset absurdum, in Deo concedere tres sanctitates relatiuas. Sicut, quia habemus nomi-

nomina, quibus significamus præcisam durationem, quæ solùm importat permanentiam in esse vt distinctam ab æternitate, quæ præter permanentiam in esse, importat immutabilitatem in operari, concedimus in Deo tres durationes relatiuas, licet non concedamus tres æternitates.

148. *Dices.* DICES: si singulæ Personalitates diuinæ, etiam vt virtute distinctæ à naturâ, habent suam specialem sanctitatem, sequeretur, omnes simul vnitas humanitati, reddere illam sanctiorem. *Resp.* Resp. Reddere illam sanctiorem, extensiuè, non intensiuè, scilicet non à peccato magis immunem, perfectiùs impeccabilem, dignam altiori amore diuino, & cultu adorationis excellentiori; nec ius illi maius & perfectius ad gloriam confert; nam solâ vnione cum personâ Verbi habet hæc omnia in supremo gradu, vt non possint intensiùs augeri; est facta immunis ab omni prorsus peccato, habet perfectissimam impeccabilitatem, & ius ad gloriam infinitam, dignaque est supremo cultu Latriæ, & vt à Deo singularissimo amore diligatur: quæ omnia non possunt intensiùs crescere. Reddere verò illam extensiuè sanctiorem, est reddere illam pluribus titulis sanctam, quod non repugnat: sicut de facto per plura merita, vt per plures titulos, possidet dotes sui gloriosi corporis, & nominis exaltationem.

149. *Coroll. 1.* Deducitur 1. altiori ac nobiliori modo sanctificatur Persona diuina, quàm ipsius natura assumpta, ab eâdem increatâ sanctitate. Ita *Suar. 3. part. disput. 35. sect. 3. §. vlt.* *Ratio* nam persona diuina ab increatâ sanctitate sanctificatur physicè, essentiali identitate cum illâ; natura assumpta moraliter solâ vnione contingente cum eâdem. At altior ac nobilior modus non tantùm desumitur ex altiori nobiliorique formâ, sed ex perfectiori etiam modo, quo eadem forma habetur seu participatur: igitur.

150. *Coroll. 2. Ex vno discrimine fundamentali plura.* 2. Ex hoc alia discrimina inter reliquos effectus increatæ sanctitatis; 1. persona Verbi cum quouis peccato habet repugnantiam immediatam & logicam; natura assumpta solùm mediatam, & physicam. 2. Persona Verbi habet impeccabilitatem increatam, non tantùm remotè & radicaliter, sed etiam proximè & formaliter: natura assumpta habet impeccabilitatem increatam tantùm remotè & radicaliter, ratione personæ increatæ sibi vnitæ. 3. Persona Verbi est perfectiori amore à Deo amabilis, quàm natura assumpta, ratione eiusdem increatæ sanctitatis, propter altiorem modum, quo eadem sanctitas participatur à personâ Verbi: nam illa est amabilis, vt physicè & essentialiter sancta sanctitate sibi propriâ & intrinsecâ; hæc vt moraliter & contingenter tantùm sancta, sanctitate alienâ & extrinsecâ. Quo fit, vt idem amor diuinus terminatus ad personam Verbi sit simpliciter obiectiuè infinitus, & ratione motiui formalis, quæ est sanctitas increata; & ratione obiecti materialis, quæ est persona Verbi, vt ratione distincta à sanctitate: terminatus verò ad naturam assumptam sit tantùm infinitus ratione motiui formalis, quod est eadem increata sanctitas, non ratione obiecti materialis, quod est natura creata. 4. Perfectius ius ad gloriam habet persona Verbi, quàm natura assumpta, ratione eiusdem increatæ sanctitatis: nam illa habet ius ad gloriam increatam actu infinitam, diuinæ essentiæ comprehensiuam, sibi per identitatem essentialiter debitam; Hæc ad gloriam creatam infinitam tantùm syncategorematicè, diuinæ essentiæ non comprehensiuam, à se realiter distinctam, & contingenti dumtaxat vnione cum personâ Verbi sibi debitam. 5. Perfectiori modo terminat Latriæ cultum sibi debitum persona Verbi, quàm natura assumpta: scilicet illa terminat propter sanctitatem increatam essentialiter secum identificatam: hæc propter eandem increatam sanctitatem sibi contingenter vnitam.

DICES: Idem amor & cultus fertur ad motiuum formale vt *quo*, & ad obiectum materiale vt *quod*: ergo idem amor & cultus fertur ad personam Verbi, & naturam assumptam, cùm idem sit formale motiuum amoris & cultus vtriusque. Distinguo anteced. idem amor & cultus fertur ad motiuum formale vt *quo*, & ad obiectum materiale vt *quod*, concedo: idem amor & cultus fertur eodem modo ad motiuum formale, & ad obiectum materiale, nego: nam ad motiuum formale fertur propter se; ad obiectum materiale propter motiuum formale: vnde quò perfectius motiuum formale participatur ab obiecto materiali, eò perfectius in ipsum fertur amor & cultus: cùm igitur perfectius sanctitas increata participetur à personâ Verbi, quàm à naturâ assumptâ, perfectiùs amor & cultus fertur ad personam Verbi, quàm ad naturam assumptam. 151. *Dices.* *Resp.*

An Christi humanitas dicenda sit infinitè sanctificari à sanctitate increatâ Verbi? Negant aliqui Recent. quia infinita sanctificatio est, quâ maior esse non potest: sed maior est sanctificatio Verbi, quàm naturæ assumptæ; nam illa est per sanctitatem secum essentialiter identificatam; hæc per sanctitatem contingenter sibi vnitam. 152. *An Christi humanitas dicenda sit infinitè sanctificari ab increatâ sanctitate Verbi.*

DICO, Christi humanitatem infinitè sanctificari, non physicè, sed moraliter, à sanctitate increatâ Verbi hypostaticè sibi vnitâ. Fundamentum, in genere sanctitatis moralis non est possibilis maior: positâ enim vnione hypostat. persona Verbi infinitè moraliter communicat se naturæ assumptæ, cùm communicet se absque vllâ limitatione: nec vnio hypostat. sit ratio limitans sanctificationem, quæ ex personâ Verbi deriuatur ad humanitatem; cùm non ex vnione, vt ratione vltimatâ *quæ*, sed ex personâ increatâ Verbi desumatur sanctificatio naturæ humanæ. Quocirca licet sanctificatio Verbi comparata cum sanctificatione naturæ humanæ, sit perfectior & augustior, est tamen in alio ordine, scilicet sanctificationis physicæ: quia persona Verbi non moraliter per extrinsecam coniunctionem, sed physicè per intrinsecam & essentialem identitatem sanctificatur. Qui modus licet sit perfectior in suo ordine, non tamen tollit infinitatem in alio ordine sanctificationis moralis. Sicut *suprà*, dignitas moralis operum humanorum Christi est infinita simpliciter in genere dignitatis moralis: quia licet dignitas increatarum operationum Dei sit perfectior, cùm sit per physicam dignitatem sibi identificatam, est tamen perfectior in alio ordine dignitatis physicæ. 153. *Assertio.*

DICES: si sanctificatio humanitatis Christi est infinita moraliter: ergo ratione illius humanitas infinitè amatur à Deo. Nego consequentiam: quia sanctificatio, cùm sit quidam effectus formalis, essentialiter includit formam sanctificantem, quæ cùm sit infinita, ipse quoque effectus formalis sanctificationis erit infinitus: amor autem solùm consideratur, vt terminatur ad humanitatem vt ad obiectum materiale, licet propter infinitam sanctitatem Verbi, vt motiuum formale. Cæterùm si amor humanitatis sanctificatæ consideretur vt terminatus ad totum concretum, ex obiecto materiali, & motiuo formali, tunc absque dubio talis amor 154. *Dices.* *Resp.*

amor erit infinitus. Contrà verò, si consideretur non totus effectus formalis sanctificationis, qui consurgit ex humanitate, sanctitate increatâ Verbi, & vnione hypostatica, sed vt dicit solam humanitatem cum vnione hypost. sanctificatio humanitatis erit finita; quia tamen effectus formalis non potest præscindere à formâ, à quâ principaliter deriuatur; ideò si forma est simpliciter infinita, etiam effectus formalis includens talem formam erit infinitus.

DISPVTATIO XVII.

Quænã sit Gratia Capitis in Christo, & quorum sit Caput?

1. *Christus dicitur caput tripliciex causâ.* CHRISTVM esse caput & hominum & Angelorum, atque adeò totius Ecclesiæ, tam militantis, quàm triumphantis, res est de fide, *ad Ephes.* 1. 4. & 5. *ad Coloss.* 1. & 2. dicitur autem caput Ecclesiæ ex *S. Thom.* 3. *parte, quæst.* 8. *art.* 1. tripliciter. 1. ratione ordinis; sicut caput est principalis pars hominis, ita Christus Ecclesiæ, ob summam propinquitatem ad Deum. 2. ratione perfectionis; sicut in capite vigent omnes sensus, cùm in reliquis membris solus vigeat tactus; ita in Christo plenitudo omnium gratiarum, ex *August. Epist.* 57. *ad Dardan. fine.* 3. ratione virtutis; sicut à capite deriuatur omnis motus sensus in membra; ita à Christo omnis motus virtutis in mystica membra Ecclesiæ. Ratione cuius influentiæ dicitur propriè Christus caput Ecclesiæ, *Ioan.* 1. *De plenitudine eius nos omnes accepimus*; nam sicut omnia membra ex capite hauriunt vim & motum sentiendi; ita omnia membra mystica Ecclesiæ motum gratiæ, quâ se moueant ad opera vitæ æternæ.

2. *Potiùs quàm cor.* Dicitur Christus potiùs caput, quàm cor: nam, vt *Alens.* 3. *part. quæst.* 12. *memb.* 2. *art.* 1. cor est origo, & principium operationum vitalium, quia in eo generantur spiritus vitales, qui sunt principia vitæ vegetantis; caput verò operationum animalium, quia in eo gignuntur spiritus animales, qui sunt principia vitæ sentientis: operationes vitales imperio voluntatis non subiacent, sed exercentur naturaliter; animales voluntati perfectè subiacent: Christus autem influit in mystica membra Ecclesiæ, per voluntariam, non per naturalem susceptionem supernaturalis influxus gratiæ: vnde meritò potiùs caput, quàm cor appellatur. *S. Thomas citat. ad* 3. *Caput*, inquit, *habet manifestam eminentiam respectu exteriorum membrorum: sed cor habet quandam influentiam occultam: & ideo cordi comparatur Spiritus S. qui inuisibiliter Ecclesiam viuificat, & vnit: capiti comparatur ipse Christus secundùm visibilem naturam, secundùm quam homo hominibus præfertur.*

3. *An sicut Christus caput dicitur Ecclesiæ, ita etiam dici possit membrum eiusdem.* An sicut Christus dicitur caput Ecclesiæ, dici etiam possit membrum eiusdem, cùm caput sit etiam membrum corporis humani? Affirmat *S. Tho. in* 12. *cap.* 1. *ad Corinth. lect.* 3. & Verba Apost. *ibid. Vos autem estis corpus Christi, & membra de membro*; sic interpretatur: *Estis membra dependentia de Christo membro, quod quidem dicitur membrum secundùm humanitatem, secundùm quam præcipuè dicitur Ecclesiæ caput: nam secundùm diuinitatem non habet rationem membri, aut partis, cùm sit commune bonum totius Vniuersi.*

4. *Negat verior sentent. Ratio.* Alij, quibus magis assentior, negant: quia membrum, *S. Thom. teste in* 12. *cap. ad Rom. lect.* 2. importat dependentiam à reliquis membris eiusdem corporis: quam expressit *Apost.* 1. *ad Corinth.* 12. verbis, quibus vtitur *cit. loco* Angelicus: *Non potest autem oculus dicere manui, opera tua non indigeo: aut iterum caput pedibus, non estis mihi necessarij.* Cùm igitur Christus, etiam vt homo, nullam dependentiam habeat quoad vitam supernaturalem gratię à membris mystici corporis Ecclesiæ, non potest ei conuenire ratio membri, etiamsi illi conueniat ratio capitis: quia caput non importat in suâ ratione explicitã dependentiam à reliquis membris, sed potiùs eminentiam & virtutem influendi vitam in illa: sub quâ ratione ratio capitis attribuitur Christo. Citatus autem locus *Pauli* duas habet interpret. vna est *Anselm. in eund.* vt *τὸ de membro*, non referatur ad Christum, sed ad Apostolum: *Membra estis pendentia de membro, idest, de me, qui sum maius membrum Christi, & vos mihi, sicut digitos manui adhærere in eius corpore feci.* Altera est, quam cum *OEcumen. & alijs Patrib.* sequitur *in hunc loc.* Benedictus Iustinian. vt idem sit *de membro*, quod *ex parte*, vt ex Græco colligit OEcumen. *vbicumque locorum sint Fideles, sunt corpus Christi; vos autem (Corinthij) membra ex parte: neque enim soli estis totum corpus, sed membra estis, sed neque omnia, sed ex parte.* 5. *Anselmi verba.* *Oecumenij.*

6. *Dices.* DICES: esto Christus vt caput Ecclesiæ non possit dici membrum eiusdem, quia vt sic nullum influxum haurit à membris Ecclesiæ, quod ad rationem membri requiritur; dici saltem poterit membrum Ecclesiæ, quatenus vt homo subijcitur sibi ipsi, vt Deo altiori capiti Ecclesiæ. Sic enim Christus vt homo includitur in Ecclesiâ, cuius caput est ipse vt Deus, sub quâ consideratione Christus vt homo, ac membrum Ecclesiæ accipit influxum à Deo, vt à nobiliori & vniuersaliori capite. Concedo, sub hâc consideratione, Christum vt hominem esse membrum Ecclesiæ, sub quâ concedit *S. Thom. in* 3. *dist.* 13. *quæst.* 2. *art.* 1. *ad vltim.* & fortasse in hoc etiam sensu concessit *cit.* 1. *ad Corinth.* nego tamen sub hâc consideratione difficultatem istam agitari, sed in alio sensu *suprà* proposito, an scilicet vt caput Ecclesiæ dici etiam possit membrum eiusdem, ex proportione capitis naturalis, quod simul est caput, & membrum eiusdem corporis naturalis. 7. *Resp.*

8. *An Christus sit caput Ecclesiæ secundùm naturam humanam an diuinam præsertim respectu Angelorum.* Atque hæc ferè certa: Illa magis controuersa: An Christus sit caput Ecclesiæ secundùm naturam humanam, an secundùm diuinam, præsertim respectu angelorum. 2. An sit caput angelorum secundùm vitam supernaturalem gratiæ & gloriæ essentialis, an secundùm externam dumtaxat gubernationem, & accidentales illuminationes. 3. Quorum hominum & angelorum Christus sit caput, omniúmne, an aliquorum tantùm? 4. Per quam gratiam, substantialémne, an accidentalem Christus sit caput Ecclesiæ? Quoad primam Suarez 3. *p. disp.* 23. *sect.* 1. *dict.* 1. affirmat ad fidem pertinere, Christum esse caput totius Ecclesiæ, scilicet secundùm naturam humanam, ex illis *ad Ephes.* 2. *Constituent ad dexteram suam in cælestibus, supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solùm in hoc sæculo, sed etiam in futuro: & omnia subiecit sub pedibus eius: & ipsum dedit caput supra omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Præmiserat autem immediatè antè, *Suscitans illum à mortuis.* Ex quibus ta[...] conficitur Syllogismus: Secundùm eam naturam *Apostolus* testatur, Christum constitutum esse caput totius Ecclesiæ, secũdùm quam fuit à mortuis suscitatus; fuit Christus 9. *1. Opinio.*

stus à mortuis suscitatus secundùm naturam humanam, non diuinam: ergo secundùm naturam humanam, non diuinam, testatur, illum constitutum esse caput totius Ecclesiæ.

10. 2. Opinio. Vasquez 3. *part. disput.* 48. *cap.* 3. Etsi ad fidem spectare putet, Christum esse caput tam hominum, quàm angelorum; ad fidem tamen pertinere non censet, illum esse caput Angelorum secundùm naturam humanam: cùm hoc sit inter controuersum. Multi enim Scholastici, quos *ibid.* citat, negant, Christum esse caput Angelorum secundùm naturam humanam. An autem sit de fide, Christum saltem respectu hominum esse caput ratione humanitatis, ibidem non definit.

11. Assertio. Ego, quod ad angelos attinet, non censeo rem esse de fide, vt Christus sit illorum caput ratione humanitatis: eò quòd multi Patres apertè pronuntiant, Christum esse caput angelorum ratione diuinitatis: quin locum *Pauli*, ex quo id colligi posset, plerique Patres explicant de Christo ratione diuinitatis. *Athanas.* *Chrysost.* Athanasius *orat. contra gentes fine*: Chrysostomus *homil.* 1. *in cap.* 1. *ad Ephes.* fine: *Vnum*, inquit, *Omnibus posuit caput*, *quod ad carnem attinet*, *nempe Christum*, *& Angelis & hominibus*, *hoc est & Angelis aliud dedit principium*, *& hominibus. His quidem id*, *quod est secundùm carnem*, *illis autem Deum Verbum.* Et homil. 3. fine, verba Apostol. *Supra omnem principatum* &c. explicat de euectione supra omnem Principatum & Potestatem quoad dignitatem & gloriæ sublimitatem. *Ambros.* Ambrosius *in cap.* 1. *ad Ephes. Patrem*, inquit, *dicit Filio omnem creaturam subiecisse*, *vt quia omnia per ipsum fecit*, *ipse omnium caput sit & dominus. Tunc illi omnia subiecit*, *quando illum ante omnia genuit*, *vt per ipsum fierent*, *quæ non erant. Omnem Ecclesiam dicens*, *summatim totum comprehendit*; *quod in cælo est*, *& in terra*, *vt in nouum hominem membra eius efficiantur*, *dum confitentur*, *hunc esse*, *per quem facti à Deo sunt. Subjicientur enim illi quasi capiti membra*, *ex quo trahunt originem*, *vt omnia in omnibus adimpleantur.* *Chrysost.* Alij Patres eundem locum cum *Chrysostomo* explicant de dignitate Christi secundùm humanitatem quoad gloriæ sublimitatem. *Christus Angelorum caput vt homo. S. Thom.* Cæterùm etsi hæc sententia quoad angelos de fide non sit, certissima tamen est, authoritate *Scholasticorum*, quam communiter docent *in* 3. *distinct.* 13. *& Thomistæ cum S. Thom.* 3. *parte quæst.* 8. *artic.* 4. Ratio: sicut ex angelis & hominibus constituitur vna Ecclesia: ita vnum debet esse caput omnium: at, *vt mox*, Christus secundùm naturam humanam est caput hominum; ergo idem secundùm eandem naturam erit caput angelorum. Et sanè ad Christi dignitatem spectat, vt ei, etiam quà homini perfectè subjiciantur angeli, non modò quoad externam gubernationem, propter quod *Hebr.* 1. *omnes* dicuntur *administratorij Spiritus*, verùm etiam quoad internas mentis illuminationes.

12. Neque obstat, quòd Christus non conueniat in naturâ humanâ cum angelis: tum quia de ratione capitis mystici non est, vt sit homogeneum & eiusdem naturæ cum membris: alioqui neque Deus, à cuius naturâ plus distant angeli, quàm à natura humana Christi, posset esse mysticum caput eorum. Tum quia vt *S. Thom. quæst. citat. articul.* 4. *ad* 1. Licet Christus non conueniat specificè cum angelis, conuenit tamen genericè, ratione animi intellectualis, secundùm quem principaliter influit in membra, estque caput illorum.

Nec desunt pro hac sententia Patrum testimonia. 13. *Anselm.* Vnum sufficiat *Anselm. in* 1. *caput ad Ephes.* vbi explicans illa, *Omnia subiecit sub pedibus eius*, ita scribit: *Non solùm sublimauit eum Pater super omnes choros angelorum*, *vel personas*, *sed etiam omnia subiecit sub pedibus eius. A similitudine dictum est. Nam sicut qui submissus est sub pedibus, conculcatur*, *& conculcanti resistere non potest*: *sic omnia imperio & potestati Christi subiecta sunt*, *& illi contraire non valent.* Et paulò pòst: *Per pedes*, inquit, *intelligimus humanitatem eius*: *quia sicut pedes sunt inferior pars corporis nostri*, *sic humanitas est inferior natura Christi.* Vnde concludit, Christum ratione humanitatis constitutum esse caput super omnia bona Ecclesiæ, his verbis: *Et ipsum Dominum*, *qui tantus*, *& tam potens*, *tamq́ sublimatus est*, *dedit non ex merito nostro*, *sed solâ suâ gratiâ caput super omnia bona virtutum Ecclesiæ*, *vt ipse caput & fons esset omnium bonorum Ecclesiæ*, *vel supra omnia membra Ecclesiæ*, *vt ipse maiorum & minorum fidelium caput esset.* In quo nota 1. his verbis Anselmum non modò Christo tribuere dignitatem & honorem super omnes Angelos: sed etiam illi tribuere imperium & potestatem supra eosdem, cui imperio & potestati nequeunt ipsi contraire: quæ est dignitas propria capitis. 2. quòd hoc imperium & potestatem tribuat Christo ratione humanitatis. *In hoc testimonio notanda duo.*

Patres autem pro contrariâ sententiâ *citati* explicari possunt de dignitate capitis, non quoad influxum moralem directionis & gubernationis spiritualis in membra mysticè sibi colligata, sed quoad influxum physicum conseruandi, & cooperandi cum omnibus creaturis, ratione dominij vniuersalis, quod iure creationis Christus vt Deus habet in omnes res creatas. 14. Hanc interpretationem colligo 1. ex eo, quod ex *citatis* Patribus Athanasius & Ambrosius absolutè negant, Christum vt hominem esse caput etiam hominum: *Athanas. Ambros.* quod, *vt mox*, de spirituali influxu & directione ad vitam, negari non potest. 2. illam insinuant verba ipsorum *citat. loco.* Athanasius Christum Ecclesiæ caput nobis describit sic: *Ipse igitur omnipotens*, *omnino integer*, *sanctus ipsius Dei sermo & ratio omnibus incumbens*, *& vbique suas vires explicans*, *illustrans omnia*, *tum quæ oculis apparent*, *tum quæ oculos subterfugiunt*, *vniuersa in se continet & constringit*, *nihilq́ desertum à sua potentia relinquit*, *sed omnia in omnibus singula priuatim*, *publicè vniuersa viuificat & conseruat*: Quæ verba describunt tantùm physicum influxum, quem Christus vt Deus ratione suæ omnipotentiæ habet in omnes creaturas. Eundem sensum indicant verba *Ambros.* dum hanc potestatem concedit Christo iure generationis æternæ, per quam accipiendo eandem naturam Patris, simul accipit eandem potestatem & physicum dominium in omnes creaturas. Negari enim non potest, Christum ratione diuinitatis altiori iure esse caput Ecclesiæ. Sola verba *Chrysostomi* hanc interpretationem non admittunt. *Chrysost.*

Quod attinet ad Christum, vt hominum caput, omnino censeo de fide, illum ratione naturæ humanæ esse hominum caput. 15. *De fide est Christum ratione naturæ humanæ esse hominum caput.* Quod non solùm verbis *cit.* docuit *Anselm.* sed etiam alijs verbis *ibid.* paulò antè clariùs: *Et super omnes istos exaltatus est secundùm humanitatem suam Christus*, *qui est caput nostrum*, *vt & nos membra eius vsque ad istorum societatem*, *& æqualitatem pertingamus.* Eandem veritatem docuit

August.

August. in Enchir. cap. 56. his verbis: *Deus ergo habitat in templo suo: non solùm Spiritus S. sed etiam Pater, & Filius, qui etiam de corpore suo, per quod factus est caput Ecclesiæ, quæ in hominibus est, vt sit ipse in omnibus primatum tenens, ait, soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud.* Idem *suprà* Chrysost. & alij Patres passim. Et rationes adductæ pro angelis, à fortiori concludunt pro hominibus; cùm respectu hominum Christus, ratione humanitatis subsistentis in personâ Verbi, habeat omnia ad dignitatem capitis requisita. Difficultas est in ostendendo, hoc esse

16. *Bifariam propositio est de fide.* de fide. Pro quo nota; posse aliquam propos. esse de fide, 1. vt expressè reuelatam; 2. vt per euidentem illatam ex principijs fidei deductam & explicatam: nam licet eadem veritas, vt euidenter deducta ex principijs fidei, sit tantùm conclusio theologica; vt tamen explicata per deductionem, est assertio Fidei: nam vt sic implicitè & virtute reuelatur cum principio immediatè reuelato, vnde accedente euidenti deductione, eâdem fide tenemur credere principium & conclusionem. Esto igitur hæc veritas non sit de fide primo modo, erit secundo, vt explicata euidenti deductione ex principijs immediatè reuelatis: sic ostendo.

17. *Probatur ratione.* De fide est, Christum esse principium meritorium respectu hominum in ordine ad salutem æternam, non ratione naturæ diuinæ, sed humanæ subsistentis in personâ diuinâ; vt certum est, quòd sit hominum saluator, scilicet per opera apud Deum meritoria salutis nostræ ab humanitate Deo exhibita: ergo de fide est, Christum esse caput hominum, ratione naturæ humanæ, &c. nam non alio modo Christus dicitur caput Ecclesiæ, quàm per influxum gratiæ & gloriæ in membra, sibi mysticè coniuncta & colligata; ex Trident. *sess. 6. cap. 16. Ille ipse Christus* Iesvs *tanquam caput in membra, & tanquam vitis in palmites, in ipso iustificatos iugiter virtutem influit.* Hunc discursum expressit *Ragusinus in*

18. *Ioannes Ragusinus doctissimus Ord. Prædicat.* *Concil. Basileens. in confutat. primi art. de commun. sub vtraque specie à Bohemis propositi*, his verbis: *Propria ratio capitis accipienda est ex propria operatione eiusdem: maxima autem & propria operatio Christi hominis, secundum quam verè & propriè est caput Ecclesiæ, est saluare. A qua operatione tanquam sibi maximè propria, proprio vocabulo ac nomine nuncupari voluit* Iesvs, *quod idem est quod Saluator. Quorumcumque igitur ipse Christus & Saluator erit, vtique & caput: ex quo ipsius propria operatio est, saluare: sed ipse est Saluator omnium hominum, maximè fidelium, vt ait Apostolus 1. ad Timoth. 4. Ergo ipse Christus est caput omnium hominum, & maximè Fidelium.*

19. Dices; ex hoc ad summum colligitur, de fide tantùm esse, Christum vt hominem esse caput iustorum, nam cum his tantùm Christus vt homo, est mysticè coniunctus, vt caput cum membris: quæ mystica coniunctio vti requiritur ad constituendum vnum mysticum corpus ex capite & membris, ita requiritur, vt Christus dici possit influere in illa vt caput in membra; defectu cuius mysticæ coniunctionis non dicitur Christus vt caput influere in eos, qui sunt extra Ecclesiam. Resp.

20. *Resp.* Sat esse, ex hoc discursu efficaciter probari, de fide esse, Christum vt hominem esse caput hominum indefinitè: neque enim plus probari contendimus. Cæterùm, quorum definitè Christus vt homo sit caput, constabit ex 3. controuersia. Deducitur,

21. *Coroll.* Christum vt hominem non modò esse caput nostrum quoad animas, sed etiam quoad corpora: *S. Thom. 3. part. quæst. 8. art. 2. ex illo ad Philipp. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corporis claritatis suæ.* Ex eodem deducit *Anselm.* Christum non modò esse Saluatorem, ac caput animarum, sed etiam corporum, quia Christus vt homo, *Ratio.* non solùm influit in animas vitam gratiæ & gloriæ; sed etiam in corpora gloriosâ quatuor dotes, claritatis, subtilitatis, agilitatis, & impassibilitatis, consequentes ad gloriam animæ. Instas: ergo 22. Christus vt homo non est caput corporum Viatorum, sed tantùm Beatorum. Resp. Esse etiam Viatorum, quà per internas illustrationes & motiones animorum mediatè etiam influit in corpora, frænando & moderando eorum inordinatas concupiscentias circa obiecta sensibilia. *Resp.*

23. *An Christus caput sit Angelorum secundùm vitam supernat. an externam tantùm gubernationem.* Quoad 2. controu. Aliqui putant, Christum vt hominem non modò esse caput angelorum, & hominum, quoad influxum vitæ supernat. gratiæ & gloriæ, sed etiam quoad influxum vitæ naturalis. quia Christus vt homo, non solùm est principiũ meritorium gratiæ & gloriæ hominum & angelorum, sed etiam finis omnium creaturarum; nam omnes creaturæ vi præsentis decreti conditæ sunt propter Christi exaltationem: ergo Christus vt homo vt principium meritorium, non solùm est caput hominum & angelorum quoad esse supernaturale gratiæ & gloriæ, sed etiam vt finis est caput eorundem secundùm esse naturale. Adduntalij, Christum vt hominem esse caput omnium creaturarũ per physicum influxum in illas. Contrà verò alij opinantur, Christum vt hominem esse tantùm caput hominum quoad gratiam, & gloriam essentialem, angelorum autem solùm quoad externam gubernationem, & accidentales illuminationes, fundati in eo, quòd Christus vt homo fuit in æterno decreto Dei prędestinatus post factam electionẽ Angelorũ, tam ad gratiam quã ad gloriam: addunt, neque fuisse caput gratię & donorum, quæ collata sunt primis Parentibus in statu Innocentiæ, ante prædestinationem Christi, quæ decreta est dependenter à peccato ipsorum, præuiso scientiâ visionis, quæ sicut supponebat peccatum absolutè futurum, ita consequenter supponebat dona gratiæ collata ante peccatum, ad peccatum ipsum euitandum. *1. Opinio.* *24. 2. Opinio.*

25. *3. Opinio probabilior est.* Alij docent, Christum vt hominem esse caput hominum & Angelorum, non quoad esse naturale, sed quoad esse supernaturale; non solùm externæ gubernationis, & accidentalis illuminationis respectu Angelorum, sed etiam gratiæ & gloriæ essentialis. Quæ sententia probabilior est, & sequitur ex *disput.* 7. vbi docui, prædestinationem Christi decretam esse ante omnem electionem, tam hominum, quàm Angelorum, & ante vllum præuisum peccatum absolutè futurum, sed tantùm sub conditione futurum. Quo posito, potuit Deus omnem gratiam & gloriam, tam Angelis, quàm hominibus decernere dependenter à Christo, tanquam à capite omnium prædestinatorum: si hoc potuit fieri vi præsentis decreti, dicendum est, ita factum esse: cùm id redundet in maiorem Christi dignitatem, & nostri capitis exaltationem. Cæterùm etsi ibidem

26. *Influxus capitis est effectiuus.* cum Ruperto docui, Christum vi præsentis decreti prædestinatum fuisse finem omnium creaturarum, hinc tamen non sequitur, Christum vt hominem esse caput nostrum quoad esse naturale, quod simul cum alijs creaturis conditum est propter gloriam & exaltationem ipsius: tum quia alioqui Christus vt homo, esset caput hominum etiam damnatorum imò & creaturarum omnium, etiam insensibilium, quia in omnes creaturas, etiam insensibiles, finaliter influit; cùm omnes sint conditæ propter ipsum vt finem proximum. Tum quia influxus capitis in membra, non est quicunque, sed causæ effi-

efficientis physicæ, vel moralis, in suo ordine principalis. Vnde *Trident.* cùm *sess.6. cap.7.* statuisset, Christi gloriam esse causam finalem nostræ iustificationis, *cap.16.* dignitatem capitis Christi, non definiuit per influxum causæ finalis, sed efficientis. Et colligitur ex influxu capitis naturalis, qui non est finalis, sed effectiuus: Christum vt hominem physicè influere in res creatas, sine fundamento asseritur. Ad fundamentum secundæ, constat ex *disput.7.* de ordine, quo decreta est Christi prædestinatio.

27. *An Christus vt homo sit caput hominum etiam damnatorum. 1. Opinio. Fundam.* Quoad tertiam Controu. nonnulli opinantur, Christum vt hominem esse caput hominum, etiam damnatorum. Fauet *Hieronym. in 1. cap. ad Ephes. fine*, vbi explicans, quid sit Ecclesia, cuius caput est Christus, docet, illam constare ex omnibus creaturis rationalibus, ac proinde etiam ex damnatis. Fundam. etiam in eos Christus vt homo influit, vel conseruando in illis habitum supernat. fidei; vel conseruando in genere causæ finalis, aut effectiuæ esse naturale ipsorum, vt caput omnium creaturarum per influxum finalem, vel effectiuum,

28. *Refutatur ex dictis.* Sed nec verum est, vt 4. *tom.* manere in damnatis habitum fidei supernaturalis: estoque maneat, adhuc ratione illius non diceretur Christus vt homo, tanquam caput in damnatos influere, quia non manet in illis operatiuus; sicut nec ratione characteris supernaturalis, cùm nec in illis maneat operatiuus, sed tantùm in dedecus & notam malè exercitæ potestatis. *Explicatur Hieron.* Nec Hieronymus est pro hac sententia: nam, vt patet ex contextu, per *ω cunctis creaturis rationalibus*, non intelligit, nisi eas, quæ ex Christo capite aliquod vitæ supernaturalis incrementum haurire possunt.

29. *2. Opinio.* Alij putant, Christum vt hominem, non esse quidem caput ad inferos damnatorum, esse tamen caput paruulorum ad limbum damnatorum, qui hinc sine baptismo cum solo originali decesserunt: *Fundam.* quoniam etiam in hos Christus vt homo influit aliqua dona naturæ indebita; quæ suâ passione eis promeruit: nam quicquid est naturæ indebitum etiamsi sit ordinis naturalis, nobis datur per Christi merita.

30. Sed contrà: Christus vt homo, non dicitur tanquam caput influere, nisi in eos, quos per talem influxum aliquo modo dirigit in vitam æternam: at ad limbum damnatos nec actu, nec potentiâ, ad actum reducibili, mysticè sibi colligatos habeat. Vnde neg. Christum vt hominem in illos influere vllum donum naturæ indebitum; sed potiùs vt Deus exercendo munus Authoris naturalis, supplet in illis ea, quæ causæ particulares præstare debuissent.

31. *3. Opinio probabilior. S. Thomas.* Cæteri cum *S. Doct. 3. p. cit. quæst. art. 3.* veriùs ac probabiliùs affirmant, Christum vt hominem esse caput hominum, tam viatorum omnium, quàm purgãtium, ac fruentium, & angelorum beatorum, non autem angelorum vel hominum ad inferos, vel ad limbum damnatorum. *Fundam.* Fundam. cùm omnibus & solis his Christus vt homo, tanquam caput cum membris, est mysticè coniunctus: cum beatis per gratiam consummatam, in quos influit actum vitæ gloriosæ; cum iustis viatoribus & purgantibus per gratiam viatricem, in quos influit vitam supernaturalem charitatis, & reliquarum virtutum infusarum; cum peccatoribus fidelibus per habitum fidei infusæ, in quos influit motus supernaturales fidei, & spei; cum hæreticis & gentilibus coniungitur per potẽtiam ad actum reducibilem, in quos subinde influit motus gratiæ excitantis, vt de propriâ salute, & medijs ad eam consequendam cogitent. Per eandem potentiam, ad actum reducibilem per eorum parentes, coniungitur Christus cum paruulis; tam intra, quàm extra vterum matris existentibus. Cum damnatis verò nullo pacto vt caput cum membris mysticè Christus coniungitur: & consequenter nequeunt illi aliquem capitalem influxum à Christo homine participare; nec sunt membra Christi, & consequenter nec Christus vt homo est caput illorum, non defectu virtutis capitalis in Christo, sed defectu mysticæ colligationis ipsorum cum Christo; est *Pauli ad Coloss. 2. Ex quo* (nempe ex Christo capite) *totum corpus per nexus & coniunctiones subministratum & constructum crescit in augmentum Dei.* *Duo ad rationem mystici capitis necessaria. scil. virtus sufficiens in capite, & coniunctio moralis membrorum.* In quem locum Anselmus: *Corpus quippe illius nos omnes sumus. Per nexus & coniunctiones corpus ligatur: quia dum capiti pectus, dum pectori brachia, dum brachijs manus, dum digiti manibus sunt coniuncti, ac membra cætera membris inhærent, corpus omne perficitur. Sicut Sancti Apostoli quia Redemptori nostro propinqui steterunt, ei quasi pectus capiti inhæserunt. Quos quia Martyres sunt secuti, coniuncta brachia pectori fuerunt. Quibus dum Pastores & Doctores subiuncti sunt per bona opera, manus brachijs inhæserunt.* *Per naturalem membrorũ cum capite connexionem explicatur.*

DICES: hæretici, & gentiles nullo pacto cum Christo capite colligantur: ergo non possunt esse mystica membra Christi; & per consequens nec Christus mysticum caput illorum. 32. Resp. Non esse colligatos actu, sed potentiâ ad actum reducibili: quod sufficit ad mysticam colligationem membrorum cum capite. Nam hoc interest inter caput naturale, & mysticum Christum; quòd illud non habet rationem capitis respectu membri aridi, vel abscissi: hoc autem, quamdiu membrum habet aliquam potentiam ad vitam, semper respectu illius habet rationem capitis: quia caput naturale non habet vim progignendi sibi membrum, sed tantùm conseruandi & vitaliter mouendi per continuum influxum spirituum animalium. Christus autem vt mysticum caput, non solùm habet virtutem conseruandi, & vitaliter mouendi motu vitæ supernat. membra sibi actu coniuncta, sed etiam procreandi sibi alia membra, potentia tantùm sibi coniuncta.

Dubitari autem potest, An etiam Christus vt homo sit caput angelorum malorum, dum fuerunt in viâ. 33. Resp. Affirmatiuè: nam etiam illi, in meâ sententiâ receperunt gratiam dependenter à meritis Christi: & consequenter etiam illorum fuit mysticum caput Christus vt homo. Ratio: vt citato loco Angelicus, hoc interest inter membra corporis naturalis, & mystici, quòd illa sunt omnia simul; hæc autem non sunt omnia simul: proinde nil derogat mysticæ coniunctioni membrorum cum capite distantia temporis inter membra & caput.

DICES: non fuit Christus vt homo ante Incarnationem caput angelorum quoad externam gubernationem; ergo neque quoad interna dona gratiæ, & supernat. illuminationes. 34. Resp. neg. conseq. nam respectu eorum dumtaxat donorum dicitur Christus vt homo ante Incarnationem esse caput angelorum, quæ data sunt illis dependenter à Christo, vt à principio meritorio: hæc autẽ sunt sola interiora dona gratiæ indebita ipsorum naturis, non autem externa gubernatio debita eorum naturis: cuius Christus vt homo est tantùm caput post Incarnationem, ad perfectam subiectionem & subordinationem, angelicæ hierarchiæ à Christo capite.

Quoad quartam controuersiam *S. Thom. 3. p. qu. 8. cit. art. 5. Bonau. in 3. dist. 13. art. 2. quæst. 2.* & reliqui ferè 35.

Per quamnam gratiam Christus sit caput Ecclesiæ. ferè omnes ibidem affirmant, gratiam capitalem in Christo esse ipsam gratiam habitualem, quæ quatenus sanctificat animam Christi, dicitur gratia singularis seu personalis; quatenus verò est principiũ sanctificandi alios, dicitur gratia capitalis. Fundam. illa est gratia capitis in Christo, quæ est principium merendi alijs, scilic. gratia habitualis, quæ est principium eliciendi operationes meritorias, quibus meretur alijs; nam gratia vnionis non est actiua. *Suarez 3.p.disput.23.sect.2. Vasquez disp.48.cap.4.* &

36. *Sentent. probabilior.* cæteri Recent. communiter docent, gratiam capitis in Christo, esse ipsam gratiã Vnionis: etsi etiam gratia habitualis dici possit gratia capitis, quatenus est proximum principium eliciendi opera meritoria, quibus Christus vt mysticum caput meritoriè influit in membra. *Quæ Sententia longè probabilior est.* Et iuxta assignatam differentiã explicandi sunt Scholastici, qui absolutè affirmant, gratiam capitis, esse gratiam habitualem.

37. *Fundam.* Fundam. illa est gratia capitis in Christo, per quam constituitur aliorum redemptor & sanctificator: nam gratia capitis idem significat, quod gratia, quã Christus potens est in alios influere condignam iustificationem & sanctitatem: at per illam gratiam Christus constituitur aliorum sanctificator, per quam constituitur naturalis Dominus sanctitatis & iustificationis, scilicet per quam constituitur naturalis filius Dei, nam per hanc accipit ius vt perfectus & legitimus hæres omnium bonorum Patris: & consequenter per hanc accipit perfectum dominium dispensandi hæc bona alijs: sed hæc, vt patet, est gratia vnionis, non habitualis.

38. *Ad fund. num.35.* Ad fundam. oppositæ: gratia capitis non est principium merendi alijs quocumque modo, sed merito condigno, & cum perfecto dominio hæc ipsa bona, quæ meretur, alijs dispensandi: hæc autem est gratia vnionis, quæ sola potest mereri alijs iustificationem de condigno, & cum perfecto dominio bona supernaturalia dispensare. Vnde concedo, gratiam habitualem esse quidem proximum principium per habitus infusos eliciẽdi opera meritoria in Christo, quoad physicam supernaturalitatem, non autem quoad moralem dignitatem, ad meritum de condigno requisitam: hanc enim habent opera Christi à personã Verbi, quæ sola tribuere potest condignum valorem operibus Christi, ad promerendam nobis gratiam à peccatis iustificantem.

39. Ex his deducitur, hanc dignitatem capitis ita esse propriã Christi, vt nulli puræ creaturæ sit communicabilis, cùm nulli puræ creaturæ sit communicabile, vt possit alijs gratiam peccatorum remissiuam de condigno promereri. Vnde si Adam se conseruãsset in statu Innocentiæ, per diuinæ legis obseruantiam, fuisset quidẽ caput posterorum quoad gratiam & habitus infusos, quos suo merito illis promeruisset, non tamen fuisset caput per meritum de condigno, sed tantùm de congruo, & solùm quoad primam gratiam, non autem quoad secundam peccatorum remissiuam: nam gratia habitualis, cùm sit accidens proprio subiecto, cui infunditur, addicta, non est naturã suã ordinata ad promerendum alijs, sed proprio dumtaxat subiecto, in quo est: ad meritum autem de condigno requiritur, vt 3.tom. vt illud naturã suã sit ordinatum ad tale præmium. Quod nec de congruo fuisset mysticum caput posterorum, quoad gratiam peccatorum remissiuam, constat: non enim fuit constitutus caput posterorum, nisi in ordine ad primam gratiã supernaturaliter generatiuam, cum naturali generatione transfundendam; non in ordine ad gratiam à peccatis iustificantem. *Adam fuisset caput per meritũ tantùm de cõgruo quoad grãtiam primam.*

An Adam in statu Innocentiæ futurus fuisset mysticum caput hominum, quoad externam gubernationem, tam politicam quàm spiritualem (nam quoad internam directionem per internos motus & illuminationes probabilius est, illum non fuisse in eo statu mysticũ caput) omninò mihi certum videtur: tum quia similis potestas cõmunicata fuit primo angelo in ordine ad angelicam Rempublicam gubernandam, vt 2.tom. disput.20.sect.8. Tum quia hæc eadem potestas communicata est Vicario Christi ad Ecclesiasticam Rempubl. gubernandam. Tum quia nullus poterat efficaciùs, & maiori cum authoritate in eo statu illos gubernare, quàm ille, qui quoad vtramque generationem, naturalem & supernaturalem, fuisset illorum caput: præsertim cùm Deus, quæ ipsius est suauis prouidentia, semper res creatas, quantum fieri potest per idoneos ministros gubernet, & ad suos fines dirigat. 40. *Adam caput mysticum regiminis.*

41. Nec obstat, quòd in illo statu omnes fuissent, ratione interioris doni iustitiæ originalis, ab intrinseco directi & inclinati ad omne bonum honestum: nam etiam angeli beati, & sanè efficaciori ratione propter intrinsecũ donum beatificæ visionis, sunt ab intrinseco directi & propensi ad omne bonum honestum; cùm tamen etiam ipsi habeant Christum vt hominem, non solùm vt mysticum caput interioris influxus gratiæ, sed etiam exterioris directionis & gubernationis. Ratio: etsi sint ab intrinseco dono ad honestum determinati, adhuc ad illud practicè exequendum egent extrinsecã directione superioris capitis, cùm non possint ipsi esse sibi certa & infallibilis regula ad omnia peragenda.

DISPVTATIO XVIII.

De scientia Christi in communi.

An in Christo præter scientiam increatam naturæ diuinæ sit etiam scientia creata naturæ humanæ, & ex quo tempore?

1. SVPPONO de fide certum, in Christo esse intellectum creatum, cùm hic sit naturalis proprietas naturæ humanæ, quæ in Christo fuit perfecta quoad omnes suas proprietates: & licet intellectus humanus Christi sit inferior angelico, est tamen superior quouis intellectu humano creato, quicquid sit de creabili: talem namque intellectum habere decebat personam increatam in suã naturã assumptã: sicut etiam habuit corpus omnium perfectissimum, & temperamentum, ad pondus. Hoc supposito, quæro hìc de actu ipsius, qui est scientia.

2. *1. Sentent.* PRIMA Sententia affirmat, animam Christi fuisse sapientem sapientiã increatã Verbi: est *Hugonis de S.Victore tom.3.lib.de sapientia Christi. Ioannis de Ripa apud Capreol. in 3.dist.14.q.1.art.2. & aliorum apud Armin. in 2.dist.7.quæst.2.art.1.§.Contra secundam partem eiusdem conclus.* *Prob.1.* Prob.1. Potuit Verbum diuinum communicare se vt actus subsistendi: ergo potuit communicare se vt actus intelligendi: maior quippe communicatio est secundùm esse, quàm secundùm operari. Nec obstat, quòd intellectio increata sit propria Dei, nam etiam personalitas increata est propria Dei, & tamen communicatur creaturæ. *Prob. 2.* 3. Potest Deus vniri intellectui beatorum vt species impressa; vt tom.1. disp.9. sect.4.

quæ

quæ sit principium productiuum visionis beatæ, quæ est vitalis tendentia ad Deum obiectum beatificum: at magis repugnat, Deum supplere ratione habitûs quàm actûs: species impressa habet rationem habitûs, expressa actûs: igitur supplere à fortiori poterit & hanc. 3. Quod immediatè beat, est
4. Prob. 3. Deus, obiectum infinitum, in quo relucet omnis ratio boni, & nulla apparet ratio mali: at non potest Deus intellectum creatum beare, nisi mediâ intellectione sui: non creatâ; sic enim Deus non seipso immediatè, sed mediâ specie & verbo creato bearet, quod immediatè obijcitur intellectui expressum & formatum, & in quo Deus finito modo relucet; ita vt si per impossibile, conseruatâ intellectione Dei, Deus desineret esse, non alio modo Deus appareret Beato tunc, ac nunc, scilicet mediâ intellectione creatâ, quæ eadem esset tunc ac est nunc; sicut conseruatâ visione in oculo, eodem modo appareret obiectum per eam repræsentatum, destructo, ac conseruato obiecto in seipso.

5. 2. Sentent. SECVNDA affirmat, in Christo præter scientiam increatam naturæ diuinæ, fuisse etiam creatam naturæ humanæ: est *S. Thom. 3. p. quæst. 9. & 20. de veritate art. 1. & in 3. dist. 14.* vbi reliqui Scholastici cum Magistro eandem sent. vt de fide certam, & in scripturis expressam docent.

6. Assertio 1. DICO 1. In Christo, præter scientiam increatam, quæ est propria Dei, est etiam creata, quæ est propria Christi vt hominis. Assertio est de fide, tum ex illo generali principio definito in varijs Concilijs contra *Eutychetem*, in Christo duplicem esse naturam, suis naturalibus proprietatibus discretam; inter quas præcipua est scientia creata, naturaliter ei debita. Tum ex alio principio contra *Monothelitas* stabilito, in Christo esse duplicem voluntatem, duplicemque operationem; & consequenter duplicem intellectum & cognitionem, quę essentialiter præsupponuntur. Tum Isaiæ 11. *Et requiescet super eum spiritus Domini; spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ.* &c. Matth. 22. *Cognitâ autem* IESVS *nequitiâ eorum:* Ioan. 8. vbi Christus de suo Patre loquens, *Scio*, inquit, *eum & sermonem eius seruo*, scientiâ vt hominis, nō vt Dei: nam sicut vt homo sermonem eius seruabat, ita vt homo illum cognoscebat: & cap. 18. *Sciens* IESVS, *quia venit hora eius.* Ratio: Christus est perfectus homo: cui potissima perfectio humana, qualis est scientia, conuenit. Confir. Christus vt homo fuit Doctor & legislator hominum, eorumq; redemptor medijs actibus virtutum, quos in pretium Deo Patri obtulit: actus autē virtutum scientiâ regulantur: ergo vt homo habere debuit scietiam suo muneri proportionatam; cùm nequeat, *vt infrà*, scientia increata esse proportionata regula in Christo ad hos actus exercendos.

Probatur auctoritate scripturæ.

Fundam.

7. 2. Assertio. DICO 2. Hanc scientiam creatam habuit anima Christi à primo instanti suæ conceptionis, statim ac fuit Verbo vnita. Hanc Assert. de scientiâ indefinitè intellectam censeo de fide, implicitè & virtute reuelatam in alijs principijs fidei, ex quibus per euidentem illationem hæc veritas deducitur.

8. Probatur ex scriptura & Patribus. Oraculū 1. Ierem. 31. *Nouum creauit Dominus super terram: Fœmina circumdabit virum*, quem locum omnes Patres intelligunt, de Christi incarnatione, qui adhuc in vtero Matris existens propter perfectionem virtutum, tam ad volūtatem, quàm ad intellectum pertinentium, appellatur à Propheta vir. *Quem nos*, inquit Cyprian. serm. de natiu. Christi, *paruulum, Propheta nuncupat virum, insinuans ei nunquam defuisse virtutem, sed semper virilis ætatis adfuisse fortitudinem, quam infantilis infirmitas occultabat.* Hieronymus in hunc locum: *Fœmina circūdabit virum gremio vteri sui: qui iuxta incrementa quidem ætatis per vagitus & infantiam proficere videbitur sapientiâ & ætate: sed perfectus vir in vētre fœmineo solitis mensibus continebitur:* Non negat, Christum vt hominē etiam in vtero materno, post primum ipsius conceptum, ætate profecisse, sed tantùm negat illud ætatis incrementum, quod reliqui homines in vtero matris in suis corpusculis supponūt, antequam idonea fiant ad suscipiendas animas rationales.

Cyprian.

Hieronym.

Eusebius Cæsariensis. Eusebius *Cæsar. lib. 10. Euang. demonst. cap. vlt. med. Cùm ab vberibus matris meæ infantilem alimoniam acciperent, putabar, vt reliqui hominum infantes, imperfectus esse, & absque vsu rationis. Non enim eram talis, licet mihi cæteris hominibus simile esset corpus.*

Bernardus copiosissimè & eleganter. Bernard. homil. 2. super, *Missus est: Virum autem dixerim fuisse* IESVM, *non solùm iam cùm diceretur vir propheta, potens in opere & sermone, sed etiam cùm tenera adhuc infantis membra, Dei mater blando vel foueret in gremio, vel gestaret in vtero. Vir igitur erat* IESVS *necdum etiam natus, sed sapientiâ, non ætate; animi vigore, non viribus corporis, maturitate sensuum, non corpulentiâ membrorum. Neque enim minus habuit sapientiæ, vel potius non minus fuit sapientia* IESVS *conceptus, quàm natus; paruus, quàm magnus. Siue ergo latens in vtero, siue vagiens in præsepio, siue iam grandiusculus interrogans Doctores in templo, siue iam perfectæ ætatis docens in populo, æquè profectò plenus fuit Spiritu sancto. Nec fuit hora in quacumque ætate sua, qua de plenitudine illa, quam in sui conceptione accepit in vtero, vel aliquid minueretur, vel aliquid eidem adijceretur, sed à principio perfectus, à principio, inquam, plenus fuit spiritu sapientiæ & intellectûs, spiritu consilij & fortitudinis, spiritu scientiæ & pietatis, & spiritu timoris Domini.*

9. Oraculū 2. expressum. Hebr. 10. *Ideò*, inquit Apostolus loquens de Christo, *ingrediens mundum dicit: hostiam & oblationem noluisti: corpus autem aptasti mihi: holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi: ecce venio: in capite libri scriptum est de me, vt faciam, Deus, voluntatem tuam.* Quibus verbis Apostolus introducit Christum alloquentem, & offerentem se Deo Patri in hostiam & victimam pro salute humani generis, statim in principio ipsius sanctissimæ conceptionis: *Filius*, inquit in hunc locū Ansel. *ingrediens mūdum, id est, assumens carnem:* Etsi enim vt *S. Thom. lect. 1. in hunc loc.* Deus erat in mundo ante Incarnationem per essentiam, præsentiam, & potentiam, quando *propter nos factus est humanæ naturæ suppositum, dicitur ingredi in mundum propter eius assumptionem.* Sed hæc necessariò supponunt in Christo scientiā creatam ab ipso exordio suæ conceptionis; cùm nec locutio, siue externa oris, siue interna mentis Christi hominis cum Deo, nec voluntas & affectus sese offerendi pro salute hominum, sine aliquâ scientiâ & notitiâ esse possit.

10. Fundam. huius veritatis. Fundam. sumitur ex illo principio, quòd ratione vnionis hypostaticæ naturaliter debeantur Christo omnes virtutes tam morales, quàm intellectuales; Ergo statim illi datæ sunt, cùm nulla fuerit ratio eas ad tempus differendi: & alioqui tales virtutes necessariæ erant ad actus meritorios, quos Christus ab initio suæ conceptionis incœpit exercere. Ex his sequitur, animā Christi posteriùs naturâ hanc scietiam infusam habuisse, quàm fuerit Verbo vnita; scilicet vt proprietatē consequentem ad vnionem hypost.

11. Notanter dixi, hanc assertionem esse de fide, indefinitè tantùm intellectam de scientiâ: nam, Christo fuisse habitus scientificos à principio cōceptionis infusos, non est de fide, sed certa sententia auctoritate Scholast. ita vt opposita ad minimum sit temeraria, vt de gratiâ habituali & virtutibus infusis *disp. 16. sect. 2.*

12. *3. Assertio. Ratio.* Dico 3. Implicat, animam Christi fieri intelligẽtem formaliter intellectione increatâ Verbi. Ratio desumitur ex naturâ actus cognoscitiui, cuius essentia consistit, vt sit ab eodem principio cognoscente, vel per identitatem, vt in Deo; vel per actiuitatem, vt in creaturis. Est enim cognitio vitalis tendentia, quâ principium cognoscens seipsum intentionaliter mouet ad obiectum cognoscendum: vnde hoc ipso quod à principio cognoscente præscindis hanc intrinsecam & actiuam tendentiam intentionalem, præscindis ipsam rationem actualis vitæ cognitiuæ. Quo fit, vt nequeat cognitio per solam passiuam receptionem reddere potentiam actu cognoscentem suum obiectum, vt *Scotus* opinatur: sed essentialiter requiritur ipsius potentiæ actiua motio intentionalis, quod est à seipso ad obiectum moueri: nam intelligere, videre, appetere, est, *A priori.* animam interno quodam impetu moueri ad suum obiectum, vel percipiendum, vel appetendum: quo motu anima ipsa quasi extra se intentionaliter tendit ad obiectum capiendum: scilicet potentia *A posteriori.* cognitiua, & eadem ratio est de appetitiua, eousque defatigatur, quousque in perceptione sui obiecti perseuerat: quod constat ex consumptione spirituum, quos anima consumit, non modò cum primo actum vitalem cognitiuum, vel appetitiuum producit, sed quamdiu illum conseruat. Quod aliunde prouenire non potest, quàm quod ad percipiendum obiectum, non sufficiat passiua dumtaxat receptio actûs, sed requiritur actiuus conatus potentiæ in obiectum, cùm spiritus non consumantur in passiuâ, sed in actiua productione & conseruatione actûs: non enim potentia conari dicitur, dum recipit, sed dum agit. Cùm igitur repugnet, vt diuina intellectio sit actiua intentionalis tendentia, vel per identitatem, vt est in ipso Deo, vel per physicam actionem, fiatque vitalis operatio intellectûs creati, implicat, vt sit vitalis actus intelligendi ipsius.

13. *4. Assertio.* Dico 4. Animam Christi scire formaliter per scientiam increatam, si excludat creatam, est propositio hæretica, vt constat ex prima & secunda assert. si non excludat, est tantùm temeraria, & parum cõsona principijs fidei. Est *Bonau. in 3. dist. 14. art. 1. q. 1.* vbi hanc sententiam appellat extraneam, recedentem à via communi, & à veritate deuiantem: *Suar. 3. p. disp. 24. sect. 2. §. Sed quæres.*

14. *Dices.* Dices. Si de fide non est, animam Christi non intelligere intellectione increatâ; ergo nec de fide erit, illam habuisse scientiam creatam statim ab exordio suæ vnionis cum Verbo: facilè enim citata oracula ex quibus nostram assert. deduxi, de huiusmodi intellectione increatâ explicari possunt: cùm ex illis non cõcludatur aliud, nisi quod anima Christi statim ab initio suæ hypostaticæ vnionis habuerit aliquam notitiam. Resp. neg. consequ. Tum quia
15. *Resp.* ex alio principio, in Concilijs definito, habemus, in Christo geminas fuisse operationes, diuinæ & humanæ naturæ proprias. Cùm ergo ex citatis oraculis euidenter concludatur, animam Christi ab instanti suæ vnionis cum Verbo aliquam habuisse notitiam, necessariò hæc, iuxta Conciliorum decreta, intelligenda est de notitiâ creatâ humanæ naturæ propriâ: vti etiam intelligitur de voluntate, quâ se Deo
16. obtulit pro salute generis humani. Tum quia, esto id nõn sit de fide, cùm neque in scripturis expressum, neque ab vllo Concilio definitum sit, potest tamen explicare principium ipsum de fide; quod sic explicatum facit certitudinem de fide. Cùm igitur de fide sit, fuisse in animâ Christi statim à momento suæ conceptionis aliquam notitiam, quâ potuerit & cum Deo loqui, & seipsam offerre in sacrificium pro salute hominum; cumque saltem naturaliter euidens sit, quicquid sit de potentiâ absolutâ, animam Christi non posse intelligere intellectione increatâ, sequitur, de fide esse per modum conclusionis explicatæ, talem notitiam in animâ Christi fuisse creatam. Nam ad faciendam aliquam assertionem de fide, sufficit, si ad principium reuelatum accedat propositio naturaliter saltem euidẽs, quæ explicet ipsum, ita ad faciendam hanc propositionem de fide, *Christus non est persona creata*, sufficit, si ad hanc reuelatam, *Christus est persona increata*, accedat hæc alia naturaliter saltem euidens, *cum persona increata non potest naturaliter simul esse personalitas creata.*

Ad 1. argu. oppositæ, neg. conseq. nam actus subsistendi est terminus substãtialis naturæ; actus verò intelligendi est actiua tendentia ipsius intelligentis: implicat autem, vt Deus fiat actiua tendentia intellectûs creati, non autem substantialis terminus naturæ; nam hic saluatur per solam vnionem cum naturâ. Ad 2. neg. conseq. nã species impressa solùm concurrit vt principiũ efficiens non vitale; expressa verò vt forma vitalis intentionalis, quæ essentialiter requirit actiuam tendentiam ipsius principij intelligentis, vt suprà. Negandum autem est essentiam speciei impressæ vt sic, consistere in habitu disponente potentiam, sed in actu, non formali, sed effectiuo expressionis obiecti, vicem ipsius gerente. Ad 3. resp. Deum beare nos mediâ intellectione creatâ vt *quo*, seipso vt *quod*, intellectus beatus videndo Deum non format verbũ, nec in illo beatur; sed puram tendentiam ad Deum in seipso existentem, eoque tantùm immediatè beatur; nec posset visio intuitiua Dei conseruari sine Deo, non modò efficienter, sed etiam obiectiuè cõcurrente. Nec est par ratio de visione corporeâ, quæ non est pura tendentia ad obiectum, sed verbum sensibile, quo exprimitur, & videtur obiectum ipsum sensibile intentionaliter expressum, vt *1. tom. disp. 9. sect. 3.*

Ad argumenta opposita sententia. 17.

18.

19.

DISPVTATIO XIX.

De Scientia beata animæ Christi.

SECTIO PRIMA.

An hanc scientiam Christus habuerit ab instanti suæ conceptionis?

Prima ratio dubit. cùm hæc sit summa felicitas, pugnat cum summâ tristitiâ, quam Christus habuit in suâ passione. 2. pugnat cum merito, quod Christus in hac mortali vitâ exercuit; nam meritum consistit in actione liberâ, in obsequium Dei factâ, qui autẽ Deum intuetur, necessariò illum amat, nec potest non omnes suas actiones in Deum referre. 3. Lucæ 24. *Oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriã suam.* Ioan. 7. *Nondum erat Spiritus sanctus datus, quia* Iesvs *nondum erat glorificatus.* Non igitur possessionem gloriæ statim accepit ab initio suæ conceptionis, sed post passionem. 1. *1. Ratio dubitandi. Secunda. Tertia.*

Dico: anima Christi fuit beata ab instanti suæ conceptionis: *S. Thom. 3. quæst. 9. art. 2. & quæst. 10. & qu. 15. art. 10. & q. 34. art. 4.* & communis cum *Magist. in 3. dist. 14.* Prob. 1. Ioan. 1. *Deum nemo vidit vnquam, Vnigenitus, qui est in sinu* (hoc est, *in secreto Patris*, vt Aug. exponit tract. 3. in Ioan.) *ipse enarrauit.* 2. *Assertio. Probatur ex scriptura.*

Quòd

Quòd Euangelista loquatur de Christo vt homine, est sententia *Cani lib.12. de locis theol. cap.14. Medinæ quæst.34. art.4. Suarez disp.25. sect.1.* &c. Præfertur enim Christus reliquis Prophetis in cognoscendis ac docendis mysterijs fidei; cognouit autem & docuit hæc mysteria Christus vt homo: ergo vt homo differre debuit à reliquis Prophetis, in cognoscendis exponendisq; mysterijs fidei, alioquin si tantùm vt Deus, nullum foret inter ipsum, & reliquos Prophetas in hoc discrimen. Quod discrimen Christus de seipso assignat Ioan. 3. *Quod scimus loquimur, & quod vidimus testamur*; testatus est enim Christus vt homo mysterium Trinitatis, & reliqua fidei arcana: ergo vt homo ea videbat in Verbo. Ioan.17. *Volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi*; vbi de claritate beatæ visionis Christus loquens, iam ex tunc fatebatur, se in eâ esse, non futurum esse: ergo ex tunc erat beatus.

3. *Efficacissimus locus.* 3. Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis*; vbi certum est, Euangelistam loqui de Christo vt homine, quia loquitur de Verbo vt caro facto, & in nobis habitante, cuius gloriam testatur, se vidisse *tanquam gloriam Vnigeniti à Patre*, scilicet quâ Patrem intuetur; non enim intelligi potest de gloriâ, ratione personalis dignitatis, quia plenitudo veritatis non potest nisi ad intellectum referri, in quo beatitudo naturæ rationalis perficitur. Confirm. alioquin non fuisset in Christo veritatis plenitudo, quæ dicit omnem scientiam; sicut plenitudo gratiæ omnem gratiam, & ideo præter gratiâ personalem, ponimus in Christo etiam habitualem.

4. *Eusebius Cæsariensis.* Prob. 2. ex Patribus, apud *Canum loco cit. & Bellarm. lib.4. de Christi animâ cap.5.* Vnus sufficiat Eusebius *lib.10. euang. demonst. cap. vlt. in explic. Psal.21.* vbi *post init.* de Christo hæc scribit: *Sed enim cui vnquam eorum, quos in vtero mater gestauerit, tantum virtutis, tantumque virium adfuit, vt constanti cogitatione, animoque imperturbato, & mente sobria & erecta, Dei cognitionem acceperit, & omnem suam spem in Deo collocauerit?* & infrà in explicatione illorum: *De ventre matris meæ Deus meus es tu*: ita Christum cum Deo loquentem introducit: *Cùm enim adhuc intra cellam gestantis me in vtero laterem, te tamen Deum meum videbam.*

5. Eadẽ veritas colligitur ex mysterio transfigurationis, in quo gloria, quæ tunc in Christi corpore apparuit, euidens signum fuit latentis gloriæ animæ, quæ continuò à Christo cohibebatur, ne in corpus redundaret, quo minus illud redderetur ad nostræ mortalitatis ærumnas patiendas, idoneum.

6. *Probatur rationib. Prima.* Ratio 1. sit. Christus, etiam vt homo, est filius Dei naturalis: ergo statim illi debita fuit scientia beata: nam cui conuenit esse, conuenit operatio, consequẽs ad esse: sed visio clara Dei, est operatio consequens ad esse hypostaticum diuinum: ergo statim illi debita fuit: ergo statim illi collata est, cùm nulla fuerit ratio illã differendi, quippe quæ nec postulat organa sensuum, vt exerceatur; nec danda erat Christo in præmium suorũ laborum, sed vt proprietas consequens naturã hypostaticè vnitam Deo. Minor prob. propria operatio Dei est, quâ seipsũ intuetur: ergo cui communicatur idem esse diuinum, communicatur proprium operari diuinum.

7. Confirm. sicut ab instanti suæ conceptionis fuit Christus vt homo constitutus legitimus hæres & dominus paternæ possessionis, iuxta illud Psalm. 2. *Filius meus es tu, ego hodie genui te, postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam*, quod de temporali Christi generatione passim Patres intelligũt; ita ab eodem instanti debuit ius paternorum bonorum accipere, cùm ad illud capiendum necesse non fuerit, aut Patris mortem intercedere, aut tempus legitimæ ætatis expectare.

8. *Secunda.* 2. Collata fuit Christo, vt homini, ab instanti suæ conceptionis plena ac perfecta gratia: ergo ab eodem instanti collata ei fuit visio beata: nam plena ac perfecta gratia postulat visionem Dei, sicut principium postulat suum actum; est enim gratia, perfecta participatio diuini esse, cui debita est participatio diuinæ operationis: ergo si Christo collata fuit gratia plena ac perfecta, ab instanti conceptionis, cum eâ collata quoque visio beata, vt vltimus actus, quem illa exigit; alioqui non fuisset in Christo gratia perfecta, quia gratia perficitur & consummatur visione beatâ sicut principium vltimo suo actu.

9. *Dices.* Dices: Angelis collata fuit gratia ab instanti creationis, & tamen illis statim debita fuit visio beata. *Resp.* Resp. Angelis data fuit gratia, vt principium merendi gloriam; principium autem meriti præcedit, saltem connaturaliter, præmium; Christo verò vt proprietas consequens vnionem, ideoque non debuit vnio tempore præcedere visionem, sed statim cum illâ dari.

10. Controuersia est, in quo gradu certitudinis sit hæc assertio. *Palatius in 3. dist.14. disput.1.* appellat theologicum dogma; oppositam Sententiã temerariam. *Medina 3.p.q.34. art.4.* putat esse traditionem Apostolicam. *Vasquez 3.p. qu.10.* in expositione 1. *art.* satis certam, *Suarez* ita certam, vt opposita sit erronea, & proxima hæresi. *Cabrera* distinguit: nam quòd anima Christi fuerit beata, dum fuit in corpore mortali, ait esse de fide: quòd ab instanti conceptionis, putat ad fidem non pertinere, esse tamen adeò certum, vt oppositum sit error in fide, & proximus hæresi.

11. *Censeo 1.* Ego censeo 1. certum esse de fide, animam Christi post mortem fuisse beatam, ex illis: *Hodie mecum eris in paradiso*, quæ nequeunt nisi de Beatitudine intelligi; nam certum est, animã Christi aduentu suo beasse SS. Patres in limbo existẽtes: ergo à fortiori oportuit, vt ipsa esset beata, quæ alijs beatitudinem conferebat: non enim decebat, priùs adoptiuos quàm naturalem filium hæreditatis possessionem capere. *Secundò.* 2. Ad fidem proximè accedere eam ab instanti suæ cõceptionis fuisse beatam; quia licet authoritates scripturæ expressæ non sint, rationes tamen sunt adeò efficaces, vt ferè euidenter demonstrent, hanc veritatem esse implicitè reuelatam illis de fide expressis: *Christus est naturalis filius Dei, Christus fuit plenus gratiæ & veritatis.* Conclusio autem ex vnâ reuelatâ, & alterâ naturali, aut est de fide, saltem vt explicata; aut ad fidem proximè accedit, quando naturalis applicans non est ita euidens.

12. *Ad rationes dubitandi.* Ad 1. ration. dubit. nego antec. nam sicut non repugnat, vt anima intuens Deum possit ad alia etiam attendere: ita nec, vt anima Christi videns Deum, potuerit ad sui corporis cruciatus attendẽs tristari ac dolere, etiam de eodem obiecto per diuersa motiua. Ad 2. nego visionem beatam impediuisse Christi meritum, de quo infrà. Ad 3. scripturæ intelligendæ sunt de gloriâ corporis, & exaltatione sui nominis, vt Interpretes docent.

SECTIO II.

An anima Christi scientiâ beatâ videat omnes creaturas in Verbo?

13. SVppono, Animam Christi visione beatâ videre omnia, quæ sunt in Deo formaliter, nempe essentiam, attributa, personalitates, quod commune est

ne est Christo cum Beatis. Vlteriùs inquiro, An vi eiusdem visionis penetret omnia, quæ in Deo sunt eminenter, cuiusmodi sunt creaturæ.

14. *1. Sentent. eiusque varij modi.* 1. *Fundam.* PRIMA Sentētia affirmat: cuius varij sunt modi. Primus *Duran. in 3. d. 14. q. 2.* asserentis, animam Christi per scientiam beatam videre omnes creaturas, quoad essentiā, non quoad existentiam; quia Diuina essentia est naturalis causa creaturarū quoad earum essentias, per suam omnipotentiam, quoad existentias per voluntatem. Nam sicut potentia respicit producibile, ita actio productum; sed non est in Dei libertate, habere, vel non habere potentiam; est autem in Dei libertate, habere, vel non habere actionem; igitur videns Deum, necessariò videt, quidquid est ab ipso naturaliter producibile, non autem, quidquid est liberè productum; sed qui videt causam, necessariò videt vim productiuā causæ: hæc autem distinctè videri non potest, non distinctè viso eius termino: terminus diuinæ omnipotentiæ est omne producibile, igitur visā Dei omnipotentiā, necessariò videntur omnes creaturæ quoad possibilitatem.

15. *Secundus modus.* Secundus *Magistri in 3. dist. 14. Alens. 3. p. quæst. 13. memb. vlt. Altisiod. lib. 3. dist. 3. tract. 1. cap. 5. Alberti in 3. dist. 14. art. 1. 2. & 3. Mayro. dist. 12. quæst. 3. Maioris dist. 14. qu. 4. Bachon. dist. 13. quæst. 1. art. 4.* affirmantium, animam Christi in Verbo cognoscere omnia tā possibilia, quàm existentia, non tamen eā claritate, quā ea cognoscit Deus ipse. Consentit *Rubio dist. 14. q. 2. §. Ad cuius euidentiam concl. 4.* vbi docet, posse animam Christi actu, à Deo sibi producto, cognoscere Deum, & omnia cōtenta in Deo.

Fundam. Fundam. *Ioan. 3. Christo non est datus Spiritus ad mensuram:* & ad *Coloss. 2.* in Christo *sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ* Dei. Confirm. si hoc implicaret, maximè propter infinitatem talis actûs, sed non sequeretur, talem actum esse infinitum, sicut non sequitur, actum quo videtur essentia diuina infinita, esse infinitum.

16. *Tertius.* Tertius *Bonau. in 3. dist. 14. art. 2. quæst. 3. Scoti q. 2. §. Sed si ista. Rubion. q. 2. §. Ad cuius euident. Gabriel. quæst. vnicâ, art. 1. concl. 3. Marsilij quæst. 10. art. 2. in 3. p. articuli concl. 3. Almayn. qu. 1. art. 1.* affirmantium, Animam Christi videre omnia in Verbo, tam possibilia, quàm existentia, habitu, non actu. Ratio *Bonau.* anima Christi habitu glorioso cognoscit ita perfectè, vt perfectiùs cognoscere non possit: ergo cognoscit omnia, quæ cognoscit Verbum ipsum, non actu, quia hoc implicat, ergo habitu. Ratio *Scoti:* Anima Christi videndo Verbum, in ipso habitu videre potest omnia, non quidē simul, cùm implicet intellectum finitum actu cognoscere infinita simul, sed successiuè:

Fundam. Scoti. nam Verbum visum in se est ratio videndi omnia, quæ eminenter continet. Nec est eadem ratio de cæteris beatis, quia cæteris beatis diuina essentia non vnitur vt ratio videndi omnia, sed aliqua determinata, quia vnitur vt speculum voluntarium, non vt speculū naturale. Ratio *Rubion.* visio gloriosa animæ Christi in actu secundo repræsentat Deum, & in actu primo omnia, quæ continentur in Deo. Vnde eodem actu glorioso, variato tantùm accidentaliter per nouum dumtaxat respectum, seu aduertentiam ad nouum obiectum, potest intellectus Christi pro libito quodcumque obiectū creatum cognoscere, ita vt solum obiectum beatificum necessariò, reliqua verò liberè cognoscat.

17. *2. Sentent. Duplex modus. Primus.* SECVNDA negat; cuius duplex est modus. Alter *Richardi in 3. dist. 14. art. 2. qu. 3.* docentis, Animam Christi scientiā beatā solùm videre præterita, præsentia, & futura, quæ habitura non sunt successionē sine fine, cuiusmodi sunt omnes substantiæ creatæ, non autem cogitationes hominum & angelorum, quæ sine fine futuræ sunt in infinitum. Alter *S. Thom. 3. p. quæst. 10. art. 2. ad 2. & in 3. dist. 14. qu. 1. art. 2. ad 2. quæst. Caiet. Capreol. Argent.* & aliorum *in 3. dist. 14.* affirmantium, Christi animam in Verbo cognoscere omnia, quæ pro aliqua differentia temporis habitura sunt existentiam, non autem possibilia. Pro explicatione, triplex obiectum secundarium distingue in Deo: possibile, futurum absolutum, & futurum conditionatum.

18. *Ratio assertionis duplex. Prima.* DICO 1. Implicat, animam Christi actu videre distinctè omnia possibilia in Verbo. Ratio 1. ex cognitione omnium possibilium cum proportionali penetratione causæ, sequitur comprehensio diuinæ essentiæ; quæ implicat ex 1. *tom. disp. 9. sect. 22.*

19. *Secunda. Implicat cognitio creata actu infinita per philos.* Ratio 2. nequeunt videri actu omnes creaturæ possibiles in Verbo, nisi cognitione actu infinitā; nā intuitiua cognitio omnium possibilium distinctè & dearticulatè exprimeret in seipsa naturas infinitas perfectiores absque vllo termino; sunt enim infinitæ etiam quoad speciem. Nec refert, quòd tantùm syncategorematicè; nam sicut rectè arguitur ex effectibus syncateg. infinitis potentia categorematicè infinita, ita ex obiectis syncateg. infinitis cognitio categor. infinita; quia sicut nequit potentia finita producere effectus syncateg. infinitos, ita nec cognitio finita exprimere obiecta syncateg. infinita, quia talis cognitio haberet in esse intentionali, quicquid haberet obiectum ipsum in esse possibili, scilicet perfectionem infinitam: cùm enim illa cognitio substituatur loco obiecti non existentis, (possibilia secundum esse creatum, quod possunt participare, non existunt, neque in se, neque in Deo, in quo tantùm continentur eminentialiter secundùm esse increatum Dei) deberet intentionaliter exprimere totam perfectionem obiecti; quia nequit intellectus obiectum distinctè, & intuitiuè cognoscere, nisi illud habeat intimè præsens, vel in esse reali, vel in esse intentionali: Nec est eadem ratio de cognitione, quā videmus Deum; quia hæc non est ratio in quā exprimitur essentia Dei, sed tantùm quā vitaliter tendimus ad Deum in seipso extra nostrum intellectum existentem; vnde non debet esse infinita, quia non debet exprimere obiectum infinitum in seipsa, sed tantùm intellectum ducere ad obiectum infinitum in seipso existens.

20. *Ad fund. Durandi.* AD fundam. *Durandi,* nego conseq. nam Deus non est causa vniuoca, sed æquiuoca creaturarum; vnde ea visa non est ratio videndi creaturas. Ad confirm. nego minor. potest enim distinctè videri causa, abstractiuè tantùm viso termino.

21. *Ad fund. 2. Sentent.* Ad fundam. secundæ Resp. primum locum intelligi de Spiritu S. dato Christo substantialiter; is enim non est datus Christo ad mensuram, sed secundùm plenitudinem diuinitatis inhabitantis in Christo substantialiter: Secundum verò de sapientiā & scientiā increatā, quæ competit Christo ratione naturæ diuinæ, eique vt homini per communicationem idiomatum: Constat ex ratione, quam Paulus subdit, *Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter.* Ad confirm. *Rubio.* patet ex dictis. Ad rationem Bonau. neg. antec.

Ad fund. Scoti. Ad fundam. *Scoti;* Esto non implicet, Verbum vniri intellectui animæ Christi, vt speculum voluntarium, ad infinita distributiuè in Verbo cognoscenda; nego tamen id factum esse, quia pugnat cum immutabilitate visionis beatæ; quæ nequit nouum obiectum secundarium exprimere, non variata circa obiectum primarium: cùm quilibet gradus cognitionis obiecti secundarij necessariò repræsentet obiectum primarium, tanquam formale motiuum, à quo essentialiter specificatur.

Ex his

23. *Ad rationẽ Rubionis.* Ex his patet ad rationem *Rubio.* preterquam quod implicat, Visio beata habitu repræsentet omnia possibilia, cùm quicquid repræsentat, actu repræsentet, nec possit suum formalem effectum suspendere, cùm illum necessariò conferat subiecto.

24. *Assertio 2.* Dico 2. Implicat, animam Christi actu videre dearticulatè & distinctè omnia futura absoluta: Est *Bonauen. Richardi, Scoti, Gabr. Almay. loco cit. concl.* 2. pro quâ citat *Henricum.* Hanc eandem vt probabiliorem putat *Salas in* 1.2. *to.*1. *tract.*2. *disp.*4. *sect.*7. ex *S. Tho.* & pro eâ multos alios citat. *Fundam.* Fund. omnia futura absoluta sunt infinita; nequeunt autem dearticulatè & distinctè actu videri infinita cognitione finitâ: igitur nequit anima Christi cognitione finitâ dearticulatè & distinctè actu videre omnia futura absolutè. Maior prob. futura absoluta sunt illa, quæ habitura sunt existentiam in aliquâ temporis differentiâ, vt sunt cogitationes & volitiones beatorum & damnatorum, quæ futuræ sunt sine termino totâ æternitate. Nec refert, quòd nunquam futuræ sint infinitæ categorematicè; cognitio enim illas omnes simul actu exprimens necessariò debet esse infinita categorematicè. Minor prob. nequit species exprimere infinita, quin ipsa etiam sit infinita: nam species expressa debet actu continere in suo esse intentionali, quicquid obiectum continet in suo esse naturali, vt substituta loco obiecti; vnde debet illud continere quoad totum esse, alioquin in eo, in quo illud non contineret, non exprimeret cognoscenti: at totum esse naturale obiecti supponitur adæquatè expressum in ipso esse intentionali speciei: igitur si illud est infinitum, etiam hoc erit infinitum.

25. *Confirm.* Confirm. Si infinita indiuidua actu simul omnia existerent secundum esse naturale, essent actu infinita secundùm esse naturale: ergo si actu simul existerent omnia secundùm esse intentionale, essent actu infinita secundùm esse intentionale; sed actu simul existerent omnia secundùm esse intentionale in specie expressâ, distinctè exprimente singula secundùm proprias notas, indiuidualesque conditiones vniuscuiusque, quia esse intentionale speciei adæquatè respondet esse naturali obiecti.

26. *Obijcies.* Hæc sententia derogat prærogatiuæ Christi, quia ad Christum tanquam ad iudicem omnium, & saluatorem spectat, cognoscere omnes cogitationes tam beatorum, quàm damnatorum æternùm futuras in ipso Verbo. Resp. neg. antec. *Distingue de cogitationibus quoad speciem vel quoad numerum.* ad prob. distinguo: cogitationes (idem dicito de volitionibus) quoad speciem omnes in Verbo cognoscuntur à Christo, eâdem cognitione, quâ cognoscitur Deus ipse, quia omnes istæ sunt finitæ: cogitationes verò, volitionesq; quoad numerum, vsque ad diem iudicij exituræ, omnes pariter in Verbo cognoscuntur à Christo, quia omnes sunt finitæ, & actu iudicandæ à Christo; proinde actu omnes cognosci debent, antequam iudicentur, vt sua cuique pœna, vel præmium assignetur; reliquæ autem in æternum futuræ habitu tantùm simul omnes cognoscuntur per scientiam infusam, de quâ infrà; actu verò quas & quot Christus ipse cognoscere voluerit, semper tamen finitas. Nec dici potest, Christum habuisse ignorantiam infinitorum futurorum; nam omnia illa habitu saltem cognouit per scientiam infusam.

27. *Vna superest difficultas.* Cæterùm, cùm certum sit, animam Christi videre suam ipsius beatificam visionem in Verbo, æternùm duraturam, & nequeat visio Dei animam beare, nisi videatur in Verbo æternum duratura, vt suppono ex 3. *tom.* sequi videtur Deum neque de potentiâ absolutâ, destruere posse visionem beatificam animæ Christi; licet omne ens creatum sit sub perfectissimo dominio Dei: nam implicat, visio beata repræsentet falsum: ac repræsentaret falsum, si repræsentans seipsam æternùm duraturam, adhuc posset à Deo corrumpi. Resp. vt 3. *tom.* beatifica 28. *Resp.* visio Dei consideratur vno modo, quà visio Dei est; alio modo, quà visio beata est. Primo modo non repugnat à Deo corrumpi; repugnat secundo; quo modo considerata inuoluit decretum Dei actu manifestatum beato de perenni conseruatione eiusdem visionis. Vnde mirum non est, si quà *Visio Dei simpliciter potest corrumpi.* beata visio est, nequeat ne per absolutam quidem potentiam Dei corrumpi: nam vt sic inuoluit necessitatem ex suppositione diuini decreti, statuentis huiusmodi visionem perpetuò conseruare: quam necessitatem non inuoluit, quà simpliciter visio Dei est.

An anima Christi cognoscat in Verbo aliqua futura conditionata libera?

Dixi, *aliqua:* nam certum est, non posse cognoscere omnia, cùm sint infinita, non modò, 29. quia infinitæ sunt creaturæ intellectuales possibiles, quæ infinitos actus liberos elicerent, si crearentur; verùm etiam, quia quælibet creatura intellectualis elicitura esset infinitos actus liberos, si sub infinitis conditionibus, sub quibus per totam æternitatem à Deo poni posset, de facto poneretur. Ergo sola controuersia est, An saltem aliqua ex his futuris sub conditione anima Christi cognoscat in Verbo?

Dico 3. Anima Christi aliqua futura conditio- 30. nata libera cognoscit in Verbo: ex illo Matth. 11. 3. *Assertio.* *Va tibi Corozain, va tibi Bethsaida, quia si in Tyro & Sidone facta essent virtutes, quæ facta sunt in vobis, olim in cilicio & cinere pœnitentiam egissent:* quæ Tyriorum pœnitentia non fuit; fuisset autem, si talia miracula apud eos facta fuissent: proinde fuit futurum tantùm sub conditione. Quòd autem ea nouerit in Verbo, prob. quæ in Verbo cognoscuntur, altiori lumine cognoscuntur: ergo cùm talis cognitio sit perfectior quàuis aliâ cognitione extra Verbum, non est deneganda Christo. Nec dici potest, *Ratio Assert.* ea cognouisse Christum vt Deum, non vt hominem: nam si ea enuntiauit vt homo, cognoscere debuit vt homo; alioquin non pronũtiasset vt homo, quod est voce exprimere, quod mente concipitur. Ratio: notitia talium futurorũ necessaria est Christo ad munus supremi Iudicis, ac perfecti Mediatoris exercendum: nam supremi Iudicis non solùm est, bonos ac malos digno præmio, ac pœnâ afficere; sed etiam obstinatis exprobrare abusum gratiarum & donorum, quibus alij bene vsi fuissent, si ea habuissent, vt fecit Christus *cit. loco Matth.* 11. perfecti verò mediatoris est, congrua suis temporibus hominibus auxilia impetrare: hoc autem rectiùs fit, si Mediator ipse sciat, quo tempore, quàve occasione, alijsque circumstantijs sint homines bene vsuri gratijs à Deo concessis.

Difficultas est de modo, quo ea in Verbo anima 31. Christi cognoscat: an directè in seipsis per lumen *Dupliciter in Verbo videri possunt.* primariò tendens ad diuinam essentiam, secundariò ad hæc, vel illa futura sub conditione; an indirectè, & in alio, nempe in ipsâ cognitione diuinâ, quatenus Deus ostendendo suam cognitionem, quam de his futuris habet, ostendit hæc, vel illa futura, quæ ipse certò nouit sub conditione futura. Negat Molina *quæst.*14. *art.*13. *disp.*17. §. *Quæret,* inclinat *Suarez* 3. *p. disp.*27. *sect.*2. & *de angelis lib.*2. *cap.*10. *num.*11. ea cognosci posse in seipsis cognitione

tione directâ. Fundam. *Molinæ*: hæc futura, eademque ratio est de futuris absolutis, antequam existant, non sunt cognoscibilia vi propriæ entitatis; cùm in seipsis nullam habeant, antequam existant, entitatem; sed ex soli cognoscentis infinitâ illimitataque perfectione quæ solius Dei est propria: ergo repugnat, ea ab vllo creato intellectu cognosci; quia nulli creato intellectui communicabilis est notitia infinitè superexcedens virtutem arbitrij creati, quæ necessaria est ad huiusmodi futura certò cognoscenda. Vnde infert, Deum non cognoscere sua decreta conditionata libera, quæ in his, aut illis circumstantijs facturus esset; quia ipse non infinitè supercomprehendit vim suæ libertatis, nam diuina cognitio non superexcedit, sed solùm adæquatur diuinæ libertati.

His non obstantibus.

34. *Assertio 4.* Dico 4. Non repugnat, communicari creaturæ notitiam directè & immediatè in seipsis repræsentantem aliqua futura conditionata, & consequenter eam de facto communicatam esse animæ Christi: Est *Caiet. & Medina 3.p.q.11.art.1. Vasquez disp. 53.num.17.* qui id docent de futuris absolutis, eademque ratio est de conditionatis. *Ratio Assertionis.* Ratio sumenda est ex opposito fund. nam hæc futura habent propriam cognoscibilitatem; nec sunt tantùm cognoscibilia ex infinitâ virtute cognoscentis, sed ex propriâ veritate, quam in seipsis habent. Ergo cognosci possunt à creatura cognitione directè & immediatè ea in seipsis repræsentante. nam ratio cur non possunt, est, quia non sunt cognoscibilia ex aliquâ veritate, quam in se habeant, sed ex illimitatâ dumtaxat virtute Dei. Antec. prob. si ea nullam haberent veritatem in seipsis, neque à Deo cognosci possent: quia implicat cognosci, quod in se cognoscibile non est; seu quod in se nullam habet veritatem, seu rationem formalem, per quam terminare valeat intellectûs assensum, cuius formale obiectum est verum: implicat autem esse assensum absque ratione formali assentiendi, sicut implicat, esse volitionem absque ratione formali volendi, & vniuersaliter vllum actum absque suo motiuo formali: scilicet quod in se cognoscibile non est, cognoscibile fieri non potest per intellectum; quia cùm intellectûs munus sit, contemplari tantùm suum obiectum, non potest illi dare cognoscibilitatem, sed illam præsupponere debet vt rationem formalem, ad quam terminari debeat.

35. *Ratio à priori.* 2. Prob. Hæc futura conditionata habent aliquam determinationem; ergo aliquam cognoscibilitatem, seu rationem, quâ terminare valet iudicium cognoscentis, ipsam nempe determinationem ad vnam potiùs, quàm ad aliam contradictionis partem. Antec. prob. futurum conditionatum differt à contingenti, vt contingenti formaliter: non potest autem differre, nisi quia contingens vt sic non habet determinationem ad vnam potiùs partem quàm ad aliam, sed est per se indifferens ad vtramque: futurum verò sub conditione non est ampliùs indifferens ad vtramque partem contradictionis, sed est sub conditione determinatum ad vnum; non minus, quàm futurum absolutum non est ampliùs ex suppositione indifferens, sed determinatum ex suppositione ad vnum.

36. *Confirm.* Confirm. Si futurum sub conditione posset sui speciem emittere in aliquem intellectum, aliter emitteret ipsam, quàm contingens vt contingens formaliter; quia illud emitteret speciem suæ determinationis ad vnam tantùm partem; hoc verò indifferentiæ ad vtrumlibet. Ergo intellectus, qui in seipso habet species omnium obiectorum cognoscibilium, potest cognoscere futurum sub conditione, eo prorsus modo, ac si ipsam speciem sui in talem intellectum emitteret:

37. *Dices.* Dices: Futurum sub conditione nullam habet entitatem; ergo nullam habet veritatem, cùm omnis veritas fundetur in aliquâ entitate. *Resp.* Resp. Nullam habet entitatem absolutam, concedo; nullam sub conditione, nego. Nam quâ ratione est futurum sub conditione, eâdem etiam habet esse sub conditione; ratione cuius esse conditionati sit intra sphæram obiecti cognoscibilis.

38. *Instas.* Instabis: veritas præsens fundari debet in entitate præsenti: futurum sub conditione nullam habet entitatem præsentem; ergo nec præsentem veritatem: igitur non potest de præsenti cognosci, cùm nullum possit de præsenti cognosci, nisi quod de præsenti aliquam habet veritatem, quæ est formale obiectum intellectûs, sine quo implicat suum assensum præbere.

39. *Resp.* Resp. neg. maior; vt constat de futuro absoluto, quod nullam habet præsentem entitatem, cùm tamen habeat præsentem veritatem. Ad præsentem igitur veritatem non est necessaria præsens, sed sufficit futura entitas, vel absoluta, vel sub conditione, præsertim quando intellectus, qui illam cognoscere debet, non desumit rationem cognoscendi ab ipsâ entitate obiecti, sed vel illam habet ex se, vt intellectus increatus, vel ab alio communicatam vt intellectus creatus: *Ratio.* quia verum est, quod ex se aptum est terminare actum intellectûs: vt autem aptum sit, sufficit, vt vel possit existere, vel aliquando sit exiturum, aut absolutè, aut sub conditione: *A priori.* quia intellectus, qui in se habet rationem cognoscendi, potest præuenire entitatem rei, eamque cognoscere, antequam existat, eo prorsus modo, quo exitura est, vel absolutè, vel sub conditione; quia ad cognoscendum non requiritur, vt reipsa existat in se realiter, sed sufficit, vt existat intentionaliter in intellectu cognoscentis.

40. *Ad fund. Molinæ.* Ex dictis patet ad fund. Molinæ. Vnde falsum est vt ex 1.*parte* suppono, Deum non cognoscere sua decreta conditionata, quæ sub his, aut illis circumstantijs facturus esset.

DISPVTATIO XX.

De scientia infusa animæ Christi.

An in Christo sit scientia infusa, & an discriminetur ab acquisita?

1. DVPLEX distinguitur scientia infusa; altera per se, estque illa, quæ à solo Deo postulat infundi, qualis est scientia angelorum, & animæ separatæ, per proprias rerum species à Deo productas; altera per accidens quæ per se quidem acquiri potest humano labore & industriâ. per species è phantasmatibus ope intellectûs agentis erutas, à Deo tamen infundi potest, absque labore & industriâ acquirentis, qualis fuit scientia, quam Deus infudit protoparentibus. Nunc de infusâ per se; *seq. disp.* de infusâ per accidens.

2. *Assertio 1.* Dico 1. Fuit in Christo scientia infusa per se ab instanti suæ conceptionis: Est *S. Tho. 3. parte quæst. 9. art. 3. & qu. 11. & omnium Schol. in 3. dist. 14.* solus dubius videtur *Rubio quæst. 2. artic. vlt.* sed absque fundamento. Colligitur ex *Paulo ad Hebr. 10.* vbi introducit Christum statim mundum ingredientem, se in sacrificium æterno Patri offerentem: non potuit autem Christus mundum ingrediens, se æterno Patri offerre, nisi in eius intellectu præcessisset actus scientiæ, à quo talis oblatio regularetur:

non

non potuit autem hæc esse scientia beata; quia hæc non est proportionata regula actûs liberi, qualis fuit prima oblatio, quâ se æterno Patri pro nobis obtulit, quæ fuit meritoria, vt ex *August.* probat *S.Thom. 3.parte quæst.34. art.3.* & docent in hunc locum *Chrysost.Ambros.*&c.ex verbis Pauli, *In quâ voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis* IESV *Christi semel*: voluntas autem hominum sanctificatiua debuit esse meritoria; Neque acquisita, quia hæc pendet à sensibus, organisque corporeis, quibus defectu ætatis non potuit eo tempore Christus

3. *Probatur rationib.* 1. vti: igitur debuit esse infusa. Prob.2.ratione I. ex *Dionys.7.de celesti hierar.* Christus vt homo docet angelos: hoc autem intelligi nequit quoad scientiam beatam, secundùm quam, vt rectè *Durand.*

2. *quæst.3.* omnes docentur à Deo. II. ex Durand. Ita se habet scientia ad intellectum, sicut gratia ad voluntatem: sed in Christo ab instanti suæ conceptionis fuit plenitudo omnis gratiæ: ergo & plenitudo

3. omnis scientiæ. III. Christus non solùm fuit comprehensor, sed viator; sed vt viator habere debuit scientiam ad merendum proportionatam: hæc autem non fuit beata, quia hæc, saltem respectu obiecti primarij necessitat voluntatem; neque obscura fidei, quia hæc pugnat cum clarâ visione Dei: ergo infusa per se; nam infusa per accidens non se extendit, nisi ad obiecta, quorum species medijs sensibus comparamus: habuit autem illam ab instanti suæ conceptionis, tum quia debita fuit ratione vnionis hypost. tum quia in illius vsu non pendebat à phantasmatibus, & organis corporeis.

4. *2. Asserti.* DICO 2. Præcedens assertio non est de fide, cùm nulla authoritas scripturæ apertè conuincat; nam quæ allata est *ex Hebr.10.* explicari posset de scientiâ beatâ, quæ licet nequeat esse proxima regula amoris liberi erga Deum, non tamen est certum, non posse esse proximam regulam amoris liberi erga proximum: est tamen certa authoritate Schol. probabilissimè deducta ex principijs fidei. Vnde opposita est temeraria, cùm sit contra authoritatem omnium Schol. in re graui, & probabiliter fundata in scripturâ: Est *Medinæ 3. parte quæst.9. art.3. concl.1.& 2.*

5. *An scientia infusa distinguatur ab acquisita.* *1. Sentent. Fundam.* Quoad alteram diffic. prima sent. negat, scientiam infusam discriminari ab acquisitâ: *S.Tho.in 3. dist.14.quæst.1.art.3.ad 4. quæst. ad 2. Scots quæst.3.§. Contra concl. Durandi. Gabr. quæst. vnic. art.3.dub.1.* Fundam. eiusdem obiecti sub eâdem ratione formali nequeunt esse duæ cognitiones specie diuersæ; sed scientia acquisita, & infusa sunt eiusdem obiecti, sub eâdem ratione formali: vtraque enim tendit ad repræsentandum obiectum secundùm propriam quidditatem. Vnde differunt, inquit *Durand.* sicut visus naturaliter habitus, & miraculosè restitutus.

6. *2. Sentent. sequenda.* SECVNDA affirmat: *S.Thom. 3.parte qu.9.art.4.* vbi priorem sent. retractat: *Caiet. & Medina ibid. Capreo. in 3.dist.14.quæst.1. concl. 2. Argent. quæst.1. art.4. Suarez 3.parte disp.27. Vasquez disp.52.c.1.*&c. tam veterum, quàm Recent. *Quæ verior est.*

Fundam. Fundam. scientia infusa est per proprias rerum species, acquisita verò per alienas è phantasmatibus erutas: sed species propria, & aliena, etiamsi sint eiusdem obiecti, differunt essentialiter; nam prior exprimit obiectum, vt est in se, non posterior. Ex hoc discrimine oritur aliud, quòd infusa ex eo, quod est expressiua obiecti proprio conceptu, non est conuersiua ad phantasmata, sicut acquisita. Sunt & aliæ differentiæ, de quibus infrà.

7. *Obijc. 1.* *Obijcies* I. Scientia non consistit in speciebus, sed in habitu à speciebus distincto: ergo etiamsi species scientiæ infusæ & acquisitæ differant, possunt tamen earum habitus non differre. 2. Species aliena 2. supponit propriam: ergo non omnes species scientiæ acquisitæ sunt alienæ. Resp. 8. *Ad 1.* Ad 1. neg. antec. nam saltem scientia partialiter consistit in speciebus. 2. esto consistat in solo habitu, si species differunt essentialiter etiam habitus different essentialiter, quia habitus commensurantur obiecto formali & speciei; sub diuersâ enim ratione formali ad obiectum tendit species propria, & aliena: ergo si species differunt essentialiter penes obiectum formale, etiam habitus. 9. *Ad 2.* Ad 2. concedo supponi aliquam speciem sensibilem, non autem intelligibilem, in quâ scientia acquisita consistit. Ratio: species sensibilis producitur immediatè ab obiecto; intelligibilis verò eruitur ex sensibili; & quia intelligibilis est de quidditate rei, quam non attingit sensibilis, quæ tantùm repræsentat accidentia rei, ideò semper species intelligibilis in hâc scientiâ est aliena.

10. *Ad fund. 1. Sentent.* Ad fundam. primæ, neg. minor. Ad prob. dico, diuerso modo speciem infusam, & acquisitam tendere ad quidditatē rei: illa tendit vt est in se; hæc vt relucet in phantasmate: quæ diuersitas tendendi redundat in diuersam rationem formalem obiecti. Quare falsum est, acquisitam & infusam differre, vt oculum naturaliter productum, & miraculosè restitutum.

An per hanc scientiam Christus cognoscat omnia possibilia.

11. *1. Sentent.* PRIMA Sent. affirmat; *Magistri in 3. dist.14. Bonau.art.2.quæst.3. Marsil.qu.10.art.2. 4.parte concl.1. Bacho.dist.13.quæst.1.art.3.& 4. Palat. dist.14. disp.1. Alens.3.parte quæst.13. memb.7.*

12. *2. Sentent.* SECVNDA *Suarez disp.27.sect.4. Vasquez disp.50. cap.3.*&c. asserentium, talem scientiam communicabilem esse creaturæ, de facto tamen non esse animæ Christi communicatam. Probât primum: Communicabilis est cognitio diuinæ essentiæ, quæ perfectior est cognitione possibilium: 2. sufficit lumen gloriæ finitum ad eleuandum intellectum creatum ad visionem Dei obiecti infiniti: ergo sufficiet ad eleuandum eundem ad visionem omnium possibilium. 3. ex tali cognitione non sequeretur comprehensio Dei, quia creaturæ non viderentur in omnipotentia Dei, sed in seipsis. 4. lumen fidei finitum extendit se ad infinita reuelabilia: ergo dari potest lumen supernaturale finitum, quod se extendat ad infinitas naturas possibiles cognoscendas. Probant secundum auth. Schol. qui communiter docent, cognitionem omnium possibilium non esse communicatam animæ Christi.

13. *3. Sentent.* TERTIA negat, etiam de potentiâ absolutâ, huiusmodi scientiam cōmunicabilem esse creaturæ: *Cabrer.3.p.q.11.artic.1.disp.1. Ragusa disp.95.*& à fortiori eorum, qui negant posse creaturæ communicari notitiam omnium futurorum. Pro explicatione, Nota, scientiam infusam omnium possibi-

14. *Notandum.* lium posse esse duplicem, actualem & habitualem: quoad actualem constat ex *disp.præced.sect.vlt.* illam non esse communicabilem creaturæ, cùm necessariò deberet esse infinita: nam ratio, quâ ibi probatum est, cognitionem omnium possibilium in Verbo fore necessariò infinitam, probat etiam de cognitione extra Verbum. Controuersia superest de scientiâ omnium possibilium habituali.

15. Assertio. Implicat, animam Christi scientiâ infusâ cognoscere omnia possibilia habitu. Colligitur ex *S.Thom.q.20.de verit. artic.5.* vbi quamuis loqua-

loquatur de cognitione omnium possibilium in Verbo, in *Resp.* tamen *ad* 4. vniuersaliter negat creaturæ scientiam omnium possibilium: *Sicut non potest esse, quod sit factum, quicquid Deus potest facere, ita nec potest poni, quod alicui creaturæ sit manifestatum, quicquid Deus potest facere, vel manifestare.* Quæ ratio probat de cognitione etiam extra Verbum, etiam de habituali. Idem colligitur & ex artic. 6. in argu. *sed contra. Anima Christi res in propria natura cognouit per habitum scientiæ creatum, sed habitus scientiæ creatus non potest esse similitudo omnium: ergo anima Christi non potuit omnia cognoscere secundum istum modum scientiæ.* Hæc S. Thom. vbi apertè negat, posse dari habitum creatum repræsentatiuum omnium.

16. *Fundam. Assertionis. Habitus infinitus implicat per philos.* Fundament. Non potest communicari habitus completè expressiuus omnium possibiliũ, nisi sit infinitus; continere enim debet similitudines infinitorum obiectorum, quarum vel singulæ exprimerent suum obiectum vel certè vna haberet vim exprimendi omnia; in primo essent species intelligibiles actu infinitæ, respondentes obiectis syncateg. infinitis: at virtus habitualis respondens effectibus infinitis in potentiâ, necessariò est categorematicè infinita, ex *praeced. disp.* In secundo esset vna species impressa cum virtute producendi infinitas species expressas perfectiores in infinitum, iuxta perfectiora intelligibilia. Confirm. Similitudo productiua vnius speciei expressæ necessariò requirit determinatam vim producendi; ergo productiua duarum duplo maiorem vim requirit; ergo productiua infinitarum infinitam requirit vim productiuam.

17. *Dices.* DICES: non valet hæc calculatio, ad producendam speciem expressam obiecti finiti requiritur aliqua determinata virtus; ad producendam speciem expressam perfectioris obiecti, maior; ergo ad producendam speciem expressam obiecti infiniti requiritur virtus infinita; nam datur lumen gloriæ finitum, productiuum speciei expressæ diuinæ essentiæ obiecti infiniti.

18. *Resp.* Sed nego, eodem modo calculationem vtrobique procedere: nam in priori discursu procedit de virtute productiuâ speciei expressæ *in quâ* infinitorum possibilium; in posteriori de virtute productiuâ speciei expressæ *quâ* obiecti infiniti. Ratio; possibilia cum non existant in se, nequeunt repræsentari specie expressâ *quâ*, sed in *quâ*: Deus autem cùm existat in se, repræsentari potest specie expressa *quâ*; & quia ad solam speciem expressam in *quâ* obiecti infiniti requiritur infinita virtus productiua, non ad speciem expressam *quâ*, ideò ex solâ calculatione speciei expressæ *in quâ* infinitorum obiectorum concluditur virtus productiua infinita, non autem ex calculatione speciei expressæ *quâ*. Cæterùm si deberet Deus à beatis videri per speciem expressam in *quâ*, eodem modo talis species deberet esse infinita: quâ de causâ 1. *to. disp.* 9. *sect.* 3. negaui, talem speciem à beatis efformari.

19. *Ad rationes 2. Sentent.* Ad 1. secundæ, ratio discriminis est: quia potest natura diuina repræsentari specie, & cognitione finitâ; non possunt infinita possibilia repræsentari specie, & cognitione finitâ; quoniam essentia diuina repræsentatur specie & cognitione *quâ*, quæ est tantùm pura tendentia ad Deum in seipso existentem: possibilia verò nequeunt repræsentari specie, & cognitione *quâ*, quæ tantùm est pura tendentia ad ea, quæ in seipsis existunt; sed debent necessariò repræsentari specie, & cognitione, quæ illa omnia in se ipsa exprimant. Ratio; quando obiectum non est præsens, nequit repræsentari specie & cognitione *quâ*; quia talis species & cognitio necessariò supponit obiectum existens, ad quod species ipsa, vel cognitio tendat: ergo vt repræsentetur, debet exprimi intentionaliter ipsâ cognitione; alioquin videri non posset, cùm in seipso non supponatur existens. Ad 2. neg. conseq. quia visio Dei est finita; visio autem possibilium esset infinita; atque adeò lumen, quod sufficit ad visionem Dei, non sufficit ad visionem omnium possibilium. 20. *Ad 2.* Ad 3. ob aliam rationem implicat scientia omnium possibilium extra Verbum, quia scilicet includeret infinitas species repræsentatiuas infinitarum naturarum. *Ad 3.* Ad 4. nego conseq. nam per lumen fidei non debet intellectus exprimere naturas rerum credibilium, sicut per scientiam infusam naturas rerum intelligibilium; sed tantùm illis assentire propter authoritatem Dei dicentis: ad hoc autem sufficit lumen finitum. *Ad 4.*

An per hanc scientiam infusam anima Christi cognoscat, quæ Deus cognoscit scientiâ Visionis.

DICITVR Deus cognoscere scientiâ visionis, quæcunque cognoscit vt existentia in aliquâ differentia temporis, ad discrimen scientiæ simplicis intelligentiæ, quâ cognoscit ea, quæ nunquam extitura sunt, possent tamen existere. 21. Porrò inter ea, quæ Deus cognoscit scientiâ visionis, est sua met essentia, quam certum est, intuitiuè, & in seipsâ extra scientiam beatam cognosci non posse: implicat enim Deum in seipso cognosci, & cognoscentem non beari, cùm ipsissima beatitudo sit, Deum in seipso videre: abstractiuè autem illum, saltem secundùm vnitatem naturæ, per hanc scientiam infusam cognosci, nulli dubium est. Difficultas est, An cognosci abstractiuè possit, vt trinus est, de qua *sect. seq.* De creatis igitur effectibus proponitur hæc quæstio: An eos omnes anima Christi cognoscat per hanc scientiam: inter effectus autem creatos, sunt secreta hominum, angelorumque cogitationes æternùm futuræ, de quibus peculiaris est controuersia:

PRIMA sententia negat, eas per hanc scientiam ab animâ Christi cognosci, sed per scientiam dumtaxat beatam: *S. Thom. quæst.* 20. *de verit. art.* 6. *& in* 3. *dist.* 14. *qu.* 1. *art.* 3. *ad* 1. *quæst.* 22. *1. Sentent.* Fundamentum: per hanc scientiam solùm cognoscuntur ea, ad quæ naturalis cognitio se extendere potest: nequit autem naturalis cognitio se extendere ad secreta cordis alterius, cùm hæc sint naturaliter occulta; concedit tamen, hæc ab anima Christi cognosci scientiâ beatâ. *Fundam.*

SECVNDA affirmat: *S. Thom.* 3. *parte quæst.* 11. *art.* 1. *ad* 3. vbi, teste *Caiet.* priorem sententiam retractauit: *Caiet. & Medina ibid. Marsilij in* 3. *quæst.* 10. *artic.* 2. *in* 3. *parte concl.* 2. *Suarez* 3. *parte disp.* 27. *sect.* 2. *Vasquez disp.* 53. *cap.* 2. 23. *2. Sentent.* Fundam. ad hæc etiam obiecta se extendit scientia infusa, *vt infrà*: ergo etiam per hanc scientiam sunt illa nota animæ Christi: nam vel supponimus, hæc eadem obiecta nota esse animæ Christi scientiâ beatâ; & cùm scientia infusa sit proprietas scientiæ beatæ, debent eadem obiecta illi esse nota scientiâ infusâ, vt proprietas sit adæquata suæ essentiæ. *Fundam.* Vel supponimus hæc obiecta illi non esse nota scientiâ beatâ, vt opinatur *Vasquez*; & tunc à fortiori sequitur, ea saltem scientiâ infusâ illi esse nota, ne aliquam in Christo ignorantiam admittamus. Vnde docet *ibid. Vasquez*, hæc obiecta actu simul omnia cognosci scientiâ infusâ ab animâ Christi; alioquin cùm futura

tura sint infinita, nisi actu simul omnia anima Christi cognosceret, infinita ignoraret necesse esset; quia nunquam successiuè cognoscet infinita, sed semper finita.

24. 3. Sentent. Tertia docet, per hanc scientiam animam Christi cognoscere solas quidditates rerum futurarum, non indiuidua, nisi fortè aliqua nobiliora: *Scoti in 3. dist. 14. quæst. 3. §. Ad quæst. Richard. artic. 3. quæst. 2. Gabr. qu. vn.*

25. 1. Assertio. Dico 1. Anima Christi scientiâ infusâ habitu cognoscit omnes res naturales existentes, & quoad naturas specificas, & quoad indiuiduales per proprias earum species. Fundam. omnia hæc sunt finita & debita naturæ angelicæ initio creationis, saltem quoad indiuidua incorruptibilia; ergo à fortiori debita sunt animæ Christi in instanti suæ conceptionis, in quo vt beatus vti poterat hac scientiâ independenter à sensibus.

26. 2. Assertio. Dico 2. scientiâ infusâ anima Christi euidenter cognoscit omnes effectus supernaturales creatos, qui æternam successionem habituri non sunt. Fundam. huiusmodi effectus sunt finiti & per proprias species repræsentabiles, eorumquè cognitio debita animæ Christi ratione vnionis hypost. ergo de facto illi infusa est. Confir. Christus vt homo, est angelorum Doctor; non quoad scientiam beatam, in quâ omnes docentur à Deo; neque quoad scientiam naturalem, in quâ omnes angeli fuerunt ab initio conditi perfectè instructi; ergo quoad scientiam infusam effectuum supernat.

27. Dices. *Obijcies*; multi sunt effectus supernaturales, qui nequeunt intuitiuè cognosci, nisi intuitiuè etiam cognoscatur Deus, quem intrinsecè respiciunt: Deus autem intuitiuè cognosci nequit, nisi scientiâ beatâ. Maior constat de gratiâ, quæ est participatio diuini esse; de visione beatâ, quæ est expressio diuinæ essentiæ; de vnione hypost. quæ intrinsecè

28. Resp. includit Verbum. Resp. nego maior. Etenim ad intuitiuam notitiam effectûs, tantùm sequitur abstractiua notitia causæ; alioquin nullam creaturam posset angelus naturaliter intueri; quia omnis creatura dicit essentialem ordinem ad Deum: igitur ex intuitiuâ cognitione gratiæ, gloriæ, & vnionis hypostlicæ tantùm sequitur abstractiua cognitio Dei, & Verbi suppositantis. Ratio: terminus non

Ratio. includitur intrinsecè & constitutiuè, sed tantùm extrinsecè & terminatiuè in seipsa, quæ terminatur.

29. 3. Assertio. Dico 3. per hanc scientiam anima Christi habitu cognoscit omnia secreta cordium, internasque cogitationes hominum & angelorum æternùm fu-

Fundam. turas. Fundam. ad hæc omnia habitualiter cognoscenda sufficit lumen finitum, & species finitæ: ergo cùm horum notitia sit debita animæ Christi, non est illi deneganda. Antecedens de lumine patet: nam finitum lumen naturale intellectûs creati est aptum ad finita obiecta successiuè cognoscenda. De speciebus prob. ad hæc omnia habitu cognoscenda non sunt necessariæ species omnium cogitationum & secretorum cordium, quoad numericas & indiuiduales proprietates, sed tantùm quoad quidditatiuas & specificas rationes earum cum expresso decreto Dei de concurrendo ad quascumque singulares, indiuiduasque cogitationes, quas Christus ipse cognoscere voluerit: sicut tam intellectus, quàm voluntas creata dicitur virtute & potentiâ continere infinitos actus indiuiduales, non ex eo, quòd in se contineat infinitos concursus indiuiduales, ad infinitos actus indiuiduales eliciendos necessarios, sed ex eo tantùm, quod contineat specificam virtutem finitam cum decreto Dei de concurrendo ad infinitos actus, per infinitos concursus.

Obijcies 1. Hoc pacto etiam scientiâ beatâ dici posset, animam Christi cognoscere omnes cogitationes futuras: nam scientiâ beatâ cognoscit illas quoad rationes specificas. Resp. neg. sequel. ad prob. nego, vt dicantur omnes cogitationes futuræ cognosci, sufficere, vt earum tantùm specificæ rationes cognoscantur, sed vel vt etiam actu cognoscantur omnes rationes indiuiduales, vel vt saltem illæ possint cognosci virtute decreti diuini de concurrendo ad omnes distributiuè ad libitum cognoscentis: cogitationes autem æternum futuræ ita scientiâ beatâ à Christo cognoscuntur quoad specificas rationes, vt nullum sit decretum Dei de concurrendo ad indiuiduales rationes earum ad libitum cognoscentis, sed potiùs est decretum de non concurrendo; quia cùm scientia beata sit immutabilis, nec possint noua obiecta secundaria absque mutatione obiecti primarij per eam cognosci, non potest Deus habere decretum de concurrendo ad noua indiuidua per eam successiuè cognoscenda. 30. Dices. Resp.

Obijcies 2. Si ex eo tantùm anima Christi dicitur habitu cognoscere omnia secreta cordium hominum & angelorum æternùm futura, quia habet quidditatiuas species illorum cùm expresso decreto Dei de concurrendo ad omnia indiuidua successiuè exprimenda ad libitum animæ Christi, etiam angeli dicentur habitu cognoscere omnia secreta cordium, quia etiam habent quidditatiuas species eorum cùm decreto Dei de concurrendo ad omnia ad libitum cognoscentis. Resp. neg. sequel. Angeli enim non habent quidditatiuas species secretorum cordium angelorum cum decreto Dei de concurrendo ad omnia indiuidua successiuè repræsentanda ad libitum angeli cognoscentis, sed ad libitum angeli volentis suum secretum alteri manifestare. Atque adeò non dicetur angelus habere habitum omnium singularium cogitationum; quia ea tantùm dicimur habitu possidere, quæ habemus, cùm volumus: habitibus enim vtimur cùm volumus. Cùm ergo angelus non valeat, cùm velit singularia alterius secreta cognoscere, non dicetur illa habitu quoad indiuiduales rationes cognoscere, sed tantùm quoad rationes specificas & communes. 31. Dices 2. 32. Resp.

Obijcies 3. posset anima Christi etiam habitu cognoscere omnia possibilia, quod *præced. sect.* negatum est. Sequela prob. possent animæ Christi infundi finitæ species intelligibiles omnium naturarum genericarum, quæ finitæ sunt, cum expresso decreto Dei de concurrendo ad libitum Christi ad cognitionem cuiuscunque naturæ specificæ sub genericâ contentæ. Ex. gratiâ posset infundi species naturæ animalis cum expresso decreto Dei de concurrendo ad libitum Christi ad cognitionem cuiuscunque speciei contentæ sub genericâ naturâ animalis, nec non species genericæ naturæ angelicæ cum expresso decreto Dei de concurrendo ad libitum Christi ad cognitionem cuiuscunque naturæ specificæ angelicæ sub genericâ contentæ. 33. Dices 3.

Resp. neg. sequel. ad prob. nego, per huiusmodi species animam Christi dici posse habitu cognoscere omnia possibilia, vti dicitur habitu cognoscere omnia futura. Ratio: magis continentur indiuidua sub specie, quàm species sub genere: cùm indiuidua continenatur per maiorem conuenientiam in specie, quàm species in genere, cùm indiuidua non differant, nisi tantùm materialiter inter se; species autem quidditatiuè & essentialiter. Vnde potiùs 34. Resp. 1.

42. 3. Sent. & verior. Tertia negat, animam Christi ex comprehensione alicuius, vel omnium causarum naturalium cognoscere vllam infinitatem effectuum, vel specie, vel numero distinctorum. Quæ Verior est, & sequitur ex nostris principijs. Fundam. Fundam. etiam cognitio abstractiuè repræsentans infinita, debet esse infinita: debet enim singula distinctè & dearticulatè secundùm propriam vniuscuiusque naturam exprimere: vnumquodque obiectum vt specie, vel numero distinctum ab alio: atque adeò si sunt infinita, debet in se exprimere naturas specificas, vel numericas infinitas: alioqui si tantùm repræsentaret illa sub aliquâ communi ratione, non repræsentaret illa vt infinita: & consequenter non esset casus, de quo disputo scilicet, an possit cognitio finita repræsentare obiecta infinita, vt infinita sunt, distinctè & dearticulatè.

43. Ad Rationes 1. Sent. Ex his patet ad rationem dubit. Ad primam primæ. Resp. Potentiam obedientialem bifariàm considerari posse, vno modo, prout formaliter inuoluit extrinsecam coniunctionem cum omnipotentiâ Dei, cui tanquam causæ principali immediatè subditur ad omne id, quod contradictionem non inuoluit. Alio modo, secundùm intrinsecam virtutem, secundùm quam ante vllam coniunctionem cum omnipotentiâ Dei præsupponitur idonea, vt possit cum Deo coniungi ad quoscumque effectus producendos. Primo modo, nego potentiam obedientialem creaturæ comprehendi posse ab animâ Christi, quia vt sic inuoluit ipsam omnipotentiam Dei in operando infinitam. Secundo modo, concedo illam ab animâ Christi comprehendi, nego, ex huiusmodi cōprehensione cognosci infinitos effectus, ad quos creatura eleuata per omnipotentiam Dei per suam intrinsecam virtutem concurrere potest: Ratio. quia hæc virtus obed. creaturæ non est per se ab intrinseco ordinata ad effectus, ad quos eleuata concurrere potest: ergo non potest vt cognita ducere in cognitionem illorum: nam ea tantùm virtus vt cognita ducere potest in cognitionem alterius, quæ ex se dicit intrinsecum ordinem ad illud; cùm nequeat cognita in se ducere in cognitionem alterius, nisi per respectum, quem dicit ad illud, in quo respectu terminatiuè cognoscitur res ipsa respecta: Antec. prob. virtus, per quam creatura obedit Deo in concurrendo cum illo ad effectus supra naturam, reipsa non distinguitur ab ipsa virtute innata creaturæ, vt ex *seq. tom. in disp. de potentia obed.* Nulla autem virtus innata creaturæ potest habere intrinsecum ordinem ad effectus supra naturam; cùm sit specificata tantùm per ordinem ad effectus naturales sibi commensos; & à quo nulla est specificatio, nullus potest ad illud esse intrinsecus ordo. Ergo ex comprehensione talis virtutis non sequitur cognitio illorum effectuum supra naturam, nisi ad summum confusè & in communi, nempe posse huiusmodi virtutem creaturæ per extrinsecum imperium Dei coniungi cum virtute diuinâ, & cum eâ cooperari quicquid contradictionem non inuoluit.

44. Ad secundam rationem. Ad 2. disting. minor: continetur in intellectu creato ordo proximus & formalis ad infinitos actus specie diuersos, nego; remotus & materialis concedo. Etenim actus specificâ ratione, quâ est repræsentatio & expressio talis, aut talis obiecti, proximè est à specie intelligibili, seu ab obiecto ipso, non ab intellectu, à quo tantùm est ex genericâ ratione intellectionis, quâ indiuisibiliter concurrit ad omnes actus specie diuersos. Alioqui si intellectus contineret rationem etiam specificam talis expressionis obiecti, non indigeret obiecto, vel specie intelligibili ad huiusmodi actus producendos: Sicut quia intellectus angeli non solùm continet genericam rationem intellectionis, sed etiam specificam expressionem propriæ substantiæ, non eget specie, vel concursu obiectiuo ex parte propriæ substantiæ, ad producendum actum expressiuum propriæ substantiæ, vt *2. tom. disput. 9. sect. 2.* Porrò ex respectu ad genericam tantum rationem actûs, nequit cognosci specifica ratio eiusdem: cùm non possit respectus ad plus cognoscendum ducere, quàm ipse respiciat: ergo si ipse non respicit specificam rationem actûs, quæ ex obiecto proximè desumitur, sed genericam dumtaxat rationem intellectionis, non poterit cognitus ducere in cognitionem specificæ, sed genericæ dumtaxat rationis actûs.

Hinc deducitur discrimen inter intellectum & speciem. Cur etiamsi species sit partialis causa actus, ex comprehensione tamen ipsius cognoscatur specifica, atque adeò etiam generica, ad specificam essentialiter præsupposita ratio actus, non autem ex comprehensione intellectus cognoscatur specifica, sed tantùm generica ratio actus: quia nimirum species dicit proximum respectum ad specificam rationem actus, qui cognitus immediatè ducit in specificam rationem actus, & consequenter etiam ad genericam rationem eiusdem, in specificâ essentialiter præsuppositam. Intellectus autem solùm dicit respectum ad genericam rationem intellectionis, qui cognitus non potest ducere, nisi ad genericam rationem eiusdem. Neque in ipsâ ratione genericâ intellectionis potest saltem mediatè & consequenter cognosci specifica ratio eiusdem, quia in ratione genericâ non continetur determinatè specifica, sicut in specificâ continetur determinatè ratio generica. 45. Discrimen inter intellectum & speciem.

Ex hoc discrimine sequitur hoc aliud, quòd nequeat dari species repræsentatiua infinitorum obiectorum, & productiua infinitorum actuum, sicut dari potest intellectus productiuus infinitarum intellectionum: quia cùm intellectus immediatè non ordinetur ad specificas rationes actuum, sed tantùm ad genericam rationem intellectionis, nulla ex infinitate actuum, quos cum infinitis speciebus successiuè producere potest, deriuatur ad ipsum infinitudo: sicut ex infinitate actuum, quos producere posset species, deriuaretur ad speciem infinitudo: scilicet generica ratio intellectionis non est diuersa, sed eadem in infinitis actibus, in quibus diuersitas tantùm sumitur penes specificas & numericas rationes: neutra autem ratio, neque specifica, neque numerica formaliter est ab intellectu. 46. Cur ex genericâ ratione intellectionis in finitorum actuum non deriuatur infinitudo in intellectum.

Ad 3. neg. minor. quia cùm ad speciem constituendam non quæcumque differentia sufficiat, sed requiratur notabilis; cumque inter totam collectionem causarum naturalium, & effectus naturaliter ab ipsis producibiles non possit esse infinita distantia entitatiua, non possunt in totâ collectione causarum naturalium contineri infiniti effectus specie diuersi. Minor prob. cùm virtus cuiusque causæ naturalis sit limitata, omnesque causæ naturales collectiuè sumptæ sint finitæ, non poterunt virtute continere infinitos effectus specie diuersos. 47. Ad tertiam.

Ad 1. secundæ neg. conseq. quia cùm indiuiduatio effectus sit à concursu causæ 1. nō potest cognosci in ipsa virtute causæ 2. cùm nihil possit in virtute aliquâ cognosci, quod in illâ non cōtineatur. Nā cognosci aliquid in virtute alterius, est cognosci per habitudinem, quam talis virtus habet illud causandi. 48. Ad argum. 2. Sentent.

sandi. Ergo si indiuiduatio effectus non causatur à 49. virtute causæ 2. non poterit in illâ cognosci. At instant hanc indiuiduationem cognosci in causâ 2. vt coniunctâ cum primâ, cum quâ petit coniungi. Sed contrà: ex hoc tantùm sequitur, cognosci ordinem causæ 2. ad primam, non ordinem causæ 2. ad hunc, vel illum numero effectum: quia cùm hic numero effectus adæquatè proueniat à concursu causæ 1. & causæ 2. non petat coniungi cum primâ ad hunc numero determinatum concursum, sed ad aliquem vagè & in communi, non poterit ex ordine coniunctionis causæ 2. cum primâ cognosci hic determinatus numero effectus, sed ad summum ad aliquem vagè.

50. *Dices. Resp.* Dices; Cognosci hunc numero effectum in ipso concursu causæ 2. vt inuoluit etiam concursum causæ 1. Sed contrà: 1. hoc non est, illum cognoscere in virtute causæ secundæ, sed in ipso concursu causæ primæ: 2. licet in hoc indiuiduo concursu causæ 1. cognoscatur hic numero effectus, haud tamen cognosci possunt infiniti alij, quos eadem causa 2. coniuncta cum primâ per alios numero concursus producere potest: quia in hoc numero cōcursu non cōtinetur, nisi hic numero effectus, quia non cōtinetur in illo vt in virtute ordinatâ ad plures effectus, sed vt in actione essentialiter determinatâ ad vnum numero terminum.

51. Nec dici potest, infinitos numero effectus ab animâ Christi cognosci in ipsa virtute causæ 1. coniunctâ cum causâ 2. concurrentis cum illâ iuxta exigentiam ipsius: tum quia virtus causæ 1. non comprehenditur ab animâ Christi: Tum quia nulla est in causa 2. exigentia, per quam potiùs petat coniunctionem virtutis causæ 1. ad hunc potiùs numero concursum, quàm ad alium, cùm tota determinatio huius indiuidualis concursus pendeat à voluntate diuinâ.

52. *Ad secundum.* Ad 2. neg. conseq. nam vt anima Christi comprehendat virtutem reflexiuam, quam quiuis intellectus creatus habet ad infinitas reflexiones eliciendas, non est necesse, vt eas distinctè & dearticulatè cognoscat, sed satis est, si tantùm in cōmuni sub ratione reflexæ cognitionis vt sic, eas cognoscat, quia *Ratio.* neque virtus hæc reflexiua, intellectus respicit cognitiones reflexas, quas elicere potest, secundùm vltimas rationes specificas, aut numericas, sed tantùm secundùm genericam rationem cognitionis reflexæ vt sic: vt dictum de alijs directis. Ratio: intellectus non est se solo adæquatum & proximum principium eliciendi cognitionem reflexam: sed proximum principium illius est ipsa cognitio directa, quæ per modum obiecti proximè determinat intellectum ad reflexam cognitionem sui. Nisi enim intellectus per modum obiecti proximè determinaretur à cognitione directâ, nōn posset reflexam cognitionem elicere; cùm ex se sit indifferens & indeterminatus: vnde nisi accedat hæc, vel illa determinata cognitio directa, quæ ipsum determinet ad hanc potiùs, quàm ad aliam cognitionem reflexam eliciendam, semper manebit ex se indeterminatus; non secus ac ad hunc potiùs in specie actum, quàm ad alium, donec determinetur ab hâc, vel ab illâ specie intelligibili; cùm non minùs egeat obiectiuâ determinatione ad cognoscendam suam cognitionem, quàm quodcumque aliud obiectum.

53. *Dices.* Dices: Ad eliciendam cognitionem suæ propriæ substantiæ, non eget intellectus creatus obiectiuâ determinatione; cùm possit ex se absque intermediâ specie, vel obiectiuo concursu ipsius substantiæ illam elicere: ergo neque eget obiectiuâ determinatione ad eliciendam cognitionem suæ cognitionis. Resp. neg. consequent. nam ad propriam *Ratio discriminis.* substantiam cognoscendam intellectus est determinatus ex se, cùm sit adæquata proprietas intellectiua, atque adeò adæquatè expressiua ipsius: nam de ratione intellectus est assimilare & exprimere; & consequenter de ratione intellectus, vt adæquata proprietas substantiæ intellectricis, est illam adæquatè exprimere, absque vllo concursu obiectiuo propriæ substantiæ, vt 2. *tom. disp.* 9. *sect.* 2. Idem verò intellectus non est adæquata proprietas suæ cognitionis, atque adeò ad illam exprimendam eget obiectiuâ determinatione ipsiusmet cognitionis, vel speciei, munus ipsius obiectiui concursus supplentis, *vt ibid.*

An per scientiam infusam anima Christi cognoscat mysterium Trinitatis?

Ratio dubit. mysterium Trinitatis non potest euidenter cognosci, nisi in seipso, cùm nullus effectus ad extra hoc mysterium euidenter manifestet; cognitio autem Trinitatis in seipsâ, est sola cognitio beata; nequit igitur infusâ scientiâ cognosci. 54. *Ratio dubitandi.*

Prima sentent. negat: *Durand. in* 3. *dist.* 14. *qu.* 3. *num.* 6. *Vasquez. disp.* 53. *cap.* 1. Probat *Durand. qu.* 3. *Prologi, & in* 2. *dist.* 23. *qu.* 2. Deus vt vnus & trinus non potest extra cognitionem beatam cognosci, nisi cognitione obscurâ fidei: Christus non habuit de hoc mysterio fidem; ergo non potuit illud scientiâ infusâ cognoscere. Maior prob. talis cognitio non esset intuitiua, nam hæc est visio beata; nec abstractiua, quia hæc supponit intuitiuam. 55. *1. Sentent.*

Secunda affirmat; *Caietan. & Medina* 3. *part. quæst.* 11. *art.* 1. *Suarez disp.* 27. *sect.* 5. *Cabre. disput.* 5. *Ragusa disput.* 94. *&c.* quorum varij sunt modi. Primus *Scoti in* 2. *dist.* 3. *quæst.* 9. §. *Ad quæst. & quodlib.* 7. *concl.* 2. asserentis, posse animam Christi habere euidentem cognitionem abstractiuam de quidditate diuinæ essentiæ: hæc enim non implicat; cùm non implicet species, quæ abstractiuè repræsentet quidditatem Dei: hæc autem cùm sit cognitio quidditatiua, exprimit Deum secundùm omnes perfectiones absolutas & relatiuas. 56. *2. Sentent. Cuius varij sunt modi. 1. Modus Scoti.*

Secundus *Capreoli in* 2. *dist.* 23. *qu. vn. art.* 3. *ad* 3. *Caiet. Med. Suar.* &c. affirmantium, animam Christi cognoscere Trinitatis mysterium per reuelationem euidentem in attestante: potest enim Deus infundere animæ Christi hunc conceptum: *Deus est trinus & vnus*, & simul notitiam, quâ euidēter cognoscat, Deum esse, qui illam infundit: hoc enim modo intellectus humanus Christi redditur certus de mysterio Trinitatis, non per cognitionem Trinitatis in se, sed per euidentiam in attestante, quâ euidenter cognoscit, Deum esse, qui loquitur; qui cùm non possit fallere, aut falli, euidenter colligit, verum esse, quod loquitur. Quæ cognitio, quia non nititur testimonio diuino credito, sed cognito, non est fidei, sed scientiæ; quæ dicitur euidens in attestante, quia solùm habet euidentiam Dei attestantis, seu loquentis, non obiecti attestati. 57. *2. Modus.*

Tertius Zumel 1. *p. quæst.* 32. *art.* 1. *quæst.* 2. *concl.* 6. docentis, animam Christi scientiâ infusâ euidenter cognoscere diuinarum personarum Trinitatem quantum ad *an sit*, in effectibus supernat. gratiæ, charitatis, & visionis beatæ: omnes enim effectus supernat. ad Deum tendunt, vt est vnus & trinus, quia sunt eiusdem ordinis cum illo: non autem quantum ad *Quid sit*, quia nequit Deus quidditatiuè cognosci, nisi in seipso. 58. *Tertius.*

Dico

59. 1. Assertio. Fundam. Dico 1. Probabile est, animam Christi scientiâ infusâ euidenter euidentiâ abstractiuâ cognoscere mysterium Trinitatis, quia si hæc notitia possibilis est extra visionem beatam, debita est animæ Christi vt viatrici, alioquin vt viatrix excederetur à reliquis viatoribus, qui illam habent per fidem infusam. Tota difficultas est de modo.

60. Assertio 2. Fundam. Dico 2. Non cognoscit anima Christi mysterium Trinitatis per speciem propriam abstractiuè repræsentantem quidditatem ipsius. Fundament. vt 2. tom. disp. 10. talis species necessariò foret infinita, quia deberet in seipsâ exprimere quidditatem Dei, quæ est infinita. Nec est eadem ratio de cognitione beatificâ clarè exprimente essentiam diuinam infinitam: nam illas non exprimit in se ipsâ vti exprimeret talis species abstractiua; sed est pura tendentia vitalis ad obiectum in seipso existens, vt 1. tom. disp. 9. sect. 3.

61. Assertio 3. Fundam. Dico 3. Implicat, animam Christi cognoscere mysterium Trinitatis per euidentiam in attestante. Fundamentum, implicat euidentia in attestante cum visione beatâ eiusdem obiecti: sed anima Christi cognoscit mysterium Trinitatis per visionem beatam, ergo: Maior probatur; repugnat, intellectum præbere nouum assensum obiecto sub eodem motiuo adæquatè cognito; sed intellectus humanus Christi per scientiam beatam non solùm cognoscit mysterium Trinitatis, vt est in se, sed vt exercitè attestatum in Deo: ergo non potest eodem assentiri, vt signatè attestato ab eodem. Maior constat ex natura potentiæ intellectiuæ, quæ quia vitalis est, non potest ad obiectum moueri, nisi ab ipso formaliter mota: non potest autem ab obiecto formaliter moueri, si illud supponatur sub eodem motiuo adæquatè cognitum. Sicut nec potest voluntas formaliter moueri à fine totaliter assecuto, vel à medio, in quo nulla apparet vtilitas ad finem. Nec possunt hæ potentiæ à Deo cogi, quia cùm sint vitales, debent ipsæmet ab intrinseco sese mouere. Minor probatur, visio beata est perfectissima locutio Dei cum creaturâ, quâ non modò seipsum, & creaturas in ipso, sed etiam beato manifestat suum conceptum & cognitionem, quam habet de semetipso, & de creaturis, quas illi per eandem visionem manifestat: beatus enim per visionem beatificam non modò videt Deum secundùm se, & creaturas in ipso viso manifestatas, sed etiam videt Deum & creaturas vt cognitas à Deo: ergo visio beata non solùm est assensus in obiectum visum in se, sed etiam vt cognitum & manifestatum à Deo, ac proinde vt exercitè attestatum ab eodem. Sicut cognitio, quam format angelus audiens de veritate sibi manifestata ab angelo loquente, non solùm est assensus de veritate manifestatâ in se, sed etiam de eâdem vt cognitâ & exercitè attestatâ ab eodem angelo loquente: ergo non solùm talis assensus habet rationem visionis, prout est ad obiectum secundùm se, sed etiam euidentis notitiæ in attestante, prout est cognitum & manifestatum à loquente. Ergo implicat, circa idem obiectum, sub eodem motiuo authoritatis loquentis, intellectum moueri ad nouum assensum præbendum. Consequentia probatur: assensus, quo anima Christi assentiretur mysterio Trinitatis à Deo reuelato, niteretur eodem motiuo formali Dei euidenter attestantis, quo nititur visio beata; cum hoc tantùm discrimine, quòd visio beata non solùm nititur Deo euidenter attestanti, sed etiam Deo in seipso viso; Vnde non solùm est euidens notitia rei in attestante, sed etiam euidens cognitio obiecti in seipso. Cæterùm ratio hæc nostra procedit posito quòd Deus cum beatifica manifestatione mysterij Trinitatis, simul etiam manifestaret suam cognitionem, quam de eodem mysterio habet; vti de facto se manifestat Beatis, & à fortiori animæ Christi: Alioqui si tantùm beato manifestaret suam essentiam, non manifestando illi simul suam notitiam, quam de eadem sua essentia habet, posset eumdem beatum mouere ad eandem essentiam diuinam cognoscendam in attestante: quia tunc motiuum cognoscendi esset diuersum, nempe authoritas Dei clarè, sed abstractiuè loquentis, vt fusè in 4. tom.

Dico 4. Falsum est, animam Christi per quemcumque effectum supernat. euidenter cognoscere diuinarum personarum Trinitatem, quia non omnis effectus supernatur. respicit Deum vt trinum. Neque supernatur. effectus consistit in eo, quòd Deum respiciat vt trinum, sed quòd sit aliqua participatio esse, vel operationis Dei secundùm absolutam perfectionem ipsius. 62. Assertio 4. Fundam.

Dico 5. Anima Christi per aliquem effectum supernaturalem ducitur in euidentem notitiam abstractiuam S. Trinitatis. Porrò effectus hic triplex est, assensus fidei supernaturalis hominum viatorum de hoc mysterio, visio beatifica, & vnio hypost. At anima Christi per scientiam infusam euidenter & intuitiuè cognoscit omnes assensus fidei supern. viatorum, gloriosam visionem omnium beatorum, & vnionem hypost. suæ humanitatis ad Verbum: ergo per intuitiuâ cognitionem horum effectuum ducitur in euidentem notitiam Trinitatis. Maior prob. 1. de assensu fidei supernat. viatoris de hoc mysterio Trinitatis; cognoscit euidenter anima Christi, non posse actum fidei supernat. esse falsum, vtpotè productum ab habitu fidei vel auxilio æquiualenti, quod ad falsum inclinare non potest, vt 4. to. ergo eo intuitiuè cognito, euidenter cognoscit, obiectum talis assensûs non posse esse falsum. Igitur ex assensu supernat. fidei cuiuscumque Viatoris de hoc mysterio euidenter ducitur in abstractiuam notitiam eiusdem mysterij. 63. Assertio 5. 64.

Dices: Hæc notitia reducitur ad euidentiam in attestante, quam de facto Christo negamus. Resp. neg. assumpt. non enim Christus assentitur mysterio Trinitatis propter authoritatem Dei euidenter attestantis; sed immediatè assentitur in ipsum actum fidei viatoris, vt infallibiliter verum circa tale obiectum, ex eo quod ille est ab habitu supernat. fidei, vel ab auxilio illi æquiualente, quod ad falsum inclinare non potest. Quod motiuum est formaliter diuersum à motiuo diuinæ attestationis; proinde nouam afferens cognoscibilitatem obiecti, ratione cuius potest anima Christi moueri ad nouum assensum præbendum à priori diuersum. 65. Dices. Resp.

2. Prob. de visione beatâ: hæc est formalis expressio quâ, non solùm naturæ diuinæ, sed etiam personarum: ergo qui illam intuitiuè comprehendit, non solùm ducitur in abstractiuam cognitionem naturæ, sed etiam personarum: cùm non minùs illa dicat transcendentalem ordinem ad personas, quàm ad naturam: ergo si ex intrinseco ordine ad naturam abstractiuè cognoscitur natura; etiam ex intrinseco ordine ad personas cognosci debent abstractiuè personæ. Confirm. licet ex intuitiuâ cognitione actus non veniamus in intuitiuam cognitionem obiecti, venimus tamen in abstractiuam cognitionem illius: repugnat quippe intueri transcendentalem ordinem rei, & saltem abstractiuè non cognosci terminum, ad quem re ipsa ordinatur. 66. Confirm.

67. Ratio discriminis. Dices: ergo etiam beatus videns cognitionem

Dei de futuris liberis, abstractiuè etiam videbit futura libera. Resp. Nego conseq. nam cognitio Dei, vt eius volitio, habet se tantùm connotatiuè ad futura libera, nec potest esse ratio videndi ipsum cōnotatum: scilicet cognitio Dei, vt terminata ad creaturas vt futuras, nihil habet in se, quod non habeat, vt terminata ad easdem vt possibiles; quia in ratione cognoscendi futura, nihil accipit ab obiectis futuris: ergo ex vi terminationis ad creaturas vt futuras, nihil potest beatus de nouo cognoscere in diuina cognitione, quod non cognoscat in eâdem, vt terminata ad easdem vt possibiles; at quod tantùm se habet vt connotans aliud, nullo pacto continet connotatum, proinde nequit esse ratio cognoscendi connotatū: visio autem creata diuinæ essentiæ non se habet merè connotatiuè respectu essentiæ diuinæ, sed expressiuè vt *quo*, cùm sit expressa ab illa, medio lumine gloriæ, vt specie intelligibili diuinæ essentiæ: proinde potest esse ratio abstractiuè cognoscendi illam: cùm dicat transcendentalem ordinem ad illam, quem non dicit diuina cognitio aut volitio ad creaturas futuras.

68. *An ex comprehensione vnionis hypost. cognoscatur Trinitas.* Maior difficultas est de vnione hypostat. an ex comprehensione ipsius abstractiuè cognoscatur diuinarum Personarum trinitas. Negat Suarez *cit. loco*, & alij cum ipso. Fundam. ex cognitione vnionis hypostaticæ per se tantùm cognoscitur, esse in Deo aliquam subsistentiam incommunicabilem, quæ possit talem vnionem ad se terminare. Cæterùm qualis illa sit, absolutáne, an relatiua, vi huius cognitionis sciri non potest.

69. *2. Sentent. probabilior, quam discursus hic efficacissimè ostendit.* Affirmant verò Alij, inter quos *Cardin. de Lugo disp. 20. sect. 3. Quæ sent. probabilior est*: Hæc enim vnio hypost. ex intrinsecâ & specificâ ratione respicit hanc personam Filij Dei omni ratione, quâ adæquatè constituitur in ratione personæ: sed hæc persona in ratione talis personæ adæquatè constituitur per filiationem, quæ non solùm est formalis respectus ad Patrem, sed etiam radicalis ad Spiritum S. ergo hæc vnio adæquatè terminata ad personam Filij, respicit illam etiam secundùm radicalem ordinem ad Spiritum S. Igitur qui perfectè comprehendit hanc vnionem, abstractiuè cognoscit personam Filij, etiam secundùm radicalem respectum ad Spiritum S. nam notitia perfectè comprehensiua distinctè exprimit quicquid in reipsa est: cùm igitur in hac specifica vnione hypostatica, sit intrinsecus ordo ad personam Filij, etiam secundùm radicalem respectum ad Spiritum S. qui perfectè illam comprehendit, distinctè cognoscere debet hunc ordinem, quem habet ad duplicem respectum personalem virtute diuersum. Prior consequent. patet, nam si hæc vnio adæquatè respicit hanc personam, vt constitutam per hanc Filiationem includentem duplicem respectum, formalem ad Patrem, & radicalem ad Spiritum S. debet ad vtrumque respectum intrinsecum ordinem dicere. Minorem suppono ex *1. tom. disp. 19. sect. 2. & 3. & disp. 27. sect. 3.* quia licet nec proxima virtus producendi Spiritum S. nec formalis origo, aut formalis relatio ad illum, ingrediatur personalem constitutionem Filij, horum tamen omnium exigentia, quæ simul est radicalis respectus ad Spiritum S. intrat personalem constitutionem Filij. Nā per hanc formalem exigentiam & radicalem respectum ad Spiritum S. hæc filiatio diuina discriminaretur à filiatione, quæ futura esset ex hypothesi, quòd Spiritus S. non procederet à Filio. Maior prob. hæc vnio hypost. perfectè terminatur ad personam Filij, quâ persona Filij est: ergo omni ratione, quâ adæquatè constituitur in ratione personæ Filij; & omni intrinseco respectu, quem persona Filij habet ad Patrem & Spiritum S. alioqui filius Dei non esset immediatè incarnatus, vt talis persona Filij Dei est, secundùm adæquatam suam personalitatem: nam vt talis persona Filij Dei est, adæquatâ suâ personalitate adæquatè constituitur vtroque respectu & formali ad Patrem, & radicali ad Spiritum S. Sequela patet: nam filius Dei formaliter est incarnatus per terminationem hypost. vnionis humanitatis ad se: ergo si talem vnionem non terminaret immediatè omni ratione, quâ adæquatè constituitur in ratione personæ filij Dei, non esset immediatè incarnatus suâ adæquatâ personalitate, quâ persona filij Dei est.

Fundam.

Adæquata personalitas Filij Dei.

Confirm. 1. Ex vi perfectæ comprehensionis vnius correlatiui, abstractiuè cognoscitur alterum correlatiuum omni eâ ratione, quâ formaliter terminat ordinem correlatiui ad se. Ergo si filius Dei, vtroque respectu, & formali ad Patrem, & radicali ad Spiritum S. formaliter terminat vnionem hypostaticam, ex vi perfectæ comprehensionis abstractiuè cognosci debet vterque respectus, quo persona filij adæquatè constituitur in suâ personalitate. Anteced. prob. propterea ex vi perfectæ comprehensionis creaturæ debet abstractiuè cognosci Deus vt creator & omnipotens, non autem vt immensus & trinus; quia vt creator & omnipotens, non vt immensus & trinus formaliter terminat actionē creatiuam. 2. possibilis est vnio, quæ immediatè terminetur ad personam filij secundùm formalem dumtaxat respectum ad Patrem, & non radicalem ad Spiritum S. ergo ad plus aliquid de personâ filij cōgnoscendum ducit vnio, quæ immediatè terminatur ad personam filij vtroque respectu, quàm quæ ad eandem terminaretur vno tantùm: sed quæ immediatè terminaretur ad personam filij solùm secundùm respectum formalem ad Patrem, duceret ad cognoscendum in persona filij solum respectum formalem ad Patrem: ergo quæ immediatè terminatur ad vtrumque respectum, ducet intellectum ad cognoscendum vtrumque respectum in personâ Filij Dei. Prior conseq. cōstat: nam vnio est medium cognoscendi terminum formaliter per respectum & ordinem, quem habet ad illum: ergo quo ordo ipsius vnionis respicit plures rationes termini, eò vnio ipsa est medium cognoscendi plures rationes in termino. Posterior prob. si vtraque vnio esset formale medium cognoscendi easdem rationes in termino, vna non differret secundùm suum intrinsecum esse ab aliâ: cùm non per aliud vnio sit formale medium cognoscendi terminum, quàm suo intrinseco ordine ad illum; nec per aliud in suo esse vnio constituatur, quàm intrinseco ordine ad terminum, cùm ipsius essentia sit actualis ordo ad terminum. 70. *Confirm. 1.* 71. *Confirm. 2.*

Deducitur 1. non solùm ex perfectâ comprehensione vnionis hypostaticæ ad personam filij abstractiuè cognosci personas Patris, & Spiritûs S. sed ex perfectâ comprehensione vnionis hypostaticæ terminatæ ad quamcumque personam ex tribus diuinis abstractiuè cognosci reliquas: cùm quælibet persona diuina constituatur per subsistentiam adæquatè distinctam à reliquis duabus: & consequenter vnio hypostatica, adæquatè ad illam terminata, necessariò ducet perfectè in seipsa comprehensa ad abstractiuam notitiam reliquarum personarum: cùm quælibet persona diuina dicat respectum vel formalem, vel radicalem ad reliquas duas personas. 72. *Coroll. 1.*

2. Possibilis est vnio ad Verbum, ex cuius perfectâ comprehensione non cognoscatur persona Spiritus S. non tamen possibilis est vnio ad personam 73. *Coroll. 2.*

Verbi,

Ratio prioris partis. Verbi, ex cuius perfectâ comprehensione abstractiuè non cognoscatur persona Patris, quia possibilis est vnio hypost. quæ immediatè respiciat personalitatem Verbi secundùm formalem respectum ad Patrem, & non radicalem ad Spiritum S. vnio autem non potest esse, vt in se cognita, medium cognoscendi id, quod ipsa intrinsecè non respicit, cùm non per aliud sit medium cognoscendi terminum, quàm intrinseco respectu, quem habet ad illum. *Ratio posterioris.* Et quia radicalis respectus ad Spiritum S. in personâ Verbi essentialiter præsupponit formalem respectum ad Patrem, in eoque essentialiter fundatur: ergo implicat vnio hypostatica, quæ tantùm terminetur ad radicalem respectum erga Spiritum S. & non ad formalem erga Patrem: cùm nil aliud sit hic radicalis respectus filij ad Spiritum S. quàm ipsa filiatio vt exigens virtutem producendi Spiritum S. Eadem ratio est de personâ Patris, quæ etiam in suâ personalitate adæquatè constituitur formali respectu ad filium, & radicali ad Spiritum S.

74. *Coroll. 3.* 3. Non est possibilis vnio hypost. terminata ad personam Spiritus S. quæ perfectè comprehensa non ducat in abstractiuam notitiam omnium diuinarum personarum. Ratio: personalitas Spiritus S. indiuisibiliter procedit à personâ Patris & Filij: ergo omni ratione dicit formalem respectum producti ad Patrem & Filium producentes: consequenter implicat vnio, quæ hypostaticè terminetur ad personam Spiritûs S. & in se comprehensa non ducat in abstractiuam notitiam ipsius personæ Spiritûs S. & simul etiam Patris & Filij, quos personalitas Spiritûs S. intrinsecè & indiuisibiliter respicit.

75. *Ad Fund. Suarez.* Ad fundamentum *Suarez*, Nego, ex perfecta notitia comprehensiua vnionis hypostat. tantùm cognosci subsistentiam in communi. Nam cùm vi perfectæ comprehensionis distinctè cognoscatur respectus, quem vnio habet ad personam diuinam, quatenus illius formalis terminus est; cumque nequeat distinctè cognosci respectus, nisi abstractiuè saltem cognoscatur ratio formalis termini, non poterit comprehensiuè cognosci vnio, non cognitâ abstractiuè saltem subsistentiâ, formali ratione, quâ est formalis terminus ipsius; ac proinde si est formalis terminus ipsius vt relatiua, & vt perfectè distincta à reliquis diuinis personis, vt sic debet vi perfectæ comprehensionis vnionis cognosci; cùm non aliter debeat vi perfectæ comprehensionis vnionis cognosci, quàm secundùm quod reipsa est formalis terminus vnionis.

76. *Confirm.* Confirmatur, possibilis est vnio, quæ immediatè tantùm terminetur ad naturam diuinam secundùm subsistentiam absolutam, quam in naturâ diuinâ Suarez admittit. Sed talis vnio differret ab vnione, quæ de facto terminatur ad personam Filij: non posset autem talis vnio cognosci vt diuersa ab hac, si vi comprehensionis ipsius non cognosceretur subsistentia formali ratione, quâ reipsa terminaret, sed solùm ratione communi subsistentiæ. Quòd si non cognosceretur vt diuersa, non comprehenderetur: nam cognitio comprehensiua exprimit rem secundùm vltimam differentiam, quâ discriminatur à cæteris rebus. Quòd autem non posset talis vnio cognosci vt diuersa, si vi comprehensionis ipsius non cognosceretur, nisi subsistentia in communi, prob. tota diuersitas vnionis est penes terminum, quem respicit: igitur si nihil diuersum cognoscatur in termino vnius, quod non cognoscatur in termino alterius, siquidem terminus esset aliqua subsistentia in communi, nulla diuersitas cognosceretur in vnâ, quæ non in alterâ.

77. *Dices.* Dices: Hanc diuersitatem cognosci in ipso respectu intrinseco, qui in vnâ esset diuersus à respectu alterius, non autem in termino. *Resp.* Sed contrà; implicat, adæquatè penetrari intrinsecum respectum vnius, vt diuersum ab intrinseco respectu alterius, & non aliquid diuersum cognosci in ipsis terminis formaliter terminantibus; cùm tota diuersitas respectus sit ab ipsa diuersitate termini formaliter specificantis.

78. Contrà videtur sentire *Angelicus 3. part. quæst. 11. art. 1.* vbi negat, animam Christi scientiâ infusâ cognoscere diuinam essentiam, sed illam tantùm cognoscere scientiâ beatâ. *S. Thomas explicatur à Caiet. & alijs Thomistis.* Verùm *S. Doctor cum Caiet. & alijs* explicandus est, vt solùm ibi neget, scientiâ infusâ cognosci diuinam essentiam intuitiuè & in seipsâ, non autem abstractiuè & in alio, vt in effectu & medio euidenter ducente in abstractiuam cognitionem illius. Constat ex *eod. art.* vbi docet, hâc scientiâ animam Christi cognouisse *omnia illa, quæ per reuelationem diuinam hominibus innotescunt*; quæ est hoc mysterium: ergo illud ab obiecto huius scientiæ non exclusit. Patet ad fundamenta aliarum.

An omnes species intelligibiles scientiæ infusæ sint ordinis supernaturalis?

79. *1. Sentent.* PRIMA sentent. affirmat: *Caietan. Medin. 3. parte quæst. 11. art. 1. Suarez disp. 29. sect. 2. & 3. & disp. 30. sect. 1.* *Fundam.* quia hæc scientia est quoad substantiam supernaturalis; ergo requirit species ordinis supernaturalis, etiam de obiectis naturalibus.

80. *2. Sentent.* SECVNDA negat: *Vasquez disp. 52. cap. 1. & 4.* & à fortiori sequitur ex sentent. eorum, qui negant, hanc scientiam distingui ab infusâ per accidens. *Fundam.* Fundamentum: multa obiecta cadunt in hanc scientiam, quæ sunt ordinis naturalis: ergo saltem species horum obiectorum non sunt supernaturales.

81. *Assertio.* DICO, non omnes species huius scientiæ esse ordinis supernatur. sed obiectorum supernat. esse tantùm supernaturales, naturalium naturales. Primum colligo ex *S. Thom. 3. p. quæst. 11. art. 6. ad 3.* & clariùs *in 3. dist. 14. quæst. 1. art. 3. ad 1. quæst.* vbi duplex distinguit in hâc scientiâ lumen, alterum naturale, quo res naturales; alterum supernaturale, quo res supernaturales cognoscuntur: lumini autem proportionantur species: ergo duplici lumini naturali, & supernaturali, duplices respondent species, aliæ naturales, aliæ supernaturales. *Fundam.* Fundamentum: quicquid sit, an eiusdem obiecti naturalis dari possit species naturalis & supernaturalis, sicut cognosci potest duplici lumine naturali & supernaturali, certè superflua est species supernaturalis, quando habetur naturalis propria; nam hæc sufficit ad cognitionem rei in proprio genere. Nec est eadem ratio de beatâ, & acquisitâ: nam illa non repræsentat rem in proprio genere, hæc verò non repræsentat rem intuitiuè, & per propriam speciem; sed abstractiuè, & per alienam; at tam species naturalis, quàm supernaturalis propria repræsentat rem in seipsa, & aliunde connaturalius est, vt res naturalis repræsententur specie naturali.

82. *Ad fund. Duplex in Christo scientia infusa.* Ad fundam. primæ, nego, hanc scientiam esse supernaturalem quoad substantiam in ordine ad obiecta naturalia, est enim in Christo scientia infusa per se, altera supernaturalis in ordine ad obiecta supernaturalia, altera naturalis in ordine ad naturalia.

An species intelligibiles scientiæ infusæ sint intuitiuæ, an tantùm abstractiuæ?

83. *1. Sentent.* PRIMA sentent. docet, esse abstractiuas: *Scoti in 3. dist. 14. q. 3. §. Ad quæst. Lychc. ibid. Mayron. in 3. dist. 12. quæst. 4. Medin. 3. p. quæst. 11. art. 1.* qui saltem id affirmat de speciebus futurorum. Fundam. *Scoti.* Species infusa non repræsentat rem existentem vt existentem: ergo non potest esse principium intuitiuæ cognitionis, quæ est rei præsentis vt præsentis: nam per hoc distinguitur ab abstractiuâ, quæ est rei absentis vt absentis: quod autem non existit, nequit esse præsens cognoscenti, seu obiectum & terminus intuitiuę cognitionis. Antec. prob. species infusa abstrahit ab existentiâ rei, quam repræsentat: eodem quippe modo repræsentat illam, quando existit, ac quando non existit: ergo non potest esse ratio cognoscendi obiectum vt existens: quia repugnat, vt eadem species inuariata modò determinet intellectum ad videndum obiectum vt existens, modò vt non existens, cùm determinet naturaliter & necessariò, ac proinde eodē modo semper.

Fundam. Scoti.

84. *Confirm. 1.* Confirm. 1. Veritates contingentes, cuiusmodi sunt futura libera, cognosci nō possunt ex ipsa terminorum connexione, vti cognoscuntur veritates necessariæ, quia veritates contingentes non continentur in connexione terminorum, vti continentur veritates necessariæ: sed species infusæ solùm repręsentant connexionem terminorum. Ergo non possunt per eas certò cognosci futura contingentia.

85. *Confirm. 2.* 2. Nō alio modo species infusa repræsentat obiectum, quando existit, ac quando non existit: ergo nequit, etiam quando existit, intellectus esse certus de existentiâ ipsius secundùm se, quia vbi nulla est obiectiua variatio, nullum potest esse signum existentiæ secundùm se, nullum potest habere intellectus fundamentum iudicandi de existentiâ obiecti: nam si eodem modo semper repræsentetur, siue existat, siue non existat obiectum, nullum potest habere maius fundamentum iudicandi, quod nunc potiùs existat, quàm anteà. Velut si eodem modo repræsentetur oculo Antichristus, siue existat, siue non existat, non posset quando reipsa existeret, oculus iudicare de existentiâ ipsius.

86. *2. Sentent.* SECVNDA affirmat, esse intuitiuas: *Caietan. 3. qu. 11. artic. 1.* vbi docet, has species esse exemplatas à diuinâ essentiâ, proinde sicut illa omnia, quæ repræsentat, dearticulatè quoad omnes rei proprietates, & indiuiduales conditiones exprimit: ita species animæ Christi infusæ. Vnde infert, per vnam speciem animam Christi cognoscere naturam specificam cum omnibus dispositionibus accidentalibus possibilibus, & cum omnibus indiuiduis sub ea contentis.

87. *Notandum.* Nota, species infusas in Christo esse duplicis generis; alias, quæ repræsentant solas quidditates rerum, cuiusmodi sunt species rerum possibilium, & secretorum cordium in æternum futurorum; alias, quæ etiam indiuiduales, singularesque proprietates rerum exprimunt, cuiusmodi sunt species præteritorum, & futurorum secretorum vsque in diem iudicij, necnon omnium rerum tam naturalium, quàm supernaturalium absque æternâ successione.

88. *1. Assertio. Fundam.* DICO 1. Omnes posterioris generis species sunt intuitiuæ: nam vt species sit intuitiua, non requirit, vt sit obiectum præsens, sed tantùm, vt sit propria obiecti, cuius est repræsentatiua: at omnes species posterioris generis in Christo sunt propriæ obiectorum, quorum sunt repræsentatiuæ: scilicet productæ sunt à Deo cum ea perfectione, quâ productæ essent à proprijs obiectis, si eas propria obiecta producere potuissent. Maior prob. 1. à paritate: illa species expressa est intuitiua obiecti, quæ obiectum exprimit per propriam speciem, vel influxum obiectiuum ipsius, siue existat, siue non existat obiectum: ergo illa species impressa est intuitiua, quæ est propria obiecti, siue existat, siue non existat obiectum: impressa enim est propter expressam: ergo si ad expressam intuitiuam non requiritur præsentia obiecti, nec illa requiritur ad intuitiuam impressam. Anteced. constat de visione gloriosâ, quæ non solùm est intuitiua respectu Dei, sed etiam respectu creaturarum possibilium, & futurorum nondum existentium.

Hic controuersia. *Prob. à paritate speciei express.*

86. *Respondet. Scotus.* Respondet 1. Scotus: ideò notitiam creaturarum non existentium, in Verbo esse intuitiuam, quia licet illæ non sint præsentes in se, sunt tamen præsentes in diuinâ essentiâ, in quâ perfectiùs continentur, quàm in proprio genere. Sed contra: tum quia est id contra ipsum *in 2. dist. 3. quæst. vlt. §. Resp. ergo,* vbi docet, Angelum non habere cognitionem intuitiuam singularium in Verbo, quia *ad agnitionem intuitiuam rei necessariò concurrit obiectum reale vel ipsa res vt præsens.* Tum quia creaturæ non continentur in Deo formaliter, sed tantùm eminenter: ergo secundùm esse formale non sunt præsentes, licet in visione beatâ exprimantur: ergo ad intuitiuam notitiam non requiritur præsentia obiecti.

90. *Respondet 2. Medina.* 2. *Medina:* ideò cognitionem futurorum in Verbo esse intuitiuam, non extra Verbum: quia cognitio beata mensuratur æternitate: æternitati autem cùm sit indiuisibilis duratio, in se complectens omne tempus, omnia simul coexistunt, præterita, præsentia, & futura; cognitio autem extra Verbum, mensuratur tempore: tempori autem, cùm sit diuisibilis duratio, per partes successiuè existens, non omnia simul coexistunt.

91. Sed contrà: vel scientiæ beatæ futura simul coëxistunt tantùm obiectiuè: & hoc modo etiam omnia coëxistunt scientiæ infusæ; vel etiam in seipsis subiectiuè secundùm propriam cuiusque existentiam: & falsum est, futurum iudicium, ex. gr. quod nunc anima Christi in Verbo cognoscit secundùm propriam existentiam, coëxistere beatæ cognitioni animæ Christi. Nam licet visio beata mensuretur æternitate indiuisibili, omneque tempus complectatur, præsens, præteritum, futurum; est tamen virtualiter diuisibilis per coëxistentiam ad tempus saltem imaginarium, quod essentialiter connotat, complectiturque omne tempus non simul, sed successiuè, iuxta quod tempus ipsum, & res in tempore successiuè existunt, vt *in 1. tom. disp. 12. sect. 4.* Eadem igitur est ratio de cognitione futurorum in Verbo, & extra Verbum: ergo si illa est intuitiua, etiam hæc erit intuitiua.

92. *Prob. 2. assert.* Prob. 2. Ea cognitio per *Scotum* est intuitiua, quæ habet obiectum præsens, ex. grat. Visio albi; at potest, corrupto albo, eadem visio diuinitùs conseruari in oculo; ergo si ante erat intuitiua, etiam post erit intuitiua: nam eadem visio manet quoad omnia sua intrinsecè inuariata: intuitio autē est aliquid intrinsecū in cognitione, cùm sit intrinseca differentia essentialiter discriminās illā à cognitione abstractiuâ: igitur, si corrupto obiecto, adhuc manet eadem quoad omnia sua intrinseca, manebit cum intrinsecâ perfectione intuitionis, quam antea habebat.

93. *Respondet Scotus.* Scio, *Scotum* responsurū, ex eo tantùm eam visionem non fore intuitiuam, quia non produceretur immediatè ab obiecto; quam conditionem requirit ad visionem intuitiuā. Sed contrà: nec quando obiectum est præsens, ipsum producit visionem immediatè, sed mediante specie visibili, quam in oculum

oculum transmitit; alioquin frustra esset talis species, si obiectum ipsum immediatè vnà cum oculo visionem produceret; præterquam quod nequit naturaliter obiectum distans effectiuè concurrere cum potentiâ visiuâ.

94. *Assertio 2. Fundam.* Dico 2. etiam species infusæ prioris generis, repræsentantes quidditates rerum, sunt intuitiuæ. nam etsi secundùm se abstrahant à repræsentatione cognitionum indiuidualium, tamen ipsas rerum essentias repræsentant secundùm proprium conceptum: ergo respectu quidditatum sunt intuitiuæ. nam respectu omnis illius rationis sunt intuitiuæ, respectu cuius sunt propriæ species: respectu omnis illius rationis sunt propriæ species, quam proprio conceptu exprimunt.

95. *Assertio 3. Fundam.* Dico 3. Species infusæ non sunt proxima causa cognoscendi veritates contingentes, sed lumen à speciebus diuersum. Fundamentum: speciei tantùm est repræsentare obiectum cognoscenti: ad cognoscendas autem veritates contingentes non sufficit, habere res obiectiuè præsentes in potentiâ cognoscente: ergo species infusę non sunt proxima causa cognoscendi veritates contingentes. Maior constat: quia natura speciei tantùm est, esse imaginem virtualem, si sit impressa; aut formalem, si sit expressa obiecti. Minor prob. existente eâdem specie impressâ, vel expressâ obiecti, potest verum, aut falsum iudicium ferri de obiecto ipso secundùm se; sicut existente eâdem imagine Cęsaris, potest verum aut falsum iudicium ferri de Cæsare ipso secundùm se. *Ratio à priori.* quia cognoscere veritatem contingentem, non est tantùm habere rem obiectiuè præsentem, sed est cognoscere conformitatem ipsius obiectiuæ repræsentationis cum reipsa secundùm se. Nam sicut veritas in cognoscendo consistit in conformitate cognitionis cum reipsa secundùm se, & non cum re vt obiectiuè præsente; ita cognoscere veritatem, non est habere rem obiectiuè præsentem, sed cognoscere conformitatem ipsius obiectiuæ repræsentationis cum reipsa secundum se: hoc autem non præstat species, cuius non est iudicare de conformitate suæ repræsentationis cum reipsa secundùm se, sed luminis, cuius est iudiciũ ferre de huiusmodi conformitate. Confirm. sicut in

96. *Confirm.* cognitione naturali proxima ratio cognoscendi veritatem, non est species, vel impressa, vel expressa, sed lumen intellectûs, cognoscentis conformitatem speciei cum obiecto secundùm se; ita in cognitione supernat. proxima ratio cognoscendi veritatem, non est species, vel impressa, vel expressa, sed lumen supernaturale inclinans intellectum ad cognoscendum conformitatem obiecti repræsentati cum seipso secundùm se.

97. *Coroll.* Deducitur, solos sensus externos habere species intuitiuas suorum obiectorum, non internos; quia soli sensus externi immediatè hauriunt proprias species ex obiectis: interni verò species immediatè hauriunt ex actibus ipsis sensuum externorum. Visio enim externa sui speciem transmittit in sensum communem, is in phantasiam; ex cuius phantasmate expresso intellectus agens eruit speciem intelligibilem; quæ recepta in intellectu passibili, est ratio cognoscendi quidditatem rei. Vnde sicut differt obiectum ab actu, quo obiectum cognoscitur, ita species obiecti à specie actûs.

98. *Ad Fund. 1. sententia.* Ad fundamentum *Scoti neg.* conseq. nam de ratione speciei intuitiuæ non est, repræsentare obiectum vt præsens in seipso, sed per propriam ipsius speciem. Ad probationem conseq. nego, munus esse speciei, sed luminis, intellectum determinare ad certum iudicium de existentia obiecti in se. Ad 1. confirmationem concedo, veritates contingentes futurorum certò cognosci non posse in terminorum connexione, quæ per speciem repræsentatur, sed per speciale lumen diuinitùs infusum, intellectum certificans de existentiâ, vel non existentiâ obiecti. Pari modo resp. ad 2. confirmationem. Ad hoc autem, vt intellectus certò iudicet de existentiâ, vel non existentiâ obiecti, non eget alio fũdamento, quam lumine infuso; quod, vt participatio est luminis increati, intellectum certificat de existentiâ, vel non existentia obiecti; sicut intellectus beati, vt iudicet de existentia rei, quæ nunc existit, & anteà non existebat, non eget diuerso fundamento à lumine visionis, vi cuius ducitur ad intuendas res ipsas in propriâ existentiâ.

A quo species istæ infusæ producantur?

PRIMA sententia *Marsilij in 3. quæst. 10. 4. p. articul. 2. in 4. probatione 1. conclusionis*, opinantis, eas produci à Deo, mediante visione beatâ vt instrumento, actiuè etiam cooperante intellectu agente beati. Fundamentum: ex *Philos. 3. de ani.* species rei simul cum intellectu agente est generatiua cognitionis rei in proprio genere: sed similitudo rei, quę videtur in Verbo per visionem claram Dei, perfectiùs repræsentat rem, quàm quæuis species creata: ergo magis nata est generare cognitionem rei in proprio genere. Confirm. quælibet cognitio producit speciem sui obiecti in intellectu, vt constat ex memoriâ, quæ de obiecto cognito, transeunte actu, in nobis relinquitur: ergo etiam cognitio rei in Verbo producit speciem rei cognitæ in Verbo: sed talis species est principium cognoscendi rem in proprio genere; quia cùm non sit species diuinæ essentiæ, sed solius rei creatę, non potest esse principium cognoscendi rem in Verbo; quia nequit res cognosci in Verbo, nisi cum reipsa simul cognoscatur Verbum: nequit autem cognosci Verbum per solam speciem rei creatæ: ergo. 99. *1. Sentent.* *Fundam.* 100. *Confirm.*

SECVNDA *Scoti in 3. dist. 14. qu. 3. §. Ad quæst.* docentis, multas ex his speciebus, præsertim intuitiuas singularium produci ab obiectis, vt à causâ partiali; ab intellectu verò agente Christi, vt à causâ magis principali; eo modo, quo *in 2. dist. 3. quæst. vlt. §. Respondeo ergo* & *§. Ad rationes*, docuit, intellectum angeli simul cum obiectis producere sibi species intuitiuas rerum singularium. 101. *2. Sent.*

TERTIA communis affirmat, has species infundi à Deo. Quę sententia longè probabilior est; quia non possunt hæ species produci ab obiectis, quorũ sunt repræsentatiuæ; tum quia sæpe obiecta non sunt præsentia, cuiusmodi sunt pręterita & futura, cùm tamen intellectus humanus Christi species infusas habeat rerum pręteritarum & futurarum. Tum quia quando sunt pręsentia, non possunt, pręsertim si sint materialia, species intelligibiles in intellectu humano Christi immediatè producere; cùm nullum materiale possit esse principalis causa effectûs spiritualis; nec possunt illas producere mediantibus speciebus sensibilibus, productis in sensibus Christi, ex quibus, ope intellectus agentis eruantur species intelligibiles repræsentantes quidditates rerum; cùm tales species erutæ ex speciebus sensibilibus nequeant esse intuitiuæ substantiæ, cuius repræsentatiuæ sunt species infusæ: Nam species sensibiles rerum sensibilium, quas tantùm producere valent obiecta in sensibus, non continét, nisi tantùm arguitiuè, substantiam: ergo ex illis erui nequeunt species intuitiuæ substantiæ. Neque possunt produci à visione beatâ; hæc enim creaturas 102. *3. Sentent. Longè probabilior. Fundam. Non possunt hæ species produci ab obiectis.* 103. *Neque visione beatâ.*

quas repræsentat non continet nisi intentionaliter ex. gr. cælum in visione beatâ non secundùm esse reale, sed intentionale: ergo nequit producere species immediatè repræsentatiuas earum secundùm esse naturale: ergo nequit producere species intuitiuas earundem, quia species intuitiua debet obijcere rem potentiæ cognoscenti secundùm esse naturale rei; nam licet in potentiâ cognoscente non debeat esse res secundùm esse naturale subiectiuè, debet tamen apparere, & esse secundùm esse naturale obiectiuè, vt constat in intellectu angeli, in quo non est lapis secundum esse naturale subiectiuè, sed tantùm intentionale; est tamen in eo lapis secundùm esse naturale obiectiuè, quia per esse intentionale lapidis exprimitur, & repræsentatur esse naturale lapidis. Prior consequentia probatur; sola illa causa potest producere speciem immediatè repræsentatiuam esse naturalis obiecti, quæ vel formaliter, vel eminenter continet esse naturale obiecti: Visio beata nec formaliter, nec eminenter, sed solùm intentionaliter, continet esse naturale cæli, quod repræsentat. Maior prob. cùm species intuitiua sit naturalis imago obiecti, nequit produci, nisi vel ab ipso obiecto, vel ab aliquo eminenter continente esse obiecti. Cùm igitur visio beata non contineat esse naturale, sed tantùm intentionale cæli, non poterit producere imaginem naturalem cæli, sed solam naturalem imaginem sui, quæ ad summum erit naturalis imago cæli, non quoad esse naturale, sed quoad esse intentionale ipsius cæli.

104. *Dices.* Dices: Secundùm nostra principia, vt res videatur intuitiuè, non est necesse, vt videatur secundùm esse naturale, sed sufficit, vt videatur secundùm esse intentionale, quia sufficit, vt videatur in suâ specie & imagine: sed visio beata potest producere esse intentionale cæli: ergo poterit in tali esse videri intuitiuè cælum. Confirm. obiectû non producit in potentiâ cognitiuâ esse naturale, sed intentionale sui, in quo potentia intuitiuè cognoscit esse naturale obiecti. Distinguo maior. vt

105. *Resp.* res videatur intuitiuè, non est necesse, vt videatur secundùm esse naturale in seipso existens, concedo: non est necesse, vt videatur secundùm esse naturale, expressum & apparens in ipso esse intentionali speciei expresso, nego: ipsum quippe naturale esse obiecti terminat intuitum potentiæ, non vt existens in seipso, sed vt expressum, & apparens in suâ specie, & imagine: cuius signum est, quoniam destructo obiecto in seipso, adhuc maneret visio eodem modo repræsentans obiectum secundùm esse naturale, quo repræsentabatur anteà, obiecto existente ac præsente; quod esse non posset, nisi esse naturale obiecti repræsentaretur in ipso esse intentionali speciei. Distinguo etiam maior. Potest visio beata producere esse intentionale cæli, repræsentatiuum cæli secundùm esse naturale ipsius, nego: secundùm esse intentionale cæli, concedo; quia res talem producit imaginem sui, qualis ipsa est, cùm hic sit finis à naturâ intentus, vt per imaginem cognoscatur res ipsa imaginata, qualis est in se: sed visio beata non est cælum secundùm esse naturale, sed intentionale: ergo naturalis imago ab ipsa producta, non erit repræsentatiua cæli secundùm esse naturale cæli, sed tantùm intentionale. *Species intuitiua debet esse repræsentatiua obiecti secundùm esse naturale obiecti.*

106. *Ad confir.* Ad confirmationem, concedo, obiectum non producere in potentiâ cognoscente esse naturale, sed solùm esse intentionale, repræsentatiuum tamen esse naturalis sui; visio autem beata produceret esse intentionale cæli, non repræsentatiuum esse naturalis, sed solum repræsentatiuum esse intentionalis cæli: & licet vtrumque esse sit intentionale, vnum tamen diuersum est ab alio, nam vnum est intentionale subiectiuè, naturale verò obiectiuè; aliud est intentionale, & subiectiuè, & obiectiuè. Ratio huius diuersitatis desumitur ab obiecto, quod talem producit speciem repræsentatiuam sui, quale est ipsum in se, cùm hic sit finis huius intentionalis productionis. Cùm igitur vnum obiectum habeat esse naturale, alterum esse intentionale, vnum producit speciem repræsentatiuam esse naturalis, alterum repræsentatiuam esse intentionalis sui.

Ad fundamentum primæ, nego, visionem beatam producere speciem sui, suorumque obiectorum; nam cùm hæc sit naturâ suâ permanens, semper actu exprimens suum obiectum, tam primarium, quàm secundarium, frustra sui, suorumque obiectorum speciem produceret; nam hæc tantùm producitur ad supplendum defectum obiecti absentis: Quâ de causâ ab ijs tantùm actibus intellectûs & voluntatis species producitur, qui naturâ suâ transeuntes sunt, vt ijs transeuntibus, saltem maneat species memoratiua illorum: Visio autem beata cùm sit permanens, non eget specie, vt cognoscatur, sed seipsa optimè cognoscitur. 2. quia non esset maior ratio, cur potiùs produceret speciem obiecti secundarij, quæ sunt creaturæ, & non etiam primarij, qui est Deus; ac proinde non solùm beatus haberet species creaturarum in proprio genere, sed etiam ipsius Dei: quod falsum est, cùm nulla dari possit species, quæ Deum in proprio genere repræsentet, distincta ab ipsa clara visione Dei, cum nequeat Deus secundùm se videri, nisi visione beata. 3. Esto, Visio beata producat speciem obiecti dumtaxat secundarij, hæc tamen non posset intuitiuè, sed tantùm abstractiuè tale obiectum repræsentare, quia non esset immediatè producta ab obiecto, sed à specie, & similitudine obiecti. Vnde solùm intuitiuè repræsentaret visionem, & repræsentationem obiecti, abstractiuè obiectum ipsum; quia illud tantùm intuitiuè repræsentaret, à quo immediatè produceretur, cùm illius tantùm esset naturalis imago. Confirmatio solùm probat de specie abstractiuâ: quia cùm species illa sensibilis à sensibus externis ad internos transmissa, non sit propria substantiæ, non poterit ex illâ erui intuitiua, sed solùm arguitiua species substantiæ. 107. *Ad Fund. 1. sententiæ.* *Resp. 1.* 108. *Resp. 3.*

SECTIO II.

An præter species intelligibiles ordinis supernaturalis requiratur etiam lumen supernaturale?

Prima sententia negat; *Valentia 3. part. disp. 1. quæst. 11. punct. 2. Vasquez disput. 54. cap. 2.* inclinat *Medina 3. part. qu. 11. art. 6.* licet oppositum docuerit *art. 5.* Fundamentum *Vasquez.* Quotiescunque nulla est ratio in effectu, quæ reduci non possit ad principium producens, frustra in principio producente additur aliquod distinctum positiuum; sed nulla est ratio in actu intellectionis supernaturalis, quæ reduci non possit ad intellectum informatum specie intelligibili supernat. quia in actu intellectionis supernaturalis duo sunt, & ratio intellectionis, quæ reducitur ad potentiam intellectiuam; & ratio supernaturalitatis, quæ reduci potest ad speciem intelligibilem supernat. ergo præter hæc, frustra requiritur lumen supernaturale distinctum. 109. *1. Sentent.* *Fundam. Vasquez.*

Secunda affirmat: *Bonauent. in 3. dist. 14. ar. 3. qu. 2.* 110. *2. Sentent. probabilior.*

qu.2. *Richard. art.3.quæst.4. Caiet.3.part.quæst.11.art.6.fine, Medina ibidem art.5. Suarez disput.29.sect.2.* Quæ probabilior est, *& procul dubio S.Thom. 3.part.quæst.11.art.6.ad 3.* vbi docet, lumen infusum esse communem rationem intelligendi omnia, quæ diuinitùs reuelantur, sicut lumen naturale est communis ratio intelligendi omnia, quæ naturaliter cognoscuntur: præter hoc autem necessarias, ait, esse proprias species singulorum ad cognoscendum vnumquodque cognitione propriâ; vbi expressè distinguit lumen à speciebus, & illud affirmat, esse vnum ad intelligenda omnia, has verò plures, iuxta pluralitatem intelligibilium. Idem docet *in 3. dist.14.art.3.ad 1.quæst. & 1.part.quæst.12.art.5.* vbi ad visionem beatam, præter diuinam essentiam concurrentem per modum speciei, requirit etiam lumen gloriæ, tenens se ex parte potentiæ, roborans & confortans illam.

111. *Fundam. affert.* Fundamentum, ad producendam intellectionem non solùm requiritur obiectum, vel species supplens vicem obiecti, sed etiam potentia intellectiua completa: sed potentia intellectiua animæ Christi est incompleta in ordine ad intellectionem supernaturalem: vt igitur possit illam producere, non solùm requirit speciem intelligibilem eiusdem ordinis supernaturalis cum obiecto, sed etiam lumen supernaturale, quo compleatur in ratione potentiæ intellectiuæ supernaturalis. Maior constat 1. inductione; omnis potentia, vt versari possit circa suum actum, præter speciem sibi proportionatam, requirit, vt ipsa sit completa in ratione potentiæ, cùm non minùs ipsa, quàm species debeat ad actum concurrere. 2. concursus

112. *A priori.* effectiuus potentiæ est diuersæ rationis à concursu effectiuo speciei: ergo, quantumcunque augeatur concursus speciei, non augebitur concursus potentiæ. Antec. prob. concursus effectiuus speciei, est tantùm assimilatiuus obiecti; concursus verò effectiuus potentiæ, est etiam iudicatiuus de veritate obiecti. Nam speciei tantùm est obiectum repræsentare; potentiæ autem de obiecto repræsentato iudicare: ergo nequit concursus potentiæ suppleri per concursum speciei.

113. *Dices 1.* DICES 1. posse concursum iudicatiuum potententiæ suppleri per species perfectiores intuitiuas rerum; nam sicut species intuitiuæ visibiles per seipsas certificant oculum de præsentiâ obiecti, ita species intuitiuæ infusæ certificant intellectum de præsentiâ obiecti. Sed nego antec. nam iudicare, non

Resp. est speciei, sed luminis. Ad probationem nego, species visibiles per seipsas certificare oculum de præsentiâ obiecti, sed vel dependenter ab alio sensu, vel à discursu intellectûs. Probatur: dari potest species visibilis de obiecto absente, quæ eodem modo obiectum repræsentet, ac si esset præsens, vt patet de specie visibili impressa in vitro multangulari; quæ idem obiectum repræsentat in pluribus locis, ac si in omnibus ijs esset præsens: nequit autem tunc oculus per solam speciem intuitiuam visibilem certior fieri de absentiâ obiecti in ijs locis, in quibus repræsentatur vt præsens: sed iuuari debet, vel sensu tactûs, non tangendo obiectum, vbi apparenter tantùm repræsentatur, vel intellectus discursu.

114. *Dices 2.* DICES 2. Iuxta tradita 1. *tom. disputat.9.sect.9.* in scientiâ beatâ species non distinguitur à lumine, sed eadem indiuisibilis qualitas simul determinat intellectum beati per modum speciei, & complet illum per modum habitûs ad Deum clarè videndum: ergo nec in scientiâ infusâ species distinguetur à lumine, sed poterit eadem indiuisibilis qualitas vtrumque præstare, & obiectum repræsentare per modum speciei, & potentiam complere per modum habitûs in ordine ad actum supernaturalem. quia non minus vna, quàm alia, est participatio scientiæ diuinæ. Nego conseq. nam Deus in producendis speciebus obiectorum, accommodat se, (quæ suauis est ipsius prouidentia) naturis rerum, supplendo actiuitatem illorum: vnde eo modo illas producit, quo modo producerentur ab ipsismet obiectis: atqui ab obiectis creatis non producerentur species simul identificatæ cum lumine, potentiam complente, sed solæ species obiecta ipsa repræsentantes. nam vel obiecta ipsa non continent huiusmodi lumen, potentiæ completiuum, adeoque illud producere nequeunt: vel si continent, vt sunt habitus supernaturales infusi, quorum etiam species infusas anima Christi habet, non tamen sunt alterius luminis productiui. Ratio: habitus infusi sunt ad instar potentiarum immanentium, quarum sunt supernaturalia complementa: potentiæ autem immanentes nullam habent suâ naturâ virtutem ad producendam aliam potentiam sui similem, sed solùm sunt principia ad internos immanentesque actus eliciendos. Igitur nec Deus supplens actiuitatem illorum in productione ipsarum specierum in animâ Christi, debet eas producere identificatas cum lumine, seu habitu complente Christi intellectum in ratione potentiæ. Contrà verò Deus, cùm producit in intellectu beati speciem sui, non supplet actiuitatem rei naturaliter impotentis ad producendum simul cum specie sui lumen etiam completiuum potentiæ, sed ipse est principalis & immediata causa talis speciei, qui cùm sit etiam potens producendi lumen illud etiam simul cum specie, ambo in vnâ ratione identificatâ producit: sic enim scientia beatifica creata perfectiùs conformatur scientiæ beatificæ increatæ. *115. Resp.* *Ratio.*

Instas: ergo nec deberent naturaliter potentiæ, & habitus supernaturales infusi, posse producere species repræsentatiuas sui: quia potentiæ immanentes, & habitus infusi nullius rei sunt productiui extra proprium suppositum, in quo sunt. Nego consequentiam, nam sicut omne ens per se est intelligibile, ita omne ens per se postulat virtutem, quâ possit determinare intellectum ad cognitionem sui. At non omne ens est productiuum potentiæ intellectiuæ, vel complementi potentiæ intellectiuæ extra propriam naturam, nisi solus Deus: ergo omne ens, atque adeò etiam potentiæ immanentes per se exigunt, vt per speciem intelligibilem sui determinare valeant intellectum ad cognitionem sui; non autem, vt per productionem luminis, seu habitus complere possint alienum intellectum, in ratione potentiæ formaliter. Ex his patet ad probationem consequentiæ non ideò formaliter in scientia beata species identificatur cum lumine, quia simpliciter est participatio scientiæ diuinæ, sed quia est participatio de obiecto potente ad vtrumque producendum: contrà verò scientia infusa non est de obiecto naturaliter potente ad vtrumque producendum, sed tantùm ad vnum, nempe ad intentionalem repræsentationem sui per speciem intelligibilem. *116. Instat.* *Resp.* 117.

Ad fundamentum. *Vasquez*, nego minor. nam in ipsa intellectione supernaturali duplex consideratur concursus supernaturalis diuersæ rationis, alter ex parte potentiæ, alter ex parte obiecti. Sicut in intellectione naturali duplex etiam concursus naturalis concipitur, alter ex parte potentiæ, alter ex parte obiecti, qui conuenientes in ratione cõcursus naturalis vel supernaturalis, differunt in ratione *118. Ad Fundam. Vasquez.*

tione talis vel talis concursus. Nam alter est proprius potentiæ, alter proprius speciei: licet non sit necesse, vt hi concursus distinguantur in actu, sed sufficit, vt distinguantur in principio, à quo proficiscuntur. Vnde ad probationem concedo, in actu intellectionis supernaturalis esse vnam rationem supernaturalitatis, eam tamen esse eiusmodi, vt necessariò requirat duplicem causam supernaturalē, vtramque completam in suo genere. Sicut in quouis effectu naturali est vna ratio naturalitatis, quę necessariò requirit duplicem causam naturalem 1. & 2.

119. *Dices.* DICES. Species intelligibilis, etiamsi vitalis non sit, coniuncta cum potentiâ vitali attingit vitalitatem actus: ergo potentia naturalis, etiamsi supernaturalis non sit, coniuncta cum specie supernat. attingere poterit supernaturalitatem actus, absque alio complemento supernat. Nego conseq. quia species non debet concurrere vitaliter, & ideò necesse non est, vt ipsa sit intrinsecè vitalis: potentia verò debet ipsa effectiuè concurrere ad actum vitalem, ideoque postulat, vt ipsa sit completa non solùm in ratione vitæ, sed etiam in ratione principij effectiui. *Resp. ratio discriminis.*

Quotuplex sit lumen scientiæ infusæ?

120. *1. Sentent.* PRIMA sententia affirmat esse vnum: *Richardi in 3. dist. 14. art. 3. quæst. 4. Marsilij quæst. 10. art. 2. part. 4. concl. 2. Medina 3. p. qu. 11. ar. 6. Suarez disputat. 29. sect. 3.* Fundamentum: possunt per vnum lumen cognosci res naturales & supernat. sicut possunt per vnum lumen fidei credi res naturales & supernat. *Fundam.*

121. *2. Sentent.* SECVNDA affirmat, tot esse lumina, quot sunt species intelligibiles supernaturales diuersas naturas specificas repræsentantes: *Argent. in 3. dist. 14. qu. vn. art. 4. concl. 2. Cabre. 3. part. quæst. 11. art. 6. disp. 6.* Fundamentum: diuersitas luminum colligitur ex diuersitate specierum, quæ sunt adæquata principia determinantia intellectum ad actus specie diuersos; in scientiâ autem infusâ sunt diuersæ species supernaturales, repræsentantes diuersas naturas specificas: ergo diuersa lumina. Confirm. in Christo sunt diuersæ virtutes morales: ergo & diuersi habitus scientifici. *Fundam. Confirm.*

122. *1. Assertio.* DICO 1. Non est vnum tantùm lumen scientiæ infusæ. ex *S. Thom. 3. part. quæst. 11. art. 6. ad 3. & in 3. dist. 14. qu. 1. art. 3. ad 1. qu.* vbi docet, lumen, quo cognoscuntur res supernaturales in hâc scientiâ, esse diuinitùs infusum; quo verò cognoscuntur res naturales, esse ipsum lumen naturale intellectus agētis. Fundamentum: in hâc scientiâ, vt constat ex *sect. 6.* est duplex genus specierum intelligibilium, naturalium & supernaturalium: ergo duplex lumen, naturale proportionatum speciebus & obiectis naturalibus, & supernaturale proportionatum speciebus & obiectis supernat. *Fundam.*

123. *2. Assertio.* DICO 2. lumen supernaturale in hac scientia non est multiplex, sed vnum. *S. Thom. ibidem* affirmante, lumen diuinitùs infusum, esse communem rationem intelligendi omnia, quæ diuinitus reuelantur. Fundamentum: lumen se tenet ex parte potentiæ; ergo est vniuersalius speciebus, quæ tantùm se tenent ex parte obiecti. Confirmatur: sicut lumen naturale, quo cognoscuntur res naturales, est vnum, etiamsi species naturales sint multæ & diuersæ; ita lumen supernat. quo cognoscuntur res supernat. erit vnum, etiamsi species supernat. sint multæ & diuersæ. *Fundam.*

124. *Ad Fund. 1. Sentent.* Ad fundamentum primæ, Esto per vnum lumē superius cognosci possint res naturales & supernat. congruentius tamen est, vt naturales per naturale, supernaturales per supernaturale cognoscantur. Nec est eadem ratio de lumine fidei: nam hoc, tendit ad res omnes credendas sub vno formali motiuo authoritatis diuinæ; ideò debet esse vnum, ad quascunque res tendat: contrà verò lumen scientię infusæ tendit ad res sub propriâ ratione, vel naturalitatis vel supernaturalitatis earum; ideò quod tendit ad res naturales, debet esse naturale, quod tendit ad res supernat. debet esse supernaturale.

Ad fundamentum secundæ, neg. Maior: cùm enim lumen se teneat ex parte potentiæ, non debet subire eandem rationem formalem specificationis, quam subit species, quæ se tenet ex parte obiecti; sed potiùs specificationem, quam habet potentia, quæ est vniuersalior, potestque se extendere ad plura sub eadem ratione formali indiuisibili. Ad confirmationem, disparitas est, quia omnis potentia debet habere proximum determinatiuum ad actum; quia cùm ipsa sit causa vniuersalis & indifferens ad plures specie actus, non potest ipsa seipsam ad vnum potiùs specie actum, quàm ad alium determinare, sed eget proximo determinatiuo: quod in intellectu est species intelligibilis, in voluntate autem, cùm nequeat esse species, erit habitus; ideoq; in voluntate multiplicantur habitus virtutum, non in intellectu habitus, seu lumina scientiarum. 125. *Ad fund. 2.* *Ad confir.*

DICES. In intellectu multiplicantur habitus scientifici naturales: ergo & supernaturales. Nego conseq. nam habitus naturales generantur ex actibus, & in meâ sententiâ sunt species actuum præteritorum: habitus scientifici supernaturales non generantur ex actibus, sed sunt principia actuum, & consistunt in luminibus distinctis à speciebus, vt *sect. 9.* 126.

An lumen supernaturale scientiæ infusæ sit distinctum à lumine Gloriæ?

PRIMA sententia negat esse distinctum: *Suar. disputat. 29. sect. 4.* quia virtus, quæ de se potens est per se primò versari circa obiectum tale per essentiam, potens etiam erit versari circa tale per participationem: Charitas enim, quia per se primò tendit ad bonitatem increatam, versari etiam potest circa bonitatem creatam, quatenus participatio est bonitatis increatæ: sed lumen gloriæ de se potens est per se primò versari circa Deum, qui est ens supernaturale per essentiam: Ergo potens etiam erit versari circa quodcunque tale per participationem. Confirm. lumen gloriæ est sufficiens principium cognoscendi seipsum, & alia lumina sibi similia: ergo & reliquos effectus supernaturales qui sunt eiusdem ordinis cum lumine gloriæ. Antecedens probatur: omne lumen intellectuale clarum & euidens, est sufficiens principium seipsum cognoscendi, cùm non possit dari aliud lumen magis proportionatum ad seipsum cognoscendum. 127. *1. Sentent. Fundam.*

SECVNDA affirmat esse distinctum: Est communis, *vt Suar. ibidem* fatetur; Probatur: lumen glorię adæquatè specificatur à diuinâ essentiâ, & à creaturis in ea visis: est enim participatio luminis increati: ergo sicut hoc non potest directè & per se primò ferri ad creaturas, ita nec lumen gloriæ, quod est ipsius participatio. Confirm. implicat, lumen, aut potentiam aliquam ferri extra rationem formalem sui obiecti: sed ratio formalis obiecti luminis gloriæ est diuina essentia & creaturæ in ea visibiles: ergo implicat, illud ferri in creaturas extra diuinam essentiam 128. *2. Sentent. sequenda. Ratio.*

119. *Ad Fund. opposita sententia.* essentiam visibiles. Ad fundamentum oppositæ: concedo maior. quando quod est tale per participationem, aliquo modo participat rationem obiecti formalis; nego quando illam non participat. Quia igitur ratio formalis, per quam lumen gloriæ tendit ad creaturas, est diuina essentia visa in se, quā rationem participare non possunt creaturæ cognoscibiles in proprio genere, nequeunt illæ in proprio genere cognoscibiles esse obiectū luminis gloriæ. Vnde dispar est ratio de bonitate supernaturali creata; quia hæc participat formalem rationem obiecti charitatis, quæ est bonitas increata, quæ diligitur eodem actu, quo diligitur bonitas creata: non potest autem eodem actu, quo videtur creatura in proprio genere, videri Deus in seipso. Ad confirm. dist. antec. lumen gloriæ est sufficiens principium cognoscendi se, & cætera lumina in Verbo, concedo: extra Verbum, nego; extra quod cognoscuntur lumine infuso distincto. Ad probationem concedo, quodlibet lumen esse principium cognoscendi seipsum secundùm rationem formalem sui obiecti; cæterùm nego, lumen gloriæ vt cognoscibile extra Verbum, participare rationem formalem obiecti luminis gloriæ, ac proinde posse à seipso extra Verbum cognosci.

An Christus vti potuerit hac scientiâ sine conuersione ad phantasmata?

130. *1. Sentent. Fundam.* PRIMA sententia negat: *Durandi in 3. dist. 14. q. 3. num. 7.* Fundamentum: omnis perfectio recipitur iuxta modum & capacitatem recipientis; hæc scientia data est Christo vt Viatori, non vt comprehensori: nam data est illi loco prophetiæ, vt per eam homines doceret mysteria fidei, resque futuras: conditio autem Viatoris est, nihil intelligere, nisi per conuersionem ad phantasmata. Vnde infert, non potuisse Christum hâc scientiâ vti à principio suæ conceptionis, etiamsi in principio suæ conceptionis illam acceperit, quia cùm cōuersio ad phantasma, requirat actum phantasiæ, in quo relucet obiectum phantasiabile, ad quod conuertit se intellectus, cùm suum obiectum contemplatur; cumque actus phantasiæ requirat organum perfectum, quod in infantibus præ nimiâ humorum copiâ esse non potest, non potuit Christus habere vsum huius scientiæ, nisi in ætate ad discurrendum idonea.

131. *2. Sentent. longè probabilior.* SECVNDA affirmat: *S. Thom. 3. part. quæst. 11. art. 2. Caiet. Medin. Valent. ibidem punct. 2. Vasquez. disputat. 52. cap. 2. Suarez. disputat. 28. sect. 1. Palatij in 3. dist. 14. disput. 1. fine,* quam apertè supponunt omnes qui docent, vsum huius scientiæ habuisse Christum in instanti suæ conceptionis. Quæ longè probabilior est. *Fundam.* Fundamentum: necessitas conuertendi se ad phantasmata oritur ex naturali dependentia, & connexione, quam habent species intelligibiles ad phantasmata; ex eo, quòd sunt erutæ è phantasmatibus medio intellectu agente, ob quā dependentiam non potest intellectus humanus suum obiectum speculari, quin illud idem medio phantasmate corporeo speculetur phātasia: sed species infusæ nullam habent dependentiam & connexionem ad phantasmata, cùm sint propriæ rerū repræsentationes à solo Deo productæ, independenter à sensibus, & organis corporeis. Prob. 2. ex

132. *2. Ab absurdo.* opposita sententia sequeretur, non potuisse Christum mereri, nisi in ætate idoneā ad phantasmata formanda: quia cùm scientia beata, quā solâ *per Durandum* Christus vti poterat sine conuersione ad phantasmata, non possit esse regula actus meritorij, qui necessariò libertatem requirit in merente, si non potuisset statim habere vsum scientiæ infusæ, non potuisset statim in principio suæ conceptionis mereri; quod quamuis concedat *Durandus dist. 18. qu. 2. num. 7.* est contra omnes Doctores fundatos in authoritate *Pauli ad Hebr. 10.* vbi asseritur, Christus, statim hunc mundum ingrediens, se in sacrificium æterno Patri obtulisse, in eaque voluntate nos dicimur fuisse sanctificati: quod fieri non potuisset, nisi talis voluntas fuisset meritoria; cùm non alio modo nos Christus sanctificet, quàm merendo & impetrando nobis sanctitatem, quâ formaliter sanctificamur, vt *Triden.* docet *sess. 6. cap. 7.* quapropter *Medina* Durandi sententiam appellat periculosam.

133. *Censura sententia Durand.* Deducitur 1. Vsum huius scientiæ haberi posse in somno, & in amentia; cùm somnus non liget nisi sensus; & amentia non lædat nisi organa, cumque vsus huius scientiæ independens sit à sensibus & organis. 2. id quod cum *S. Tho. cit. loco* disputant Thomistæ: An saltem Christus in vsu huius scientiæ potuerit se ad phantasmata conuertere: si hoc 134. importat puram concomitantiam cognitionis infusæ cum actu phantasiæ, affirmo cum *S. Thom.* id fieri potuisse: si connexionem, vel dependentiam aliquam, vti sonat axioma, *Oportet intelligentem phantasmata speculari*, omnino nego ob rationem assignatam. 3. quâ ratione potuerit Christus liberè se determinare ad hæc potius scientiæ obiecta, quā ad alia intelligenda. Suppono cum communiori contra *Vasquez*, ob multitudinem, varietatemque obiectorū, diuersumque modum intelligendi, non semper Christi intellectum fuisse in adæquato actu huius scientię, sed modò fuisse in actu vnius, modò alterius obiecti iuxta suam libertatem. Ratio dub. quia nequit voluntas intellectum ad vsum vnius potius, quàm alterius obiecti applicare, nisi illius aliqua saltem confusa cognitio præcedat. Ad hoc igitur dicendum est, sat fuisse, scientiam beatam, quâ actu, & in se, aut saltem virtute & in causâ intuebatur in Verbo, quicquid per hanc scientiam habitu cognoscebat.

Aristotelicum axioma. 135.

136. *Ad Fund. Durand.* Ad fundamentum *Durandi,* Maior intelligenda est, quando perfectio, quæ communicatur subiecto, est capax naturalis modi operandi ipsius subiecti; secus quando non est capax naturalis modi operandi subiecti. Alioquin neque scientia beata communicari posset Viatori, quia hæc in omnium sententia independens est à phantasmatibus: licet igitur non possit Viator per scientiam acquisitam, nisi per conuersionem ad phantasmata intelligere, non tamen sequitur, non posse per scientiam infusam, quæ independens est à sensibus. Cùm enim hunc effectum non habeat scientia infusa, non poterit illum communicare subiecto: quo fit, vt etiamsi hæc scientia data sit Christo vt Viatori ad operationes meritorias exercendas, non sequitur, quòd illa dari debuerit cum conuersione ad phantasmata.

An hæc scientia sit discursiua?

137. *1. Sentent. Fundam.* PRIMA sententia affirmat: *Alensis 3. part. qu. 13. memb. 5. Durandi in 3. distinct. 14. quæst. 3. num. 7. Mayronis quæstione 4. concl. 3.* Fundamentum: Christus hanc scientiam accepit accommodatam modo cognoscendi humano, qui est, vnum ex alio deducere, seu discurrere. Cæterùm duplicem hi distinguunt discursum: alterum, quo ex noto decur-

decurrimus ad ignotum simpliciter: alterum, quo ex noto decurrimus ad ignotum secundùm quid. Primum negant scientiæ infusæ Christi, nam per eam Christus omnia saltem habitu sciebat: Concedunt secundum, quia poterat ex vno actualiter noto ad aliud actualiter tantùm ignotum discurrere. Vel, vt *Alensis* explicat, ex vno noto secundùm vnum modum, ad aliud ignotum secundùm alium modum, vt cùm quis ex cognito à posteriori & per *quia*, mouetur ad incognitum à priori, & *propter quid.* Confirmat *Durandus*, quia non omnia simul actu per hanc scientiam intellectus humanus Christi considerabat: ergo quando ex vno actu considerato recurrebat ad aliud actu considerandum, discurrebat.

Confirm.

138. *2. Sentent.* SECVNDA docet, scientiam infusam in Christo perse non fuisse discursiuam, potuisse tamen eâ Christum vti cum discursu ad libitum suæ voluntatis: *S. Th. 3. p. q. 11. a. 3. Medin. ibid. Caiet. a. 4. Valent. pu.* 2. Fundam. licet hæc scientia naturâ suâ non sit discursiua, cùm nō sit acquisita discursu, sed cælitùs infusa potest esse discursiua ratione subiecti, in quo est. Confir. *S. Tho.* ex illo *Matth.* 17. vbi interrogante Christo, à quibus reges terræ tributum acciperent, à filijs proprijsne, an ab alienis? & respondente Petro, ab alienis: discursiuè conclusit Christus; *ergo liberi sunt filij.*

S. Thomas. Fundam. Confirm.

139. *3. Sentent. quæ probabilior est.* TERTIA absolutè negat, hanc scientiam esse discursiuam: *Bonauent. in 3. dist. 14. art. 3. qu. 2. Richar. art. 4. quæst. 3. Argent. quæst. vn. ar. 4. ad 3. con. 3. concl. Vasquez disp. 52. cap. 3. Suarez disp. 28. sect. 2.* & sequitur ex opinione eorum, qui dicunt, hanc scientiam in Christo semper fuisse in actu 2. adæquato. Quæ probabilior est. Fundam. hæc scientia consistit in speciebus proprijs, & intuitiuis rerum, & in lumine infallibiliter inclinante intellectū ad veritates cognoscendas: *vt sect.* 7. repugnat autem discursus cum speciebus proprijs & intuitiuis rerum: nam discurrere, est ignotum ex noto deducere. Duo igitur discursus essentialiter supponit, non æquè discurrenti nota, alioquin non deduceret vnū ex alio, sed vtrumque simul æquè primò cognosceret: hoc autem est contra perfectionem huius scientiæ, quæ omnia repræsentat per species proprias. Confirm. Ideò nos per scientiam acquisitam discurrimus, quia non omnia nobis repræsentantur per species proprias, sed per alienas; per speciem namque accidentis arguimus substantiam, per speciem proprietatis essentiam: ergo qui habet proprias species accidentis & substantiæ, proprietatis & essentiæ, non discurrit ex accidente ad substantiam, & ex proprietate ad essentiam, sed vnico intuitu vtrumque simul cognoscit. Nec ad discursum sat est, vnum cognoscere post aliud, vel comitanter cum alio; alioquin semper angeli discurrerent, quoties ex vnâ cognitione transirent ad aliam: vel per vnum actum cognoscerent duo obiecta simul: est igitur ad discursum necessarium, vt vnum arguatur ex alio.

Fundam.

140. *Confirm.*

141. *Duo ad discursum necessaria.* Vnde duo sunt ad discursum necessaria. 1. vt sint duo conceptus formales realiter distincti. 2. vt vnus causetur ex alio, siue inferatur ex alio, quod fit, quando vnum obiectum non repræsentatur per propriam, sed per alterius speciem. Defectu primæ conditionis, notitia, quâ per hanc scientiā anima Christi cognoscit Deum in effectis, non est discursiua: quia licet Deus non repræsentetur propriâ, sed alienâ specie, non tamen cognoscitur distinctio, sed eodem actu, quo cognoscitur effectus ipse; quamuis respectu effectus sit intuitiuus, respectu causæ abstractiuus: de ratione autem discursus est, vt vna notitia inferatur, vel causetur ab alia. Defectu secundæ, non est discursus, quo angelus vno conceptu intuetur substantiam, alio accidens: quia licet sit diuersitas conceptuum, non tamen est illatio vnius ex alio.

Ad fundamentum primæ, disting. maior; accepit hanc scientiam Christus accommodatam modo cognoscendi humano, vt alligato sensibus, nego; vt apto etiam cognoscere independenter à sensibus per proprios, & quidditatiuos rerum conceptus, concedo. Etenim sicut illam non accepit per conuersionem ad phantasmata, ita nec per discursum. Ad minorem concedo; modum cognoscendi humanum, vt alligatus est sensibus, esse, vt vnum ex alio deducat, cùm per sensus non valeamus proprias rerum species nobis comparare. Cæterùm secundus modus discursus, ab authoribus primæ sententiæ assignatus, impropriè est discursus. 142. *Ad fundamentum primæ.*

Ad fundamentum secundæ, nego, Christum potuisse per hanc scientiam discurrere: quia discurrere supponit, vt probatum est, imperfectionem in speciebus. Vnde sicut non est in libertate Christi, mutare species sibi infusas; ita nec illis per discursum vti, cùm talis vsus supponat species non esse proprias, & intuitiuas rerum. Ad Confirmationem, nego, ex *citat. loco* intentum colligi; tum quia potuit Christus talem discursum formare per scientiam acquisitam: tum quia potuit esse discursus voce tantùm explicatus, non mente formatus, vt se auditoribus accommodaret. 143. *Ad fund. secundæ.*

An scientia infusa Christi sit perfectior scientia Angelorum?

PRIMA sententia absolutè negat; quam tamen apud neminem legi. Fundamentum: hæc scientia communicata est animæ Christi commensa intellectui humano: sed intellectus humanus Christi est imperfectior angelico: ergo & scientia infusa ipsius scientiâ infusâ angelorum. 144. *1. Sentent. Fundam.*

SECVNDA absolutè affirmat: *Bonauent. in 3. dist. 14. art. 3. quæst. 2. ad vlt. Richar. art. 4. qu. 2. fine corp. Marsily quæst. 10. in 4. parte articul. 2. post 2. concl. Suarez 3. parte disputat. 29. sect. 1. Vasquez disput. 52. cap. 4.* Fundamentum: perfectio, vel imperfectio scientiæ non est attendenda ex conditione subiecti, cui communicatur, sed ex naturâ luminis & specierum, in quibus formaliter consistit: sed perfectius lumen & species intelligibiles infusæ sunt intellectui humano Christi, quàm angelorum: ergo. 145. *2. Sentent.* *Fundam.*

TERTIA distinguit de perfectione quoad numerum, certitudinemque scitorum, & quoad modum ipsum cognoscendi. Quoad 1. affirmat; negat quoad 2. *S. Thom. 3. p. quæst. 11. artic. 4. & 6. Caiet. & Medin. ibidem: Argent. in 3. distinctione 14. qu. 1. art. 4. ad 1. con. 2. concl.* Fundamentum: licet plura obiecta, perfectiusque lumen communicatum sit animæ Christi, species tamen communicatæ sunt minùs vniuersales, quàm angelis, vtpotè commensæ intellectui imperfectiori. 146. *3. Sentent.* *Fundam.*

QVARTA distinguit scientiam infusam habitualem, & actualem; & hanc rursus in abstractiuam & intuitiuam, docetque, quoad habitualem & actualem abstractiuam, scientiam infusam Christi esse, vel certè esse posse perfectiorem angelicâ, secus verò quoad actualem intuitiuam: *Scots in 3. distinct. 14. quæst. 4. Lyche. ibidem.* Fundamentum *Scoti:* 147. *4. Sentent.* *Fundam.*

Scoti: ad scientiam actualem intuitiuam non concurrit species, sed obiectum præsens cum intellectu; sed intellectus imperfectior cum eodem obiecto imperfectiorem elicit cognitionem: ergo cùm intellectus humanus Christi sit imperfectior angelico, cum eodem obiecto præsente imperfectiorem eliciet cognitionem intuitiuam. Ad abstractiuam verò non concurrit obiectum, sed species: potest autem species indita animæ Christi esse perfectior specie angelicâ: ergo poterit cognitio abstractiua animæ Christi esse perfectior scientiâ abstractiuâ angelorum: quia vbi deficit potentia, supplet species perfectior. De scientiâ autem habituali probat: quia illa consistit in speciebus: probabile autem est, animæ Christi infusas esse species perfectiores. Notanda est duplex scientia infusa per se; altera ordinis supernat. altera naturalis.

148. *Assertio.* ASSERTIO. Perfectior est scientia infusa supernaturalis Christi, quàm angelorum; contra verò perfectior est scientia infusa naturalis angelorum, quàm Christi. *Fundam.* Fundamentum: lumen infusum supernaturale perfectius est in Christo, quàm in angelis: ergo & species tali lumini proportionatæ. Sed scientia infusa supernaturalis consistit in lumine, & speciebus: ergo. Contrà verò lumen naturale perfectius est in angelis, quàm in Christo: ergo & species tali lumini correspondentes: ergo scientia infusa naturalis perfectior est in angelo, quàm in Christo. *Ratio à priori.* Quia sicut anima Christi ratione vnionis hypostaticæ superat angelos, quoad dona gratuita; ita ratione propriæ naturæ, quoad dona naturalia superatur ab illis. *Explicatur S. Thomas.* Iuxta hanc duplicem scientiam infusam explicatur Sanctus Thomas.

149. *Ad Fund. aliarum sentent.* Fundamentum primæ tantùm concludit de scientia infusa ordinis naturalis, nam hæc sola commensuratur capacitati naturali intellectus humani Christi; non autem de scientiâ infusâ ordinis supernaturalis, quæ commensuratur capacitati obedientiali. Ad fundamentum secundæ, minor concedenda est, quoad lumen & species ordinis supernaturalis, non quoad lumen, & species ordinis naturalis. Fundamentum tertiæ tantùm probat de lumine, & speciebus ordinis naturalis.

150. *Ad fund. Scoti.* Fundamentum *Scoti*, quoad scientiam intuitiuam actualem, falsum supponit, nempe eam non causari à specie, sed ab obiecto. Nam scientia intuitiua est, quæ est per proprium conceptum quidditatiuum rei, ad quem sufficit propria ipsius species.

DISPVTATIO XXI.

De scientia acquisita Christi.

An Christus habuerit scientiam acquisitam, proprijs actibus comparatam, vel à Deo per accidens infusam?

1. HACTENVS de scientia beata & infusa Christi, quæ est propria Comprehensoris, & animæ separatæ, quæ res in proprio genere intelligit per species intuitiuas, à phantasmatibus independentes, à solo Deo inditas, similes ijs, quas Deus indidit angelis ab exordio creationis ipsorum. Disputandum de acquisita; quæ in eo ab infusa discriminatur, quòd acquisita sit per species alienas abstractiuas, in vsu à sensibus dependentes, & propria animæ coniunctæ corpori mortali. *Fuit in Christo scientia acquisita. Fundam.* Quam scientiam, præter beatam & infusam, fuisse in Christo, constans est omnium Theologorum, & Patrum sententia. quia in Christo vt in comprehensore, & viatore simul, non solùm debuit esse scientia propria animæ separatæ ac beatæ, sed etiam coniunctæ corpori mortali. Nam sicut in eodem fuerunt ceteræ operationes humanæ, Viatoris propriæ, vt crescere, augeri dependenter ab alimento, loqui in ætate idoneâ, moueri cum defatigatione corporis, ita & intelligere dependenter ab organis & sensibus, cum labore & consumptione spirituum. Etenim sicut priores operationes testabantur in Christo veri corporis humani mortalitatem, quam pro nobis mortalibus assumpsit; ita & posteriores veram animæ humanæ mortali corpori coniunctæ naturam. Atque hanc veritatem ad fidem proximè spectare censeo, ex vniuersali illo principio, in varijs Concilijs definito, quòd in Christo sint geminæ operationes, diuinæ & humanæ naturæ propriæ. Nam quæ humanæ naturæ Viatrici ac mortali magis propria operatio, quàm intellectio à sensibus & organis dependens? Nam licet controuersum sit, an hæc scientia sit diuersa ab infusa, nemo tamen Scholasticorum negat, animam Christi in hac vita intellexisse per intellectionem dependentem à sensibus & organis corporeis, cùm hæc sit propria operatio hominis passibilis ac mortalis, quam fuisse in Christo Concilia testantur.

2. *An scientia acquisita Christi fuerit proprijs actibus & labore comparata.* Sola concertatio est, An hanc scientiam acquisitam Christus habuerit proprijs actibus, & labore comparatam: An à Deo per accidens habitualiter infusam. Nam etiamsi hæc scientia possit proprijs actibus scientis comparari, non repugnat tamen, illam à Deo infundi, cùm eâ dependentiâ in repræsentando à phantasmatibus, quam habuisset proprijs actibus comparata: sicut illa infusa fuit protoparentibus, & Salomoni, qualem ipsimet proprio labore sibi comparare potuissent, per species abstractiuas è phantasmatibus erutas, dependentes in repræsentando à sensibus.

3. *Scientia acquisita experimentalis seu memoratiua fuit in Christo.* Duplex distinguenda est scientia acquisita: Alia memoratiua, seu experimentalis, quæ est habitus pluribus experimentis, seu actibus circa singularia, sensibus percepta. Alia discursiua circa vniuersalia. De priore constat apud omnes, fuisse in Christo proprijs actibus comparatam. Nam quando Christus cognoscebat singularia per sensus, eadem cognoscebat per intellectum: ergo sicut interior sensatio relinquebat sui speciem in sensu, ex quâ fiebat memoria sensitiua, ita intellectio relinquebat sui speciem in intellectu de eodem obiecto sensu percepto, ex quâ gignebatur memoria intellectiua. Est enim naturale intellectui vt dum sensus suum obiectum percipit, illud idem percipiat intellectus; quæ intellectiua obiecti perceptio, quia naturaliter relinquit sui speciem, necessariò generat memoriam intellectiuam, de quâ ad Hebr. 5. *Didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam.* De posteriore verò, qui putant, scientiam infusam, & acquisitam non discriminari, negant hanc fuisse in Christo proprijs actibus comparatam, sed ab initio acceptam. Ita sanctus Thomas *in 3. distinctione 14. quæstione 1. articulo tertio ad primam quæstionem, Bonauentura articulo tertio quæstione secunda, Duran. qu. quarta*, &c. Controuersia est inter eos, qui huiusmodi scientias distinguunt.

4. *De discursiua acquisita. 1. Sentent.* PRIMA Sententia *Richar. in 3. distinctione 14. articulo 3.*

culo 3. quæstione 2. Paludani quæstione 2. fine, Lirani in 2. Lucæ, IESVS proficiebat sapientiâ & ætate: & in 5. caput ad Hebr. in illa, Didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam: Suarez disputatione 30. sectione 2. affirmantium, illam Christum habuisse infusam per accidens.

5. Eandem docere videntur illi Patres, qui citata Lucæ 2. exponunt de incremento sapientiæ solùm secundùm apparentiam, & opinionem hominum, quos citatos habes disputatione 16. sectione 1. quibus adde Anselmum libr. 1. Cur Deus homo, cap. 9. vbi explicans locum Pauli, Didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam, sic scribit: Verbum, quod propositum est, didicit, duobus modis intelligi potest. Aut enim, didicit, dictum est pro eo, quod est, alios discere fecit: Aut quia quod per scientiam non ignorabat, experimento didicit: Et Nazian. oratione in laudem Basilij: Ille, inquit, vt ætate & sapientia, & gratia proficiebat, non quod hæc in illo incrementum caperent, (quid enim illo, quod à principio perfectum est, perfectius esse potest?) sed quod paulatim patefierent & elucerent.

6. *Rationes huius sententiæ.* Probatur 1. hic modus habendi scientiam, est perfectior. Christus autem ab instanti suæ conceptionis fuit quoad omnes proprietates naturæ humanæ perfectissimus; ergo ab instanti conceptionis habuit illam. 2. hanc scientiam habuit Adam in ipso momento suę creationis; ergo à fortiori illam habuit Christus. 3. Christus ab initio habuit omnes virtutes morales infusas, etiam ordinis naturalis; ergo etiam scientias. tum à paritate rationis: tum quia inter virtutes morales est prudentia, à qua reliquæ virtutes in operando proximè regulantur: prudentia autem supponit notitiam speculatiuam principiorum, & conclusionum. 4. Christus ab initio vti potuit ratione, non modò in actibus supernaturalibus, verùm etiam in naturalibus: ergo ab initio debuit esse instructus omnibus scientijs, etiam naturalibus. 5. vel hanc scientiam acquisiuit per disciplinam ab homine; vel per inuentionem à rebus. Primum dicit dependentiam ab homine; secundum à rebus: vtrumque repugnat perfectioni Christi: ergo. 6. sequeretur, hanc scientiam fuisse in Christo imperfectam, cùm non potuerit in totâ suâ vitâ Christus acquirere sibi species omnium rerum.

7. *2. Sententia.* SECVNDA docet, hanc scientiam fuisse Christo à Deo infusam, non ab exordio suæ conceptionis, sed in adulti ætate; non totam simul, sed progressu temporis, prout organum phantasiæ, quæ ad vsum huius scientiæ concurrere debebat, successiuè disponebatur ad phantasmata formanda: ita vt in qualibet ætate habuerit scientiam omnium earum rerum, quæ in tali ætate homini inesse poterat.

8. *Saluat duo.* HANC docent Recentiores aliqui, vt saluent, quo pacto in hac scientia verè profecerit, iuxta illud Lucæ 2. IESVS proficiebat sapientiâ & ætate: Ex alia verò parte, & quòd Christus in hac scientia fuerit ita perfectus, vt à nullâ creaturâ doceri potuerit. Saluatur primum: nam in hac sententia iuxta varia ætatis incrementa, varia accipiebat incrementa huius scientiæ, quæ singulis ipsius ætatibus respondebant. Saluatur secundum: nam in quauis ætate tantum Christus accipiebat huius scientiæ incrementum, quantum in ea ætate sibi conueniens & possibile foret. Quo fit vt nunquam fuerit in tali dispositione, vt ab aliqua creatura in hac scientia doceri potuerit: cùm in nulla ætate fuerit alicuius incrementi huius scientiæ capax, quod illi diuinitùs infusum non fuerit.

9. *Confirm.* Confirmant: etiam in hâc scientiâ debuit anima Christi superare cęteros homines: non superâsset autem Adamum, Salomonem, & multos Prophetas, si non nisi tantum huius scientiæ incrementum habuisset, quantum proprio studio sibi in vita mortali acquisiuisset: cùm non potuisset tam breui tempore, tot species rerum sibi per sensus comparâre, quot isti à Deo infusas acceperunt; cùm non nisi paucorum obiectorum experimentalem notitiam in hac vita Christus habuerit.

Hanc sententiam confirmant Athanas. libro quarto contra Arianos fine, & Cyrill. Alexandrin. libro decimo thesau. cap. septimo. ille sic: Non sapientia, quatenus ipse sapientia est, progressus fecit: sed humanitas in sapientia proficit, transcendens paulatim humanam naturam, deificata nimirum, & organum sapientiæ facta, vt per eam suam energiam exerceret, sapientiaque inde elucеret, omnibusque innotesceret. Iste verò sic: Naturalis quædam lex facit, vt non subitò, nec in breui tempore, sed paulatim secundum profectum corporis, in sapientia etiam, omniq; virtute homo proficiat. Verbum igitur Dei, quod factum caro describitur, quamuis sapientia & virtus perfecta patris sit: tamen quoniam se verè factum hominem oportebat ostendere, non præter naturam hominum, sed secundum naturam paulatim crescente corpore, paulatim quoque sapientior videbatur. Occultam igitur sapientiam suam paulatim reuelabat, legem naturæ nostræ secutus. Et paulò pòst explicans modum, quo naturæ assumpta proficiebat in sapientiâ Verbi: Assumpsit, inquit, sapientia Dei, hoc est filius Dei, nostram naturam, paulatimque tum verbis, tum factis Deificationem assumpti hominis reuelans, proficere ipsum reuelando faciebat. Et sic ipsa natura proficiebat in sapientia, in qua erat Deificata. 10. *Probatur hæc opinio auctoritate Athanasij, & Cyrilli Alexand.*

TERTIA absolutè negat, hanc scientiam accepisse animam Christi à Deo infusam, sed illam proprijs actibus progressu temporis sibi comparâsse: S. Thomæ tertia parte quæstione 12. articulo primo & secundo, Caietani & Medina ibidem, Burgensis in secundum Lucæ: Iesus proficiebat sapientia & ætate. Vbi etiam refutat argumenta Lirani Postillatoris, Argen. in 3. distinctione 14. quæstione 1. articul. 4. conclusione 3. Palatius disputatione 2. Vasquez tertia parte disputatione 55. à ca. secundo, Quæ sententia probabilior. 11. *3. Sententia probabilior, Scripturæ, Patribus, Concilijs, & veritati conformior.*

Est conformior scripturæ: nam hæc absolutè tribuit Christo profectum in scientia, Lucæ 2. Iesus proficiebat sapientiâ, & ætate: vbi eodem modo dicitur profecisse sapientia, ac ætate, vt Ambrosius notauit libro de Incarnatione cap. 7. at ætate profecit, verum carnis augmentum acquirendo; ergo & sapientiâ, verum humanæ scientiæ incrementum; proprijs actibus & labore sibi comparando. Hebræorum 5. Et quidem cùm esset filius Dei, didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam. Quibus aliquam scientiam per experientiam obediendi accessisse, Christo in tempore, quam non habuit ab initio suæ conceptionis, manifestum est, vt Patres & Interpretes omnes testantur. Isaiæ 8. Antequam sciat puer (sermo est de Christo) vocare Patrem suum, & matrem suam, in quem locum Hieronymus: Cumque, inquit, ex parte nunc videat, & ex parte prophetet, priusquam possit esse perfectus. & meritò vocare Deum Patrem, & Matrem suam cælestem Hierusalem, adhuc in infantia, & in profectu positus &c. Ex quo colligit profectum Christi non modò in externâ facultate vocandi Deum Patrem, & Matrem suam cælestem Hierusalem, sed etiam in internâ scientiâ cognoscendi. 12. *Probatur auctoritate scripturæ.*

Est cōformior Patribus, qui passim in hâc scientiâ profectum tribuunt Christo Domino. Ambros. 13. *Probatur auctoritate Patrum.*

libro

libr. citat. de Incarnatione cap. septimo explicans allata verba Lucæ, *Quomodo*, inquit, *proficiebat sapientia Dei? doceat te ordo verborum. Profectus ætatis, & profectus sapientiæ, sed humana est. Ideo ætatem ante præmisit*, (sic enim ipse legit, IESVS *proficiebat ætate & sapientiâ*, non vt cum Hieronymo Vulgata vertit, *sapientia & ætate*) *vt secundùm hominem crederes dictum. Ætas enim non diuinitatis, sed corporis est. Ergo si proficiebat ætate hominis, proficiebat sapientia hominis. Sapientia autem sensu proficit, quia à sensu sapientia.* August. *libro tertio contra Maxim. cap.* 23. *fine* ita scribit: *Legimus quidem, quod Iesus proficiebat ætate & sapientiâ: & gratia Dei erat in illo: secundùm formam hominis, quam pro nobis accepit ex nobis, non secundùm formam Dei, in qua non alienum arbitratus est, esse æqualis Deo. Verumtamen etiam in ipsa forma hominis legimus eum ætate & sapientiâ profecisse: non tamen, vt ex non bono bonus fieret, credendo meruisse.* Fulgentius *libr.* 1. ad *Trasimundum capit.* 8. vt ostendat, in Christo veram fuisse animam rationalem: *Anima igitur humana*, inquit, *quæ rationis capax naturaliter facta est, bonum malumq; in infante Christo nesciisse dicitur, quæ secundùm Euangelicam veritatem, in Puero Iesu sapientia & gratia profecisse narratur*: qui sic ex verbis euangelicis concludit: *Nam sicut carnis est, ætate proficere: sic animæ, sapientia & gratiâ profecisse.* Euthymius in 2. Lucæ: *Tanquam puer*, inquit, *lege humanæ naturæ paulatim proficiebat.* Beda *citat. à Glossa in eumdem Luca* 2. *Sicut est carnis, ætate proficere, sic est animæ rationalis, sapientiâ & gratiâ proficere. Non quod hoc eguerit susceptor Deus, præsertim cùm suprà plenus fuisse sapientia describitur, sed quia hoc pro remedio nostræ salutis suscipere elegit, vt cùm caro, & anima rationalis à Deo suscipitur, vtraque pariter saluetur.* Laurentius Iustin. *libr. de casto connub. Verbi cap.* 10. hanc sententiam expressit: *Sic mediator noster plenam de dolorum natura, de qualitate tentationum, & huiusmodi habebat notitiam. At vbi eadem expertus est, quædam vt homo didicit, quæ prius tanquam inexpertus nesciebat.* Et paulò pòst concludit. *Itaque ex sensu & scientia, perfectam vt purus homo eorum, quæ ad humanitatem attinent, possedit notitiam.*

August. *Fulgen.* *Euthymius.* *Laurentius Iustinianus.*

14\. *Probatur ex Concilijs.* Eadem est conformior Concilijs: nam *Ephesinum in* 1. *part. orat. Cyrilli Alexand. de recta fide*, admittit in Christo humanæ sapientiæ profectum. Eundem profectum admittit *in* 3. *part. in quodam Scholio Cyrilli de Vnigeniti Incarn. capit.* 13. *fine*; *Ergo corporale quidem est augmentum: & profectus gratiæ & sapientiæ humanitatis magis mensura conuenit: ipsum verò Deum Verbum per suam naturam perfectissimum confitemur, non egenum profectus, non sapientiæ, non gratiæ.*

15\. *Probatur ratione.* Demùm quòd hæc sent. sit veritati conformior, prob. meliùs, ac magis propriè in Christo saluat propriam operationem humanam intellectiuam, quæ consistit, vt illa procedat ab homine iuxta cursum & legem naturalem, scilicet ab intellectu instructo specie intelligibili, abstractâ naturali virtute intellectûs agentis ex phantasmate, per exteriores sensus in phantasiam transmisso.

16\. At occurrunt: ad intellectionē humanā Christi concurrisse ipsius intellectum agentem, abstrahendo speciem intelligibilem ex phantasmate, non quidem per sensus externos in phantasiam transmisso, sed immediatè à Deo producto. Putant enim, non species intelligibiles, sed phantasmata progressu tēporis fuisse in animâ Christi à Deo producta, vt saluent, ad talem intellectionem concurrisse etiam intellectum agentem natiuâ suâ virtute, per naturalem speciei abstractionem. Sed contrà: licet saluent naturalem actionem intellectûs agentis abstrahendi speciem intelligibilem ex phantasmate immediatè à Deo producto: haud tamen saluant naturalem actionem sensuum externorum transmittendi species sensibiles ex obiectis haustas in phantasiam, & ipsius phantasiæ naturalem actionem producendi phantasma expressum, excitatæ ab ipsa specie sensibili à sensibus externis naturaliter transmissa. Nam sicut iuxta 1. sent. non saluatur naturalis actio intellectûs agentis abstrahendi ex phantasmate speciē intelligibilem, quæ iam supponitur à Deo immediatè producta: ita nec iuxta secundam, saluatur naturalis actio phantasiæ producendi phantasma expressum, vt excitatæ & motæ à specie transmissa à sensibus externis; naturalisque actio sensuum externorum transmittendi in phantasma, cùm illud iam supponatur immediatè à Deo productum. 2. Aut humanus Christi intellectus vsus est hac scientiâ per accidens infusa in ipsa infantia & pueritia, aut tantùm in ætate adulta. Si secundum, frustra & otiosè illa ponitur infusa ab exordio conceptionis, quæ habitura non erat actum nisi in ætate adultâ. Si primum, iam hæc sententia nouum miraculum fingit absque necessitate; nam cùm ad vsum huius scientiæ necessariò concurrere debeat phantasia, quæ propter organi indispositionem non est in infantili ætate ad operandum idonea, absque necessitate fingitur miraculosè illa operata fuisse ante tempus idoneum. Confirmatur: hæc sententia non seruat eandem proportionem in sensibus internis, quæ seruata est in externis humanæ naturæ Christi. Nunquam enim Christus vsus est ministerio alicuius sensûs externi ante tempus & ætatem idoneam ad talem vsum: ergo nec putandum est, illum vsum fuisse ministerio alicuius sensûs interni ante tempus & ætatem idoneam ad talem vsum.

17\. 18. *Prima sententia impugnatur.*

19\. *Vtraque Sentent. impugnatur.* 3. Aut eorum obiectorum, quæ per sensus externos actu Christus cognouit, sibi species comparauit propriâ virtute intellectûs agentis; aut non, sed ad ea cognoscenda vsus est speciebus, vel phantasmatibus à Deo immediatè productis. Si secundum, iam contra naturæ leges vis infertur multis causis naturalibus, ne sua naturalia munia naturaliter agant: sensibus externis, ne in internos sensationis suæ speciem transmittant: internis, ne moti & excitati ab externis per speciei transmissionem naturaliter operentur: intellectui agenti, ne speciem intelligibilem eruat ex phantasmate expresso. Etenim sicut naturale est, vt præsente obiecto sensibili, ipsius species imprimatur in sensum externum; vt sensus externus obiecti specie excitatus sensationem eliciat: ita naturale est, vt sensus externus sensationis suæ speciem in internum transmittat; vt internus specie exterioris sensationis excitatus sensationem eliciat; vt intellectus agens ex interna sensatione phantasiæ intelligibilem speciem de quidditate obiecti abstrahat: tandem, vt intellectus possibilis, intelligibili specie instructus, intellectionem exprimat: cùm tamen in hac sent. vel omnes, vel aliquę ex his causis naturalibus à suo naturali munere peragendo, contra internum ipsarum impetum, cessare debuissent.

20\. *Quid si dicatur, propriâ virtute intellectus agentis comparasset* Si verò dicatur primum: tunc interrogo: aut species eiusdem obiecti, eruta ope intellectus agentis Christi ex phantasmate per externos sensus transmisso, est eiusdem rationis cum specie, vel à Deo immediatè infusâ, vel ex phantasmate immediatè à Deo producto abstractâ; aut diuersæ.

Non diuersæ: nam hæc scientia, etiamsi à Deo immediatè infundatur, est eiusdem rationis cum eâ; quam intellectus humanus proprio labore sibi compararet. Si eiusdem rationis; ergo dabuntur simul in eodem intellectu duæ species, duæque scientiæ eiusdem rationis de eodem obiecto; & consequenter alterutra erit naturaliter superflua & otiosa.

11. *Occurrunt Aduersarij.* Occurunt negantes, huiusmodi species, etiamsi sint eiusdem obiecti, fore otiosas: quia species cõparata proprijs actibus repræsentat obiectum cum ordine ad sensationem intuitiuè; infusa, cum ordine ad sensationem abstractiuè. Sed contrà; tum quia etiam species infusa repræsentat obiectum cum eodem intrinseco respectu ad sensationem, cum quo illud repræsentat acquisita. Quod autem acquisita repræsentet obiectum cum ordine ad sensationem actu præsentem, non tollit, quin etiam infusa, repræsentans obiectum cum ordine ad eandem sensationem actu non præsentem, sit intuitiua: nam ad speciem intuitiuam non requiritur præsentia obiecti, sed sufficit, vt sit propria ipsius obiecti, quod repræsentat. Cùm igitur Deus infundat speciem propriam illius sensationis, à qua abstracta fuisset, si proprijs actibus comparata fuisset, non minùs erit intuitiua, vt à Deo infusa, quàm proprijs actibus comparata. Tum quia totum id, quod dicit species à Deo infusa, includitur in specie proprio actu comparata; quæ repræsentat obiectum cum ordine ad externam sensationem, prout aliquando fuit præsens: *Repræsentatur ordo ad externã sensationẽ.* hæc autem repræsentatio est ordinis ad externam sensationem, quem includit etiam species à Deo infusa: ergo quicquid dicit species à Deo infusa, includit ut in specie proprio actu acquisita, licet hæc supra illam addat, quòd talis sensatio fuerit aliquando præsens.

12. *Alia resp.* Aliter respondere possent; eorum dumtaxat obiectorum species fuisse à Deo humano intellectui Christi infusas, quæ nunquam per externos sensus Christus fuisset percepturus, non autem eorum, quæ aliquando erat percepturus. *Contrà.* Sed contrà. hoc tantùm potest dici, vt saluent, quo pacto in Christo non fuerit talium obiectorum ignorantia: at hoc rectè saluatur per scientiam per se infusam, quâ eadem obiecta perfectiori modo Christus cognoscebat. Vnde non poterat dici habere ignorantiam illius rei, quam per altiorem nobilioremque scientiam perfectè cognoscebat. Sicut non dicitur Astrologus perfectè per causas cognoscens futuram eclypsim Lunæ, illam ignorare, ex eo tantùm quod illam eandem non cognoscat ex testimonio alterius.

13. *Dices.* Dices: *disputat.* 16. *sect.* 1. docui, ideò à principio suæ conceptionis communicatam fuisse Christo gratiam habitualem cum omnibus virtutibus infusis, quia debuit Christus habere omnem capacitatem obedientialem expletam, alioqui iuxta *Ioannem* non fuisset plenus *Gratiæ*: ergo à fortiori debuit etiam ab initio suæ conceptionis habere scientiam acquisitam, vt haberet omnem capacitatem naturalem expletam, alioqui nec dici posset plenus *veritatis*, cùm etiam scientia acquisita sit scientia veritatis. *Confirm.* Confirmatur, omnis perfectio debita humanitati Christi, quæ non repugnat fini Incarnationis, statim collata fuit Christo: sed scientia acquisita, ratione vnionis hypostaticæ, est debita humanitati Christi, & non repugnat Incarnationis fini: igitur statim in ipso conceptionis momento fuit illi collata.

Respondeo negando consequentiam, quoniam, vt *disput.* 16. *sect.* 1. gratia habitualis necessaria fuit in anima Christi, vt in eâ proximâ connaturalitate reciperentur & existerent virtutes infusæ, quæ necessariæ fuerunt in Christo ab exordio suæ conceptionis, ad actus supernaturales meritorios connaturaliùs, per principium scilicet completum intrinsecum, exercendos. Quam necessitatem non habuit scientia acquisita, quæ cùm sit ordinis naturalis, supponit principium intrinsecum completum ad illam exercendam. 2. quia cùm gratia habitualis nõ sit proprijs actibus creaturæ comparabilis, sed à solo Deo producibilis, non debuit expectari perfecta Christi ætas, cuius actibus acquiri posset, sed à Deo ipso momento Incarnationis produci: nam ipso momento fuit in Christo necessaria, vt proximum subiectum connaturale ad recipiendas virtutes infusas, quarum actus meritorios statim ab instanti suæ conceptionis cæpit Christus exercere. Contrà verò cùm scientia acquisita naturâ suâ poscat, proprijs actibus scientis gigni, & alioqui ad actus meritorios exercendos, Christo necessaria non fuerit, non debuit à Deo immediatè produci, sed proprijs actibus ipsius humani intellectus Christi successiuè comparari. 14. *Ratio discriminis duplex.* 15.

Vrges. Saltem gratia habitualis est comparabilis actibus meritorijs, & tamen ad maiorem Christi perfectionem, fuit illi infusa ante vllum meritum in ipso conceptionis exordio: ergo etiamsi scientia acquisita. Neg. consequentia. nam gratia, & virtutes infusæ ad actus meritorios prærequiruntur, vt principia per se necessaria ad substantiã ipsam actus supernaturalis sine quibus humanæ Christi facultates non essent simpliciter ab intrinseco potentes ad huiusmodi actus: Scientia verò acquisita non prærequiritur, vt principium per se necessarium ad actum talis scientiæ eliciendum; nam licet ad exercendum actum scientiæ acquisitæ prærequiratur species intelligibilis obiecti sensibilis, ad eam tamen acquirendam erat in Christo intrinseca & completa facultas, nempe intellectus agens ad illam eruendam ex phantasmate: phantasia ad expressum phantasma formandum: sensus externi ad species sensibiles ex obiectis sensibilibus hauriendas, easque in internos sensus transmittendas. Hinc fit, vt imperfectio fuisset in Christo, gratiam & virtutes infusas sibi promereri, per actum non procedentem à principio completo intrinseco: Nulla autem fuit imperfectio, per actus scientificos acquisitam scientiam sibi ex rebus ipsis comparare; cùm actus talis scientiæ supponat in Christo completum principium intrinsecum operandi. 16. *Vrgebis.* 17. *Resp.*

Instabis 1. Esto scientia acquisita non prærequiratur ad substantiam, prærequiritur tamen ad facilitatem actûs: ergo saltem propter hanc facilitatem debuit à principio infundi: cùm maior perfectio sit, exercere actum cum facilitate, quam sine facilitate. 2. potuit Christus per actum virtutis ordinis naturalis, qui completum principium intrinsecum in Christo supponit, gratiam & virtutes infusas supernaturales sibi condignè promereri: ergo propter hoc non fuit necessarium, habere illas infusas ante vllum actum meritorium. 18. *Instas 1.*

Ad 1. neg. conseq. nam operari cum difficultate, proueniente ex modo operandi humano, nullam notat imperfectionem priuatiuam, sicut talem imperfectionẽ notat, operari absque principio intrinseco cõpleto. Vnde videmus, cæteras functiones humanas Christum operatum fuisse cum omnibus ijs difficultatibus, quas tales functiones secũ naturaliter 19. *Resp. Ad 1.*

liter afferunt, vt ambulare cum defatigatione corporis, comedere cum esurie, cogitare tristia cum internâ animi molestiâ & dolore. Ergo etiam hos actus scientificos exercere voluit cum ea difficultate, quam secum naturaliter affert hæc humana scientia, ad maius meritum, & experimentum naturæ humanæ. Vnde illam exercuit cum consumptione & defectione spirituum, quæ per se laborem affert. igitur, licet fortasse fuisset maior perfectio physica, illos exercere cum facilitate; tamen fuit maior perfectio moralis, quæ ad meritum magis conducit, illos cũ difficultate exercere.

30. *Ad 2.* Ad 2. concedo, potuisse Christum per actum virtutis ordinis naturalis, qui completum principium intrinsecum in eo supponit, condignè sibi promereri gratiam, ac virtutes infusas: veruntamen nego, hoc fuisse Christo connaturale, sed violentum & contra internũ impetum supernat. quem ratione visionis, & amoris beatifici habebat, operandi omnia propter Deum. Vnde multi probabiliter opinantur, de quo *infrà*, non potuisse Christũ operari, nisi illud, quod iudicabat esse perfectius; & consequenter non nisi propter Deum summè dilectum, qui est modus operandi omnium perfectissimus: proinde nequibat exercere actum virtutis naturalis, nisi vt imperatum & directum à charitate.

31. *Vide nu. 23.* Ad prob. conseq. principalis argu. esto scientia acquisita, sit aliqua scientia veritatis; nego tamen, Christum non potuisse dici *plenum veritatis* ante scientiam proprijs actibus cõparatam: quia cùm omnes veritates quas per acquisitam sciẽtiam Christus comparere potuisset, perfectiori modo haberet per sciẽtiam infusam per se, nõ poterat defectu scientiæ acquisitæ, nõ dici *plenus veritatis*. Vnde scientia acquisita non afferebat nouam veritatem intellectui humano Christi, sed nouum dumtaxat cognoscendi modum eandem veritatem.

32. *Ad confir.* Ad confirm. disting. maior: omnis perfectio debita humanitati Christi, quæ naturaliter non postulat, proprijs actibus ipsius humanitatis cõparari, statim collata fuit Christo, concedo; alia nego: vt cõstat de reliquis perfectionibus naturæ humanæ, quas non statim, sed per incrementa ætatis acquisiuit. Vnde ad poster. par. minoris, nego, fini Incarnat. aliquo modo non repugnare, Christum habuisse scientiam acquisitam ab exordio suæ conceptionis à solo Deo infusam. Nam finis Incarn. fuit, tùm per actus humanos, humano modo exercitos, veritatem naturæ humanæ perfectè in se experiri. Tum per ipsas difficultates, quas in operationibus humanis experiebatur, pro nobis mortalibus mereri, & simul compati, iuxta illud Hebr. 5. *Didicit ex ijs, quæ passus est, obedientiam*: & Hebr. 4. *Non enim habemus pontificẽ, qui non possit compati infirmitatibus nostris tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* At quis non videt magis Christum expertum fuisse modum operandi naturæ humanæ, magisq; nobis experimento ipso & mereri, & compati potuisse, si scientiam acquisitam proprio labore & exercitatione, quam à Deo immediatè infusam habuisset?

33. *Ad argum. 1. Sentent.* Ad argum. primæ: Ad Patres pro eâ citatos, Resp. 1. illis opponendo alios & numero plures & authoritate maiores, à nobis pro nostra sentent. citatos.

34. *Ad Patrum authoritatem.* 2. Plerosque ex citatis locutos fuisse de Christo vt Deo: scilicet quia disputabant contra Aria. qui perfectam scientiam negabant etiam Verbo: vnde Athanasius, & Cyrillus pro 2. sententia citati, hos hæreticos conuincunt, huiusmodi sapientiæ incrementum non referri ad Verbum, sed ad naturam humanam Christi, ex ipsis Verbis scripturæ, quæ cùm sapientię profectum exprimeret in Christo, vsa est nomine IESVS, quod impositum est ad significandam in Christo naturam humanam. ijdemq; qui in vno loco negant profectum scientiæ in Christo, in alio concedunt.

35. *Hieronym.* Constat 1. de Hieronymo, qui *in 31. Ierem. Fœmina circumdabit virum*, omnem profectum, præter ætatis incrementum, negat Christo; *Iuxta incrementa ætatis per vagitus & infantiam, proficere videbatur sapientiâ & ætate, sed perfectus vir in ventre fœminæ solitis mensibus continebatur.* Contra verò explicans illud Isaiæ 8. *Antequam sciat puer vocare patrem suum, & matrem suam,* expresse in Christo concedit huiusmodi humanæ sapientiæ incrementum, vt suprà.

Anselmus. Anselmus, qui *citat. libr. Cur Deus homo*, negat Christo humanæ sapientiæ profectum, illum posteà concedit *in 5. cap. ad Hebr. Non enim scire potest afflictorum labores, qui afflictionis experimentum non habuit.* Quod axioma applicat Christo: *Ex acerbitate tormentorum, quæ pertulit, didicit obedientiam, id est, experimẽto cognouit laborem obedientiæ.*

Bernardus. Bernardus, qui *homil.* 2. super *Missus est*, omnem humanæ sapientiæ profectum negat in Christo, eundem concedit *in tract. de gradibus humilitatis c. 2. Cùm igitur videas Christum in vna quidem persona duas habere naturas, vnam quâ semper fuit; alteram, quâ esse cœpit: & secundùm sempiternum suum quidem esse, semper omnia nosse; secundùm temporalem verò, multa temporaliter expertum fuisse: cur fateri dubitas, vt esse in tempore cœpit ex carne, sic carnis quoque miserias scire cœpisse, illo dumtaxat modo cognitionis, quem docet defectio carnis?*

36. 3. explicari citati Patres possunt de profectu & incremento scientię simpliciter, qui non solùm affert nouum cognitionis modum, sed nouam cognitionem simpliciter. Qui profectus est simpliciter in Christo negandus: quia cùm per scientiam infusam per se omnia à principio nouerit, nullam potuit nouã de rebus cognitionem per scientiam acquisitã comparare, sed nouum dumtaxat cognoscendi modum.

37. *Ad Rationes ad primam.* Ad rationem 1. Resp. esto talis modus habendi scientiam sit perfectior, quia tamen non est connaturalis; quæ connaturalitas maximè spectanda est in perfectionibus humanis Christi, non debuit à Deo à principio infundi, sed progressu temporis actibus ipsius humanitatis acquiri. ita licet perfectior modus sit, habere humanitatẽ à principio perfectam, quia tamen hic modus non est connaturalis homini, qui suam perfectionem acquirit per incrementa ætatis, noluit Christus illam à principio habere perfectã, sed progressu temporis per successiua ætatis incrementa. Hic enim modus magis congruebat Incarnationis fini, qui erat, vt *per omnia Fratribus assimilaretur*, & assumptæ naturę veritatem ipso humano operãdi modo, & experiretur in se, & manifestaret alijs.

38. Vnde minor intelligẽda est de perfectionibus supern. quæ dantur humanitati ad exigentiam vnionis; non autem de naturalibus, quæ dantur ad exigẽtiam ipsius humanitatis. Hoc enim inter proprietates supernat. & naturales interest in Christo, quòd in illis attenditur proportio cum vnione personali, & ideò statim, & cum omni plenitudine sunt infusæ; in his verò attenditur proportio cum naturâ humanâ, & modo ordinario, quo solent acquiri, vt hinc magis eluceat veritas naturæ humanę in Christo Domino.

39. *Ad secundam.* Ad 2. neg. consequentia: tum quia Adam conditus fuit in ea ætate, cui talis scientia debebatur ad rectè obeundum munus, ad quod statim fuit à Deo electus, vt Dominus & Monarcha totius Vniuersi. Tum quia non habuit aliam scientiam, à quâ iuuari poterat, vt Christus. Hinc tamen non negatur, etiam Adamum progressu temporis, propriâ experientiâ & labore, eandem scientiã à Deo per accidẽs infusã, sibi auxisse. Ad 3.

40. *Ad tertia.* Aliqui negant conseq. quia cùm scientia acquisita exerceri non possit sine ordine ad phantasmata, non debuit in ætate infantili, in quâ organum phantasiæ nondum est aptum ad phantasmata formanda, à Deo infundi. At verò virtutes acquisitæ, cùm possint exerceri etiam absque ordine ad phantasmata, regulatæ tantùm per notitiam infusam à phantasmatibus independentem, debuerunt ab exordio Incarnationis infundi, ad maius exercitium virtutum. Sed quicquid sit, an virtutes acquisitæ exerceri possint absque notitiâ dependente à phantasmatibus, solâ notitiâ per se infusâ, certè nego antecedens. nam virtutes morales acquisitæ in meâ sent. non sunt aliud, quàm ipsæ species ex frequentatis actibus virtutum magis ac magis perfectæ & dispositæ ad efficaciùs, promptiusque voluntatem permouendam ad consimiles actus exercendos, ipsâ meliori obiecti repræsentatione. Igitur non poterant in Christo esse virtutes morales acquisitæ ante comparatas species de frequentatis actibus earundem virtutum, in quarum specierum rectâ dispositione huiusmodi virtutes radicaliter consistunt.

41. Hanc resp. indicat *citat. loco* Laurentius Iustin. *Longè etenim ampliùs didicit humana condolere miseria, postquam dolores pertulit, quàm antè, ardentiusq́; fleuit ex corde.* Vbi vides, maiorem promptitudinem hunc Patrem in Christo agnoscere post frequentatos actus virtutum, quàm antè: quia nimirum post frequentatos actus virtutum anima Christi acquisiuit habitum facilitantem ad eosdem actus exercendos. Sic enim intelligendum est aduerbium *ampliùs* & *ardentiùs*, non pro *feruentiùs*, atque *intensiùs*, sed pro *faciliùs*: maiorem quippe facilitatem experiebatur anima Christi ad actus obedientiæ, & reliquarum virtutum post multos frequentatos actus, quàm antè. Pro quo nota, Christum non solùm ex frequentatis actibus virtutum moralium acquisiuisse habitum facilitantem ad consimiles actus eliciendos: sed etiam ex frequentatis actibus virtutum supernaturalium consimilem facilitatem acquisiuisse ad eosdem actus supernaturales exercendos. Vt nos ipsi experimur, qui non solùm ex frequentatione actuum virtutum naturalium facilitatem comparamus ad alios consimiles actus exercendos: sed etiam ex frequentatione actuum virtutum supernaturalium consimilem facilitatem experimur ad alios actus supernaturales consimiles exercendos. Hæc tamen doctrina in Christo intelligenda est, quando exercebat actus supern. ex præuiâ notitiâ acquisitâ, non quando ex infusa: quia quando ex infusa, non poterat per species ex frequentatis actibus acquisitas ad consimiles actus magis facilitari: quia cùm notitiâ infusa sit intuitiua per proprias species rerum, non est capax perfici per species abstractiuas & alienas. Cæterùm etsi ad omnes actus virtutum supernaturalium infrà Deum, poterat Christus vti notitiâ intuitiuâ per proprias elicitâ, ad actus tamen meritorios erga Deum, non poterat vti nisi notitiâ abstractiuâ per alienas species; cùm nequeat Deus extra visionem beatam, quæ ad actus meritorios circa Deum idonea regula non est, intuitiuè cognosci. Proinde ex frequentatione actuum erga Deum, semper acquirebat maiorem facilitatem, ortam ex speciebus frequentatorum actuum, meliùs dispositis ad humanam voluntatem Christi permouendam. Nam etsi illa summam facilitatem ad operandum circa Deum habebat ex visione beata, quia tamen illa non erat proxima regula, sed tantùm remota, ad eliciendos actus meritorios erga Deum, debebat ex alia regula proxima, quæ erat notitia abstractiua Dei, facilitatem sibi acquirere ad eosdem actus exercendos.

Notandum, Christum ex frequentatis actibus virtutũ supernat. facilitatem acquisiuisse.

42. Quòd autem in eâdem obiectione tangitur de prudentiâ infusâ Christi, quæ necessaria erat ad virtutes regulandas, respondeo, in Christo duplicem fuisse prudentiam; vnam infusam; alteram acquisitam: sicut duplex fuit scientia, infusa, & acquisita. Porrò prudentiam infusam accepit ab initio suæ conceptionis cum reliquis virtutibus infusis: acquisitam verò sibi comparauit ex plurimis experimentis.

43. *Ad quartũ.* Ad 4. Respondeo, Christum ab initio vti potuisse ratione cum conuersione ad phantasmata, nego; sine conuersione ad phantasmata, concedo. Ex quo sequitur, à principio tantùm debuisse esse instructum scientiâ infusâ per se, quæ operatur sine conuersione ad phantasmata; non acquisitâ, quæ operari non potest sine conuersione ad phantasmata. 44. *Ad quintũ.* Ad 5. Resp. hanc scientiam Christum non acquisiuisse ex magisterio humano; nam hoc non decebat supremum Doctorem, qualis erat Christus; sed propriâ inuẽtione, quod nullam notat imperfectionem. Sunt enim res, signa & voces diuinæ sapientiæ: vnde sicut discere à Deo, nulla est imperfectio; ita nec à rebus, quæ Dei sapientiam manifestant. 45. Ad 6. Respondet *Caiet. in fine Commenti*, omnia obiecta naturalia oblata fuisse Christo ministerio angelorum, vt ex illis Christus species desumeret. Sed hoc est improbabile. Ad argumentum igitur respond. non oportuisse Christum per hanc scientiam cognouisse omnia, sed multò plura, quã quiuis alius homo naturaliter cognoscere possit, ob perspicuitatem ingenij, quo ex vno principio plures conclusiones, & ex vno effectu meliùs causam penetrabat. Nec dici poterat talis scientia imperfecta, tum quia maior ab ætate non exigebatur: Tum quia hæc eadem iuuabatur scientiâ infusâ per se, à quâ etiam iuuabatur, ne pro falso verum, aut pro vero falsum iudicaret.

46. *Ad argum. 2. Sentent.* Ad argumẽta secundæ patet: Etenim licet Christus non acceperit scientiam acquisitam immediatè à Deo, sed illam proprio marte sibi comparauerit, adhuc à nullo homine potuit illam doceri: tum propter sublimitatem ingenij, quo anima Christi pollebat supra omnes homines: quippe quæ ex vnâ veritate multas alias colligebat. Tum quia ex infusa iuuabatur ad ipsam acquisitam perfectiùs comparandam. Tum quia doceri propriè, est nouam veritatem ab alio addiscere: Christus autem nullam potuit nouam veritatem à creaturâ addiscere, cùm omnes veritates, quas potuisset à creaturâ addiscere, nouerat scientiâ infusâ. 47. *Ad confir.* Ad confir. 1. negari posset Christum in hâc scientiâ acquisitâ non superâsse Adamum, Salomonem & Prophetas: nam etsi pauciora Christus per sensus cognouit, ex illis tamen adiutum scientiâ infusâ potuisse multò plures species acquisitas sibi comparare, quàm per infusionem habuerint Adam, Salomon, Prophetæ. 2. respond. non fuisse necesse, vt Christus illos superarit quoad scientiam acquisitam, sed sat fuisse, illos superasse quoad scientiam infusam. 48. *Explicantur Patres.* Ad Athanasium, & Cyrillum, cùm dicunt, humanitatem Christi profecisse in sapientia, in qua erat Deificata, sensus non est, illam profecisse, successiuè accipiendo incrementa humanæ sapientiæ immediatè ab increatâ sapientiâ, à quâ deificabatur: sed hic alius, nempe illam successiuè profecisse quoad manifestationem diuinitatis apud homines, per opera, quæ successiuè coram hominibus patrabat, quibus

quibus semper magis & magis diuinitas hominibus innotescebat: sic enim habet *cit. loco* Athanasius: *Corporis igitur erat proficere, quo proficiente, proficit in eo exhibitio Deitatis coram illis, qui ipsum videbant. Quantò autem magis diuinitas reuelabatur, tantò pleniùs gratia crescebat homini ad homines.* Et infrà: *Ita enim augescente magnitudine corporis, vna crescebat in eo diuinitatis manifestatio, innotescebatque apud omnes, ipsum esse templum Dei, Deumque in eius corpore existere.* Eadem ferè *citat. loco* Cyrillus: *Cùm igitur*, inquit, *audis, profecisse ipsum in sapientia & gratia, noli putare, quicquam ipsi additum fuisse, qui nullius vnquam rei egere potest. Sed quia videntibus atque audientibus eum, sapientiorem, gratioremque in dies se præbebat.* Hæc autem manifestatio diuinitatis per humanitatem non necessariò fieri debebat per ostensionem donorum, quæ successiuè humanitas à diuinitate acciperet, sed per ea, quæ à principio suæ assumptionis acceperat.

Athanasius. *Cyrillus.*

49. *Coroll. 1.* Deducitur 1. Christum nihil vnquam ab angeli didicisse: Est communis, quam tradit *S. Thom. 3. p. q. 12. art. 4.* Ratio: non decet, Doctorem aliquid à discipulis addiscere: sed Christus, etiam vt homo, est Doctor hominum & angelorũ, vt testatur *Dionys. c. 7. de cælesti Hierarch.* Præterea, si Christus aliquid ab angelis doctus fuisset, vel hoc fuisset quoad sciẽtiam infusam, vel acquisitam. Non quoad infusam, cùm nihil per hanc noscant angeli, quod lateat Christum. Non quoad acquisitam, nam hanc sibi comparauit proprijs actibus ex rebus ipsis, quas sensibus percepit.

50. Grauis difficultas est, quam *citat loco* proponit Angelicus de Angelo qui *Lucæ 22.* dicitur apparuisse Christo, eumque mœrentem confortâsse. Cõfortatio autem fit per propositionem alicuius nouæ rationis, quæ conceptum dolorem lenire possit: igitur Christus nouam aliquam rationem ab angelo didicit, quam anteà nesciebat. Variæ Patrum, ac Scholast. Sententiæ: mihi inter omnes placet, quam tradit in *cit. art. Caietan.* & sequitur *in comment. eiusd. Suarez:* nempe angelum in summâ illâ agoniâ confortâsse Christum, non interiùs illum instruendo & illuminando, sed tantùm exteriùs proponendo eas rationes & obiecta, quæ possent summam eius tristitiam lenire ac mitigare. Hoc autem fieri potuisse, absque, eo quòd angelus aliquid Christum docuerit, sic ostendo. Etenim potuit anima Christi, ad tristitiam acriùs sentiendam actu non considerare per scientiam infusam, vel acquisitam rationes quæ poterant ipsius dolorem lenire; sed potiùs ad tristitiam acuendam eas dumtaxat rationes animo versare, quæ inchoatum dolorem magis augerent. Quare ex diuinâ ordinatione potuit Angelus, ne Christi humanitas in tanto dolore ac mœstitiâ succumberet, externis verbis ac signis eas rationes Christo proponere, quę ipsius dolorem & tristitiam lenire possent. Eiusmodi autem esse poterant vberrimus fructus ex suâ passione toti orbi futurus, conuersio tot gentium ad fidem, gloriosa sui nominis per totum mundum exaltatio, liberatio tot animarum tanto cum desiderio ipsius aduentum in limbo expectantium, cœlestium sedium per ipsius mortem restauratio, ingens gloria ex his omnibus Deo futura, & his similia. Quæ non ideo angelus Christo proponebat, quasi Christus ipse ea nesciret, sed potiùs, vt ea actu cogitaret, quæ ad tristitiam acriùs sentiendam, ipse actu non cogitabat. Et quamquam hæc ipsa Christus necessariò intuebatur per visionem beatam in Verbo, ex eâ tamen nullam consolationem redundare permittebat in inferiorem portionem animæ. Quem modum insinuat *Ambros.* in *cit locum Lucæ; Et sequestratâ delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, vt mihi suam lætitiam largiretur: & vestigijs nostris descendit vsque ad mortis ærumnam, vt nos suis vestigijs reuocaret ad vitam.* Supponit autem hic noster discursus, non necessariò semper Christum habuisse adæquatum actum scientiæ infusæ, quod prob. suprà.

51. *Quâ ratione Angelus Christum mœrentem confortauerit, ita vt ab illo Christus nihil didicerit.*

Deducitur 2. Hanc scientiam acquisitam fuisse in Christo sine vllo errore & falsitate. Nam si quam occasionem erroris interdum dare poterant phantasmata ex sensibilibus obiectis impressa, is facilè corrigebatur per scientiam infusam. 52. *Coroll. 2.*

Dices: Iuxta probabilem opinionem, quæ admittit in primâ intellectûs apprehensione falsitatem, potuit in Christo esse falsitas per primam intellectûs apprehensionem. Nam hæc apprehensio in intellectu humano Christi præcedebat iudicium, quo impediri potuisset, ne eliceretur. Nam priùs intellectus agens abstrahit ex phantasmate speciem falsæ apprehensionis, & intellectus possibilis tali specie informatus elicit falsam apprehensionem, quam de ipsius falsitate iudicare possit. 53. *Dices.*

Resp. neg. assumpt. eiusque probat. nam licet iudicium, quod sequitur primam apprehensionem, nequeat ipsam præcedere: iudicium tamen, quod non sequitur primam apprehensionem, neque ab ea dependet, quale erat in Christo iudicium formatum ex scientia infusâ, præcedente primam apprehensionem scientiæ acquisitæ, non dependet à primâ apprehensione, proinde potest illam præcedere. 54. *Resp.*

Vrges. Prima illa apprehensio difformis obiecto, naturaliter eliciebatur ab intellectu humano Christi, positâ specie falsæ apprehensionis abstracta ex phantasmate: quæ abstractio speciei difformis obiecto, naturaliter impediri non poterat, quia naturaliter extrahebatur ex phantasmate ab intellectu agente. Multò verò minus poterant sensus externi impediri, quo minus speciem suæ sensationis, difformis obiecto, in sensus internos transmitterent. 55. *Vrges.*

Resp. Vel intellectum agentem Christi regulatum fuisse à scientia infusâ in abstractione specierum ex phantasmatibus, vt non abstraheret ex illis speciem, quæ futura foret principium & occasio falsæ apprehensionis: Vel certè, etiamsi ab intellectu agente abstraheretur species, quæ posset esse principium & occasio intellectui possibili falsæ apprehensionis, eâ tamen non vtebatur ad falsam apprehensionem eliciendam intellectus possibilis. Nam poterat intellectus possibilis pręueniri iudicio scientiæ infusæ, ne tali specie vteretur. Nec est eadem ratio de sensibus, qui & in sensationibus formandis solùm pendent ab obiectis, nec subijciuntur iudicio rationis: neque in ijs vlla falsitas esse potest. 56. *Resp.*

Vltimò, An omnes actus scientiæ acquisitæ in Christo fuerint certi & euidentes, an verò fuerit aliquis incertus & probabilis. Controuersia supponit, posse de eodem obiecto simul esse actum scientificum per medium euidens, & opinatiuum per medium probabile. Nam cùm Christus vnà cum scientiâ acquisitâ habuerit etiam infusam & beatam, per quas euidenter & intuitiuè cognoscebat, quicquid per acquisitam abstractiuè & probabiliter cognoscere poterat, consequenter necessariò hæc controuersia supponit, posse de eodem obiecto simul esse actum scientiæ, & opinionis. 57. *An Christus de facto elicuerit aliquem consensum probabilem per hanc scientiam.*

58. Quod suppositum etsi multi putent impossibile, ego

le, ego tamen vt possibile suppono *ex* 4.*tom.* cùm nulla appareat repugnantia: siquidem formale motiuum vnius non destruit formale motiuum alterius: quin potiùs vtrumque conspirat in eamdem veritatem. Nec alicuius momenti implicantia, quæ communiter affertur: quoniam de ratione actus probabilis & opinatiui, est formido & incertitudo; de ratione verò scientifici, euidentia & certitudo; implicat autem, eumdem intellectum simul esse certum & incertum, euidentem & formidolosum respectu eiusdem: nam hæc respectu diuersorum actuum & motiuorum nullam dicunt implicantiam. Esset enim idem intellectus ratione actus scientifici certus & euidens; ratione verò actus opinatiui incertus & ineuidens; licet absolutè dici non posset incertus & ineuidens, sed potiùs certus & euidens: cùm vna propositio sit affirmatiua, quæ vt absolutè enuntiari possit, sufficit, vt ratione vnius partis conueniat subiecto: altera verò negatiua, quæ, vt absolutè prædicari possit de subiecto, debet secundùm omnem partem subiecto conuenire.

Opinio & scientia simul de eâdem re.

59. Hoc admisso, Controuersia est, An de facto Christus aliquem consensum probabilem elicuerit per hanc scientiam acquisitam. Ratio dubitandi cùm species huius scientiæ non sint propriæ, sed alienæ, erutæ ex obiectis sensibilibus ad intelligibilia cognoscenda, non semper repræsentant res euidenter & per medium intrinsecum, sed plerumque tantùm probabiliter & per medium extrinsecum: igitur poterat intellectus humanus Christi, instructus & informatus huiusmodi speciebus, elicere consensum probabilem.

Ratio dubitandi.

60. Nihilominus dico, nunquam humanum intellectum Christi per hanc scientiam elicuisse consensum probabilem, sed semper certum & euidentem; tum quia talis consensus notat imperfectionem & defectum luminis intellectualis, quæ imperfectio in Christo non erat. Ob eandem enim rationem Scholastici negant in Christo fidem, quia hæc dicit imperfectionem luminis. Tum quia licet absolutè non repugnent actus euidens & probabilis simul de eodem obiecto: adhuc tamen non solet intellectus præbere consensum probabilem, quando habet euidentem de eâdem re: nam quando intellectus habet de obiecto euidentiam per medium intrinsecum, assecutus est finem suum, qui est, veram de obiecto notitiam habere: Vnde non est ampliùs sollicitus de imperfectâ notitiâ probabili per medium obscurum & extrinsecum.

Nullus in Christo assensus probabilis.

61. Dices. Eâdem ratione nec vnquam præbebit consensum abstractiuum, cùm per euidentem scientiæ beatæ, & infusæ perfectissimè sit assecutus veritatem rei. Sed negatur paritas: nam per scientiam beatam, & infusam intellectus humanus Christi non assequitur veritatem obiecti modo, quo intellectus vnitus corpori illam petit assequi per conuersionem ad phantasmata: at verò per consensum euidentem scientiæ acquisitæ humanus intellectus Christi assequitur veritatem rei perfectissimo modo, quo intellectus vnitus corpori suâ naturâ illam appetit assequi: vnde non ampliùs est sollicitus de notitiâ probabili, quæ imperfecto modo intra eundem ordinem cognitionis humanæ tendit ad obiectum. Supponit autem hæc ratio, Christum de eodem obiecto scientiæ acquisitæ, de quo habebat medium probabile, habuisse etiam medium scientificum, quo relicto probabili, euidenter assentiebatur obiecto: quod etsi fortè non habuerit de omnibus obiectis huius scientiæ, certè de plerisque illud habuisse negari non potest.

Est consensus abstractiuus in Christo.

Ad rationem dubitandi concedo, in Christo fuisse species probabiliter tantùm repræsentantes obiectum: nego tamen, vnquam ijs vsum fuisse ob rationes assignatas. Nec propterea tales species in Christo fuerunt otiosæ, nam deseruiebant ad ipsam probabilitatem euidenter cognoscendam. 62.

Ad Rationem dubitandi.

DISPVTATIO XXII.

De potentia humanitatis Christ. ad miracula patranda.

SVPPONO ex seq. *tom.* dari in rebus creatis potentiam, quæ obedientiæ seu obedientialis dicitur, quâ Deus vti potest ad omnem effectum contradictionem non inuoluentem. De quâ non leuis concertatio, an sit congenita & intrinseca, an addita & extrinseca creaturæ: an reperiatur in rebus omnibus creatis, an quibusdam tantùm: de quibus *citat. tomo.* Nunc solùm disputo, an Christi humanitas ad miracula, quæ patrabat, physicè concurrerit per hanc potentiam obedientialem, an tantùm moraliter, per sua merita condignè illa à Deo impetrando. 1.

An Christi humanitas fuerit physicum instrumentum ad patranda miracula.

Prima Sentent. affirmat, fuisse non tantùm morale, sed etiam physicum instrumentum, tam respectu miraculorum, quàm respectu iustificationis hominum: Est *Thomist. Palud. in 4. distinct. 1. qu. 1. post 1. concl. Capreol. in 3. distinct. 15. quæst. vnic. art. 3. Ad dicta Durandi, Ferrar. 3. cont. gent. cap. 103. §. Ad euid. Caiet. 3. p. quæst. 13. art. 2. §. Ad euid. Medina ibid. §. Dubium aliud. Nugnez quæst. 62. art. 1. difficul. 7. ad 8. Soti in 4. distinct. 1. quæst. 3. art. 5. Suarez 3. p. tom. 1. disp. 31. sect. 2. & 3. Valent. disput. 1. quæst. 13. punct. 2. & disput. 3. quæst. 5. punct. 2. Asturic. prælect. de gratia Christi quæst. 6. dub. 2. concl. 4. Vega. 7. in Trident. in cap. 13.* eamque à fortiori docent, qui hanc physicam causalitatem concedunt sacramentis; nam si sacramenta, quæ sunt separata instrumenta, physicè operantur nostram salutem, à fortiori illam physicè operabitur Christi humanitas, per quam vt per instrumentum coniunctum, vis physicè operatiua deriuatur in sacramenta. 2.

1. Sentent.

Prob. hæc sentent. *Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra*, videlicet ad restauranda omnia, siue quæ in cœlis, siue quæ in terra sunt, per physicum gratiæ & gloriæ influxum. *Lucæ 6.* dicitur virtus de Christo exiuisse & sanâsse omnes; *Marci 5. & Lucæ 8.* dicitur Iesvs nosse virtutem, quæ de se exierat, & sanauerat mulierem à sanguinis fluxu: hæc autem nequeunt de morali virtute commodè explicari, nam hæc non operabatur per virtutem à Christo in infirmos fluentem, sed per internas dumtaxat & immanentes actiones. Confirm. hanc physicam causalitatem explicat scriptura, ac si facta esset ab humanitate Christi, inscio Christo; nam cùm per tactum vestimentorum eius sanata esset mulier, Christus ad turbam versus dixit, *quis me tetigit?* 3. dicitur Christus ad miracula facienda habuisse potestatem, *Vt autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralytico; surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Vbi Christus potestatem dimittendi peccata probat per potestatem sanandi infirmos. Hanc eandem in Christo fatentur *ibid.* turbæ, & Leprosus *si vis, potes*: quod verâ fide 3.

Probatur hæc sententia ex scriptura.

Matth. 9.

Matth. 8.

fide dictum fuisse, probauit miraculo. 4. eamdem communicauit Apostolis. *Dedit illis potestatem spirituum immundorum, vt eijcerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Qui autem per potestatem operatur, non operetur per solam impetrationem: quia operatur per virtutem sibi intrinsecè communicatam; qui autem per impetrationem operatur, solùm operatur per orationes & preces. 5. expressè dicitur, *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est.* Porrò verbum *facta* physicam causalitatem denotat. 6. colligitur ex modo, quo hæc miracula Christus edebat, non deprecatiuè & oratione, sed authoritatiuè & imperio: qui autem moraliter & impetratoriè miracula facit, cùm debeat illa precibus & oratione à Deo obtinere, nequit authoritatiuè & imperio ea facere.

Matth. 10.

Ioan. 1.

4. *Probatur ex Concilio Ephesino.* Probat. 2. ex Ephesino Anathe. 11. vbi, *Si quis,* inquit, *ipsam Domini carnem viuificam negauerit, eo quòd Verbi, quod omnia viuificat, facta sit propria, anathema sit.* Cùm igitur nequeat caro Christi esse viuifica moraliter; nam hoc ad animam, non ad carnem pertinet, erit viuifica physicè. Confirm. ipsum corpus & sanguis Christi in Eucharistia causat gratiam sacramentalem dignè suscipienti, non moraliter, cùm corpus & sanguis non sit moralitatis capax; ergo physicè. Maior constat: nam illud in Eucharistia causat gratiam, quod constituit formaliter sacramentum: hoc autem est tantùm corpus & sanguis, nam hæc tantùm significantur verbis sacramentalibus; Vnde anima solùm concomitanter, teste *Trident. sess. 13. cap. 3.* fit cum corpore & sanguine sacramentaliter præsens. Quapropter in triduo fuisset verum sacramentum per solam præsentiam corporis & sanguinis.

5. *Tertiò probatur ex Patribus. Gregor.* Prob. 3. ex Patribus, inter quos *Gregorius 2. lib. dialog. c. 30. Qui deuota mente,* inquit, *Deo adhærent, cùm rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo vtroque solent, vt mira quaque aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate; cùm enim Ioannes dicat:* quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, *qui filij Dei ex potestate sunt, quid mirum si signa facere ex potestate valeant?* intelligi autē ex potestate physica vt distinguitur à morali, quæ tātùm prece & oratione operatur. Quam duplicem potestatem probat, fuisse in S. Benedicto duplici miraculo, vno, quo loca, quibus rustici brachia ligata erant, ad solum oculorum Benedicti intuitū, mirâ celeritate dissoluta fuere. Altero, quo defunctum rustici filium prece suscitauit. Euthymius *c. 19. in 7. Luca,* comparat Christi humanitatem ferro cādenti. *Quemadmodum,* inquit, *ferrum, quod in igne aliquanto tempore permansit, habet ignis operationes, ita quoque sancta ipsius caro diuinitati vnita, quæ diuinitatis sunt, operabatur: ideo manus quidem mortuum ac desertum corpus coniunxit, vox autem recedētem animam reuocauit.* Vnde & discrimen assignat inter Christū, & reliquos sanctos; quòd reliqui impetratoriè tantùm, Christus autem authoritatiuè, & ex propriâ potestate miracula patrabat: *Siquidem propheta,* inquit, *Elias filium Sarephtanæ viduæ suscitauit, sed deplorando erga Deum, ipsumque deprecando, & propheta Elisæus filium Sunamitidis, sed extensus super eum totus super totum, hic verò tangens solum ac iubens statim excitauit.* Prob. 3. ex ijs Patribus, qui Christi humanitatem appellant organum & instrumentum diuinitatis: Ita *Athanasius lib. 4. con. Aria. Damasc. 3. Fidei cap. 15. &c.* Non potuit autem esse organum & instrumentum morale; ergo physicum: nam instrumentum supponit causam principalem in eodem genere, in quo est instrumentum: humanitas autem Christi nullam supponit causam principalem moralem, cùm ipsa in genere causæ moralis & meritoriæ sit prima, cùm nequeat Deus esse causa moralis meritoria: nam hæc supponit superiorem, à quo debeat merendo impetrare.

S. Benedict.

Euthymius.

6. *Athanasius. Damascen.*

Ratio 1. Hæc sent. facit ad maiorem Christi dignitatem: ergo si non repugnat, est asserenda. 2. Christus vt homo est caput Ecclesiæ: ergo Christus vt homo physicè influit omnem vitæ supernaturalis influxum in eam. Antecedens testatur Paulus ad Ephes. 1. *Et ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* 3. Christum infinito suo merito decuit hanc dignitatem sibi promereri: ergo de facto illam sibi promeruit: quia sicut de facto sibi promeruit omnes corporis dotes, ita & hanc excellentiā. 4. Hæc dignitas fuit ratione vnionis hypostat. debita Christi humanitati; nàm merito vnionis illa humanitas exaltata est ad esse naturale filij Dei: ergo merito eiusdem debita illi fuit potestas cooperandi cum Patre ad omnia opera miraculosa. Et sicut proprium filij Dei est, per naturam diuinam vnà cum Patre, & Spiritu S. cōcurrere ad omnia opera creationis, ita proprium eiusdem filij Dei est, per naturam humanam concurrere ad omnia opera reparationis, vt enim æternus Pater per filium subsistētem in propriâ naturâ omnia produxit, ita per eundem subsistentem in humanâ naturâ omnia reparauit. Cōfir. *ad Ephes. 1.* finis Incarnat. Christi fuit, restaurare, quæ in cœlis, & quæ in terris peccato collapsa fuere: ergo ad eundem Incarnationis finem spectabat, vt eius humanitas esset vniuersale instrumentum ad omnia hæc restauranda. 5. Sæpe Deus miracula facit per reliquias sanctorum, *vt 4. Reg. 13. Quidam sepelientes hominem proiecerunt cadauer in sepulchro Elisæi, quod cùm tetigisset ossa Elisæi, reuixit.* Nequeunt autem demortui ossa esse morale instrumentum actionis miraculosæ, nam causa moralis operatur deprecando, quod præstare nequeunt ossa: ergo physicum: ergo à fortiori exanime corpus Christi, adhuc in cruce pendens, fuit physicum instrumentum omnium miraculorum, quæ in ipsius morte acciderunt.

7. *Tandem probatur rationibus.* 1. 2. 3. 4. *Confirm.* 5.

8. *2. Sentent.* Secunda docet, humanitatem Christi fuisse morale tantùm instrumentum ad opera supernat. tam internæ iustificationis, quàm externorum miraculorum: *Scoti in 4. dist. 2. q. 1. §. Ex his,* docentis, sacramenta nouæ legis à solo Deo habere efficaciam, à Christo autem, vt à causâ meritoriâ: *Bonau. dist. 5. art. 3. quæst. 1. Durand. in 3. distinct. 14. quæst. vlt. Richard. art. vlt. q. vlt. Bacho. in 4. q. 4. prologi art. 3. & 4.* vbi docet, Christum miracula fecisse titulo filij Dei: *Palatij in 3. dist. 14. disput. 3. Cani prælect. de Sacram. p. 4. Vasq. 3. p. disp. 57. cap. 5. Becani de Incarn. cap. 10. Hurtadi de mysterio Incarn. disput. 9. difficul. 4.* quam sent. probabilem censet *Asturicen. cit.* Hanc mouit *August. lib. 22. de Ciuit. cap. 9.* eamque indecisam reliquit: *Siue enim Deus ipse per se ipsum miro modo, quo res temporales operatur æternus, siue per suos ministros ista faciat, & eadem ipsa, quæ per ministros facit, siue quædam faciat etiam per martyrum spiritus, siue per homines adhuc in corpore constitutos, siue omnia ista per angelos, quibus inuisibiliter, immutabiliter, & incomparabiliter imperat, operetur, vt quæ per Martyres fieri dicuntur, eis operantibus tantùm & impetrantibus, non etiam operantibus fiant, siue alia fiant istis, alia illis modis, qui nullo modo comprehendi à mortalibus possunt, ei profectò attestantur hæc fidei, in qua carnis in æternum resurrectio prædicatur.* Eādem sæpe ad examen reuocauit *S. Doctor,* in quâ, *Caiet. teste,* varius fuit. Nam *in 3. dist. 16. q. 1. a. 3.* concessit, miracula non nisi per modum intercessionis tam à sanctis, quàm ab animâ Christi fieri. Idē docuit 2. 2. q. 178. a. 1. ad 1. vel *Caiet.* inter-

Hanc controu. monuit August. nec decidit.

9. *S. Thom. varius.*

Interprete, qui tamen postea 3.p.q.13.art.2. & quæst. 48.art.6.& clariùs qu.6. de potent.art.4. apertè admittit virtutem, non quidem habitualem, sed fluentem physicè operandi miracula. Vnde Caiet. qui 1. loco 2.2. S. Thom. intellexerat de instrumento morali, & impetratorio, in 3.p. illum explicat de physico & productiuo. Nec veretur fateri, aliud S. Thomam docuisse in sententijs, aliud in summâ, non tamen audet concedere, aliud dixisse in 2.2. aliud in 3.p. sed solùm, quod ipse non fuerit Doctoris mentem in 2.2. assecutus, quam tamen fatetur, se assecutum esse in 3.p. Vbi in 1. loco cit. docet, Christi humanitatem habuisse instrumentalem virtutem ad omnes immutationes miraculosas, præterquam ad immutationes, quæ fieri possunt per creationem, & annihilationem. Vbi si Doctor S. de solâ virtute morali & impetratoria locutus fuisset, non potuisset etiam ad has immutationes humanitati Christi instrumentalem virtutem negare; cùm etiam Christi merita digna fuerint ad has immutationes impetrandas. In 2. testatur, humanitatem Christi per modum instrumenti efficientis operari nostram salutem. Idem docuit qu.64. art.3. Hæc perplexitas satis arguit quæst. difficultatem, quam difficiliorem reddunt tot in vtrâque sententiâ opinandi modi. Nam alij primam sententiã defendunt per physicam qualitatem Christi humanitati additam, per quam constituebatur miraculorum operatiua. Alij per solum extrinsecum imperium & virtutem assistricem Dei. Alij non solùm defendunt, Christi humanitatem fuisse physicum instrumentum operationum supernaturalium quæ factæ sunt post Christi aduentum, sed etiam earum, quæ factæ sunt ante. Alij ad ipsam productionem miraculi requirunt præuiam operationem humanitatis, quæ virtutem in se diuinitùs receptam deferat ad effectum producendum, qualis erat, vel contactus infirmi ad effectum sanitatis in eo producendum; vel prolatio verborum perueniens vsque ad locum; vel subiectum, vbi, vel in quo edendum erat miraculum. Alij hanc vim instrumentariam physicè patrandi miracula non modò concedunt humanitati Christi, sed etiam vmbræ Petri iuxta illud Act. 5. *Vt veniente Petro, saltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus suis.* Alij non solùm illam extendunt ad effectus positiuos, sed etiam ad negatiuos, vt fuit defectio solis in morte Christi. Posteriorem sententiam aliqui ita defendunt, vt oppositam putent impossibilem, vt Vasquez, eò quòd censeat, non quodlibet ens assumi posse ad quodlibet producendum, sed tantùm illud, quod ex se proportionem habet cum effectu, ad quem assumitur, quales in sententia ipsius sunt intellectus, & voluntas ad actus supernaturales intellectionis, & volitionis. Alij solùm defendunt vt probabiliorem, & dictis Patrum magis cohærentem.

10. *Proposita quæst. difficultas.*

11. *Secunda sent. varietas.*

12. *1. Assertio. Fundam.* Dico 1. Implicat, Humanitatem Christi per qualitatem superadditam operari miracula supern. quoad modum. Fundam. implicat creatura cõnaturaliter operatiua eorum, quæ sunt contra, aut supra leges naturæ: ergo. nam talis qualitas esset connaturale instrumentum Dei ad opera miraculosa efficienda, vt Aduersarij fatentur; non obedientiale, quippe quæ suâ naturâ ordinata esset ad miracula patranda, non secus ac motus artificiosus ad artis opus formandum. Antecedens probatur. Antecedens demonstro. Omnis creatura eo ipso, quo creatura est, naturaliter subijcitur legibus entis creati, ac proinde legibus naturæ, quibus omne ens creatum concluditur: igitur implicat connaturaliter operari supra, aut contra leges naturæ, seu per formam suâ naturâ liberam à legibus entis creati: nam quà ens creatum, naturaliter exigeret operari iuxta leges entis creati: quà naturaliter exigeret operari contra, aut supra leges entis creati, non naturaliter exigeret operari iuxta leges entis creati. Quocirca licet non implicet, ens creatum obedientialiter operari contra, aut supra leges naturæ, seu per formam suâ naturâ non exigentem talem operationem; implicat tamen, operari connaturaliter, seu per formam suâ naturâ exigentem talem operatiõnem: scilicet vt forma naturaliter exigat, & non naturaliter exigat eandem operationem: non implicat autem, vt eadem forma naturaliter non exigat operationem, & nihilominus ad illam supernaturaliter eleuetur.

A negatione actus ad negationem potentia.

Manifesta contradictio.

13. *Dices.* Dices 1. non implicat, lumen gloriæ vt instrumentum Dei, connaturaliter producere visionem beatam, esto non possit illam connaturaliter producere vt causa principalis: ergo nec implicat qualitas, quæ vt instrumentum Dei connaturaliter producat miracula, esto non possit illa connaturaliter producere vt causa principalis. Nego conseq. nam producere connaturaliter visionem beatam vt instrumentum Dei in intellectu beati, non repugnat enti creato vt sic, sed soli enti creato vitali, cuiusmodi non est lumen gloriæ; quod licet sit productiuum visionis beatæ, non est tamen vitaliter perceptiuum obiecti. Producere autem connaturaliter miracula, repugnat enti creato vt sic; cùm omne ens creatum vt sic in operando subdatur legibus entis creati, quæ sunt non connaturaliter operari supra, aut contra leges naturæ.

14. *Resp.*

15. *Dices.* Dices 2. Esto nullum ens de facto creatum cõnaturaliter operari possit supra, aut contra leges naturæ, quæ de facto sunt, quia de facto omne ens creatũ subijcitur legibus naturæ, quæ de facto sunt, posset tamen produci aliud ens non subiectum legibus naturæ, quæ de facto sunt, adeoque connaturaliter operari supra, aut cõtra leges, quę de facto sunt.

16. *Resp. 1.* Resp. 1. Controuersiam esse de ijs entibus, quæ de facto creata sunt, & à Deo creantur: non enim hæc qualitas, quam aduersarij ponunt, est extra leges, quæ de facto à Deo positæ sunt. 2. Nego, producibile esse ens, quod connaturaliter petat operari cõtra aut supra leges, quæ de facto sunt. Nam ideò de facto quodlibet ens in operando subijcitur certis legibus, quia est in essendo limitatum ac dependens, certisque limitibus cohelusum, vt accidentia & formæ materiales à subiecto, substantiæ materiales à tempore, omnia entia creata à loco, proprijsque accidentibus: atqui nullum ens produci potest; quod non sit in essendo limitatum, certisque limitibus conclusum: nam de facto istæ leges fundantur in conditionibus omnibus entibus creatis communibus. 2.

17. *2. Assertio.* Dico 2. Implicat, Christi humanitatem per qualitatem additam operari miracula supernaturalia quoad substantiam extra se. Probat. 1. de facto nulla qualitas supernat. est operatiua effectûs supernat. quoad substantiam extra subiectum, cui infunditur, vt inductione constat in omnibus habitibus supernat. qui suos effectus non operantur, nisi in potentijs, & cum potentijs, quibus infunduntur. 2. vt suppono ex 3. tom. nulla qualitas supernat. est possibilis, quæ sit perfectior gratiâ habituali: sed hæc non est operatiua extra proprium subiectum. Igitur. Confirm. nulla qualitas supernat. est possibilis, quæ non sit tanquam proprietas commensa gratiæ habituali: ergo nulla qualitas supernat. est possibilis, quæ sit operatiua extra propriũ subiectum: quia pro- *Prob. 1.* 2. *Confirm.*

proprietas non debet excedere naturam, cuius est proprietas: ergo si gratia non est operatiua extra proprium subiectum, nec eius connaturalis proprietas. Antec. prob. gratia est participatio naturæ diuinæ, quantum à creatura rationali accidentaliter participabilis est: ergo nulla possibilis est qualitas supernat. quæ non sit tanquam proprietas commensa gratiæ, tanquam naturæ diuinæ participatæ, vt eam appellat *S. Thom.* 1.2.q.110.*art.*3. *Ratio à priori.* Ratio: omnes istæ qualitates supern. ordinantur tanquam intrinseca principia gratiæ ad sanctificandas naturas intellectuales per operationes immanentes: ergo naturaliter non se extendunt extra subiectum, cui infunduntur; sicut nec intellectus & voluntas, quibus vt comprincipia supernat. operationum infunduntur.

18. *Assertio 3. Fundam.* Dico 3. Implicat, Christi humanitatem fuisse physicum instrumentum ad actiones miraculosas ante ipsius productionem factas. Fundam. Implicat, physicè influere, quod non est: Nec sufficit coexistentia humanitatis in æternitate Dei: nam vt effectus realiter proficiscatur à causa, non solùm requirit illam existentem in æternitate, sed in eâ duratione temporis, in quâ extiturus est effectus producendus. Quis enim dicat, posse hoc tempore, cui Antichristus non coexistit, moueri lapidem à virtute motiuâ Antichristi, propter coexistentiam ipsius ad æternitatem Dei? nam si ipse debet hoc tempore physicè producere, hoc eodem ipso tempore debet existere, & non tantùm in æternitate Dei.

19. *Assertio 4. Fundam.* Dico 4. Implicat, Christi humanitatem fuisse per verba physicum instrumentum ad actiones miraculosas instantaneas. Fundam. vt *seq. tom.* implicat, ens successiuum eleuari ad producendam actionem instantaneam: alioqui vel eadem indiuisibilis actio perseueraret absque vllo agente, vel ab alio agente conseruari posset, quàm ab illo, à quo producta fuit: at verba sunt ens successiuum; igitur.

20. *Assertio 5. Fundam.* Dico 5. Implicat, vmbram corporis esse physicum instrumentum actionis miraculosæ. Fundam. vmbra corporis est pura negatio luminis; nequit pura negatio assumi ad physicè producendum; cùm omnis physica productio supponat realem virtutem productiuam.

21. *Assertio 6.* Dico 6. Potuit Christi humanitas esse physicum instrumentum obedientiale ad omnes actiones miraculosas. Assertio partim est contra *Vasquez*, qui vniuersaliter negat, potuisse ad vllam actionem miraculosam Christi humanitatem assumi vt physicum instrumentum obedientiale, eo quòd cum nullâ actione miraculosâ proportionem habebat; ad nullum autem effectum producendum creatura assumi potest, cum quo proportionem ex se non habeat: partim contra *Thomistas*, qui saltem negant, Christi humanitatẽ assumi posse ad creandum. *Fundam.* Fundamentum assert. sufficit, vt Christi humanitas ad quamlibet actionem miraculosam habeat vim inchoatam actiuam, vt constabit ex *sequent. tom.*

22. *Assertio 7. Ratio.* Dico 7. Improbabile est, Christi humanitatem assumptam fuisse vt physicum instrumentum ad effectus miraculosos negatiuos: quoniam ad effectum negatiuum dupliciter potest causa concurrere; vno modo, per subtractionem concursus, quo effectus à causa conseruatur; alio, per productionem alterius effectus incompossibilis cum priori. Neutro modo est probabile, Christi humanitatem assumptam fuisse ad effectus miraculosos negatiuos. Non primo: quia hic modus supponit, Christi humanitatem actiuè conseruare effectum illum, ad cuius destructionem assumitur: probabile autem non est Christi humanitatem actiuè conseruâsse omnes effectus, quorum facta est miraculosa destructio, vt fuit in morte Christi priuatio luminis solaris, negatio diffluentis motus in aquâ, supra quam Christus ambulabat, priuatio vitæ in ficulneâ ad verbum Christi statim arefactâ *Matth.* 21. Non secundo: cùm superfluum fuerit ad destructionem vnius effectûs, Christi humanitatem eleuari ad productionem alterius mox cessaturi.

23. *Assertio 8. Fundam.* Dico 8. Nec probabile est Christi humanitatem fuisse physicum instrumentum, præuiâ semper operatione propriâ. Fundamentum, vel non semper hæc præuia humanitatis operatio ad effectum miraculorum assignari potest, vel non nisi alijs multiplicatis miraculis. Primum cõstat, nam quam præuiam operationem habet Christi humanitas nunc in cœlo existens ad iustificationem in nobis causandam? nisi fortè quis dicat, vt nonnulli apud *Asturicens.* nunc Christum in cœlo existentem per Angelum ab eo missum in nobis gratiam causare; quod quàm sit absurdum, nemo non videt, cùm iam non Christus, sed angelus foret nostræ iustificationis instrumentum. Secundum colligitur ex aduers. respõsis, qui vt assignent præuiam humanitatis operationem ad effectum distantem, vt cùm filium Reguli sanauit, cùm animam Lazari ex limbo reuocauit, aiunt, ipsam Christi vocem peruenisse vsque ad filium Reguli, vsque ad animam Lazari, eos excitando, quod absque nouo miraculo, per replicationem ipsius vocis, fieri non potuit. *Ratio à priori.* Tandem nihil præuia illa operatio humanitatis operabatur in effectum miraculosum; nam per aduers. Christi humanitas non per illam operationem, sed per qualitatem sibi à Deo communicatam effectum miraculosum producebat: ergo frustra præuia illa humanitatis operatio requirebatur.

24. *Dices.* Dices: Requirebatur, vt deferens virtutem diuinam, miraculi operatiuam, ex humanitate in subiectum, in quo miraculum operandum erat, vti requiritur contactus instrumenti cum subiecto ad deferendum motum artificis in materiam. *Resp.* Sed contrà; vt suprà, ista qualitas implicat: & difficilè explicatur, quo pacto, spiritualis & indiuisibilis cùm sit, recipiatur in corpore, deferatur per ens successiuum, nempe per vocem vsque ad subiectum, in quo recepta miraculum operetur.

25. *Assertio 1.* Dico 9. Etsi probabile sit, Christi humanitatem interdum assumptam fuisse vt physicum instrumentum ad operãdum effectum miraculosum, non per qualitatem superadditam, sed per virtutem congenitam, non præuiâ aliquâ operatione naturali per se ad effectum requisita, sed immediatè per seipsam vnâ cum virtute assistrice Dei, probabilius tamen est, hos effectus non fuisse operatam, nisi moraliter & impetratoriè. Priorem partem probant argumenta pro 1. sent. Posterior prob. 1. ex *Trid. sess.* 6. *c.* 7. *Probatur 1. ex Trid.* vbi Concilium accuratè enumerans omnes causas nostræ iustificationis, solum Deum assignat efficientem causam illius, Christum verò solum assignat vt causam meritoriam. Nec dici potest, Concilium assignare Deum, vt efficiẽtem causam principalem, Christus autem per humanitatem tantùm est instrumẽtalis causa nostræ iustificationis; nam *ibid.* assignat instrumentariam causam nostræ iustificationis baptismum, cur non etiam humanitatem, in cuius virtute baptismus operatur?

26. *2. Probatur ex Patribus.* 2. ex Patribus, qui dum de miraculis à Christo patratis loquuntur, expressè docent, ea virtute diuinâ facta fuisse, humanitatem solùm concurrisse ad id, quod sibi proprium erat, nempe ad externum motum, ad corporis contactum, ad verborum prola-

Athanas. prolationem, &c. Athanasius l.4. contra Arian. *Certè cùm necessitas requirebat, vt socrum Petri febrientem excitaret, humano quidem more manum extendit, diuinitus autem morbum compescebat; & in caeco à natiuitate humanum è carne emittebat sputum, diuinitus autem oculos aperiebat per lutum; In Lazaro autem vocem quidem vt homo edebat, diuinitus tamen vt Deus eundem è mortuis excitabat,* & infrà: *Quemadmodum sputente illo, manumq́ extendente, & Lazarum euocante, non dicimus illa hominis esse miracula, etiamsi per corpus conficiebantur; sed Dei.* Quod autem per verba illa, *Etiamsi per corpus conficiebantur*, non intelligat, corpore cooperante ad substantiam miraculorum, sed ad id tantùm, quod proprium erat corporis, constat ex alio principio Patrum, quo docent, Christum hæc miracula per operationes humanitatis fecisse, vt ostenderet se veram humanitatem assumpsisse. *Ista autem eo modo facta sunt*, inquit *ibidem* Athanasius, *eaq́; ratione adhibita, ne imaginarium, ac non verum corpus habere crederetur.* Ergo eo tantùm fine humanas operationes adhiberi putant ad miracula patranda, vt vera humanitas ostendatur.

Damascen. Damascen. l.3. fidei cap.15. *Quod autem*, inquit, *à corpore perficitur, tactus est & continentia, & facti velutì circumdatio, animæ verò velutì facti formatio & figuratio; sic & in Domino nostro* IESV-CHRISTO *miraculorum virtus diuinitatis ipsius fuit actio, manus impositio, medela, & velle, & dicere, Volo, mundare, eius humanitatis fuit actio, & ab eius humanitate profectum, & res gesta fuit, panum fractio & quod à leproso auditum, Volo; at verò à diuinitate gestum panum multiplicatio, & leprosi mundatio.* Et infrà, humanitatem vnitam Verbo comparat igniго gladio, cuius etsi incisio, & combustio sit vna composita actio, incisio tamen gladij, combustio, ignis est propria; *Sic & in Christo diuinitatis eius diuina & omnipotens actio, humanitatis autem eius ea, quæ secundùm humanitatem operationis absolutio.* Explicans autem, quæ fuerit hæc humanitatis operatio, subdit: *Humanitatis quidem quod tenuit puellam manu & erexit; diuinitatis viuificatio: aliud enim hoc, aliud illud, etsi ab inuicem inseparabiles sunt in Dei vera actione.* Et infrà: *Neque enim viuificat Lazarum humana natura, neque lacrymatur diuina potestas, nam lacryma humanitatis propria, viuificatio autem hypostatica vita.* Et paulò pòst: *Nam diuina signa diuinitas operabatur, sed non sine carne; & caro humilia, sed non sine diuinitate.* Vbi eodem modo ait, diuinitatem operari, non sine carne, diuina; quo carnem, non sine diuinitate, humana; at caro non sine diuinitate sibi coniuncta, operabatur humana: ergo diuinitas, non sine carne sibi coniuncta, non autem substantiam miraculorum attingente, operabatur diuina. Concludit: *Agit igitur Christus secundum vtriusque naturam, & agit vtraque in ipso natura, cum alterutrius communicatione, Verbo quidem operante ea, quæ sunt Verbi, propter authoritatem & potestatem diuinitatis, quæcumque sunt præcipua & regia, corpore verò absoluente, quæcumque sunt corporis munia, ad voluntatem Verbi, quod ipsi counitur, cuius & factum est proprium.*

Sophron. Idem docet *Sophron.* in *Epist. approbata in 6. Synodo, act.2.*

28. Cyrillus Alexandr. Cyrillus Alexand. *de Incarn. hom.8. fine*, ait, miracula in morte Christi facta fuisse virtute diuini Verbi; *Vt autem ostenderet, se nec passionis quidem tempore templo suo deesse, cum Iudæi ista contra Dominũ molirentur, radios solares tanquam Deus extinxit, tenebras mundo infudit, velum templi scidit, petras rupit, mortuos excitauit. Hæc omnia ob id operatus est, vt scias, eum patienti adfuisse, & passiones quidem sibi appropriâsse, ipsum verò impassibilem omnia operatum esse.*

Cyprianus *Serm. de Cœnâ Domini* initio, *Sed volebat pius Magister, cùm iam damnationis suæ dictaretur sententia, & propè esset, vt figeretur in cruce, sua dare indicia potestatis, & qui animam Lazari reuocauerat ab inferis, & quatriduano mortuo reddiderat vitam, dignosceretur virtute diuina, non humana tantùm opus patrâsse.* 29. Cyprianus.

Augustinus *tract.8. in Ioan. post med.* de miraculo, 30. Augustin. quod Christus fecit in Cana Galileæ, ita scribit: *Miraculum autem, quod facturus erat, secundùm diuinitatem facturus erat, non secundum infirmitatem; secundùm quod Deus erat, non secundùm id, quod infirmus natus erat. Miraculum ergo exigebat mater: at ille tanquam non agnoscit viscera humana, operaturus facta diuina, tanquam dicens, quod de me facit miraculum, non tu genuisti, diuinitatem meam non tu genuisti, sed quia genuisti infirmitatem meam, tunc te agnoscam, cùm ipsa infirmitas pendebit in cruce.* & *tract. 91. fine*, assignat discrimen inter miracula, quæ fecerunt cæteri homines, & quæ fecit Christus: *Quoniam quisquis alius homo aliquid eorum fecit, ipso faciente fecit: hæc autem ipse non illis facientibus fecit.* Ergo secundùm Augustinum illa natura in Christo miracula faciebat, quæ cum cæteris faciebat, vt facerent; sed sola natura diuina, non humana faciebat, vt cæteri homines miracula facerent: ergo sola natura diuina, non humana in Christo miracula faciebat.

Tertiò probatur Humanitatem Christi esse physicum instrumentum miraculorum, non conducit ad finem Incarnationis, nec facit, ad specialem dignitatem Christi: nam proximus finis Incarnationis fuit, redimere genus humanum per condignam satisfactionem, siue, vt *ad Ephes.* 1. *restaurare, quæ in cælis, & quæ in terra sunt*: ad hoc autem nihil per se conducit, quod humanitas sit physicum instrumentum, rectè tamen, quod sit meritoria causa totius humanæ iustificationis, quia non minus perfectè redempti sunt antiqui Patres ante aduentũ Christi, quorum iustificatio non fuit physicè causata à Christi humanitate, quàm cæteri homines post Christi aduentum. Nec dici potest, saltem per se cõducere ad finem remotum Incarn. quæ est gloria Dei: cùm hæc physica causalitas sit occulta, omnisque diuinæ gloriæ manifestatio dirigatur ad creaturas rationales, vt per eam veniant in notitiam alicuius perfectionis diuinæ, non haberet suum finẽ: nec appareret; cuius attributi diuini sit hæc physica qualitas manifestatiua, quod æquè bene non valeamus per alia opera diuina cognoscere. 31. Probatur 3. Rationibus. Non conducit ad fin. Incarn.

Quoad posterr. par. prob. Illud non facit ad specialem dignitatem Christi, quod communicari potest omnibus creaturis, & de facto. aliquando communicatum est; sed esse physicum instrumentum miraculorum communicari potest omnibus creaturis suâ naturâ productiuis, vt *seq. tom.* & de facto aliquando communicatum est; nam Aduersarij supponunt, & cum *August. lib.9. in Gen. ad litt. c.17. & 18.* probab. *seq. to.* interdum Deum vsum fuisse insensibilibus & irrationabilibus creaturis ad miracula physicè patranda, vt ad loquẽdum, asinâ; ad flores, fructúsq; repẽtè producẽdos, ligno arido; ad prolem gignendam, sene, ac sterili fœminâ. Contra verò esse causam condignè meritoriam & impetratoriam omnium miraculorum, quæ fieri à Deo possunt, est propria & specialis dignitas Christi, nulli puræ creaturæ communicabilis, cùm hæc supponat infinitum valorem personæ merentis & impetrantis. 32. Nec ad dignitatem Christi.

DICES: è dignitate Christi est, nullum donum indebitum naturæ, concessum esse alicui creaturæ, quod non sit concessum humanitati Christi, cur 33. Dices.

sti, cui ratione vnionis hypostaticæ omne supernaturale donum est debitum: ergo si esse physicum instrumentum miraculorum alicui creaturæ concessum est, debuit concedi & Christi humanitati.
34. Resp. Resp. Antecedens esse verum de dono naturæ indebito imperfectionem in modo operandi non inuoluente, secus de inuoluente. Ideò enim non concedimus Christi humanitati fidem; quia hæc in modo operandi imperfectionem importat: assumi autem vt physicum instrumentum obedientiale ad actionem miraculosam, importat ex parte rei assumptæ imperfectionem in modo operandi, nec non innaturalitatem ex parte affectûs producendi. *Imperfectionem inuoluit.* Imperfectio est quod non operetur connaturaliter per intrinsecum principium completum operandi, sed per extrinsecum dumtaxat principium assistens, eleuans & complens extrinsecè tantùm ad effectus, naturam excedentes: nam proptereà non concedimus Christi humanitati actum supernaturalem, quo omnes habitus infusos sibi promeruerit, quia talis actus non fuisset elicitus connaturaliter à principio intrinseco, supernaturaliter completo. *Suppono qualitatem intrins. implicare.* Innaturalitas autem ex parte effectûs est: quoniam omnis effectus miraculosus suâ naturâ postulat fieri à Deo, vt à propriâ causâ: ergo hoc ipso quod fieret mediâ causâ extraneâ, innaturaliter fieret. *Innaturalitas patet.* Sicut quia risibilitas suâ naturâ postulat produci ab homine; vt proprietas à suo connaturali principio, hoc ipso, quòd produceretur mediâ aliâ causâ, innaturaliter produceretur, cùm vnusquisque effectus, cùm sit quædam suæ causæ proprietas, naturaliter postulet fieri à suâ propriâ causâ.

35. *Ratio 2. Vniformitas in effectibus requiritur.* Secunda. Si Christi humanitas esset physicum instrumentum nostræ iustificationis, non seruaretur vniformitas in effectibus supernaturalibus in modo productionis, & conseruationis: Consequens est contra ordinatum modum diuinæ prouidentiæ, quæ quoad fieri potest, semper effectus vniformiter producit & conseruat: vt qui videlicet sunt producibiles à causis naturalibus, non producantur, & conseruentur simul à causis supernaturalibus: & qui produci, & conseruari possunt ab vnâ causâ, non simul comproducantur, & conseruentur ab aliâ. Sequela prob. si Christi humanitas esset physicum instrumentum nostræ iustificationis, omnia dona supernaturalia à Deo collata hominibus, tam viatoribus, quàm beatis post Christi aduentum, diuersâ actione producerentur, & conseruarentur ab eâ, quâ producerentur, & conseruarent. r collata hominibus ante Christi aduentum: Nam hæc producuntur, & conseruantur actione dependente à Deo, & à Christi humanitate simul, illa à solo Deo. Quin sequeretur, eadem dona in multis, partim pendere à solo Deo, partim à Deo, & Christi humanitate simul, cuiusmodi sunt illa, quæ in eodem homine fuerunt producta à solo Deo antè Christi Incarnationem, & posteà à Christi humanitate aucta; vt in B. Virgine eadem gratia sanctificans fuisset ante Christi Incarnationem à solo Deo producta, eadem posteà secundùm alios gradus producta & conseruata fuisset à Deo, & Christi humanitate simul. Eadem difformitas foret in gloriâ, quæ partim esset à solo Deo, nempe illa, quæ responderet gratiæ productæ à solo Deo; partim à Deo, & Christi humanitate simul, ea nimirum, quæ responderet gratiæ productæ à Deo, & Christi humanitate simul. Nisi dicatur, tota gloria hominum beato-
36. Dices. rum produci & conseruari à Deo, & Christi humanitate simul; nam tota gloria hominum beatorum producta est post Christi Incarnationem. Sed contrà: saltem esset difformitas respectu gratiæ & gloriæ in ijs, qui gratiam acceperunt ante Christi aduentum; nam gratia penderet à solo Deo, gloria verò à Deo, & Christi humanitate simul. Nisi dicatur, prior actio corrumpi, & alia de nouo produci, quâ tota gratia, & gloria simul vniformiter conseruetur à Deo, & Christi humanitate simul. Sed hoc est gratis dictum, & præter consuetum modum operandi Dei, qui nunquam solet, nisi ad naturalem exigentiam rerum, quæ hic nulla est, corruptâ vnâ actione; aliam respectu eiusdem rei producere. Resp.

Præterea non esset vniformitas in donis supernaturalibus angelorum & hominum; nam illa producerentur à solo Deo, hæc à Deo, & Christi humanitate simul: cùm tamen etiam angelis, per multos aduersar. collata sint dona supernaturalia dependenter à Christi meritis. Neque dicas, hanc vniformitatem in modo productionis, & conseruationis, Deum tantùm seruare in rebus naturalibus, in quibus, & cum quibus operatur iuxta naturalem exigentiam earum; non autem in rebus supernaturalibus, in quibus Deus operatur supra exigentiam earum. Nam etiam in rebus supernaturalibus Deus operatur iuxta exigentiam earum: quia licet supernaturale sit homini, vel angelo, habere gratiam, vel gloriam, est tamen connaturale gratiæ, & gloriæ sanctificare subiectum, & tendere in Deum per modum actûs puri, ac proinde etiam produci, & conseruari à solo Deo, vt proprium effectum ipsius. 37. *Difformitas esset.*

DICES: Hanc vniformitatem non seruat Deus in effectibus moralibus: ergo nec in physicis; nam eadem gratia, & gloria sæpè pendet à meritis proprijs Christi, & aliorum Sanctorum. Nego conseq. Nam per variationem causarum moralium non variatur physica entitas rerum, vti variatur per variationem causarum physicarum. 38. Dices. Resp.

Ad argumenta primæ. Primum testimonium Scripturæ intelligitur de potestate morali, quam vi vnionis hypostaticæ Christus vt homo habuit in omnes creaturas. In secundo ponitur virtus pro effectu, quod vsitatum est in Scriptura, Psalm. 59. *In Deo faciemus virtutem*, & septuag. *Narrantes laudes Domini, & virtutes eius*, Eccles. 7. *In omni virtute tua*, hoc est, in omni opere tuo, *dilige eum, qui te fecit.* Matth. 13. *Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum.* Ad confirmationem respondetur, illud factum fuisse à Christo ad miraculum notificandum. Ad tertium concedo, Christum habuisse potestatem faciendi miracula, & quidem vt Deum habuisse potestatem physicam, vt hominem verò tantùm moralem. Patres verò, vtpotè contra *Arianos* disputantes, semper ex miraculis physicam arguebant potestatem, non instrumentalem humanitatis, nam hæc eorum proposito non deseruiebat, sed principalem diuinitatis, quam in Christo contra Arianos ostendere nitebantur. Eandem potestatem, siue physicam diuinitatis, siue moralem humanitatis fatebantur turbæ, & infirmi à Christo sanati, vt fecit cœcus ille *Ioan.* 9. qui in signum diuinitatis Christi, quòd ab ipso fuerit illuminatus, procidens adorauit eum vt filium Dei. Ad quartum concedo, fuisse à Christo Apostolis communicatam potestatem dæmones ejiciendi, infirmitatesque curandi, sed moralem, non physicam. Ad quintum, dicitur gratia & veritas per Christum facta, potestatiuè, non ministerialiter, vti data fuit lex per Moysen: compa- 39. *Ad argumenta 1. sententiæ.* 40. Ad 3. Ad 4. 41. Ad 5.

comparat enim hic Euangelista legem datam per Moysen eum gratiâ collata per Christum, quòd ille vt Minister legem à Deo acceptam populo promulgauit; hic vt Dominus & Legislator propriâ authoritate & potestate gratiam dedit hominibus. Ita *Chrysost.homil.13.& August.tract.3.in Ioan.* Aliam interpretat.affert *August.lib.17.contra Faust. fine.*

42. *Ad 6.* Ad 6.ex eo, quòd Christus imperatiuè miracula faciebat, non rectè colligitur, ea physicè fecisse:nam poterat ea imperatiuè facere ex solâ potestate morali, quæ in eo consistebat, vt, ratione vnionis cum Verbo, debitum esset humanitati, vt quicquid ipsa fieri vellet, statim à Deo fieret. Vnde, accedente decreto Dei, manifestato humanitati Christi, quòd Deus statim esset facturus, quicquid ipsa fieri vellet: poterat humanitas absque præuia oratione miracula facere velle; ad quam voluntatem statim ex diuino decreto sequebatur miraculum, physicè quidem à Deo, meritoriè tantùm à Christi humanitate.

43. *Explicatur Concilium Ephesinum.* Ad 2.argum. ductum ex authoritate Ephesini, resp.Christi carnem appellari viuificam, non propter physicam, sed propter moralem vim instrumentalem impetrandi gratiam. Nam etsi corpus Christi non fuit capax meriti per modum causæ principalis, fuit tamen capax per modum instrumenti exequentis; nam per ipsum, vt per instrumentum coniunctum, anima Christi executa est omnia opera pœnalia meritoria; atque hoc modo etiam vt instrumentum morale causat gratiam sacramentalem in Eucharistia, vt *seq.tom.*

44. *Ad tertium.* Ad 3. ex Patribus resp. ex illo modo, quo interdum Sancti operati sunt miracula nullâ præuiâ oratione, nullam possumus arguere physicam potestatem, sed moralem dumtaxat. Nam interdum Sancti præueniebantur interiori instinctu diuino, quo certò cognoscebant, Deum ad ipsorum voluntatem operaturum miraculum. Vnde antecedenter certificati de voluntate Dei, dicebantur potestatiuè miraculum operari. Contrà verò quando non erant antecedenter certi de voluntate Dei, debebant illam precibus impetrare, ac proinde non dicebantur potestatiuè, sed impetratoriè illa miracula patrare.

45. *Ad 4.* Ad 4.concedo, Patres Christi humanitatem appellare organum, & instrumentum diuinitatis; nego autem, illam non posse dici instrumentum morale respectu causæ principalis physicè causantis. Cùm enim causa moralis causet per modum impetrantis effectum à causâ principali physicâ, rectè dici potest morale instrumentum, quo principalis causa physica vtitur ad effectus physicè causandos.

46. *Ad primam rationem.* Ad 1.Rationem, nego anteced. cùm enim probatum sit, assumi vt physicum instrumentum obedientiale ad actiones miraculosas, inuoluere imperfectionem ex parte modi producendi, non potest ad maiorem Christi dignitatem pertinere.

Ad 2. Ad 2.neg.conseq.& retorq. argum. sicut Christus, vt homo, non est physicum, sed mysticum caput Ecclesiæ; ita Christi, vt Ecclesiæ capitis non est physicè, sed tantùm moraliter in Ecclesiæ membra influere.

Ad 3. Ad 3. neg.conseq.tum quia non quicquid potuit sibi Christus promereri, de facto sibi promeruit. Tum quia cùm esse physicum instrumentum obedientiale inuoluat in modo operandi imperfectionem, non facit ad singularem dignitatem Christi.

47. *Ad 4.* Ad 4.in primis non quicquid Christi humanitati est debitum, ratione vnionis hypostaticæ, de facto est illi concedendum, cùm multa sint, quæ de facto illi concessa non sunt. 2. nego, hoc esse illi ratione Vnionis hypostaticæ debitum, cùm includat in modo operandi imperfectionem, esto aliunde perfectionem importet. Sicut, quia fides in modo cognoscendi obiectum obscurè dicit imperfectionem, non est Christi humanitati debita. Nec est eadem ratio de Christo, vt filio Dei cooperante vnà cum Patre & Spiritu sancto, ad omnia opera ad extra; nam hic modus operandi, cùm sit per modum causæ principalis, dicit perfectionem simpliciter simplicem competentem Filio Dei. Ad confirm. citatum locum Pauli intelligi de restauratione per modum causæ moralis *Explicatur testim. Pauli.* meritoriæ. Ad 5. distingu. est minor: Nequeunt ossa & reliquiæ sanctorum esse morale instrumentum per se considerata, concedo; quatenus fuerunt instrumentum ipsius Sancti ad opera meritoria, propter quæ Deus talia miracula patrauit, nego.

DISPVTATIO XXIII.

De passionibus animæ à Christo assumptis.

DVPLEX est animasticarum passionum genus: aliæ sensitiuæ & materiales, elicitæ ab appetitu sensitiuo, ex præuiâ cognitione sensûs; aliæ intellectiuæ & spirituales, elicitæ ab appetitu rationali, ex præuiâ cognitione intellectûs. 1. *Aliqua passiones in Christo.* Aliquas ex his fuisse in Christo, diuina oracula docent, Matth.26. *Cœpit contristari & mœstus esse:* Marci 14. *Cœpit pauere & tædere: & ait illis: tristis est anima mea vsque ad mortem:* Lucæ 22. *Et factus in agonia prolixius orabat.* Ioan. 11. *E[illegible]eo propter vos:* Matth. 8. *Audiens autem Iesus miratus est.* Fuisse autem in Christo omnes passiones naturæ humanæ, quæ sine morali defectu exerceri possunt, testatur 6. *Synodus Constantinopolitana actione* 8. Vbi contra *Macarium, & Stephanum,* aliosque definit, Christum *secundùm humanitatem verè sustinuisse omnes salutares passiones, & omnem simul Deo decibilem, atque homini condecentem operationem* habuisse, *omnemque tentationem expleuisse: quia omnia,* inquit, *assumpsit, quæ tentationis experimentum habuerunt, per quæ nobis victoriam fecit.* Idem testatur Damascenus *lib.3. Fidei cap. 20. Confitemur autem, quod omnes naturales & innoxias passiones nostras assumpsit.* Idem sentiunt *Axioma.* reliqui PP.ex illo vniuersali principio, quòd Christus secundùm naturam humanam fuit quoad omnia nobis similis, excepto peccato; Hebr.2. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Ratio *Ratio.*; omnes istæ passiones, aut erant materia meriti in Christo, aut faciebant ad veritatem naturæ humanæ assumptæ: Christus autem omnes eas passiones in assumptâ naturâ exercuit. Tota difficultas est in explicando, quo pacto huiusmodi affectus, præcipuè dolor, tristitia, metus, ira, admiratio, in Christo locum habere potuerint.

2. *Prima dubitandi ratio.* PRIMA ratio dubit.de omnibus est: si in Christo admittimus huiusmodi affectus, debemus etiam in eo admittere interiorem pugnam: victoria enim est, quæ ex contrariarum passionum pugna reportatur. Christus autem, vt *cit. loco* definit Concilium, has passiones assumpsit, vt ex ijs victoriam reportaret. Quam tamen pugnam negant PP. in Christo, in quo propterea huiusmodi humanos affectus non appellant passiones, sed propassiones: nam, vt *Hieronym.* docet *in 26. Matth.* passio est,

quæ

quæ animo dominatur: propassio, quæ excitata, vlterius non progreditur, sed ad nutum voluntatis obedit.
3. *Secunda.* 2. Specialiter de dolore & tristitia est: isti affectus directè pugnāt cum beatitudine; quâ Christus, etiam hanc mortalem vitam viuens, continuò fruebatur: ergo non poterat verè & propriè dolere & tristari: nam obiectum beatificum ita rapiebat animum Christi in contemplationem & amorem sui, vt nullum fineret affectum tristitiæ in eo excitari. Confir. Nullus beatus est capax doloris & tristitiæ: ergo nec Christus, etiam in hac mortali vitâ degens; erat enim perfectè beatus, non minùs quàm nunc est in immortali vitâ.
4. *Tertia.* 3. De timore est: nam hic authore *Arist. 2. Rhet. 5.* est fuga mali futuri, cum spe illud euadendi. Vnde quando nulla est spes futurum malum euadendi, potiùs causat tristitiam, vt docet *S. Thom. 3. p. qu. 15. art. 7.* Christus autem erat certus de suâ morte futurâ, quam in Verbo intuebatur: igitur non poterat illam timere, sed ad summum de illâ tristari, vt de malo certo & ineuitabili.
5. *Quarta.* 4. De timore filiali, quem etiam in Christo admittunt Theologi. Nam hic est fuga mali culpæ, à se committibilis: in Christo autem nulla fuit potentia committendi malum culpæ: & vbi impossibile est obiectum, ibi impossibilis est actus.
6. *Quinta.* 5. De irâ: hæc, ex *Arist. 1. de an. cap. 1.* est affectus compensandi tristitiam ab alijs acceptam. Christus autem nunquam habuit affectum compensandi tristitiâ à suis aduersarijs acceptam; sed potiùs animum illis parcendi, iuxta illud *Lucæ 23. Pater dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.*
7. *Sexta dubitandi ratio.* 6. De affectu admirationis: hæc ex *Philos. 1. Metaph. cap. 2.* supponit ignorantiam: *Qui verò*, inquit, *dubitat & admiratur: putat se ignorare.* Vnde, *propter admirationem cæperunt homines philosophari.*

8. *Assertio 1.* Dico 1. In Christo fuerunt veræ animi passiones, absque interiori pugnâ & conflictu. Hanc veritatem docuit August. *lib. de corrept. & gratiâ cap. 11.* vbi post descriptam illam pugnam inter carnem & spiritum, quam in se experiebatur Apostolus *Rom. 7.* ita de Christo concludit: *Ille verò nulla tali rixa à seipso aduersus seipsum tentatus, atque turbatus, in illo beatitudinis loco sua secum pace fruebatur.* *Idem docent expressè.* Damascenus *lib. 3. fidei cap. 20.* S. Thom. 3. *part. quæst. 15. art. 4.* ex illo principio, quòd istæ animi passiones non excitabantur in Christo, nisi quando, & quousque ipse volebat: Ioan. 11. *Infremuit spiritu, & turbauit seipsum. Turbauit autem semetipsum*, *Cyrillus Alexand.* inquit in hunc locum Cyrillus Alexandrinus, *non infirmitate, sed potestate: quia nullus alius poterat eum conturbare. Turbatus est, quia ipse voluit. In illius enim potestate erat, sic, vel sic affici.* *Augustin.* Augustinus *tract. 49. in Ioannem: Quis enim eum*, inquit, *posset nisi seipsum ipse turbare?* & paulò pòst: *Turbaris tu nolens: turbatus est Christus, quia voluit?* & post multas enumeratas corporis, animique passiones, concludit: *In illius potestate erat sic, vel sic affici, vel non affici.* Idem principium expressit *6. Synodus cit. act. 8. circa medium*, his verbis: *Synodus Constant. VI.* *Salutaris verò à Deo instructorum PP. doctrina manifestè instruit, quia nunquam intellectualiter animata Domini caro diuisè, atque ex proprio appetitu contra nutum vniti sibi subsistentialiter Dei Verbi, naturalem sui fecisset motionem: sed quando, & quantam, & qualem idem Deus Verbum volebat.* Refert autem hanc animæ Christi passionum subordinationem Concilium ad Verbum, non quòd Verbum esset immediatus & proximus rector harum passionum in Christo; sed quia tale imperium, & plena potestas in suas passiones, ratione vnionis cum Verbo debebatur naturæ humanæ Christi.

Hoc ergo posito, sic euidenter deducitur assertio. 9. *Probatur Assertio.* Nequit esse pugna, vbi nulla est resistentia, sed potiùs perfecta subordinatio ex parte vnius, & plena potestas ac imperium ex parte alterius. Sed omnis animi motus in Christo perfectè subijciebatur nutui humanæ voluntatis eiusdem, quo excitabantur, cessabant, & quando opus erat vlteriùs progrediebantur. Igitur nulla potuit in Christo inter partem superiorem & inferiorem esse pugna, sed summa consensio.

Dices: hinc sequitur, Christum neque à dæmone tentari potuisse: contra illud *Matth. 4. Iesus ductus est in desertum à spiritu, vt tentaretur à diabolo:* 10. *Dices.* nam neque à diabolo fuit Christus necessariò, sed liberè & dependenter à sua voluntate tentatus. Nego sequel. etsi enim tentatio diaboli 11. *Resp.* fuerit libera ex parte Christi, illam permittentis, & admittentis; fuit tamen ex parte diaboli, ante imperium Christi incussa, & hostili animo ad Christum superandum à diabolo intentata. Propterea enim non dicitur Deus hominem tentare, quando illi occasiones peccandi offert; quia non eo fine illas offert, vt homo victus succumbat, sed vt victor triumphet. Cùm igitur appetitus sensitiuus in Christo, nec ante imperium ipsius Christi se moueat: nec fine illum superandi, sed potiùs obediendi, ad suum feratur obiectum, non poterit Christus dici à suis passionibus tentari, vti dicitur à diabolo.

Ex his patet ad rationem dub. Ad prob. resp. 1. 12. *Ad 1. rationem dubit.* quando dicitur Christus per huiusmodi animi passiones reportâsse victoriam, non intelligitur de victoriâ partâ sibi, sed nobis contra carnem & diabolum, vt cit. *Synodus* docet. 2. Adhuc verè & propriè dicitur Christus de suis passionibus reportâsse victoriam, non illas vt rebelles superando, sed eas liberè in seipso admittendo & patiendo. Est enim genus victoriæ, & quidē gloriosioris, cùm possis sine labore & sudore regnum capere, & de hoste triumphare; nolle, nisi cum labore & propriâ morte illud acquirere, superando naturalem inclinationem, quam natura humana habet ad sui conseruationem, & naturalem fugam ad propriæ vitæ destructionem.

Dico 2. Fuit in Christo verus dolor, veraque 13. *Assertio 2.* tristitia: præter *citata* oracula, hanc veritatem expressit *Isaias cap. 53. Verè dolores nostros ipse portauit.* Eandem specialiter quoad dolorem, & tristitiam definit *6. Synodus citat.* Ambrosij *in 22. Lucæ:* in quo simul causa huius veri suscepti doloris continetur: *Neque enim*, inquit, *speciem Incarnationis suscepit, sed veritatem. Debuit ergo & dolorem suscipere, vt vinceret tristitiam, non excluderet.* Idem docent reliqui PP. Nota differentiam inter dolo- 14. *Notandum discrimen.* rem, & tristitiam, ex *S. Doctore 3. p. quæst. 15. artic. 6.* quòd obiectum doloris, est læsio corporis sensu tactûs percepta: obiectum tristitiæ, est nociuum, vel interiori imaginatione, si tristitia sit sensibilis; vel ratione, si tristitia sit spiritualis, apprehensum. Vtrumque autem obiectum fuit in Christo. Discrepant Doctores, in quo propriè dolor for- 15. *In quo formaliter dolor cōsistat?* maliter consistat ex tribus, quæ ad illum necessariò concurrunt, læsio corporis, actus sensationis, quo læsio corporis percipitur & sentitur; & actus displicentiæ, quem sensitiuus appetitus de præsenti læsione, sensatione perceptâ, elicit. Alij in primo; alij in secundo; in tertio alij dolorem formaliter constituunt. Ego in his tribus completum dolorem collocandum censeo: Sicut & completam delecta- *In tribus.* tionem sensibilem constituendam censeo, tam in actu sensationis, quo obiectū delectabile percipitur,

quàm

quàm in obiecto delectabili cognitione sensûs percepto, & in actu, quo sensitiuus appetitus de percepto obiecto delectabili sibi complacet. Moueor, quia hæc sensitiua proportionantur intellectiuis: In intellectiuis autem completa tristitia non consistit, vel in solo obiecto nociuo, vel in solo actu intellectûs, nociuum obiectum apprehendente, vel tantùm in actu voluntatis, quo de nociuo obiecto apprehenso homo tristatur: sed in his tribus, vti oppositum gaudium non consistit, vel in solo obiecto delectabili, vel in cognitione obiectum delectabile apprehendente, vel in actu complacentiæ, quo voluntas de tali obiecto apprehenso, vt sibi conformi delectatur, sed completè in omnibus. Quâ de causâ *tomo* 3. docui, completam beatitudinem non consistere in solo actu intellectus, quo beatificum obiectum apprehenditur, sed etiam in actû voluntatis, quo ipsum beatus amore amicitiæ diligit, eoque exercitè fruitur. Nam vti superior pars rationalis vtroque actu, rationis & voluntatis completè beatur; ita pars inferior sensitiua vtroque actu, sensûs, quo obiectum delectabile percipitur, & appetitûs, quo eodem obiecto fruitur, suo modo beatur. Obiter nota, solùm illum actû displicentiæ, quem sensitiuus appetitus elicit de obiecto læsiuo, sensu tactûs percepto, appellari dolorem; omnem alium, quem elicit de obiectis nociuis, sensationibus perceptis, communi nomine *displicentiæ* appellari: velut cùm gustus amarum, olfactus insuaue, auditus dissonum, visus triste obiectum percipit.

A pari.

16. *Ad secundam rationem dubit.* Ad 2. rationem dubit. facilis esset responsio, si tantùm hîc de sensitiuâ tristitiâ sermo esset. Nam cùm hæc completè consistat in actu displicentiæ appetitûs sensitiui de obiecto nociuo, per imaginationem apprehenso; cumque impediri possit, ne delectatio ex visione beatificâ perceptâ, in voluntate residens, in inferiorem appetitum redundet, facilè conciliari posset summa tristitia in parte sensitiuâ cum summâ delectatione in intellectiuâ: nam cùm tales actus sint de diuersis obiectis, diuersisque inhæreant potentijs, non pugnant. Quia verò anima Christi non solùm habuit tristitiam sensitiuam in inferiori parte sensûs, sed etiam intellectiuam in superiori parte mentis, Matth. 26. *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu:* & Lucæ 22. *Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Sunt enim hæc spiritualis signa tristitiæ, quâ tunc temporis anima Christi conflictabatur: nam Christus non solùm tristatus est de suâ morte, quam poterat interiori sensu imaginationis apprehendere, sed etiam, & multò magis de peccatis hominum, quatenus erant offensæ contra Deum: quæ apprehendere, non erat munus sensûs, sed rationis; & consequenter nec de ijs tristari appetitu sensitiuo, sed rationali. Ideò grauis difficultas superest, quo pacto in eâdem voluntate Christi simul esse potuerint summa delectatio de Deo clarè viso, & summa tristitia de peccatis hominum. Pro quâ variæ excogitatæ sunt solutiones.

Ratio demonstrans.

17. *Impugnantur solutiones variæ. Prima.* PRIMA *Cani lib. 12. de locis Theolog. cap. 14. fine*, Christum tempore passionis miraculosè suspendisse gaudium beatificum, quod suâ naturâ natum erat ex visione beatâ deriuari in appetitum intellectualem, vt sic magis posset pati, etiam in parte intellectiua. Nam si toto tempore suæ vitæ mortalis Christus miraculosè impediuit, ne gloria animi redundaret in corpus, vt illud aptum esset ad nostræ mortalitatis ærumnas patiendas: quid mirum, si saltem tempore passionis continuit gaudium beatificum, ne illud suo impetu deriuaretur in appetitum rationalem, vt perfectiùs posset nostræ redemptionis opus consummare? Sed contrà; tum quia hoc temerè dicitur contra omnes PP. & Scholast. quorum nullus hactenus hoc affirmare est ausus, nec vllum pro se citat: citari autem posset *Ambros. in 22. cap. Lucæ*, vbi sic habet: *Et sequestratâ delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur.* Verùm huius testimonij sensus non est, quòd anima Christi cessauerit à delectatione, quam de visione diuinitatis capiebat, sed quòd delectatio ipsa, quam Christus ex visione diuinitatis capiebat, non impediuerit affectum tristitiæ, quem alioqui debuisset naturaliter impedire. Vnde dicitur *quodammodò sequestrata*, non quoad esse, secundùm quod semper mansit, sed quoad effectum non impediendi contrarium affectum, vt bene notauit *Vasquez disput. 73. cap. vlt. circa finem.* Citari etiam posset illud *Hebr. 12. Proposito sibi gaudio sustinuit crucem, confusione contemptâ*, quod etiam pro se citat *Canus.* Sed neque hic locus nos cogit ad illum intelligendum, vti Canus intelligit, de separatione gaudij beatifici ab ipsâ visione beatâ, sed de gaudio & delectatione beatitudinis corporis, quæ ex beatitudine animæ nata erat redundare in corpus. Hâc enim contemptâ, maluit pro nobis corpus passibile & mortale, aptum ad crucis dolores & cruciatus patiendos, assumere. Tum quia saltem reliquo suæ mortalis vitæ tempore Christus tristitiam non habuisset: siquidem ex *Cano*, gaudium beatificum Christus non cohibuit, nisi tempore passionis. Hoc autem est contra Euang. Lucæ 19. *Videns Iesus ciuitatem fleuit super illam:* nam *effusa lacryma*, vt ex Cyrillo refert *S. Thom.* in suâ Catenâ, *signa sunt tristitiæ. Miserebatur enim eorum Christus, qui omnes homines vult saluari.* Porrò cùm hæc tristitia concepta fuerit de ruinâ hominum propter eorum peccata, vt *in hunc locum homil. 39. in Euang.* testatur *Gregorius*, non potuit esse in solo appetitu sensitiuo, cuius non est de ruinâ hominum propter peccata tristari, quia cùm hoc sit obiectum spirituale, nequit sensu apprehendi. Tum quia, vel Christus tempore passionis suspendit amorem beatificum, necessariò consequentem visionem Dei, vel tantùm delectationem, quam capiebat de visione & amore beatifico. Si primum, sequitur, Christum tempore passionis non fuisse essentialiter beatum: quoniam essentialis beatitudo, vt 3. *tom.* integratur ex vtroque actu, visionis, & amoris. Saltem in sententia ipsius non mansisset completè beatus. Adde, quòd non fuisset expediens, cessare ab amore erga Deum, vt posset pro nobis pati: sed potiùs, si non potuisset manere tristitia cum amore beatifico, cessandum fuisset à tristitia, quàm ab amore erga Deum: siquidem tristitiâ, & omnis passio finaliter à Christo sustinebatur propter Deum. Si secùndum; adhuc cum visione & amore beatifico videtur pugnare summa tristitia: cùm non minùs visio, & dilectio beatifica sit de se efficax ad impediendam omnem tristitiam, quàm delectatio de ipsâ visione & dilectione.

17. *Sed temerè. Contrà 1.*

Explicatur Ambros.

19. *Contrà 2.*

20. *Contrà 3.*

18. *Secunda solutio vulgaris.* SECVNDA: tristitiam fuisse in portione inferiori animæ Christi, beatitudinem in superiori, ex quâ non permittebatur ad inferiorem deriuari gaudium. Duplicem enim rationem in animâ intellectuali distinguunt, superiorem, & inferiorem: quæ non distinguuntur vt duæ facultates operatrices diuersæ, sed vt duo munia diuersa operandi eiusdem animæ. Eadem quippe, quâ in operando ducitur motiuis superioribus & æternis, dicitur portio superior; quâ motiuis inferioribus & temporalibus,

libus, dicitur ratio inferior: ex *August. 12. de Trinitate cap. 4. 12. & 14.* vbi hæc duo officia distinguit. Verùm hæc solutio difficultatem non dissoluit, quæ in eo sita est, quâ ratione possint summum gaudium, & summa tristitia in eodem subiecto simul manere, ad quod assignata distinctio de portione superiori & inferiori nihil iuuat. Nam cùm non sint duæ facultates reipsa, sed tantùm penes diuersos actus & officia, quæ eadem anima in seipsa exercet, distincta, remanet difficultas, quo pacto possint hi duo actus inter se oppositi in eodem indiuisibili subiecto simul recipi. Nam si isti actus sunt reuera oppositi, non desinent esse oppositi, ex eo tantùm, quòd vnus recipiatur in portione superiori, alter in inferiori eiusdem animæ, cùm portio superior non sit distinctum, sed idem reale subiectum cum inferiori. Et confirm. non potest in portione superiori recipi assensus, & in inferiori dissensus eiusdem obiecti: ergo nec gaudium beatificum & tristitia, si hæc sunt inter se opposita. Falsum prætereà est, Christum habuisse tristitiam in solâ portione inferiori animæ: quippe qui non modò tristatur de suâ morte, vt propriæ naturæ contrariâ, quod pertinet ad portionem inferiorem; verùm etiam de peccatis hominum, vt diuinæ Maiestatis offensiuis, quod spectat ad portionem superiorem.

22. *Non soluit diffic.*

Remanet in suo robore.

23. *Tertia solutio etiam communis.* TERTIA: potuisse in Christo esse summum gaudium, ortum ex visione beatificâ, & summam tristitiam, conceptam ex propriâ morte, & offensis contra Deum, quia hi actus, cùm versentur circa diuersa obiecta, non sunt inter se contrarij: nam vnus versatur circa Deum, alter extra Deum. Porrò actus, qui versantur circa diuersa obiecta & motiua formalia, possunt esse simul, quia vnus non destruit formale motiuum alterius. Sed contrà: etiamsi vnus actus non destruat motiuum alterius, adhuc motiuum vnius impedit motiuum alterius, ne habeat efficaciam ad permouendam potētiam, quam efficaciam haberet, si coniunctum non esset cum alio motiuo. Motiuum igitur gaudij beatifici etsi non tollit, saltem impedit motiuum tristitiæ, ne vim habeat ad mouendam voluntatem ad tristitiam, quam vim haberet, si coniunctum non esset cum motiuo gaudij beatifici. Confirm. voluntas non est nata operari, nisi vt mota à suo formali motiuo: ergo si formale motiuum vnius actûs, propter coniunctionem cum formali motiuo alterius, non est aptum mouere, nec voluntas erit apta à tali motiuo moueri.

24. *Sed contrà.*

Confirm.

25. *Quarta solutio quorund. Recent. Naturalem repugnantiam naturaliter superari potuisse.* QVARTA: potuisse gaudium beatificum, & tristitiam de morte, vel de peccatis hominum conceptam, in Christo simul esse, etiamsi huiusmodi actus naturaliter inter se pugnent; quia illa tantùm materia gaudij naturaliter impedit affectum tristitiæ, quæ apparet pro priori signo naturæ, non quæ pro posteriori: sed potuit in Christo pro priori signo naturæ non apparere materia gaudij beatifici, sed potiùs materia tristitiæ. Maior prob. bonū pro eo signo, pro quo non apparet cognoscēti, nullum potest afferre solatium ad impediendum, vel minuendum malum propositum. Confirm. 1. Si angelus dubius de aliquâ veritate interroget alium, qui eodem instanti manifestet illi talem veritatem; tunc pro priori signo naturæ dubitaret, pro posteriori gauderet, & certus esset de eâdem veritate. 2. Posset aliquis viator pro priori signo naturæ sperare de suâ salute, qui in posteriori signo naturæ haberet certam reuelationem suæ damnationis. Ergo potest quis naturaliter pro primo signo naturæ in eodem instanti temporis exercere aliquem affectum, quem non potuisset, si pro eo signo apparuisset aliud motiuum. Prob. minor. potuit visio beata, quæ vitali suo gaudio naturaliter impedit omnem affectum tristitiæ, animæ Christi non apparere pro priori signo naturæ, pro quo tamen apparere potuit obiectum tristitiæ: nam tristitia Christi, per modum obiecti visa in Verbo, naturâ præcedebat visionem beatam: quia priùs supponebatur tristitia futura in Christo, quàm per modū obiecti repræsentaretur in visione beatâ. Et licet visio beata tempore præcederet tristitiam, semper tamen supponebat illam vt futuram. In instanti verò, quo actus tristitiæ à Christo exercebatur, non poterat tristitia supponi vt futura, sed præsens: atque adeò pro eo instanti prius erat, Christum exercere tristitiam, quàm habere actum visionis beatificæ de suâ tristitiâ præsente; & consequenter quàm habere visionem beatàm simpliciter: quia cùm hæc sit simplex, non potest partim præcedere, partim sequi, sed vel tota præcedere, vel tota simul sequi.

Confirm. 1.

Confirm. 2.

26.

27. *Ingeniosior intricatiorque solutio. Contrà 1.* Hæc solutio nodum magis inuoluit: cùm difficilius sit, concipere, quod docet, quàm quòd gaudium beatificum & tristitia esse possint simul, præter multa, quæ ex eâ parum consona sequuntur. Nam 1. esto, pro instanti primo naturæ fuisset in Christo excitatus affectus tristitiæ, idem tamen statim fuisset extinctus ex materiâ gaudij beatifici, quę apparuisset pro instanti secundo naturæ. Nam quâ ratione gaudium beatificum pro instanti primo naturæ apparens non permittit excitari affectum tristitiæ: eâdem idem gaudium pro instanti secundo naturæ apparens non permittet eundem affectum excitatum cōseruari. Vti etiamsi pro instanti primo naturæ, pro quo nondum reuelatio futuræ damnationis apparet, possit homo elicere actum spei, nequit tamen idem actus spei perseuerare pro instāti secundo naturæ, pro quo apparet reuelatio futuræ damnationis: cùm non minùs isti actus pugnent in conseruari, quàm in fieri. Nisi fortè dicant, sufficere, vt huiusmodi affectus tristitiæ fuerint in Christo pro vno tantùm instanti: Sed hoc pugnat cum Euangel. vbi anima Christi tempore passionis, diutiùs perseuerauit in eodem affectu tristitiæ, quàm vno momēto; vt constat ex prolixâ oratione, quam in horto ad Patrem habuit; *Matth. 26. Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste:* & Lucæ 22. *Et factus in agonia prolixiùs orabat.* Dicent, superatâ semel naturali repugnantiâ pro instanti 1. naturæ, naturaliter postea huiusmodi affectus perseuerare simul in eodem subiecto. Sed hoc impugnatum est: cùm non minùs huiusmodi affectus naturaliter simul repugnent in conseruari, quàm in fieri. Vnde sicut non posset viator naturaliter cōseruare actum spei conceptum in primo signo naturæ, apparente in secundo signo naturæ certâ reuelatione propriæ damnationis: neque angelus dubiū conceptum pro primo signo naturæ, manifestatâ veritate pro instāti secundo naturæ: ita nec anima Christi affectum tristitiæ conceptum instanti primo naturæ, apparente gaudio beatifico instanti secundo naturæ. 2. Esto visio beata supponat in Christo tristitiam priorē in ratione obiecti, eadem tamē, quà tempore prior, nō admittebat in voluntate Christi affectum tristitiæ: quia gaudium beatificum, quà præexistens & apparens in voluntate Christi, eum non admittebat: at etiamsi visio beata supponebat tristitiam Christi vt futuram priorem in ratione obiecti, adhuc ipsa præexistebat & apparebat tempore priùs in animâ Christi, quàm ab eâdem exerceretur affectus tristitiæ; neque dum actu tristitiam eliciebat, cessa-

28. *Dices.*

Contrà.

29. *Apparentior responsio. Contrà.*

30. *Contrà 2. Tota difficultas.*

cessabat ab eâdem visione & gaudio beatifico, quod antè habebat. Igitur illa posterioritas, quâ in ratione obiecti visio beatifica pēdet à tristitiâ Christi, nil iuuat: nam cum hâc posterioritate obiectiuâ, manet in visione prioritas subiectiua respectu tristitiæ nōdum elicitæ; ac proinde efficax & expedita ad impediendum, ne eliciatur: cùm non possit visio beata esse prius subiectiuè in animâ Christi, nisi sit etiam prius vt apparens; cùm idem sit, actum visionis esse in intellectu, ac esse apparenter, cùm ipsius effectus formalis sit, apparere facere obiectum. Cæterùm, an ex suppositione, quòd tristitia futura præuisa sit per visionem beatam, non possit ab humanâ voluntate Christi non elici, est alia difficultas, pendens ab illâ infrà, an Christus liberè eliciebat suos actus, quos intuitiuè videbat in Verbo futuros.

Nodum non soluit.

31. *Contrà 3.* 3. Esto visio beata in ratione obiecti secundarij pendeat à tristitiâ, quam in Verbo repræsentat, ac proinde in ratione obiecti secundarij sit illâ posterior: eadem tamen, vt est visio Dei obiecti primarij, à nullo creato obiecto pendet; ergo vt sic præcedit tristitiam futurā Christi, prioritate subiectiuâ, & obiectiuâ: sed visio beata, ratione solius obiecti primarij, quod solum complete beat, est efficax & expedita ad impediendam omnem tristitiam; id non habet ex secundario creato.

32. *Dices.* Occurrunt: Esto visio obiecti primarij præcedat visionem secundarij, quod vi primarij visi videtur: quia tamen eadem est simplex visio indiuisibiliter tendens ad vtrumque obiectum, non potest eadem poni pro signo secūdo naturæ circa secundarium, quin ponatur circa primarium.

33. *Retorquet argum.* Sed 1. Visio beata est simplex, indiuisibiliter tendens ad obiectū primariū & secundarium, at vt tendens ad primariū, est prior seipsâ vt tendēte ad secundarium: ergo potiùs poni debet pro primo signo circa primariū, & simul etiam circa secundarium; quàm contrà, cùm potiùs visio primarij trahere debeat visionē secundarij, cuius primarium, etiam in ratione visi, est causa; quàm visio secundarij visionem primarij, cuius secundarium, etiam in ratione visi, est effectus.

34. *Resp. 2.* 2. Falsum est, simplicitatem visionis beatificæ impedire, quò minùs, si ponatur in signo secundo naturæ secundùm obiectum secundarium, eadem poni possit in signo primo circa primarium: cùm in eâdem entitate indiuisibili assignari possint diuersa signa, vt patet in scientiâ & voluntate diuina. Eadem quippe scientia simplicissima Dei, vt est simplex intelligentia rei possibilis, est prior seipsâ, vt est visio eiusdem rei existentis: eademque vt simplex intelligentia, præcedit liberum decretum Dei; vt visio, subsequitur idem. Ergo à fortiori non impedietur, quin eadem visio beata Christi, vt est ad obiectum primarium, præcedat seipsam, vt est ad secundarium: ac proinde vt tendens ad primarium, priùs appareat animæ Christi, quàm vt tendens ad secundarium; adeoque sit efficax & expedita pro primo signo ad impediendum affectum tristitiæ, cuius obiectum non apparet, nisi in secundo signo.

Diuersa signa prioritatis & poster. in re simplicissimâ.

35. *Ad rationem in oppositum.* Ad rationem constat: Falsum enim est, gaudium beatificum non apparuisse in Christo pro primo signo naturæ. Et esto, non apparuerit, atque adeò in eo signo non impedierit affectum tristitiæ, adhuc tamen apparens in secundo signo, impediuisset, ne idem affectus tristitiæ vlteriùs perseueraret. Vtraque confir. est contra aduersarios, vt *suprà*. Esto enim, pro 1. signo naturæ possit, vel viator sperare, vel angelus de veritate sibi ignotâ dubitare; nego tamen, aut viatorem, apparente reuelatione suæ damnationis, vlteriùs sperare; aut angelum, manifestatâ sibi veritate, ampliùs dubitare posse.

Quinta est; potuisse gaudium beatificum, & tristitiam simul esse in Christo: 1. quia isti actus non habent repugnantiam essentialem inter se: 2. quia ratione duplicis status, in quo constitutus erat Christus, viatoris scilicet & comprehensoris, erant illi connaturales. 36. *Quinta solutio probabilior.*

37. *Non habent gaudium & tristitia essentialem repugnantiam.* Primum constat; nam illi tantùm actus habent essentialem repugnantiam inter se, quorum motiua sese mutuò destruunt; seu quorum essentiæ simul esse nequeunt, quorum aut motiua, à quibus actus ipsi essentialiter pendent, sese mutuò destruunt: at motiuum gaudij beatifici est Deus in seipso visus & amatus: motiuum tristitiæ in Christo erat, vel nociuum naturæ assumptæ, vel hominum ruina, vel Dei offensa à creaturis illata: & Deus in seipso visus & amatus non destruebat essentialiter in Christo nociuum naturæ assumptæ, nec hominum ruinam, aut offensam Dei à creaturis illatam: cùm hæc motiua non sint inter se contraria, sed tantùm disparata: solùm enim Deus propter se odio habitus est motiuum oppositum motiuo gaudij beatifici, cuius motiuum est idem Deus in seipso visus, & propter se amatus.

38. *Fuerunt Christo connaturales actus ratione duplicis status.* Secundum prob. ratione status Comprehensoris, naturaliter exigebat habere proprietates & operationes, Comprehensoris, quæ sunt visio, dilectio, & fruitio beata: ratione status viatoris naturaliter exigebat habere proprietates & operationes viatoris, inter quas sunt tristitia, & reliquæ animæ, mortali corpori coniunctæ, passiones. Eadem quippe anima Christi, vt forma corporis passibilis, & vnita sensibus, naturaliter postulabat participare proprietates sui corporis, cum quo sicut constituebat vnum in esse, ita & in operari: vt verò beata & abstracta à sensibus, naturaliter postulabat participare dotes animæ separatæ, & gloriosæ.

Nota. Vnde naturale esset animæ, si eadē simul esset separata, & vnita corpori passibili, obire munia & proprietates vtriusque status: Naturale esset corpori, si simul propè ignem, & aquam esset replicatum, sentire qualitates vtriusque elementi. Ergo naturale quoque erat animæ Christi in duplici statu constitutæ, exercere operationes vtriusque status.

39. *Discrimen inter Christum viatorem & beatos.* Cæteris verò beatis esset omninò violenta & præternaturalis tristitia, & quilibet affectus afflictiuus; eo quòd ratione nullius status illum exigit. Vnde quamuis simpliciter non implicet, beatos in statu beatitudinis tristari, naturaliter tamen id repugnat, cùm sint constituti extra omnem statum patiendi, & in statu tantùm fruendi & gaudendi: aut quia Deus ad contristatiuos actus negat perpetuò concursum: aut quia beati, conscij diuinæ voluntatis, statuentis, illos in eo statu conseruatos velle ab omni molestiâ liberos, nunquam tales actus in seipsis exercent, nisi simplicem dūtaxat displicentiam, quam concipiunt de diuinis offensis, & proximi ruinâ, absque vllo sensu tristitiæ.

40. *Ad argum. sæpe inculcatum.* Ad illud quòd materia gaudij beatifici non permisisset in animâ Christi affectum tristitiæ, si pro 1. signo naturæ ante motiuum tristitiæ apparuisset, Resp. permisisse, vt huiusmodi affectus in animâ Christi excitaretur, non naturaliter & necessariò, Sed sponte ac liberè: nam ratione summi gaudij beatifici, quo anima Christi fruebatur, potuisset ad obiecta contristantia non attendere, nec de illis dolorem concipere, sed omnem intellectûs intuitum, & volūtatis affectum, ab illis auertere; solumq; secum manere in secreto suæ beatitudinis ac fruitionis: Sponte tamen ac liberè voluit huiusmodi affectus in seipso suscipere atque exercere: tum, vt Concilia & PP. docent, ad ostensionem veritatis assumptæ naturæ: tum ad maius meritum, & argumentum suæ erga nos, & æternum Patrem dilectionis:

nis: quod Ambrosius *cit.* dixit: *Et sequestrata delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur:* & ad Hebr.12. *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem:* nempe cùm posset tantùm frui delectatione diuinitatis, & gaudio, quod de visione Dei capiebat; sentire tamen pro nobis voluit tristitiæ, doloris, angorisque affectus: nec ratione præcepti ad eos obligabatur, sed tantùm ad externam corporis mortem sustinendam; quam sustinere potuisset, absque vllo interno, tam rationalis, quàm sensitiui appetitûs, tristitiæ affectu. Quippe qui ratione gaudij beatifici impedire poterat etiam in appetitu sensitiuo affectum tristitiæ, manente tantùm in eo solâ cognitione sensûs externi doloris.

Libera susceptio internarum passionum non pugnabat cum præcepto moriendi.

41. *Coroll. 1.* Ex dictis sequitur 1. naturalem illam repugnantiam, quæ inter gaudium beatificum, & tristitiam reperitur, fuisse voluntariè ab humanâ Christi voluntate superatam, cum aliquâ exigentiâ connaturalitatis, ratione statûs viatoris, in quo Christus erat cõstitutus. Cæterùm negandum est, obiectum tristitiæ in præsentiâ gaudij beatifici, nullam habere vim & efficaciam ad effectum tristitiæ in voluntate beatâ Christi excitandum, sed tantùm ad illum naturaliter & necessariò excitandum. Nam hæc motiua vis voluntatis ad tristitiam, est ipsa obiectiua malitia, quæ per gaudium beatificum non tollitur, sed tantùm impeditur, ne apprehensa naturaliter ac necessariò moueat voluntatem humanam Christi ad affectum tristitiæ.

42. *Dices.* Dices: minus bonum in præsentia maioris boni non habet vim mouendi voluntatem ad prosecutionem sui: ergo nec motiuum tristitiæ in præsentiâ gaudij beatifici habebit vim mouendi voluntatem Christi ad affectum tristitiæ. *Resp. 1.* Resp. 1. neg. antec. nam potest voluntas ex duobus bonis creatis propositis pro suâ libertate eligere minus, relicto maiori, ac proinde moueri ad prosequendum minus bonum in præsentiâ maioris boni, vt 3. *tom.*
43. *Resp. 2.* Resp. 2. neg. conseq. nam in priori casu voluntas debet alterutrum ex duobus bonis propositis eligere; & quia tanquam essentialis appetitus boni, naturaliter propendet ad maius bonum, ex duobus bonis sibi propositis, naturaliter eliget maius. In posteriori verò non debet alterutrum eligere, vel gaudium beatificum, vel tristitiam; sic enim absque dubio non posset præ gaudio beatifico, tristitiam eligere; quia gaudium beatificum necessariò, tristitiam liberè humana Christi voluntas elicit: sed vtrumque & gaudium & tristitiam simul. Quo pacto nulla est repugnantia, quin retento gaudio beatifico, liberè moueri possit ab obiecto tristitiæ. 2.
44. *Coroll. 2.* Longè acriores fuisse hos affectus tristitiæ & doloris in Christo, quàm in nobis: tum quia in Christo fuerunt voluntariè excitati ab immenso amore, quo erga Deum & homines Christus flagrabat: proinde probabile est, illos eliciuisse ex summâ apprehensione, & maximo conatu, quo poterat. In nobis autem naturaliter excitati continuò leniuntur per oppositas rationes & motiua, quæ priuatus amor nostri ad illos mitigandos naturaliter excogitat. Christus autem nulla adhibebat motiua ad eos voluntariè excitatos leniendos. Tum quia tantò erant huiusmodi affectus in Christo acriores, quantò longè profundiùs, quàm nos, penetrabat illorum causam. Nam quis profundiùs ipso penetrat, aut penetrare potest, causam tristitiæ, quæ concipitur ex offensis contra Deum, quem & in seipso videbat, & propter se summè amabat? quis profundiùs ipso penetrare potest causam tristitiæ conceptibilis ex æternâ ruinâ hominum, vtpotè qui in seipso proprio experimento altè perpendebat summam illam fælicitatem, quâ propter peccata tot hominum myriades essent priuandæ?

Ex his abundè satisfit rationi 1. dubit.

Dico 3. Fuit in Christo verus timor sensibilis. 45.
Est certa, tum ex illo vniuersali principio, quod vnanimi consensu, *vt suprà*, tradunt PP. & Concilia, Christum ad experiendam assumptæ naturæ veritatem, in seipso sustinere voluisse omnes innoxias passiones naturæ humanæ, iuxta illud *Hebr.* 4. *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato.* Tum specialiter ex illo *Marci* 14. *Et cœpit pauere & tædere. Quia enim*, vt Theophyl. in hunc locum apud S.Thom. in suâ Catenâ, *assumpserat hominem, assumpsit & naturales proprietates hominis, pauere, & tædere, & contristari naturaliter.* Ad 3. rationem dub. concedo, non posse timorem efficacem, de quo tantùm *cit.* 2. *Rhetor. Philos.* habere locum, vbi nulla est spes euadendi malum, quod timetur; nego, non posse habere locum timorem inefficacem, qui concipi potest, etiam de malo certo & ineuitabili: vt constat de eo, qui ad saluandam propriam vitam, certò decreuit se proiecturum suas merces in mare, & tamen eas proijcere timet. 46. *Ad 3. rationem dub. Duplex timor.*

Dico 4. Fuit etiam in Christo timor filialis erga Deum. Est certa tum ex illo principio, quod in Christo fuerunt omnia septem Spiritus dona, inter quæ est hic timor filialis, vt constat ex *Isaia* 11. *Et replebit eum Spiritus timoris domini.* Tum quia Christus cum gratia habituali accepit omnes habitus infusos, vt proprietates illam consequentes. Ad 4. rationem dub. Resp. 1. timor filialis non est tantùm fuga mali culpæ, vt à se committibilis, sed etiam vt committibilis ab alijs: nam filius in humanis filialem timorem erga Patrem exercet, etiam quando propter reuerentiam & amorem eiusdem, timet, ne alij illum offendant. Christus igitur, etsi timere non posset, ne patrem propriâ culpâ offendat, propter eundem tamen amorem & reuerentiam timere potest, ne ab alijs offendatur. 47. *Assertio 4.* 48. *Ad 4. rationem dubit.*

Dices: neque Christus timere potest, ne alij Deum offendant, cùm certò sciat, quinam sint Deum offensuri: timor autem, saltem efficax, est de re incertâ. Nego antec. Ad prob. esto Christus certò sciat, quinam sint Deum offensuri: scit tamen, se posse illos impedire, ne Deum offendãt: multiq; sunt oratione & precibus, ex hoc filiali timore erga Patrem à Christo fusis, efficaciter impediti, ne Deũ offenderent, qui alioqui impediti non essent. 2. Nego, humanam voluntatem Christi nullum posse actum filialis timoris dé malo culpæ, non quidem quod de facto possit à se, ex suppositione quòd iam sit hypostaticè vnita Deo, committi, sed quòd committi potuisset, si non fuisset hypostaticè vnita Deo. Nam, vt 3. *to. disp.* 9. *sect.* 3. possumus etiam circa impossibilia, apprehensa vt possibilia, aliquem affectum simplicis complacentiæ, vel displicentiæ exercere: ergo multò magis circa ea, quæ sunt simpliciter possibilia, vti est, humanam naturam Christi peccare potuisse, si non fuisset hypostaticè vnita Deo. Nota, hunc timorem filialem exerceri posse ab animâ absque vllâ passione afflictiuâ: cùm ille de facto exerceatur à beatis, & ab ipso Christo nunc in gloriâ existente, ex reuerentiali amore in Deum, absque vllâ anxietate, duplici modo suprà explicato. 49. *Dices.* *Resp.* 50. *Resp. 2.* 51. *Nota.*

Dico 5. Fuit in Christo affectus iræ. Hæc non est de fide, sed authoritate Scholast. certa, quam tradit *S.Thom.* 3. *p. quæst.* 15. *art.* 9. & reliqui *in* 3. *dist.* 15. ex illo Ioan. 2. *Et cùm fecisset*, nempe Iesvs, *quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo:* subdit Euang. *recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me*; scilicet Prophetiæ 52. *Assertio 5.*

phetiæ de Christo: Zelus autem quædam species iræ est, quæ teste *S. Thom.* 1.2. *quæst.* 28. *art.* 4. ex vehementia amoris oritur: siue, vt illum *apud S. Thom. in cit. Ioan.* definit *Alcuinus: Est quidam feruor animi, quo mens, relicto humano timore, pro defensione veritatis accenditur.* Ratio: nullum defectum humanæ Christi naturæ repugnantem includit hic affectus, & honestè exerceri potest: nam, vt *cit.* 3. *p.* docet *S. Doctor*, ira est appetitus repellendi iniuriam sibi, vel alijs illatam, ex tristitia causatus: potest autem quis honestè & virtuosè iniuriam sibi, vel alijs illatam, secundùm debitum ordinem iustitiæ, repellere ac propulsare.

Ergo ira fuit in Christo.

53. *Dices.* DICES: sequitur, etiam in Deo esse affectum iræ; dicitur enim iratus: Exodi 4. *Iratus Dominus in Moysen:* & 32. *Dimitte me, vt irascatur furor meus contra eos:* ad Rom. 9. *Deus volens ostendere iram suam*, & sæpè alibi. *Resp.* Concedit Sequelam *Suarez relect. de Iustitia Dei sect.* 5. citans pro se *Lactantium.* Negant communiter alij cum *S. Thom.* 1. *parte quæst.* 20. *artic.* 1. *ad* 2. quæ Sententia probabilior est. Nam ira inuoluit tristitiam, non modò vt causam, ex quâ originatur, verùm etiam vt obiectum: est enim ex Philos. *Appetitus vicissim dolorem inferendi*, siue vt Nyssenus apud *Vasquez disp.* 62. *cap.* 5. *Appetitus recruciandi.* Repugnat autem Deo tristitia; ergo & ira.

Repugnat Deo tristitia.

54. *Vrges.* At occurrit *Suarez*, tristitiam includi in irâ vt obiectum materiale, non vt formale: potest igitur Deus habere hunc affectum vindicandi tristitiam non sibi, sed iustis vt amicis illatam. Sed contrà: nisi affectus vindicandi iniuriam sibi, vel alijs illatam, includat respectum ad tristitiam à se conceptam, non habet rationem iræ, sed potiùs actus iustitiæ vindicatiuæ, quæ Deo non repugnat. Esto igitur tristitia, propter propriam vel alterius iniuriam concepta, sit obiectum materiale, tamen respectus ipse ad tristitiam à se conceptam, quam vindicare intendit ira, est obiectum formale iræ. 55. *Ad 5. rationem dubit.* Ad 5. rationem dub. esto, Christus non habuerit affectum vindicandi tristitiam à Iudæis illatam, & à se conceptam, intuitu sui, habuit tamen affectum vindicandi illam intuitu Dei, quod ad iram sufficit. Nec refert: quòd Christus non violenter & inuitus, sed voluntariè tristitiam à Iudæis illatam acceperit, quia sufficit, vt saltem causa illius fuerit contra Christi voluntatem à Iudæis illata.

56. *Assertio 6.* DICO 6. Fuit in Christo affectus admirationis. est certa auth. *Scholast.* quam docent *S. Thom.* 3. *parte quæst.* 15. *art.* 8. &c. *in* 3. *dist.* 15. *&* 16. quamuis non desint Recent. qui proprium affectum admirationis Christo negent. Pro quibus citari potest August. *lib.* 1. *de Genes. con. Manich. cap.* 8. vbi docet, eo modo miratum fuisse Christum fidem Centurionis, sicut *Genes.* 1. dicitur Deus vidisse lucem, quòd esset bona: non quòd aliquod insolitum bonum Deo eluxerit; sed quòd perfectum placuerit: eodem modo Christus non est Centurionis fidem admiratus, vt aliquid insolitum & inopinatum, sed vt, *Nobis mirandum esse significaret, quibus adhuc est opus sic moneri:* concludit: *Omnes ergo tales motus eius non perturbati animi sunt signa, sed docentis Magistri.* Sentit igitur ibi, hunc affectum non fuisse in Christo cum vero motu admirationis, quæ importat inopinatam notitiam insolitæ rei, sed tantùm, vt nos doceret, quæ, & quando admirari debeamus. Verùm de mente Augustini *infrà*: deserenda non est sententia communis: difficultas consistit in soluendâ sextâ ratione dub. Soluit illam *Vasquez disp.* 62. *cap.* 4. disting. cum *August. Epist.* 101. duplicem admirationis affectum, alterum ortum ex re inopinatâ, & hunc negat Christo, cui nulla res poterat esse inopinata, quippe cui per scientiam infusam omnia patebant: alterum natum ex re insuetâ & rarâ, qui esse potest absque vllâ ignorantiâ rei: estque affectus delectationis ex rei magnitudine proueniens, & in laudem inclinans: & hic tantùm ex *August.* fuit in Christo cùm fidem Centurionis miratus est. *Neque enim*, vt in *cit. Epist.* scribit, *eum rei vllius ratio potuit latere, sed admiratio pro laude posita est eius, cuius par in populo Hebræo non apparuerat.*

An August. id neget?

Duplex affectus admirationis.

57. *Ne tribuatur Deo aliud requiritur.* Quoniam verò admiratio hoc modo explicata tribui posset Deo, nam etiam Deus absque vllo defectu ignorantiæ posset rem raram & insolitam laudare, addit, ad affectum admirationis necessarium prætereà esse, vt res, quæ vt rara & insolita ab admirante laudatur, sit supra naturales vires ipsius. Quia igitur nulla res quantumuis rara & insolita excedit naturalem virtutem Dei, cuius omnia sunt naturales effectus & dona, ideò non potest, in Deum admirationis affectus cadere: potuit autem cadere in Christum vt hominem, cuius vires naturaliter spectatæ, superabantur à rarâ & insolitâ fide Centurionis. 58. *Etiam prior admiratio fuit in Christo.* Cæterùm negari non potest, etiam priorem affectum admirationis, ortum, non quidem ex ignorantiâ rei simpliciter, sed ex defectu tantùm modi cognoscendi, per species & scientiam acquisitam, potuisse esse in Christo, ex *S. Thom.* Nam cùm per scientiam acquisitam, quam sibi Christus ex rebus paulatim ac successiuè comparabat, non posset statim cognito effectu, simul cognoscere & causam, quia species acquisita, quæ repræsentabat effectum, non exprimebat simul & causam, sed solùm illam arguebat, non secus ac in nobis; ideò vi huius scientiæ poterat Christus admirationis affectum exercere, vt cognito nimirum per vnam speciem acquisitam effectu cum delectatione appetere, per aliam speciem ex rebus comparandam cognoscere causam. Nec obstat, quòd eandem rem perfectè nouerat per scientiam infusam: nam sicut non obstante scientiâ infusâ; poterat Christus easdem res nouo modo scientiâ acquisitâ cognoscere: ita eâdem poterat admirationis affectum exercere. 59. *Optima ratio.* Patet, cur in Deum cadere non possit admiratio: scilicet quia Deus nullo sciendi modo potest rem ignorare; nullam notitiam accipit à rebus, sed omnem habet à seipso, cùm ipse sit non solùm eminentissima causa rerum omnium, sed etiam perfectissima species intelligibilis earundem, nullâque externa specie opus habeat, vt res intelligat. *Ad authoritatem Aristotelis, & August.* Aristoteli concedo ad hunc modum admirationis necessarium esse aliquem defectum, vel scientiæ, vel modi sciendi. Augustini *cit.* verba non negant simpliciter, affectum admirationis in Christo, sed tantùm cum defectu scientiæ: qui modus admirandi est etiam verus & proprius, & non tantùm metaphoricus.

DISPVTATIO XXIV.

De defectibus animæ à Christo non assumptis.

POST defectus innoxios animæ afflictiuos à Christo assumptos, disputo de defectibus noxijs, qui sine aliquâ morali indecentiâ exerceri non possunt, à Christo non assumptis, vt videamus, num saltem de potentiâ absolutâ poterit illos, vel aliquem illorum assumere: vt hinc magis constet natura & perfectio vnionis hypost. si neque de potentiâ absolutâ potuerit aliquem mora-

Duplex defectus.

moralem defectũ in se admittere. Duplex autem est defectus animæ rationalis, qui de facto à Christo assumptus non est, controuertitur tamen, an saltem assumi potuerit, peccatum, & ignorantia: primus ad voluntatem, secundus ad intellectum pertinet.

SECTIO PRIMA.

An humanitas Christi vnita Verbo peccare potuerit?

1. SVPPONO de fide certum, nullum de facto in humanitate Christi fuisse peccatum, neque originale, *Lucæ* 1. *Quod nascetur ex te Sanctum.* Ponitur hîc τὸ *nascetur* pro *cõcipietur*, vt interpretes adnotant: Quod autem concipitur Sanctum, peccatum non habet, quod cum sanctitate pugnat: Neque actuale ex 1. *Petri* 2. *Qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius.* Eandem veritatem definit *VI. Synodus act.* 8. *longè post med.* vbi statuit, Christum habuisse humanam voluntatem impeccabilem. Quo supposito, omnes DD. Catholici conueniunt, humanitatem Christi ratione beatitudinis, quam ab initio suæ conceptionis accepit, peccare non potuisse. Sola controuersia est, an præcisâ beatitudine, sine qua Verbum naturam humanam assumere poterat, peccare potuisset.

Quid præcisâ beatitudine?

2. *1. Sentent.* PRIMA sententia affirmat: *Durandi in* 3. *dist.* 12. *q.* 2. *Rubio q.* 1. *art.* 1. *Corol.* 1. *post* 3. *concl. Mayro. dist.* 5. *q.* 1. *fine, Gabriel. dist.* 1. *quæst.* 2. *art.* 1. *fine*, *Marsilij q.* 3. *art.* 2. *p.* 4. *concl.* 3. *& q.* 9. *art.* 3. *concl.* 5. quorum hic negat, casu quo humana Christi natura peccaret, Deum denominatum iri peccatorem; eo quòd non omnia prædicata humanitatis attribui possunt Deo, ratione communicationis idiomatum. Nam si Verbum assumpsisset filium Ioannis, non diceretur filius Ioannis, aut si assumpsisset naturam Luciferi, non denominaretur peccator ex peccato, quod Lucifer ante assumptionem commisit; sicut nec diceretur peccator ex peccato, quod hæc humanitas dimissa à Verbo committeret in proprio supposito: ergo nec peccante humanitate, denominaretur Verbum peccare. Cæteri verò affirmant, eo casu Deum denominatum iri peccatorem. Nam hæc est tantùm denominatio per communicationem idiomatum, quæ nullam ponit in Verbo imperfectionem. Eandem vt probabilem approbare videtur *Herue. in* 3. *dist.* 1. *quæst.* 1. *ad argum. circa finem*, & sequitur ex doctrina *Scoti in* 3. *dist.* 2. *qu.* 1. *& dist.* 12. *quæst. vnic.* docentis, Christi humanitatem non esse impeccabilem vi vnionis, sed beatitudinis, sine quâ potuit à Verbo assumi. Fundam. natura humana Christi vnione hypost. non est intrinsecè mutata: ergo si absque illâ peccare poterat, etiam cum illâ poterit peccare.

Fundam.

3. *2. Sentent. vera.* SECVNDA negat: *Magistri in* 3. *dist.* 12. *Bonau. art.* 2. *qu.* 1. *S. Thom. qu.* 2. *art.* 1. *Capreo. q. vn. art.* 1. *Paluda. q.* 2. *Argent. q.* 1. *art.* 2. *Richar. art.* 2. *q.* 1. *Palatij disp.* 2. *Almai. in* 3. *q. vn. Medi. Valent. Suar. Vasquez. Cabre.* 3. *p. qu.* 15. *art.* 1. Quæ sent. vera est, & Augustini *in Enchir. cap.* 40. vbi de Christo, *In ipso*, inquit, *exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei, ac sic in naturæ humanæ susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum posset admittere.* Vbi ad vnionem, non ad beatitudinem refert humanæ Christi naturæ impeccabilitatem. Eandem passim docent reliqui PP. qui videri possunt apud Recent. Colligo ex *VI. Synodo act.* 8. *supra cit.* in

4. *Potissimum eam docet VI. Synodus.*

quâ definitur, Christum habuisse voluntatem humanam impeccabilem. Porrò impeccabilitas negat potentiam ad peccandum, vt patet: alioqui si solum peccatum Concilium negare voluisset, non dixisset, *Habuit humanam voluntatem impeccabilem*; sed potiùs, non habuit peccatum. Confirm. hæc propositio: *Humana Christi voluntas est impeccabilis*, contradictoriè opponitur huic: *Humana Christi voluntas est peccabilis*: cùm æquipolleat huic: *Non est humana Christi voluntas impeccabilis*, quæ contradictoriè opponitur à Concilio assertæ. Video, responderi posse, 1. Conciliũ tribuere humanæ Christi voluntati impeccabilitatem, non ratione vnionis, sed beatitudinis, quâ eadem Christi voluntas fruebatur. Sed contrà: ibi agitur contra *Eutych. & Monothel.* de duabus naturis & voluntatibus, diuinâ & humanâ, in eâdem personâ Verbi inconfusè copulatis: & vi illius formæ Concilium tribuit humanæ Christi voluntati impeccabilitatem, vi cuius eidem tribuit carentiam omnis peccati scilicet vi assumptionis, seu vnionis; *Quoniam verò*, inquit, *alteram personam* (intellige creatam) *& post humanationem vnus S. Trinitatis non assumpsit, propter hoc nec aliquid peccati dicimus, eum assumpsisse.* Concilium denique hanc humanæ voluntatis Christi impeccabilitatem refert ad regimen Verbi, non ad beatitudinem, de quâ in illâ actione nulla mentio. Nam postquam asseruerat, animam Christi nullum in se naturalem motum excitare, nisi ad nutum Verbi sibi substantialiter vniti, sic testimonio *Nysseni* concludit: *Quemadmodum nostrum corpus regitur, & ornatur, atque ordinatur ab intellectuali & rationali anima nostra, ita & in Domino Christo tota humana eius conspersio* (scilicet natura) *ab eiusdem Verbi diuinitate semper, & in omnibus mota Deo mobilis erat.* 2. Concilium tantùm de potentiâ ordinariâ tribuere humanæ Christi voluntati impeccabilitatem, non de potentiâ absolutâ, de quâ tantùm prima sententia. Sed contrà: cùm hanc impeccabilitatem Concilium referat ad regimen Verbi; cumque semper idem sit regimen, siue de potentiâ ordinariâ, siue de absolutâ, dicatur humana Christi natura peccare posse, eadem semper erit ratio implicantiæ à Concilio assignata. Maior difficultas est in assignandâ ratione.

5. *Respondent* 1.

6. *Respondent* 2.

Hæc quoad auctoritatem.

7. *1. Ratio. Contrà.* PRIMA sequeretur, Deum denominari peccatorem. Sed contrà: aduersarius non reputat absurdum, Deum denominari peccatorem per solam idiomatum communicationem, si aliunde non repugnat peccatum in assumptâ naturâ: sicut nec est absurdum, denominari mortuum in assumptâ humanitate.

8. *2. Ratio Vasquez.* SECVNDA *Vasquez disp.* 61. *cap.* 6. vnio hypost. est formalis sanctitas, cum quâ magis pugnat peccatum, quàm cum gratiâ adoptionis; implicat autem cum gratiâ adoptionis peccatum: Ergo à fortiori cum gratiâ vnionis. Cæterùm cum gratiâ adoptionis solùm pugnat mortale, cum gratiâ vnionis pugnat etiam veniale; quia hæc constituit subiectum naturalem filium Dei, & infinitè sanctum sanctitate deriuatâ ex ipsâ Deitate, vnitâ vt formâ morali seipsâ sanctificante humanitatem. Sed contrà: licet hæc ratio saluet, quo pacto peccatum manere non possit cum humanitate vnitâ Verbo, non tamen saluat, quo pacto committi non possit ab humanitate, & simul esse causa destructiua vnionis cum Verbo. Sicut licet peccatum manere non possit cum gratiâ adoptionis, committi tamen potest à filio adoptiuo, & simul esse causa destructiua gratiæ adoptionis. Respondet *Vasquez cap.* 7. Ideò non posse humanitatem vnitam Verbo, quamuis possit homo

Contrà.

9. *Respondet Vasquez.*

sit homo existens in gratiâ peccare, quia gratia vnionis ex suâ naturâ non manet subiecta actionibus humanitatis, sed petit conseruari à solo Deo independenter ab actionibus humanitatis; gratia verò adoptionis naturâ suâ petit conseruari & augeri dependenter ab actibus humanis, quo fit, vt illa amitti non possit actione peccaminosâ humanitatis, sicut hæc; quia sicut illa non conseruatur dependenter ab actione ipsius, ita nec amitti potest peccato ipsius. *Contrà.* Sed contrà: 1. gratis fingitur hoc discrimen. Cæterùm quòd vnio hypost. non augeatur operibus Christi, vti augetur gratia adoptionis, est quia illa indiuisibilis est, hæc diuisibilis: 2. saltem posset Deus de potentiâ absolutâ conseruare gratiam vnionis dependenter ab actionibus humanitatis, & tunc posset humanitas vnita Verbo peccare, & peccando vnionem amittere, cùm tamen PP. & *Scholastici* absolutè negent, posse. Aliter respondent: ideò non posse, etsi peccato dissoluenda esset vnio, quia sanctitas, quâ sanctificatur humanitas Christi à personâ Verbi, excludit etiam omnem potentiam peccandi; est omnium perfectissima, quæ in genere sanctitatis participatæ excogitari potest: ergo ad eam pertinet excludere etiam omnem potentiam peccandi: alioqui in genere sanctitatis participatæ excogitari posset perfectior, quæ excluderet etiam potentiam peccandi; idque etiam essentialiter, & de potentiâ absolutâ. Dicitur autem sanctitas humanitatis Christi, participata, non quòd sit creata, cùm sit ipsa increata Verbi vnita humanitati; sed quia illam non habet humanitas à se per intrinseca sua principia, vti illam habet Verbum, sed per coniunctionem cum personâ Verbi. *Confirmat.* Confirm. talis sanctificatio, quæ in genere sanctificationis participatæ excludat etiam potentiam peccandi, non implicat: ergo concedenda est humanæ naturæ Christi, vt sit magis à peccatoribus segregata.

10. *Defenditur ratio Vasquez à recent.*

11. *Quid probent.* Hæc ratio rectè probat, non posse humanitatem vnitam Verbo, ne quidem solutâ vnione cum Verbo, peccare, nam vt posset, deberet in sensu composito cum vnione retinere potentiam peccandi, cùm non possit absque potentia peccandi peccare. 12. *Quid non probent.* Cæterùm non probat non posse physicam potentiam peccandi manere cum humanitate vnitâ Verbo: nam esto potentia peccandi non exigatur ab humanitate vnitâ Verbo, vnde tamen probatur, non posse de potentiâ absolutâ illam conseruari cum vnione ad Verbum? *Ad hominem.* sicut ab eadem humanitate vnitâ Verbo non exigitur error prauæ dispositionis, aut habitus vitiosus ante vnionem contractus, & tamen de potentiâ absolutâ possunt hæc per aduers. cum vnione hypost. conseruari.

13. *Instatur.* Respondent, Physicam potentiam peccandi repugnare cum humanitate vnitâ Verbo ratione infinitæ sanctitatis, quam Verbum necessariò tribuit humanitati sibi vnitæ. *Reijcitur.* Sed contrà 1. non tenetur Verbum tribuere omnem sanctitatem, quam posset assumptæ naturæ: vti posset ei non tribuere sanctitatem accidentalem prouenientem ex iustitiâ habituali: *Ad hominem.* nec tenetur assumptæ naturæ tribuere omnem dignitatem, quam posset: siquidem per ipsos posset in eâ relinquere condignitatem ad aliquam pœnam ex præterito peccato ante assumptionem commisso, errorem prauæ dispositionis, habitum vitiosum, actum obiectiuè & materialiter prauum; quæ omnia magis pugnant cum infinitâ dignitate, quàm potentia peccandi cum infinitâ sanctitate: *Magis ad rem.* nec tenetur lege naturali non permittere peccatum in assumptâ naturâ: ergo nec lege vllâ naturali tenebitur, ab eâ tollere Physicam potentiam peccandi: quam si teneretur tollere, maximè eam teneretur tollere propter debitum, quod habet non permittendi in eâ peccatum, cùm magis illi repugnet peccatum, quàm potentia peccandi. 2. Vt probent, non posse physicam potentiam peccandi manere cum humanitate vnitâ Verbo, probare deberet, talem potentiam in suâ ratione formali includere imperfectionem moralem repugnantem naturæ vnitæ Verbo: at nulla includit physica potentia peccandi: tum quia omnis moralis defectus necessariò pendet à liberâ voluntate operantis; Physica autem potentia peccandi nullo modo pendet à liberâ voluntate humanitatis vnitæ Verbo, cùm illa antecedat omnem ipsius libertatem, eamque formaliter constituat, pendeatque à solo Deo, qui illam partim producit cum naturâ, partim complet per suum liberum decretum, præparando illi concursum indifferentem ad vtrumlibet. Vnde nullo modo posset talis potentia vt moralis defectus imputari humanitati, cùm illam accipiat à Deo, absque vllo suo libero consensu. Tum quia cum tali naturâ magis, aut æquè saltem moraliter pugnat fomes expeditus ad rationem præueniendam per proprios motus materialiter malos, tendentes in obiectum dissonum, quàm physica potentia peccandi, cùm tamen per aduers. in humanitate vnitâ Verbo non repugnet talis fomes. 14. *Impugnatur eadem ratio 2.*

15. *Instatur.* Occurrunt: ideò non implicare talem fomitem in assumptâ humanitate, quia in subiecto non connotat capacitatem peccandi, quam connotat physica potentia peccandi: quia tales motus liberum consensum voluntatis præuenientes, non essent humanitati culpabiles, sed merè naturales. *Soluitur.* Sed contrà: tum quia neque Physica potentia peccandi est culpabilis, cùm etiam ipsa, antecedat omnem liberum consensum voluntatis; sitque merè naturalis à solo Deo producta: tū quia in assumptâ humanitate non repugnat physica capacitas peccandi, quæ nunquam sit in actum reducenda. *Confirm. à manifestâ petitione principij.* Confirm. idem est physica capacitas peccandi, & physica potentia peccandi: ergo hactenus ab eis probatum non est, physicam potentiam peccandi inuoluere moralem defectum humanæ naturæ Christi repugnantem.

16. *Impugnatur 3. ad hominem.* Tertiò contra aduers. qui docent, nec de potentiâ absolutâ posse cum Christi humanitate coniungi opus bonum minus perfectum, eo quòd tale opus moralem aliquem defectum importet: & tamen ad huiusmodi opus minus perfectum ponunt in humanitate Christi physicam potentiam, sic arguo: Non repugnat in Christi humanitate physica potentia ad aliquid, etiamsi illud propter moralem imperfectionem implicet cum eâ coniungi: ergo nec in eâdem repugnabit physica potentia ad peccatum, etiamsi hoc propter moralem imperfectionem implicet cum eo coniungi. Nec refert, quòd maiorem imperfectionem dicat peccatum quàm opus minùs perfectum: nam per aduersarios; æquè repugnat vtrumque coniungi in actu secundo cum humanitate vnita Verbo. 17. *Responsio aduersarij.* Respondent, ideò ad opus minùs perfectum poni physicam potentiam, quia alioqui non saluaretur in humanâ Christi voluntate moralis libertas ad laudem & præmium sufficiens, quæ saltem postulat physicam potentiam ad vtrumlibet. *Reijcitur.* Sed contrà: vix solâ physicâ potentiâ saluatur libertas ad laudem & præmium sufficiens: nam cum physicâ potentiâ ponunt moralem impotentiam antecedentem ad omnem liberum consensum, cum quâ vix stat libertas ad laudem & præmium sufficiens, vt 3. *tom.* & pari ratione poni posset physica potentia peccandi in eâdem Christi humanitate ad saluandam perfectam libertatem in omnibus eius actibus: nam si ad saluādam

dam libertatem, non repugnat in Christi humanitate ponere potentiam ad actum, qui propter moralem imperfectionem implicat coniungi cum humanâ voluntate Christi: ad eandem libertatem in omnibus eius actibus saluandam non repugnabit, in eâdem ponere physicam potentiam ad actum, qui propter moralem imperfectionem implicet coniungi cum eâdem voluntate. *Confirm.* Confirm. Ex eo quòd talis potentia ponitur ad saluandam humanam libertatem in Christo, non tollitur, quin actus talis potentiæ, ob suam moralem imperfectionem, sit repugnans & incompossibilis cum voluntate humanâ Christi, cùm adhuc talis actus maneat impossibilis coniungi cum voluntate Christi. Igitur sicut non implicat ponere in humanâ naturâ Christi physicam potentiam ad actum, qui de se alioqui implicat cum eâdem coniungi: ita non implicabit, ponere physicam potentiam ad peccatum, quod alioqui de se implicat cum eâdem coniungi.

18. *Soluitur aduersar. fundam.* Ex dictis, falsum est, vi sanctitatis, quam Verbum communicat assumptæ humanitati, essentialiter tolli physicam potentiam peccandi: nam ex vi talis essentialiter tãtùm sequitur, ab humanitate tolli quidquid moralem imperfectionem inuoluit: at physica potentia peccandi moralem imperfectionem non inuoluit. Neque dicas, moralem saltem imperfectionem inuoluit respectu Verbi, illam in suâ naturâ admittentis: tum quia, vt *infrà*, id falsum est: tum maximè; cùm nullum in Verbo agnoscant debitum assumptam naturam regendi, nullam ponere possunt moralem imperfectionem respectu Verbi: cùm omnis moralis imperfectio ortum ducat ex violatione alicuius moralis debiti. Vnde concedunt, quantum est ex parte Verbi naturam humanam supponitantis, posse in eâ peccatum permittere, absque vllâ morali imperfectione: eo quòd Verbum ex vi vnionis hypost. nullum contraxit debitum regendi assumptam naturam. Igitur si physica potentia peccandi non dicit moralem imperfectionem respectu assumptæ naturæ, non est cur ex parte Verbi admitti non possit. Ad confirm.

19. *Ad confirm.* firm. Resp. eam tantùm probare; potuisse negationem huius potentiæ Christi humanitati communicari, eique ad summum debitam fuisse connaturaliter, non essentialiter, vt contendunt. Nam ea tantùm Christi humanitati, vi vnionis, debentur essentialiter, vel quorum contradictoria moralem imperfectionem important, vel quæ sunt essentialiter connexa cum morali sanctitate ac dignitate, quæ ex personâ Verbi in eam transfunditur, cuiusmodi non est negatio physicæ potentiæ peccandi: quia cùm hæc negatio potentiæ peccandi sit distincta ab ipsâ personali communicatione Verbi, & aliunde eius contradictorium moralem imperfectionem non importet, non essentialiter communicatur, cum personâ Verbi.

20. *3. Ratio.* TERTIA: Ideò implicat, humanitatem Christi, etiam de potentiâ absolutâ, peccare, quia quæ de de potentiâ absolutâ fiunt, reducuntur ad specialem virtutem Dei. Implicat autem, Deum esse specialem causam peccati: alioqui esset author peccati, cùm nihil magis repugnet Deo, quàm peccatum. Maior prob. Quæ de potentiâ absolutâ fiunt, ea repugnant naturaliter fieri: vt igitur contra propriam naturam possint fieri, requirunt specialem virtutem & concursum Dei, & consequenter Deus esset specialis causa eorum, quæ de potentiâ absolutâ fiunt.

Reijcitur. Hæc ratio æquiuocat in Maiori: concedo enim quæ de potentiâ absolutâ fiunt, speciali virtute Dei fieri, quæ superet naturalem illam repugnantiam, quæ est in rebus, quæ de potentiâ absolutâ fiunt: nego tamen, hanc specialem virtutem Dei requiri ad ipsum fieri peccati, sed ad conseruationem dumtaxat vnionis hypost. in præsentiâ peccati. Sicut cùm quæritur, an de potentiâ absolutâ simul esse possint gratia & peccatum, sensus non est, an Deus speciali virtute & influxu conseruare possit peccatum cum gratiâ, sed contrà, an speciali virtute & influxu conseruare possit gratiam cum peccato, liberè à creaturâ commisso. Aliæ rationes leuioris momenti 21. *Duæ aliæ rationes refelluntur.* scilicet quòd si humanitas Christi peccaret, tam Verbum humanitati peccanti vnitum fieret odibile & infensum Deo, quàm peccatum talis naturæ cultu & veneratione dignum; facilè soluuntur: nam nec odibilitas, nec venerabilitas cadunt, nisi in subiectum capax odibilitatis, & venerabilitatis: at nec Verbum est capax odibilitatis, nec peccatum venerabilitatis.

Vera igitur ratio, quæ ex Concilijs & PP. colligitur, cur nequeat humanitas vnita Verbo, siue retentâ siue in pœnam peccati solutâ vnione cum Verbo, ea est: quia si peccaret humanitas vnita Verbo, peccaret Verbum, non tantùm per communicationem idiomatum, & in assumptâ naturâ, *vt Durandus, & Gabriel.* verùm etiam intrinsecè, & in propriâ naturâ: Verbum enim per vnionem hypostaticam fecit sibi suam naturam humanam, non minùs, quàm quodlibet suppositum facit sibi suam naturam, cuius est suppositum: ergo tenetur illam regere vt suam in omnibus actibus: ergo si in aliquo deficeret, defectus imputaretur Verbo, vt causæ particulari supponitanti, ac regenti: quia agere contra debitum, est intrinsecè malum; ideò enim creatura peccat, quia facit contra debitum rationis; vnde peccaret Deus, si per impossibile, faceret contra debitum suæ rationis: Ergo si tenetur Verbum humanitatem regere vt suam, peccaret, sinendo illam in aliquo deficere: scilicet ex quo per vnionẽ fecit sibi suam humanitatem, contraxit debitum naturale, illam in omnibus actibus regendi, & gubernandi vt suam. Sicut anima rationalis per vnionem ad corpus, contrahit naturale debitum, illud in omnibus regendi vt suum, & defectus corporis imputantur animæ, sicut defectus appetitus inferioris imputantur appetitui superiori. Ratio: quoties duo *A priori.* vniuntur in eâdem naturâ, vel personâ, inferius naturaliter subordinatur superiori, & consequenter superiori incumbit cura regendi inferiorem. Cùm enim nequeant duo mutuò vnita, non manere inuicem subordinata, necessariò debet inferius subordinari superiori, & consequenter superius regere inferius: ex *Ambro. lib. de Incarn. cap. 7. Qui alios,* *Colligitur ex Ambros. &c.* inquit, *regebat, se regere ipse non poterat?* vbi humanæ Christi voluntatis impeccabilitatem refert ad regimen Verbi. Et *ex Epiph. in Anchor. Quia Verbum virtute sua frænabat inferiorem naturam ab omni inutili carnali turba* &c. Vbi causam impeccabilitatis tribuit Verbo inferiorem naturam frænanti. Eandem docet *VI. Synod. act. 8. vt suprà.*

Deducitur 1. non solùm manere non posse vllum 23. *Coroll. ex hâc ratione.* peccatum cum humanitate vnitâ Verbo, sicut nec in probabiliori sententia manere potest mortale cum subiecto grato: sed nec illud committi posse ab humanitate, quod simul esset causa solutionis vnionis cum Verbo: sicut mortale committi potest ab homine habente gratiam, quod simul sit causa amissionis gratiæ. Ratio: repugnantia inter *Ratio discriminis.* mortale & gratiam habitualẽ, est tantùm formalis, quæ non exercetur, nisi in ordine ad eandem durationem temporis: at in instanti reali, quo committitur peccatum, non est gratia: nam primum esse peccati, est primum non esse gratiæ, vt patet in generationi-

rationibus & corruptionibus naturalibus, in quibus primum esse formæ genitæ, est primum non esse formæ corruptæ. Repugnantia verò, quæ est inter quodlibet peccatum, & humanitatem vnitam Verbo, non est tantùm formalis: nam si hæc tantùm esset, posset ab humanitate Christi committi peccatum, solutâ vnione in pœnam ipsius cum Verbo, sicut committi potest ab homine existête in gratiâ, amissâ per peccatum gratiâ; Nam licet humanitas naturaliter operari nequeat, nisi subsistens in aliquo supposito, à quo compleatur in esse, & in operari, diuinitùs tamen operari posset, absque vlla subsistentiâ, fortiori dumtaxat concursu effectiuo conseruatâ. Vnde necesse non esset, vt in eo instanti, quo humanitas Christi peccaret, Verbum suppositaret illam, cùm loco illius succedere posset concursus effectiuus fortior suppositi complementum supplens: Sed est etiam repugnantia per modum effectûs moraliter imputabilis Verbo, vt supposito talem naturam specialiter regenti ac gubernanti. Quo fit, vt etiamsi in instanti, quo committitur peccatum ab humanitate, non maneat vnio peccantis humanitatis cũ Verbo, vt cum supposito, adhuc talis actio peccaminosa imputaretur Verbo, fortiori iure, quàm imputaretur viro, aut domino actio peccaminosa, per quam vxor, vel seruus separaretur à potestate viri, aut domini: quia Verbum vt suppositum talis naturæ, non solùm tenetur illam regere, ne peccet manens vnita Verbo, sed etiam ne peccet per actionem dissolutiuam vnionis cum Verbo: nam hoc etiam pertinet ad debitum suppositi naturam specialiter gubernantis.

Nota.

Ratio.

24. *Coroll. 2.* 2. Contra nonnullos Recent. etiamsi humanitas vniretur Verbo accidentaliter tantùm, & in propriâ subsistẽtiâ existens, adhuc illa peccare non posset. Nam etiam eo casu Verbum diuinum faceret suam, saltem accidentaliter, talem humanitatem, ac proinde contraheret naturale debitum, illam in omnibus suis actionibus regendi, Sicut non solùm habet naturale debitum animus rationalis regendi corpus sibi substantialiter vnitum, sed etiam vir gubernandi vxorem, & dominus seruum, & tutor pupillum sibi, mediâ coniunctione morali, accidentaliter tantùm vnitum.

25. *Coroll. 3.* 3. Nequidem posset humanitas Christi peccare in loco, vbi esset replicata absque vnione ad Verbum: nam adhuc humanitas in tali loco existens, maneret vt natura Verbi, ac proinde sub peculiari dominio ac regimine Verbi. Non secùs ac sub morali potestate domini manet seruus, etiam dum procul abest à domino, teneturque etiam ibi illum regere, si potest.

26. *Maior difficultas. Resp. neg.* An si humanitas Christi replicata sine vnione ad Verbum; & simul ibidem subsisteret subsistentia creata, peccare posset? Resp. negatiuè: tum quia sicut eo casu vnio humanitatis cum proprio, supposito non tolleret vnionem eiusdem humanitatis cùm Verbo in alio loco, ita non tolleret naturale debitum, quod Verbum ratione vnionis haberet talem humanitatem regendi, etiam in proprio supposito alibi existentem. Confirm. ex 2. *Coroll.* constat, humanitatem, etiam cum propriâ subsistentiâ vnitam Verbo, fore sub speciali dominio ac regimine Verbi; nec replicatio eiusdem humanitatis sine vnione ad Verbum tolleret hoc peculiare dominium, quod Verbum ratione vnionis alibi existentis supra talem humanitatem retineret: ergo etiamsi talis humanitas absque vnione ad Verbum replicata subsisteret subsistentia creata, maneret sub peculiari dominio & regimine Verbi. Tum quia implicat, Deum humanitatem diligere perfectissima amicitia, vsque ad supremam communicationem suæ personalitatis

Altera ratio.

in vno loco, & simul in alio illam habere odio inimicitiæ, quale est odium, quo Deus peccatum prosequitur, nam amor perfectissimæ amicitiæ admittit amatum ad intimam communicationem bonorum ipsius amantis: contrà verò odium inimicitiæ repellit odio habitum ab intimâ communicatione bonorum ipsius odio habentis. 4. Non posset Verbum admittere motus inordinatos appetitus sensitiui, nec in appetitu rationali actus, etiam sine culpâ assumptæ naturæ, tendentes in obiectum prauum *Suarez disp. 34. sect. 2.* & sequitur ex iactis principijs: Nam ad suppositum intellectuale pertinet, non admittere in suâ naturâ motus inordinatos & rationi dissonos. Vnde etiamsi tales motus non essent culpabiles naturæ assumptæ, essent tamen indecẽtes Verbo illos in suâ naturâ admittenti. Ex quo sequitur, non posse Verbum assumere fomitem peccati: nam hic est appetitus ipse sensitiuus, per inordinatos motus ad præueniendam rationem expeditus. 27. *Coroll. 4.* *Nullus in Christo fomes.*

28. *Obijcit 1. Vasquez*; hæc ratio solùm verificatur de inferiori necessario, non de inferiori libero, qualis est humana Christi natura. Ideò enim defectus appetitus inferioris tribuitur superiori, quia cùm appetitus inferior non sit liber, nequit seipsum dirigere, sed eget directione appetitûs superioris: at Christi humanitas est libera, potens seipsam dirigere: ergo non eget directione Verbi: ergo si peccaret, peccatum non tribueretur Verbo. Sed contrà: siue inferius sit necessarium, siue liberum, quando coniungitur ad componendum vnum cum superiore, subordinatur ei in operãdo, quâ ratione subordinatur illi in essendo; nam si hoc verum est, quãdo inferius coniungitur cum superiori ad faciendum vnum morale, vt patet in filio respectu Patris, vxore respectu Viri, pupillo respectu Tutoris; à fortiori verum erit, quando inferius coniungitur superiori ad componendum vnum physicum. 29. *Contra Vasquez.*

30. *Obijcit 2. Durandus*; Hoc debitum regendi humanitatem, non est peculiare Verbi, sed totius Trinitatis; respicit enim scientiam & voluntatem, quæ communis est omnibus personis. Nego antec. ad prob. dico, respicere scientiam & voluntatem, vt propriam Verbi, non vt communem toti Trinitati: quia Verbum cõtrahit hoc debitum ratione personalis vnionis, quamuis illud exercere non possit, nisi per scientiam & voluntatem, quam communem habet cum reliquis diuinis personis. Quare Pater & Spiritus S. solùm concomitanter concurrunt ad huiusmodi debitum exercendum, ex eo quòd discordare non possunt ab eâdem voluntate Verbi. *Resp.* *Ratio.*

31. *Obijcit 3.* Non repugnat Deo, in assumptâ naturâ mori: ergo nec peccare. Resp. ex morte naturæ assumptæ, non sequitur mors in naturâ propriâ; at ex peccato naturæ assumptæ sequitur peccatum in naturâ propriâ; quia Deus non tenetur prohibere mortem, sicut peccatum in assumptâ naturâ: mors enim non est malum culpæ, sed pœnæ: Deus autem velle potest malum pœnæ, non malum culpæ; quia hoc est immediatè contra Deum: Deus autem à seipso auerti non potest; non autem illud, quod est contra creaturam, à quâ Deus auerti potest. *Ratio discriminis.*

32. *Obijcit 4.* Ex eo quòd in humanis dominus tenetur impedire peccata seruorum, & pater filiorum, non sequitur, quòd etiam Deus teneatur impedire peccata suorum seruorum, & filiorum adoptiuorũ: ergo neque, quòd Verbum diuinum teneatur impedire peccata naturæ assumptæ. Nego conseq. non enim ex quocumque dominio & iure paterno oritur obligatio impediendi peccata subditorum, filiorúmve, sed solùm ex dominio & iure paterno speciali: ex quibus tantùm ducitur argumentum ad inferendam 33. *Resp.*

ferendam naturalem obligationem in Verbo, ad regendam humanitatem, sibi in propriam naturam assumptam. Vnde princeps vt dominus, & pater vniuersalis non tenetur impedire omnia peccata suorum subditorum, & filiorum politicorum, sed tantùm quæ vergunt contra bonum publicum, cuius tantùm est specialis custos: cùm tamen idem princeps, vt dominus, & Pater specialis teneatur impedire omnia peccata suorum seruorũ, & filiorum naturalium. Consimili igitur modo, licet Deus, vt dominus & pater vniuersalis omnium, non teneatur impedire in suis seruis, & filijs adoptiuis peccata, tamen vt speciale suppositum assumptæ humanitatis, naturali iure tenetur omnes defectus morales in illa impedire.

Nota.

34. *Instas.* Instabis. Non solùm dominus priuatus tenetur impedire peccata seruorum, sed etiam non permittere, vt sint otiosi: cùm tamen Verbum non teneatur impedire, ne assumpta natura sit otiosa: ergo non rectè arguitur debitum Verbi in assumptam naturam ex debito specialis domini in seruos.

Resp. Resp. Sicut non semper tenetur dominus impedire otium seruorum, sed solùm quando illud obest bono à domino intento: ita nec semper tenetur Verbum impedire otium in naturâ assumptâ, nisi quando illud obesset bono & fini à Deo intento.

35. *Obijcies* 5. Si Deus assumeret naturam ignis, non teneretur cohibere illum, ne suâ combustione damnum inferret: cùm tamen voluntas teneatur cohibere appetitum inferiorem, ne ex suâ operatione etiam inculpabili sequatur damnum in alijs. Ergo ex debito, quod habet voluntas regendi appetitum inferiorem, non bene arguitur debitum in Verbo in operationes naturæ assumptæ.

36. *Resp.* Aliqui negant maior. sed meliùs neganda conseq. cùm enim Deus sit perfectus dominus omnium rerum, non solùm vt est suppositum propriæ, sed etiam alienæ naturæ, non tenetur in naturâ assumptâ impedire operationes, ex quibus sine culpâ naturæ assumptæ sequitur damnum in alijs. Contrà verò voluntas priuatæ personæ, cùm non sit domina aliorum bonorum, tenetur ita suum appetitum regere, vt ex eius operatione, etiam inculpabili, non sequatur damnum in alijs.

37. *Obijcies* 6. Si suppositum creatum assumeret naturam leonis, non teneretur illius motus inordinatos impedire: Similiter si assumeret naturam fluuij, nõ teneretur illum cohibere, ne in aliorũ agros, & campos inundaret. Igitur ex hypost. vnione nullam potestatem & ius acquirit suppositum assumens in operationes naturæ assumptæ.

38. *Resp.* Nego antec. nam si suppositum assumens commodè posset inordinatos motus assumptæ naturæ leonis impedire, teneretur, non minùs quàm de facto tenetur inordinatos motus sui corporis cohibere: cùm non minùs faceret vnum in ratione suppositi cum naturâ leonis assumptâ, quàm faciat vnum in ratione naturæ cum corpore sibi vnito. Eodem modo teneretur, si posset, omnes operationes assumptę naturę, alijs nociuas impedire. Cùm igitur Verbum diuinũ possit omnes operationes assumptæ naturæ regere, eas non regendo, deficeret à debito naturali, quod illam in propriam naturam assumendo, contraxit.

39. *Ad fund. 1. Sentent.* Ad fundam. primæ, nego, animam Christi per vnionem hypost. non esse intrinsecè mutatam, nam per eam tracta est ad esse personale Verbi: quare per illam facta est potentior, non immediatè, sed mediatè; quia mediâ vnione, debitæ sunt illi efficaciores vires ad bonum. Cæterùm si peccaret humanitas vnita Verbo, denominaretur Verbum peccare, non modò per communicationem idiomatum, sed intrinsecè. Nec est eadem ratio, si Verbum assumeret naturam Luciferi, aut naturam filij Ioãnis, quia peccare, & generari, sunt actiones suppositorum: actio autem vnius suppositi non communicatur alteri supposito. Igitur non diceretur Verbum peccare ex peccato, quod Lucifer commisit in proprio supposito, aut filius Ioannis ex generatione, quam hæc natura terminauit in supposito creato. Nec obstat, quòd sit idem homo essentialiter; nõ enim est idem personaliter: & quia actio est suppositi, nequit actio, quam hæc natura exercuit in vno supposito, tribui eidem naturæ subsistenti in alio: at verò si humanitas vnita Verbo peccaret, actio peccaminosa esset à Verbo, vt à supposito talis naturæ: ergo denominaretur ab illâ peccare, sicut omne suppositum denominatur agere, vel pati ab actione, vel passione suæ naturæ. Examinanda certitudo nostræ sent. *Capreol. fine art.* 3. docet, oppositam esse hæreticam, blasphemam, & piarum aurium offensiuam; ex quâ deducitur hæc alia erronea, nempe Deum posse damnari. 40. *Censura opposita sent.* *Palatius* oppositam appellat Iudaicam & Pharisaicam hæresin: *Suarez* impiam & temerariam: *Vasq. c.* 3. notâ aliquâ dignam: *Cabrera disp. vn. concl.* 2. scandalosam, & dignam maximâ temeritatis notâ: *Ragusa disp.* 114. temerariã: *Valent. pu.* 2. nostram sent. appellat magis piam. Ego oppositam non audeo hæresis notâ damnare, cùm nostra nullibi sit exprefsè definita, vel in sacris litteris manifestè reuelata. Nam licet *VI. Synodus cit.* nostram definire videatur, explicari tamen posset, quòd vel illam definiat de potentiâ tantùm ordinariâ, vel ratione beatitudinis, non ratione vnionis præcisè. Neque audeo illam erroneam appellare, cùm ex nullo reuelato principio euidenter deducatur, quod ad erroneam propos. requiritur: neque etiam propriè temerariam, cùm nec omnes PP. nec omnes Schol. conueniant ad nostram sentent. sed solùm censeo illam esse impiam, piarum aurium offensiuam, & Theologo indignam; nostram verò rationi, & authoritati Conciliorum, PP. & Scholast. magis conformem.

SECTIO II.

An Verbum assumere potuerit naturam humanam peccatricem?

40. *Quæstionis proposita duplex sensus.* DVplex est sensus: Alter, an Verbum assumere potuerit naturam, quæ ante assumptionem fuerit in peccato personali, vel originali, quod tamẽ in ipso assumptionis momento fuisset deletum. Alter est, an ita potuerit naturam anteà peccatricem assumere, vt etiam post assumptionẽ potuerit cum tali peccato habituali manere. Negatiua pars huius poster. sensûs ex dictis deducitur. Tum quia eadẽ sanctitas increata Verbi, quæ in naturâ assumptâ non compatitur peccatum actuale, neque compatietur habituale: cùm magis pugnet sanctitas increata cum quouis peccato, quàm sanctitas creata cum mortali, cum quo, ex probabiliori sent. pugnat etiam de potentiâ absolutâ. Tum quia eadem ratio, quæ obligat Verbum ad non permittendum vllum actuale in naturâ assumptâ, obligat ad non admittendum in eâdem vllum habituale anteâ contractum. Nam quâ ratione actuale imputaretur Verbo, illud non impedienti; eâdem habituale anteà contractum imputaretur Verbo, illud in suâ naturâ admittenti: cùm non minùs teneatur Verbum, maculam habitualem, quàm actualem in assumptâ naturâ impedire.

41. Maior difficultas est de habitibus vitiosis à tali naturâ anteà contractis, an illi perseuerare potuissent

1. Sentent. Fundam. cum naturâ assumptâ. Affirmat *Vasquez disput.61. cap.6.* qui quamuis nobiscum sentiat quoad habituale anteà contractum; quoad habitus vitiosos, putat, eos assumi potuisse cum naturâ humanâ: quia tales habitus non sunt de se moraliter mali, nec à Deo odio habentur, sed potiùs amantur ratione transcendentalis bonitatis, quam includunt. Opposita sent. est probabilior, quam docet *Suar. disp.33. fine*, & sequitur ex nostris principijs, nam hoc ipso, quòd Verbum assumit naturam, naturali debito tenetur, illam emundare ab omni eo, quod cum ratione habet moralem oppositionem: sed habitus vitiosi habent moralem oppositionem cum naturâ intellectuali: cùm illi sint determinatæ inclinationes ad peccatum: vnde accedente interpretatiuâ voluntate, quâ tales habitus conseruarentur in naturâ assumptâ, fierent per huiusmodi interpretatiuam voluntatem moraliter oppositi naturæ intellectuali.

43. 2. Sentent. probabilior.

44. Confirm. Confirm. vt *to.4.* nequit Deus huiusmodi habitus vitiosos vt particularis causa in alijs producere, vel conseruare: ergo multò minùs poterit in propria natura assumpta illos admittere: nam admittendo illos in propriâ naturâ assumptâ, non admitteret illos vt causa vniuersalis, sed particularis hypostatica talis naturæ. Vnde cohærenter Vasquez negat anteced. asserens, illos produci & conseruari posse à Deo vt causâ particulari: quod tamen *ibid.* reputaui absurdum.

45. Resp. Dices: non teneretur suppositum creatum à propria natura expellere, etiamsi posset, huiusmodi habitus vitiosos: ergo nec teneretur Verbum. Nego antec. nam hoc ipso, quòd tales habitus non expellerentur à propriâ naturâ, cùm possent, fierent voluntarij, ac proinde moraliter difformes naturæ intellectuali. Eadem ratione Verbum, illos ab assumpta natura non expellendo, faceret suos, non minùs quàm suos facit omnes proprietates & accidentia eiusdem naturæ assumptæ.

46. Ad fund. Vasquez. Vnde ad fundam. *Vasquez*, nego, tales habitus non esse moraliter malos & naturæ intellectuali difformes saltem obiectiuè, cùm sint determinatæ inclinationes ad ipsum peccatum: sub quâ etiam ratione odio habentur à Deo, quamuis simul amentur ratione transcendentalis bonitatis, quam includunt, sicut peccatum odio habetur à Deo ratione malitiæ moralis & simul amatur ratione transcẽdentalis bonitatis physicæ. Ex quo non sequitur, quòd ratione transcendentalis bonitatis possit à Deo fieri.

47. 1. Opinio. Quoad 1. sensum quæst. an potuerit Verbum assumere naturam humanam, quæ anteà peccâsset, siue originali, siue actuali, deleto peccato in ipso assumptionis momento, negatiua pars videri poterit probabilior; 1. quia inde sequeretur, saltem per communicationem idiomatum, Verbum denominandum peccatorem: quod probatur hoc syllog. expositorio: *Hic homo peccauit: Hic homo est Verbum:* Ergo *Verbum peccauit*. Implicat autem, Deum etiam per communicationem idiomatum denominari peccatorem: ergo.

48. Prob. 2. 2. implicat, naturam humanam vnitam Verbo peccaturam, etiam post dissolutionem vnionis cum Verbo: ergo implicabit, eandem naturam humanam vnitam Verbo peccâsse, etiam ante vnionem cum Verbo. Nam ita se habet respectu naturæ vnitæ Verbo peccatum committendum, ab ipsâ naturâ post vnionem cum Verbo, sicut se habet peccatum commissum ab eâdem naturâ vnitâ Verbo ante vnionem cum Verbo.

49. Communis opinio. Communis sent. est, potuisse Verbum assumere naturam, quæ anteà peccâsset. Cùm nulla appareat repugnantia, vel ex parte Verbi assumentis, vel ex parte naturæ assumptibilis. Cùm nec vlla inde sequatur indecentia Deo repugnans. Nec defuisset sufficiens Deo motiuum, si voluisset talem naturam assumere, vel ad ostendendam omnipotentiã suam, vel ad magis declarandam suam erga talem naturam misericordiam.

50. Ad opposi-tas rationes Vasquez. Ad 1. rationem, concedit *Vasquez disp.61. cap.4.* sequel. consequenter negat, repugnare, Deum per cõmunicationem idiomatum denominari peccatorem. Fundam. *Hic homo*, cùm sit concretum naturæ humanæ, est idem qui anteà peccauit, & qui nunc est Deus. Sed veriùs neganda sequela, vt *præced. sect.* quia cùm hæc humanitas peccauerit in alio supposito, & actio vnius suppositi nõ tribuatur per communicationem idiomatum alteri supposito, dici non poterit, Verbum peccâsse, ex eo quòd hęc natura in alio supposito existens peccauit. Vnde etiamsi in tali casu concederetur hæc: *Hic homo peccauit:* haud tamen hæc: *Hoc suppositum, seu Verbum peccauit:* quia hoc suppositum seu Verbum importat suppositum determinatũ, quod non peccauit. at verò *Hic homo*, supponere potest pro supposito indeterminato, siue in quo nunc natura humana existit, siue in quo anteà extitit. Ratio.

51. Ad fund. Vasquez. Ad fundam. *Vasquez*, esto, *Hic homo*, ratione naturę sit idem qui peccauit, & qui nunc est Verbũ, non est tamẽ idem suppositum. Nec obstat, quòd natura huius suppositi peccauit; quia actio huius naturæ, non tribuitur huic supposito, nisi vt coniunctæ cum hoc supposito: cùm igitur quãdo peccauit, non fuerit coniuncta cum hoc supposito, non potest per communicationem idiomatum præterita actio peccaminosa ipsius tribui huic supposito.

52. Ad 2. rationem. Ratio discriminis. Ad 2. rationem, neg. conseq. quia Verbum tenetur regere naturam, postquã illam per assumptionem fecit suam, ne peccet, etiamsi per tale peccatum debeat dissolui vnio, ac proinde tale peccatum non sit cum, sed post vnionem. Non tenetur autem illam regere, antequã per assumptionem fecit suam, ne peccet. Cæterùm non repugnat, vt natura, quæ aliquando fuit Verbi, dimissa à Verbo peccet; vti nec repugnat vt natura, quæ futura est Verbi, ante assumptionem à Verbo peccet: & quoad hoc tantùm procedit rationis paritas.

53. Diffic. 1. Ex his duplex oritur difficultas: 1. an si Verbum assumeret naturam humanam, quæ in Adamo cum cæteris peccâsset, posset cum vnione ad Verbum retinere debitũ, quod cum reliquis in Adamo contraxit, esto retinere non posset ipsum peccatum. 2. an possit cùm naturâ assumptâ, quę ante assumptionem peccauit, perseuerare reatus pœnæ, propter peccatũ ante commissũ, & remissũ.

54. Ad priorem. Ad 1. resp. negatiuè, quia vbi non est proxima capacitas contrahendi peccatum, nec debitum contrahendi esse potest: cùm nil aliud sit debitum contrahẽdi peccatum, quàm proxima capacitas incurrendi peccatum. Cùm igitur in naturâ humanâ assumptâ non sit proxima capacitas incurrendi, seu habendi peccatum, nec debitũ illud contrahẽdi esse poterit. Quare sicut per assumptionem formaliter tollitur omnis proxima capacitas incurrendi seu habendi peccatum, ita consequenter tollitur omne debitum contrahendi peccatum.

55. Deducitur, non potuisse hanc humanitatem, vt vnitam Verbo, includi cum cæteris in pacto Adæ: quia non potuerunt in eo includi, nisi qui peccare potuissent, si tunc simul cum Adamo extitissent: at hæc humanitas, vt vnita Verbo, non potuisset peccare, si simul cum Adamo extitisset: ergo non potuit cum cæteris in Adami pacto includi. Maior prob. posse peccare cum alio supponit posse peccare in se.

56. De posteriori. 1. Opinio. Quoad 2. diffic. resp. 1. aliqui Recent. non implicare in naturâ assumptâ manere reatũ pœnæ, non solùm

solùm temporalis, sed etiam æternæ, qui tamen necessariò extinguendus esset per pœnam aliquam temporalem à tali natura assumpta perpessam. Fundam. ex vna parte non repugnat, manere reatum pœnæ æternæ cum gratiâ habituali, propter præteritam culpam dimissam; & ex alia parte pœna temporalis perpessa à naturâ vnitâ Verbo æquivaleret, non modò in ratione satisfactionis, sed etiam in ratione satispassionis pœnæ æternæ, debitæ propter peccatum cæteris hominibus. Respondet 2. *Suarez disp. 33. sect. vlt. fine*, concedendo de reatu pœnæ temporalis, negando de reatu pœnæ æternæ. Probat primum; quia hic pertinet ad malum pœnæ, quod cum naturâ vnitâ Verbo non repugnat. Probat secundum; quia pœna æterna necessariò tollitur cum culpâ, quæ per vnionem hypost. essentialiter extinguitur. Respondet 3. *Vasquez disp. 61. cap. 6.* negando, posse vllum reatum pœnæ, siue temporalis, siue æternæ, manere in naturâ à Verbo assumptâ: quia hoc ipso, quòd natura assumitur in vnitatem personæ à Verbo, fit vsque adeò Dei grata, & iusta coram ipso, vt digna sit omni bono, ac proinde vt condignè careat omni malo pœnæ, tam positiuæ sensûs, quàm priuatiuæ visionis beatificæ. Hæc 3. sent. probabilior est. Nota ex *S. Thom. 1. 2. quæst. 87. art. 1. ad 2.* reatum pœnæ, non esse idem, ac pœnam ipsam, cùm pœna sit à Deo, reatus ab homine; pœna tolli potest, manente reatu, vt si Deus condonet pœnam, non condonatâ culpâ; tunc autem simul cum culpâ manet reatus, sublatâ pœnâ per extrinsecam condonationem Dei: neque esse peccatum, cùm manere possit aliquis saltem reatus, nullâ manente culpâ, vt patet in iustificato, in quo, remissâ totâ culpâ, manet aliquis reatus pœnæ temporalis: sed esse effectum peccati, cumque formaliter consistere in obligatione seu dignitate ad pœnam, moraliter secutâ ex peccato. Hoc ipso enim, quòd homo peccat, reddit se dignum pœnâ. Quæ dignitas ad pœnam non est mala formaliter & in se, sed causatiuè & in suo principio; nam solâ dignitate & obligatione ad pœnam non constituitur homo formaliter peccator. Prob. Reatus pœnæ non est pœna formaliter, sed dignitas ad pœnam: implicat autem, manere dignitatem aliquam ad pœnam ex præteritâ culpâ in humanitate à Verbo assumptâ: nam, ratione personalitatis increatæ, natura assumpta fit digna omni bono excogitabili, & carentiâ cuiuscumque mali possibilis: non fieret autem, si cum eâ maneret aliqua dignitas ad pœnam, & indignitas ad gloriam, cùm ea sit aliquod malum, cuius dignitas excludi debet per infinitam dignitatem personæ increatæ. Confirm. Natura humana per vnionem cum Verbo statim fit digna, vt neque ad momentum careat visione beatificâ: accipit enim omnem dignitatem possibilem: ergo implicat, cum naturâ assumptâ à Verbo manere reatum ad pœnam. nam reatus ad pœnam, non est aliud, quàm dignitas ad pœnam, ac carentiam visionis beatæ. Quò fit, vt si Deus ad tempus, vel etiam æternùm priuaret visione beatâ talem naturam, talis priuatio non haberet rationem pœnæ, quia non esset ad exigentiam naturæ illam patientis, sed ex mero beneplacito Dei.

Fundam.
57. 2. Opinio. Suarez.
58. 3. Opinio probabilior.
59.
60. Tertia opinio probatur.
61. Confirm.

62. *Obijcies* 1. Esto talis natura, ratione vnionis cum Verbo, fieret digna carere omni pœnâ; etiam ad temporis momentum, adhuc tamen ex præteritâ culpâ maneret in Deo plenum ius illam puniendi, quamdiu pro præteritâ culpâ non exhibeatur condigna solutio; quod fieri posset, si talis natura, post vnionem cum Verbo, nullum pro præteritâ culpâ eliceret opus satisfactorium: ergo adhuc cum illâ manere posset aliquis reatus.

Resp. Maneret post vnionem humanitatis cum Verbo in Deo ius Iudicis, fundatum in dignitate pœnæ naturæ patientis, nego; maneret ius Domini, fundatum in supremo dominio, quod Deus habet in omnes creaturas, etiam contra naturalem exigentiam, illas affligendi ac destruendi, concedo. Nec obstaret præterita culpa; nam illa simul cum dignitate ad pœnam sublata esset per vnionem hypostat. etiam absque vllâ exhibitione operis satisfactorij. Cæterùm, cùm dico, per vnionem hypost. vnà cum præteritâ culpâ, naturæ assumptæ remitti omnem reatum & dignitatem ad pœnam absque vllâ satisfactione, non excludo actum præteriti peccati retractiuum; vt *in 3. tom.* Resp.

64. *Obijcies* 2. Potest cum gratiâ habituali manere aliquis reatus & dignitas ad pœnam temporalem, vt in adulto iustificato: ergo etiam talis reatus & dignitas ad carentiam temporalem visionis beatificæ manere posset cum vnione hypost. Nego conseq. nam gratia habitualis non confert subiecto omnem dignitatem possibilem, vti illam confert personalitas increata Verbi naturæ sibi vnitæ; proinde poterit illa aliquam indignitatem ad gloriam secum admittere, quam non potest ista. A pari. 65. Resp.

66. *Obijcies* 3. hæc dignitas ad pœnam non pugnat formaliter cum vnione hypostatica, ergo nequit per vnionem hypostaticam essentialiter tolli, quia quod formaliter non pugnat cum alio, non est incompossibile in eodem subiecto cum illo. Antecedens probat. cum vnione hypostatica solùm pugnat malum morale: at dignitas ad pœnam non est malum morale, cùm manere possit, sublato omni malo morali. Confirm. propterea *præced. sect.* dixi, per vnionem hypostaticam non tolli essentialiter physicam potentiam peccandi, quia hæc non est mala moraliter. Nego antecedens, eiusque probat. Etenim licet cum vnione hypost. quatenus est sanctitas, non pugnet, nisi malum morale, quia vt sanctitas, dicit tantùm infinitam puritatem & munditiam, ac proinde infinitam quasi elongationem à peccato: vt summa tamen dignitas ad omne bonum excogitabile, & ad carentiam omnis mali possibilis, pugnat cum quāuis indignitate ad bonum, & dignitate ad malum: quia cum infinitâ dignitate ad bonum formaliter pugnat quæcumque dignitas ad malum. Ex his patet ad confirmat. nam in ratione summæ sanctitatis, illi non opponitur, nisi tantùm omne malum morale, cuiusmodi non est potentia physica peccandi: in ratione verò summæ dignitatis, illi opponitur quæuis indignitas. Confirm. 67. Resp. Ad confir.

68. Ex dictis patet ad fundam. aliorum: nam licet reatus sit malum pœnæ, tamen ratione dignitatis ad pœnam, quam essentialiter includit, pugnat cum naturâ assumptâ à Verbo, quę per talem assumptionem fit digna omni bono possibili, & carentiâ omnis mali excogitabilis. Et sanè miror Aduers. qui ratione supremæ sanctitatis à personâ increatâ participatæ, tribuunt naturæ humanæ negationem omnis potentiæ, etiam physicæ ad peccandum: & tamen ratione supremæ dignitatis ab eâdem personâ increatâ participatæ, non tribuant negationem omnis dignitatis ad malum, & indignitatis ad bonum: cùm magis cum infinita dignitate ad omne bonum pugnet indignitas ad aliquod bonum, quàm cum infinitâ sanctitate participata physica potentia peccandi. Ad aliorum fundam.

SECTIO III.

An humanitas Christi sit impeccabilis physicè, an moraliter?

69. *Duplex potentia & impotentia.* Sicut duplex est potentia, altera physica, quæ constituitur ex principijs intrinsecis ad operandum simpliciter necessarijs: altera moralis, quæ addit principia extrinseca complentia illam ad facilè, expeditè, infallibiliterque operandum. Ita duplex est impotentia, physica vna, quæ est simpliciter impotens: moralis altera, quæ moraliter tantùm est ad operandum impotens. Cùm autem impeccabilitas formaliter dicat impotentiam ad peccandum, controuersia est, quâ impeccabilitate humanitas Christi sit impeccabilis, physicáne, an morali: nam certum est *ex 1. & 2. sect.* aliquam impeccabilitatem vi vnionis cum Verbo humanitatem Christi essentialiter accepisse.

70. *1. Sent.* Prima sentent. affirmat, esse moralem: *Molina 1. p. quæst. 14. art. 13. disput. 18. fine, Suarez. disput. 37. sect. 3.* & à fortiori sequitur ex sententia eorum, qui docent, impeccabilitatem humanitatis Christi, fuisse eandem cum impeccabilitate, quam habent confirmati in gratiâ, quæ non est physica, sed moralis: indicant *Bonauen. in 3. dist. 18. art. 1. qu. 2. ad 1. Argent. quæst. 1. art. 3. ad 3. Marsilius qu. 2. art. 2. ad argum. &c.* Sequitur ex sententia *Scoti*, qui impeccabilitatem Christi explicat per extrinsecam dumtaxat protectionem Dei, perpetuò conseruantis actum beatificum, cum quo repugnat peccatum.

Fundam. Fundamentum, physica potentia peccandi est facultas ipsa liberi arbitrij quæ in Christo est eiusdem rationis cum nostrâ; nam illa per vnionem hypost. non est physicè mutata. Confirm. Verbum non vnitur vt immediatum principium operatiuum: igitur non potest reddere humanitatem Christi physicè impeccabilem, quia hæc supponit intrinsecam mutationem in principio operatiuo.

71. *2. Sentent.* Secunda affirmat, esse physicam: *ex S. Thom. in 3. distinct. 12. quæst. 2. art. 2.* vbi docet, in Christo non esse potentiam peccandi; nam quamuis in eo sit liberum arbitrium, non tamen est cum ordine ad peccatum; eamque sequuntur Docti Recent. & non obscurè tradunt PP. cùm illam vocant naturalem, & animæ Christi conuenire propter assumptionem ad personam Verbi: *Dionysius Alexand. in Epist. cont. Paulum Samosaten.* loquens de Christi impeccabilitate, docet illam habuisse, non sicut solent alij iusti, exercitatione virtutum, sed naturali iustitiâ & virtute ipsius. *August.* *Augustinus lib. de Correp. & Gratia cap. 11.* hanc impeccabilitatem refert ad assumptionem naturæ humanæ à personâ Verbi: *Neque enim,* inquit, *metuendum est ne isto ineffabili modo in vnitate personæ à Verbo Dei natura humana suscepta, per liberum voluntatis peccaret arbitrium, cùm ipsa susceptio talis esset, vt natura hominis à Deo ita suscepta, nullum in se motum malæ voluntatis admitteret:* & *cap. 40. in Enchir.* eam vocat, gratiam homini Christi *naturalem.*

72. *3. Sentent.* Excogitari potest 3. sentent. duplicem distinguens in Christi humanitate impeccabilitatem, alteram ad peccatum commissionis, alteram ad omissionis; nam sicut duplex datur potentia, altera ad peccatum commissionis; altera ad omissionis; ita ex opposito duplex impotentia peccandi. Concedit hæc sentent. in Christi humanitate physicam impeccabilitatem ad peccata commissionis, moralem ad omissionis: nam cum physicâ impeccabilitate ad peccata commissionis stat libertas ad oppositos actus virtutum, quibus peccata commissionis liberè vitantur, & præcepta negatiua seruantur: *Ratio discriminis.* nam adhuc sublatâ physicâ potentiâ ad peccata commissionis, manet libera potentia ad omnes actus virtutum, quibus & vitare possumus omnia peccata commissionis, & liberè seruare præcepta negatiua, quæ non tenemur seruare, nisi solâ negatione actus prohibiti. At verò cum physicâ impeccabilitate ad peccata omissionis stare non potest libertas ad oppositos actus præceptos. Nam *Hæc sent. nullo authore nititur.* sublatâ physicâ potentiâ ad puram omissionem, quâ præceptum positiuum violatur non restat ampliùs libera potentia ad actum præceptum. Nequit autem tolli physica potentia ad puram omissionem actus præcepti, nisi per physicam prædeterminationem ipsius potentiæ ad actum præceptum: quia cùm ad omittendum actum præceptum non requiratur aliquis actus positiuus, cuius physicâ potentiâ sublatâ, adhuc manere possit libera potentia ad actum positiuum præceptum, sed solâ suspensione actus tale præceptum violetur, non poterit huiusmodi potentia physicè tolli, nisi physicè prædeterminando potentiam ad actum præceptum: nam quamdiu potentia non est physicè prædeterminata ad actum præceptum, semper manet physicè potens ad actum præceptum non eliciendum, per quam solam non elicitionem violatur positiuum præceptum. Hæc sentent. ratione 73.
ipsâ, olim mihi maximè arrisit. Cæterùm, 1. notanda duplex impeccabilitas; sicut & duplex peccabilitas, Remota vna; Proxima altera. Remota peccabilitas, fundatur in intrinsecâ naturâ creatâ, quæ ex se & ex intrinsecis suis principijs, nisi aliunde eleuetur iuueturque, petit operari defectibiliter, proinde ex se petit proximam potentiam peccandi. Contrà verò remota impeccabilitas est, quæ fundatur vel in ipsâ naturâ secundùm se, vel in vnione naturæ cum aliquo principio extrinseco. Prior est propria Dei, qui vti est essentialiter, & infinitè sanctus, ità ab intrinseco & essentialiter postulat omnimodam in operãdo impeccabilitatem. Posteriorem habet natura humana Christi, per hypost. vnionem cum Verbo, ratione cuius exigit proximam aliquam in operando impeccabilitatem. Adhuc tamen difficultas est, qualem & quomodo illam exigat. 74. *Duplex impeccabilitas. Proxima & remota.*

Dico 1. Natura humana Christi vi vnionis hypostaticæ essentialiter accipit physicam impeccabilitatem remotam & radicalem. Hæc est omnium, qui nobiscum sentiunt, cùm vnione hypostat. non posse esse peccatum. Etenim si cum eâ nequit esse peccatum, aliqua impeccabilitas exigitur ab humanâ naturâ Christi: nam vbi nequit esse actus 2. debet esse aliqua impotentia ad illum: quia sicut possibilitas actus 2. supponit possibilitatem actus 1. ita imposibitas actus 2. supponit aliquam imposibilitatem actus 1. Vbi autem est aliqua imposibilitas actus 1. proximi, est etiam aliqua imposibilitas actus 1. remoti, cùm non minùs imposibilitas principij proximi supponat imposibilitatem principij remoti, quàm imposibilitas actus 2. imposibilitatem principij proximi. 75. *1. Assertio.*

Quòd autem hæc remota & radicalis impeccabilitas in Christi humanitate sit physica & non moralis, probat. fundatur in physicâ vnione cum personâ Verbi: quæ sicut physicam, & non tantùm moralem habet exigentiam proximæ impeccabilitatis; ita humanitas ratione huius vnionis, physicam, & non tantùm moralem exigentiam habet proximæ alicuius impeccabilitatis. 76. *Radicalis impeccabilitas physica.*

Quòd verò essentialiter & non tantùm connaturaliter, 77. *Essentialis vi vnionis hypost.*

raliter, hanc remotam & radicalem impeccabilitatem, vi vnionis hypost. accipiat humanitas, sic ostendo. Cum eâ exigentiâ hanc impeccabilitatem, vi vnionis hypost. accipit humanitas, quam ipsa vnio in se habet: cùm hæc impeccabilitas competat humanitati vt vnionis: at vnio hypostat. non tantùm connaturaliter, sed essentialiter alicuius impeccabilitatis exigentiam habet: est enim ipsa formalis sanctitas, essentialiter includens increatam sanctitatem Verbi, vt intrinsecum terminum & formam hypost. naturæ humanæ: igitur humanitas etiam essentialiter & non tantùm connaturaliter, vi vnionis eandem exigentiam accipit: nam illud est essentiale, & non tantùm connaturale, quod includitur in ipso conceptu intrinseco rei: sed in intrinseco conceptu vnionis hypostaticæ cum personâ Verbi includitur physica impeccabilitas radicalis: scilicet hoc ipso, quod intelligitur substantialis vnio cum personâ increatâ, intelligitur infinita sanctitas, cum quâ pugnat omne peccatum non solùm per formalem incompossibilitatem, vti iuxta probabilem senten. pugnat etiam cum sanctitate creatâ; sed etiam per modum operationis à principio proficiscentis: ac proinde essentialiter exigens oppositionem cum quouis peccato; & per consequens impeccabilitatem.

78. *Assertio 2. Fundam.* Dico 2. Humanitas Christi, vi vnionis hypostaticæ accipit proximam impeccabilitatem physicam ad quodcumque peccatum commissionis. Fundam. Implicat physica potentia ad quodcumque peccatum commissionis cum naturâ hypostaticè vnita Verbo: ergo humana Christi natura necessariò accepit cum ipsâ hypostaticâ vnione physicam impeccabilitatem proximam ad quodcumque peccatum commissionis: nam physica impeccabilitas proxima, est negatio physicæ potentiæ proximæ committendi peccatum commissionis. Antec. prob. physica potentia proxima committendi peccatum commissionis essentialiter inuoluit liberum decretum Dei de concurrendo cum tali potentiâ ad actû peccati, sub conditione, si creatura velit peccare. Implicat autem, Deum habere liberum decretum concurrendi cum naturâ hypostaticè sibi vnitâ ad actum peccati, sub conditione, si ipsa velit peccare: igitur implicat physica potentia ad quodcumque peccatum commissionis cum naturâ hypostaticè vnitâ Verbo. Maior elucet; nulla enim causa 2. est ad operandum potens, nisi habeat paratum concursum causæ 1. ad operationem necessarium: præparatur autem concursus primæ causæ per liberum decretum Dei. Minor probatur. Implicat Deum habere positiuum decretum concurrendi ad impossibile, etiam sub conditione, quando adhuc sub tali conditione manet impossibile: ergo implicat Deum habere positiuum decretum concurrendi cum natura hypostaticè sibi vnita ad actum peccati, etiam sub conditione, si ipsa velit peccare: nam sub quâcumque conditione implicat, vt natura hypostaticè vnita Deo peccet, aut velit peccare, vt 1. *sect.* Anteced. probat. positiuum decretum etiam sub conditione concurrendi cum creatura ad aliquẽ effectum, supponit & potentiam capacem talis concursus, & effectum tali potentiæ possibilem: sed nec potentia naturæ hypostaticè vnitæ Verbo est capax actualis cõcursus ad peccatum; nec actus peccati est possibilis tali potentiæ; nec Deus talem concursum velle potest, nisi per ordinem ad potentiam, & actum talis potentiæ: igitur si implicat actus peccati tali potentiæ, implicabit decretum diuinum de concursu ad actum talis potentiæ. Confirm. Voluntas concurrendi cum naturâ hypostaticè sibi vnitâ ad actum

Impeccabilitas ex defectu decreti diuini de concurrendo examinatur.

Hic difficultas.

79. *Confirm.*

peccati, contradictoriè pugnat cum voluntate non concurrendi cum eâdem ad actum peccati: at hoc ipso, quòd Deus naturam hypostaticè sibi vnit, habet positiuum decretum non concurrendi ad actum peccati cum tali naturâ. nam hoc ipso, quod hypostaticè vnitur Deo fit incapax omnis peccati, & consequenter nequit Deus habere positiuum decretum concurrendi cum illâ ad actum peccati.

80. *Obijcitur 1.* Dices 1. Posset Deus naturæ hypostaticè sibi vnitæ offerre concursum ad actum peccati, non vt eo vteretur in actu 2. sed vt eo esset potens tantùm in actu 1. ad eius libertatem saluandam. Sed contrà: nequit Deus positiuo decreto velle aliquid essentialiter frustraneum & otiosum. qualis esset iste concursus, quo nec absolutè, nec sub conditione posset natura vnita Verbo vti. Nec quicquam ad eius libertatem conduceret: nam eatenus conduceret, quatenus in ipsius potestate esset, eo vti, vel non vti: cùm igitur simpliciter & absolutè, & sub quâcumque conditione, stante vnione hypostatica cum Verbo non possit eo vti, planè sequitur, illum fore prorsus otiosum & frustraneum. Implicat autem Deum positiuo decreto velle, quod est otiosum & frustraneum, cùm nequeat Deus operari absque aliquo rationabili motiuo: nec rationabile motiuum posset Deus habere in tali decreto condendo; cùm nec tale decretum, vtpotè occultum, conducat ad ostensionem Diuinæ potentiæ, & omnis manifestatio diuinæ potentiæ supponat possibilitatem effectûs, quo manifestetur: nec libertatem ipsius Dei, cùm nequeat Deus suam libertatem exercere circa impossibile.

Soluitur.

81. *Obijcitur 2.* Dices 2. Non minùs implicat, confirmatum in gratia peccare, quàm naturam vnitam Verbo: sed potest confirmatus cum gratiâ confirmationis retinere physicam potentiam ad actum peccati; ergò etiam natura vnita Verbo. Maior probat. confirmatus in gratiâ supponit absolutum decretum Dei de conseruando illum immunem à peccato, cum quo pugnat decretum de concurrendo cum eodem ad actum peccati. Negatur Maior, eiusque prob. nam natura vnita Verbo implicat, vt peccet ab intrinseco, & antecedenter ad quamcumque suppositionem, tam absolutam, quàm conditionatam. Confirmatus autem implicat, vt peccet, tantùm ex suppositione extrinseci decreti Dei. Quo fit, vt possit cum decreto de gratiâ, ad bonum confirmante, stare decretum de concurrendo cum confirmato ad actum peccati, sub conditione si ipse velit peccare. Nam decretum de gratiâ ad bonum confirmante non mutat intrinsecam exigentiam, quam confirmatus, etiam vt confirmatus, habet ad concursum generalem causæ 1. vt complementum sibi naturaliter debitum: & consequenter decretum de gratiâ ad bonum confirmante, non tollit decretum de concursu generali ad actum peccati, sub conditione exhibendo. Non potest autem cum decreto de vnione hypostatica stare decretum de concurrendo cum natura hypostaticè vnita ad actum peccati, sub conditione si ipsa velit peccare. Nam sicut vnio hypostatica mutat intrinsecè natiuam exigentiam naturæ, ita non relinquit in eâ exigentiam ad talem concursum, sed potiùs ad negationem talis concursus. Ex quo vlteriùs sequitur, talem concursum in confirmato non fore otiosum, quia complet natiuam facultatem ipsius, quæ naturaliter exigit, etiam stante extrinseco decreto Dei, esse in actu 1. completa in ordine ad omnia ad operandum requisita, inter quæ est generalis cõcursus Dei. Cùm enim confirmatus non sit ab intrinseco, sed tantùm

Soluitur.

Discrimen Christi & confirmati in gratiâ.

tantùm ab extrinseco decreto Dei impeccabilis, manet etiam vt confirmatus, ab intrinseco physicè peccabilis, ac proinde cum concursu causæ 1. sibi per decretum Dei præparato. Natura verò vnita Verbo, per ipsam vnionem cum Verbo, fit ab intrinseco physicè impeccabilis, adeoque non manet ampliùs cum intrinsecâ exigentiâ concursus ad actum malum, sed potiùs cum intrinsecâ exigentiâ negationis concursûs ad omnem actum malum.

83. *Assertio 3.* *Fundam.* Dico 3. Humanitas Christi, vi eiusdem vnionis, accipit physicam impeccabilitatem proximam ad quodcumque peccatum puræ omissionis. Fundam. etsi ad peccatum puræ omissionis non sit necessarius actus positiuus voluntatis, adeoque positiuus concursus causæ 1. liberè à Deo paratus, sed sufficiat pura suspensio actûs, cum aduertentiâ rationis ad obligationem præcepti, *ex 3. tom.* est tamen necessarius positiuè actus ex parte intellectus practicè iudicantis actus præcepti suspensionem esse bonam & exequendam. Nequit autem Deus de huiusmodi iudicio habere liberum decretum, sub conditione, si intellectus humanus Christi velit tale iudicium elicere: ergo etiam ad peccata puræ omissionis humanitatis Christi vi Vnionis hypostaticæ accipit Physicam impeccabilitatem proximam. Maior constat: nam, vt pura omissio sit culpabilis, debet esse libera: vt autem sit libera, debet illam præcedere practica notitia præcepti hîc & nunc obligantis. *Hîc tantùm difficultas.* Minor prob. vt voluntas sit proximè potens physicè ad omittendum liberè actum præceptum, necessariò debet præcedere practicum iudicium de ipsâ omissione actûs præcepti hîc & nunc exequendâ: implicat autem huiusmodi iudicium ab humano intellectu Christi formari. Maior probat. nihil potest liberè sequi, aut omittere voluntas, nisi ei sequendum, aut omittendum proponatur ab intellectu: ergò vt liberè possit suum actum circa positiuum præceptum suspendere, debet talis suspensio practicè ab intellectu vt bona & exequenda ei proponi: quia cùm voluntas essentialiter sit appetitus boni, nihil appetere aut fugere liberè potest, nisi ratione alicuius boni, vel realis, vel apparentis. *Ratio à priori.* Vt igitur liberè valeat actum præceptum omittere, necessariò ei debet omissio præcepti sub aliquâ ratione boni practico iudicio proponi. Minor ostend. tale iudicium est de se erroneum & imprudens, quia expressè dictat omittendum esse, quod omitti non debet; & implicitè ac virtualiter iudicat committendum esse peccatum, quod cum tali omissione est necessariò connexum.

84. Dices: posset hoc iudicium ab humanâ voluntate Christi imperari, non vt proxima regula ad omittendum præceptum, sed ad illud difficilius, & maiori cum merito seruandum. Sed contrà: implicat practicum iudicium de omissione præcepti exequendâ imperari ad perfectius, & magis meritoriè præceptum exequendum. *Ratio implicantiæ.* Ratio: hoc practicum iudicium est vltima regula, quâ dirigitur voluntas ad suum actum, vel omissionem actus liberè exequendam: at nequit hoc esse vltima regula, quâ voluntas dirigatur ad actum præceptum perfectiùs magisque meritoriè exequendum: nam vltima regula, quâ voluntas dirigitur ad actum exercendum, est practicum iudicium de executione actus; vltima quâ eadem dirigitur ad omissionem actus liberè exercendam, est practicum iudicium de omissione actus exequenda. Nequit igitur practicum iudicium de omissione actus esse vltima regula ad actum perfectiùs exercendum: quin repugnant hæc duo iudicia in eodem intellectu simul, de exequendo actu præcepto, & non exequendo actu præcepto.

Dices 2. non solùm possumus liberè omittere ex practico iudicio omittendi; sed etiam ex defectu debitæ considerationis omittendo considerare, quæ ab omissione præcepti nos retrahere possent, qui defectus, cùm non sit positiuus, sed mera negatio cogitationis debitæ, non requirit concursum Dei, cùm exerceri possit purâ suspensione cogitationis debitæ. 85. *Dices.* *Resp.* Sed contrà: vt liberè omittamus cogitare, quæ cogitare deberemus, præcedere debet practicum iudicium, quo iudicemus, non esse cogitanda hîc & nunc, quæ hîc & nunc cogitari deberent. Neque ad hoc sufficit simplex notitia: nam licet hæc fortasse sufficiat ad omittendum simpliciter, non tamen sufficit ad omittendum liberè, vt ex 3. tom.

Infertur 1. nec posse à Deo hoc practicum iudicium de omissione actûs præcepti exequendâ in intellectu humano Christi produci, quia tale iudicium, quantum est de se, voluntatem determinat ad peccatum, seu ad solam executionem actus peccaminosi: quia tantùm practicè dictat, hîc nunc exequendum esse actum peccati, *quantum est de se*; licet cum ipso semper maneat in voluntate potestas imperandi contrarium iudicium practicum de executione actus boni. Nequit autem Deus vt causa particularis producere actum, qui de se tantùm ad peccatum determinat. Quâ de causâ 4. *tom.* nego, posse Deum vt causam particularem producere errorem, quia hîc de se inclinat & determinat ad falsum. Ex quo sequitur, vt neque in intellectu creaturæ puræ possit hoc iudicium à solo Deo vt causa particulari produci. 86. *Coroll. 1.* *Ratio.*

2. Humanitas Christi ad peccata commissionis duplicem habet impeccabilitatem physicam proximam, alteram ex parte intellectus; alteram ex parte voluntatis: nam etiam ad peccata commissionis prærequiritur practicum iudicium de executione actus: ad peccata verò puræ omissionis solùm habere physicam impeccabilitatem proximam ex parte intellectus, cùm ex parte voluntatis nullus necessariò requiratur positiuus actus, cuius physica potentia, per sublationem concursus, tolli debeat. 87. *Coroll. 2.*

3. Non potuit humanus Christi intellectus practicum iudicium de omissione actus præcepti, inchoatum tempore, quo præceptum non obligabat, continuare vsque ad instans intrinsecum, quo præceptum obligare incipiebat: sed necessariò illud mutandum fuisse in oppositum iudicium de executione præcepti. Non secus ac si ante assumptionem natura humana cogitasset de offendendo Deo, non potuisset talem cogitationem continuare vsque ad instans intrinsecum assumptionis, sed necessariò debuisset in instanti assumptionis à tali cogitatione cessare. 88. *Coroll. 3.*

Ad 3. Sentent. Nego, posse manere in humanitate Christi physicam potentiam ad peccatum puræ omissionis, ob rationem assignatam. Ad fundam. eius, concedo non mansisse in Christi humanitate libertatem ad substantiam actus præcepti, sed tantùm ad circumstantias pro eo instanti, pro quo obligabat: de quâ diffic. infrà. Cæterùm nego, ad hanc physicam impeccabilitatem necessariã esse physicam prædeterminationem potentię ad actũ præceptũ, sed sufficere moralem. Etenim sublatâ solâ physicâ potentiâ omittẽdi, per sublationem practici iudicij ex parte intellectus, volũtas necessariò elicit actũ præceptum, cum solo auxilio morali infallibili. Nã sublato practico iudicio de suspensione actus præcepti, & phy- 89. *Respondetur ad tertiam sententiam.*

& physicâ potentiâ ad illud formandum, manet voluntas physicè impotens ad suspendendum actum præceptum, cùm non possit absque notitiâ ipsius suspensionis voluntas liberè omittere: proinde nullâ physicâ prædeterminatione impulsa, solo efficaci auxilio morali instructa, actum præceptum eliciet.

90. *Dices.* DICES: posset voluntati non solùm negari physica potentia ad omittendum, sed etiam, sufficiens principium ad actum præceptum eliciendum: ergo adhuc negatâ physica potentiâ ad omittendum, non necessariò voluntas eliciet actum præceptum.

Resp. Concedo eo casu voluntatem non elicituram actû præceptum, non tamen voluntariè, sed merè physicè ac naturaliter, defectu potentiæ seu principij physici ad operandum sufficientis. Quòd voluntariè illum non omitteret, prob. voluntariè omittere, est cum prævia cognitione ipsius omissionis omittere: at supponitur nullam præcedere notitiam de omissione actûs sed tantùm de elicitione: igitur. Hinc infertur, negatâ notitiâ de omissione, & positâ notitia de elicitione actûs, omissionem nec liberè, nec voluntariè, sed merè naturaliter vitari; actum verò ipsum etsi non liberè, voluntariè tamē elici, quia cum plenâ cognitione ipsius elicitur.

91. *An impeccabilitas sit essentialis.* Hactenus ostendi, humanitatem Christi cum vnione hypostatica accipere physicam impeccabilitatem proximam ad quodcunque peccatum: nondum tamen definiui, an hæc impeccabilitas sit essentialiter, an tantùm connaturaliter debita humanitati Christi, ita vt opposita potentia physica non solùm humanitati Christi repugnet defectu decreti diuini, sed etiam ob formalem incompossibilitatem, quàm ipsa habeat cum vnione hypost.

92. Recentiores, vt *suprà*, putant physicam potentiam proximam peccandi ex se, etiam præscindendo à decreto Diuino, esse formaliter incompossibilem cum vnione hypost. & sanctitate à Verbo participatâ. Confirm. etiam in nostra Sententia ratione vnionis & Sanctitatis participatæ à Verbo, repugnat physica potentia peccandi proximè completa per practicum iudicium de omissione, vel commissione actus: ergo etiam ratione eiusdem repugnabit physica potentia peccandi proximè cōpleta per concursum Diuinum: 2. impossibilitas decreti Diuini de physicâ potentiâ proximâ peccandi in naturâ humanâ Christi supponit impossibilitatem ipsius physicæ potentiæ peccandi in eâdem naturâ: ideò enim Deus nequit habere decretum de physicâ potentiâ proximâ peccandi, quia illa repugnat cum humanitate Christi.

His non obstantib.

93. *4. Assertio. cohærens principijs. Fundam.* DICO 4. physica potentia proxima peccandi, si non repugnaret defectu Diuini decreti, non repugnaret ratione vnionis & Sanctitatis à Verbo participatæ in humanitate Christi. Fundamentum: id tantùm ratione vnionis præcisè repugnat humanitati Christi, quod vel moralem imperfectionem inuoluit, vel per se ad eam ordinatur, scilicet infinita Sanctitate à Verbo participatâ solùm per se pugnat, id quod aliquo modo Sanctitati opponitur: at physica potentia proxima peccandi nec moralem imperfectionem dicit respectu naturæ assumptæ, cùm ipsius liberum consensum præcedat; nec respectu Verbi, eam in assumptâ naturâ admittentis, cùm illa per se ad malum non ordinetur; nec sit intrinseca humanitati, sed tantùm extrinseca in præparatione decreti diuini.

94. *Confirm.* Confirm. adhuc cum eâ saluaretur impossibilis coniunctio peccati cum naturâ assumptâ: nam adhuc positâ physicâ potentiâ proximâ peccandi, saluari posset impossibilis coniunctio peccati cum naturâ assumptâ, per solam impotentiam moralem peccandi: nam quoad actualem coniunctionem peccati cum vnione hypostatica æquè impossibile est per impotentiam moralem, ac per physicam: igitur, si aliunde per se talis potentia formalem incompossibilitatem non habet cum vnione hypostatica non est, vnde illa per se formaliter cum hypost. vnione repugnet, nisi solùm, quia de illâ dari non potest liberum decretum Dei.

Ex his patet ad fundamentum oppositæ. Ad 1. confirmationem neg. conseq. cuius triplex disparitas: 1. quia iudicium practicum immediatè præcedens actum peccaminosum est determinatum ad malum per modum principij liberi intrinseci radicalis, atque adeò de se erroneum: 2. quia est intrinsecum & inhærens in naturâ assumptâ. Potentia autem physica proxima peccandi per generalem concursum Dei completa de se est indifferens ad vtrumlibet; neque est intrinseca quoad vltimum complementum, quod habet per generalem concursum Dei. 3. quia generalis concursus complens physicam potentiam proximam peccandi est à Deo; practicum autem iudicium complens intrinsecam potentiam proximam ad actum peccati non potest esse à Deo. 95. *Ad fund. oppositæ sentent.* *Disparitas triplex.*

AD 2. confirmationem, negatur antec. nam impossibilitas decreti Diuini solùm supponit in naturâ assumptâ impossibilitatem peccati: propter quam nequit Deus præparare illi suum concursum, defectu cuius formaliter constituitur impotentia physica peccandi. Quò fit, vt hæc physica impeccabilitas proxima in humanitate Christi non tam antecedat, quàm formaliter constituatur per huiusmodi negationem concursus. 96. *Ad 2. Confirm.*

Obijcies 1. Humanitas Christi ex vnione ad Verbum accipit infinitam dignitatem: pugnat autem cum infinitâ dignitate physica potentia peccandi: ergo physica potentia peccandi pugnat cum humanitate Christi etiam propter intrinsecam incompossibilitatem formalem, quam habet cum infinitâ dignitate participatâ. Nego minor. nam infinita dignitas solùm excludit omnem indignitatem ad bonum & dignitatem ad pœnam; quâ de causâ *infrà* docui, non posse in humanitate assumptâ admitti aliquem reatum ad pœnam debitam ex præterito peccato ante assumptionem commissio. potentia autem physica peccandi nullam dicit indignitatem ad bonum, & dignitatem ad pœnam naturæ debitam; cùm illa communicetur creaturæ ante vllum malum culpæ, quæ necessariò ad malum pœnæ supponitur, vt patet in angelis, & protoparentibus, quibus ante vllum peccatum communicata fuit physica potentia proxima peccandi. 97. *Dices 1.* 98. *Resp.*

Obijcies 2. Implicat per omnem potentiam, humanitatem Christi peccare: ergo non solùm per potentiam moralem, sed etiam physicam. Resp. implicat per omnem potentiam, vt cum Christi humanitate componatur peccatum; adeò vt si ad hoc non sufficeret moralis impeccabilitas, necessaria esset physica, concedo: implicat per omnem potentiam, quia hæc coniunctio peccati cum vnione hypost. necessariò arceri debet, non solùm per potentiam moralem, sed etiam physicam, nego: nam sufficit, vt arceatur per talem potentiam, per quam fiat huiusmodi coniunctio peccati cum vnione hypost. impossibilis, qualis est potentia moralis præuenta auxilijs infallibilibus. 99. *Dices 2. Resp.*

Obijcies 3. cum impeccabilitate morali non implicat peccatum simpliciter: sed cum vnione hypost. implicat peccatum simpliciter: ergo impeccabilitas moralis non esset sufficiens ad saluandam 100. *Dices 3.*

impeccabilitatem humanitatis Christi. Maior probatur, non repugnat, moralem potentiam aliquando deficere à suo actu: nam potentia moralis dicitur illa, quæ non semper & infallibiliter, sed vt plurimum operatur.

101. *Resp.* *Duplex est potentia moralis & impotentia.* Resp. potentia moralis, & consequenter moralis impotentia vna omninò antecedens & infallibilis; altera consequens, & non omninò infallibilis, sed vt plurimùm. Hæc est, quæ tantùm ex suppositione, quòd ipsa sit cum ordinarijs auxilijs vt plurimum operatura; illa est, quæ non tantùm ex suppositione, quòd ipsa sit vt plurimum cum ordinarijs auxilijs operatura, sed ex certis quibusdam, infallibilibusque auxiliis, antecedenter debitis operanti, in ordine ad omnes actus bonos à Deo specialissimâ prouidentiâ præparatis. Atque hæc potentia moralis ad bonum cum impotentiâ morali ad malum vnionis hypostaticæ poneretur in humanitate Christi, si aliunde ratione decreti diuini cum eadem non repugnaret physica potentia peccandi.

102. *Obijcies* 4. Implicat Verbum, etiam per communicationem idiomatum, denominari physicè peccabile: denominaretur autem ab ipsâ physicâ potentiâ peccandi, si ea posset cum humanitate vnitâ Verbo manere: ergo etiam præciso decreto Diuino, implicat cum humanitate vnitâ Verbo manere physicam potentiam peccandi.

103. *Resp.* 1. Resp. 1. negando maior. multi enim inter quos est *Vasquez disputat. 61. cap. vlt.* non reputant absurdum, Verbum per communcationem Idiomatum denominari peccabile. Quod admittere tenẽtur omnes, qui putant, de facto Christi humanitatem cum hypostatica vnione accepisse tantùm moralem impeccabilitatem; imò *vt suprà*, etiam à peccato ante assumptionem ab humanitate commisso, denominari *peccasse*. 2. Nego, Verbum per

104. *Resp.* 2. communicationem Idiomatum denominari posse peccabile simpliciter: tum quia hæc propositio simpliciter prolata, videtur negare etiam impeccabilitatem remotam, quam essentialiter accipit natura vi vnionis: tum quia absolutè pronuntiata importat potentiam ad actu reducibilem.

105. *Obijcies*. 5. Impeccabilitas humanitatis Christi essentialiter debet esse diuersæ rationis ab impeccabilitate confirmatorum in gratia: sed impeccabilitas confirmatorum in gratiâ est moralis: ergo impeccabilitas humanitatis Christi essentialiter debet esse physica. Distinguo maior. debet esse diuer-

106. *Resp.* sæ rationis ab impeccabilitate morali simpliciter, nego; intra ipsam moralem impeccabilitatem, concedo. Nam moralis impeccabilitas esset ab intrinseco debita Christi humanitati, & altioribus illustrioribusque munita præsidijs; contrà verò impeccabilitas confirmatorum.

107. *Obijcies* 6. Si in humanitate Christi posset esse proxima potentia physica ad actum peccati, posset in eâ esse proxima potestas ad faciendum, vt Deus

Resp. peccare posset. Nego sequelam: nam sicut hæc proxima potentia in Christo non tolleret, quin Deus vt causa particularis & hypost. necessariò regeret voluntatem naturæ assumptæ, medijs infallibilibus: ita nec illa facere posset, vt Deus posset peccare: nã hoc esset, facere posse, vt Deus tanquam particularis causa hypost. peculiare regimen assumptæ naturæ habere non possit.

108. *Obijcies*. 7. Si posset in humanitate Christi esse physica potentia proxima transgrediendi præceptum, ponatur tale præceptum de facto transgredi; siquidem possibili posito in esse, nullum sequitur inconueniens: at posito hoc possibili in esse, sequitur, Deum peccare, quod est maximum inconueniens: igitur falsum est, in humanitate Christi posse esse proximam potentiam physicam transgrediendi præceptum, cùm ex nullo possibili posito in esse sequi possit aliquod inconueniens. Ne- 109. *Resp.*
go, tale possibile poni posse in esse; quia licet non implicet, illud poni in esse ratione principij proximi, repugnat tamen illud poni in esse ratione principij remoti & radicalis. Vt autem possibile absque inconuenienti poni possit in esse, ex nullo capite implicare debet. Sicut potest confirmatus peccare; & predestinatus damnari: vtrumque tamen implicat poni in esse, non ratione potentiæ proximæ, sed ratione extrinseci decreti Dei, quia sequeretur, illud falli ac frustrari.

Obijcies. 8. Si voluntas humana Christi constitui 110.
posset proximè potens ad seruanda præcepta medio tantùm morali, contingere posset, vt cum nullo de facto consentiret; non enim hoc implicat: tunc autem sequeretur, Deum peccare: implicat autem peccare: ergo implicat etiam id, vnde hoc sequitur. Nego sequelam. 2. posito casu, volun- 111. *Resp.* 1. *Resp.* 2.
tas humana Christi determinaretur à Deo per visionem beatam, vel alium modum ad substantiam actûs præcepti, non tamen ad circumstantias diuersorum motiuorum, ratione quorum talis actus posset esse meritorius. Atque hæc dicta sint ex suppositione, quòd posset Deus habere liberùm decretum de physicâ potentiâ proximâ peccandi humanitatis Christi. Cæterùm talis potentia in humanitate Christi implicat defectu liberi decreti, quod Deus habere non potest de concursu ad peccatum, etiam sub conditione si voluntas humana Christi peccare vellet, *vt suprà*.

Ex dictis, ad fundamentum primæ distinguo 112. *Ad fund.* 1. *Sentent.*
minor. facultas liberi arbitrij, quoad intrinsecã perfectionem, est eiusdem rationis cum libero arbitrio nostro, cõcedo; quoad ea, quæ in Christo connotat, nego. Nam in Christo facultas liberi arbitrij est cõiuncta hypost. cum personâ increatâ Verbi, vi cuius exigit carere omni concursu ad malum, & habere tantùm concursum ad bonum. Ad prob. concedo, liberum arbitrium humanitatis Christi non esse mutatum physicè, quoad intrinsecam suam natiuã perfectionem: nego, non esse mutatum physicè in ordine ad extrinsecum concursum Dei: nam sicut extrinsecus concursus Dei physicè complet intrinsecam potentiam operatiuam humanitatis Christi: ita negatio huius concursûs physicè mutat intrinsecam potentiam operatiuam eiusdẽ. Ad confir. neg. conseq. nam ad hoc sufficit, vniri vt principium operans mediatum, & *vt quod* substantialiter completiuum principij immediatè operatiui *vt quo*. Atque hæc de impeccabilitate, quam Christi humanitas accepit, vel accipere potuit vi vnionis hypost. de impeccabilitate, quam habet vi visionis beatæ, *disputandum sequenti sect.* 4.

SECTIO IV.

An in Christo potuerit esse error?

Dvplex est error, alter culpabilis, inculpabi- 113.
lis alter. Primum non potuisse esse in Christo, constat eodem fundam. quo suprà probatum est in eo non potuisse esse peccatum. Secundus adhuc est duplex, vnus dicitur prauæ dispositionis, alter simplicis negationis. Hic consistit in purâ duntaxat negatione scientiæ, quæ vel dicitur mera nescientia, quando est rerum ad scientem non spectãtium, qualis est nescientia earum rerũ possibilium *Duplex error inculpabilis.*

& con-

& conditionalium, quas neque in Verbo, neque in proprio genere anima Christi nouit; vel priuatio scientiæ, quando est rerum ad statum scientis pertinentium, quæ ignorãtia dicitur. Hanc certum est, non fuisse in animâ Christi, in qua fuit plenitudo omnis scientiæ & veritatis, sicuti decebat animam à Verbo assumptam. Licet non defuerint ex Catholicis, qui aliquam ignorantiam rerum, ad Christi statum pertinentium, in animâ Christi posuerint, moti ex illo *Matt.* 24. *De die autem illâ & horâ nemo scit*, sermo autem est de die iudicij, *nisi solus Pater*. Ve-
114. tùm isti vt Christi blasphemi coacti sunt ab inquisitoribus hunc errorem retractare, de quibus mentionem facit *Medina 3. part. quæst.* 15. *art.* 3. Ille verò consistit in iudicio, vel habitu erroneo per se ad falsum inclinante. De secundo non est dubium, quin potuerit esse in Christo: nam sicut potuit Verbum assumere naturam irrationalem incapacem omnis scientiæ, ita & rationalem omni scientiâ spoliatam, tam actuali, quàm habituali. Ergò tantùm de primo est præsens controuersia.

115. *1. Sentent.* PRIMA Sententia affirmat, potuisse de potentiâ absolutâ talem errorem in Christo esse: *Vasquez disputat.* 61. *cap. vlt. Lorca disputat.* 59. *Ioan. de Lugo disputat.* 21. *sect.* 3. *Hurtado disp.* 10. *difficul.* 9. quæ à fortiori sequitur ex opinione eorum, qui arbitrantur, de potentiâ absolutâ in Christo potuisse esse peccatum. Cæterùm notat *Vasquez*, non posse nec de potentiâ absolutâ in Christo esse errorem practicum, qui consistit in defectu clarioris atque expressioris considerationis, quæ voluntatem à peccato retraheret, ex quo considerationis defectu omne peccatum ducit suam originẽ: nam sicut in Christo non potuit esse peccatum, ita nec practicus error, qui necessariò præcedit peccatũ. Sed solùm docet, potuisse esse errorem speculatiuum, qui non necessariò præcedit peccatum, nec est proxima causa vel
116. *Fundam.* occasio illius. Fundam. quicquid mali, vel in iudicio, vel in habitu erroneo reperitur, est malum pœnæ, quod Christo ratione naturæ assumptæ non repugnat, vti de facto assumpsit reliquas pœnalitates naturæ humanæ. Confir. 1. Potuit Verbum assumere stoliditatem naturæ asininæ; ergo & errorem naturæ humanæ. 2. Non magis repugnat, Verbo per assumptam naturam errare, & falsum materialiter proferre, quàm in eâdem cruciari ac mori.

117. *2. Sentent.* SECVNDA negat, per quamcunque potentiam in Christo esse potuisse errorem, non modò practicum ad peccatum proximè inclinantem, sed neque speculatiuum: *Medina 3. part. loco citat. Vincentij Asturicensis quæst.* 1. *relect. de Christi gratiâ* post 2. *concl. Suarez disputat.* 34. *sect.* 3. *fine, Nazarij* 3. *p. quæst.* 9. *art.* 1. *contro.* 1. *& quæst.* 15. *a.* 3. *controu. vn. Ragusa disputat.* 116. inclinat *Alensis* 3. *p. q.* 13. *memb.* 3. *ad* 2. affert, & approbat in hac re testimonium *Anselmi lib.* 1. *Cur Deus homo ca.* 13. vbi *Sapienter*, inquit, *Deus assumpsit mortalitatem, qua sapienter, & valde vtiliter vteretur: ignorantiam verò* (intelligit ignoratiam prauæ dispositionis) *non poterat assumere sapienter, quia nunquam est vtilis, sed semper noxia.*

Anselmo subscribit Alensis.

118. *Hæc sententia probabilior.* Hæc sentent. est, nostris principijs conformior, & Christi dignitati congruentior. nam quod *sect.* 1. *prob.* Verbo diuino naturali iure incumbit, naturam hypostaticè sibi vnitam in omnibus suis actionibus regere, tam intellectûs, quàm voluntatis, ne erret; cùm vtrumque genus actionum per se pertineat ad naturam intellectualem, quam Verbum regendam suscepit: at si Verbum admitteret in assumpta naturâ errorem, talis error tribueretur Verbo, vt causæ particulari hypost. talem naturam regenti: implicat autem, errorem tribui Verbo, vt causæ particulari errantem naturam supposițanti: nam repugnat, infinitam veritatem esse causam particularem erroris, non minùs quàm repugnat, infinitam bonitatem esse causam particularem peccati. Vnde *to.* 4. ostendi, non modò Deum non posse per se testificari falsum, sed neque vt causam particularem producere, vel conseruare in nobis actum, vel habitum erroneum. Sicut non modò repugnat, Deũ per seipsum peccare, sed etiam esse authorem peccati in nobis: cùm non minùs primum repugnet infinitæ veritati, quàm secundum infinitæ ipsius bonitati. Ergo multo minus talem errorem admittere poterit in propriâ naturâ assumptâ.

Implicat error in naturâ assumptâ.

SECVNDA ratio, vt *to.* 4. & *cit.* indicat *Anselmus*; 119. *Ratio 2.*
si posset Deus de potẽtiâ absolutâ esse causa particularis erroris & falsitatis, hoc ipso corrueret summa certitudo nostræ fidei: cùm non possemus esse certi, an de facto Deus in reuelandis mysterijs fidei, vsus sit hâc potestate absolutâ; atque adeò non omnia, quæ de facto reuelata sunt, esse vera. Quòd si de potentiâ absolutâ nec implicat, Verbum assumptâ naturâ errare, vnde certi esse possumus, hâc potentiâ de facto non esse vsum, in tradendo Euangelica per hunc hominem à se assumptum? Respondent aliqui ex *citat.* primæ, repugnare hoc muneri supremi Doctoris, quod Verbum per assumptam naturam in tradendâ Euangelicâ veritate exercuit; licet non implicet simpliciter, Verbum per assumptam naturam errare. Quare hoc ipso, quòd Christus fuit à Deo destinatus ad exercendum munus supremi Doctoris, docendo & illuminando omnes ad viam veritatis, non potuit, ne de potentiâ quidem absolutâ, per assumptam naturam errare. Sed contrà 1. errare per assumptam naturam, non solùm est malum, & Verbo repugnans in ordine ad decipiendos alios, sed etiam ad decipiendam propriam naturam assumptam, quam vt causa particularis hypostatica in omnibus suis actionibus regendam suscepit. 2. esto repugnet Verbo, errorem admittere in assumptâ naturâ, vt obeunti publicum munus supremi Doctoris ac Magistri; saltem per te non repugnat, illum admittere in eâdem, vt priuata natura est: ac proinde potuit, saltem vt priuatus homo, Christus alios decipere: quod non minus est absurdum, & derogat summæ authoritati Christi. Vnde non teneretur quis summâ certitudine credere, quod sibi immediatè à Christo priuatâ reuelatione reuelaretur; quia posset dubitare, an in tali reuelatione Christus de potentiâ absolutâ permitteret, humanam naturam assumptam errare. Nec dici potest, tali casu, humanam Christi naturam, ne alios deciperet, nunquam suum errorem alijs manifestaturam: quia posset tali casu natura humana Christi erroneè iudicare, illud quod est falsum, esse verum, alijsque manifestandum priuatâ reuelatione: idque totum permittere posset Verbum, cùm totum hoc solùm pertineat ad errorem, quem in assumptâ naturâ per Aduersarios admittere potest; non autem ad culpam, quam neque per Aduersarios admittere potest. Hoc autem vt maximum absurdum infert *cit. loco* Anselm.

Applicata Verbo incarnato.

120. *Respondent aliqui ex cit. auctorib. primæ sentent.*

121. *Contrà 1.*

2.

Nota.

Anselmus. 122.

Deducitur, non modò non posse Verbum permittere, vt humanitas post assumptionem erret, sed neque errorem, quem ante assumptionem in proprio supposito contraxisset, admittere. Nam hoc ipso, quòd illum admitteret, approbaret, faceretque sibi suum in assumptâ naturâ, quam vt causa particularis hypostatica gubernandam suscepit. vti non posset Deus errorem à nobis contractũ, in nobis con-

Nota. bis contra naturalem exigentiam causæ 2. conseruare: vt si ille per introductionem oppositæ veritatis naturaliter postularet expelli, non posset à Deo in nobis conseruari; nam hoc ipso censeretur Deus particularis causa illius: & multò minùs posset illum peculiari influxu supplente concursum sustentatiuum subiecti, in nobis miraculosè conseruare.

123. *Ad fund. oppositæ sententiæ.* Ad fundamentum oppositæ, esto error in nobis sit malum pœnæ; nequit tamen à Deo, vt à causâ particulari effici; & consequenter nec à Verbo, vt à causâ particulari hypostaticâ admitti, propter peculiarem oppositionem, quam habet cum naturâ intellectuali vt sic: quam repugnantiam non habet mors. Ratio huius peculiaris repugnantiæ colligitur 1. à posteriori: nam potest quis aliquando licitè in se mortem admittere; errorem autem & falsitatem nunquam. *à Poster.*

124. *à priori.* 2. Error per se aduersatur naturæ intellectuali vt sic; mors autem non aduersatur naturæ intellectuali vt sic, cùm sit communis reliquis etiam animantibus, imò & omnibus compositis naturalibus, quatenus est quædam naturalis compositi destructio. Verùm, quia adhuc vrgeri posset, admittendo, errorem per se aduersari naturæ intellectuali vt sic, haud tamen repugnare, Deum vt supremum Dominum omnis creaturæ intellectualis, in eâ vt causam particularem errorem producere, ideò Resp. 3. magis explicando hanc oppositionem, quam habet error cum naturâ intellectuali vt sic, cùm enim error sit malum intellectûs; intellectus autem per se ingrediatur radicaliter & originatiuè constitutionem libertatis, quæ per se est principium omnis moralitatis, consequenter error per se oppositionem habet non solùm physicam, sed etiam moralem cum naturâ intellectuali vt sic, non quidem formalem & immediatam, vt culpa, sed radicalem & mediatam: omnis autem oppositio moralis cum naturâ intellectuali, est per se mala, & à Deo vt à causâ particulari fieri non potest, sed tantùm vt à causâ vniuersali. Propter hanc rationem non potest homo errorem in se licitè admittere, admissumque tenetur repellere. Nec obstat, quòd error speculatiuus proximè non dirigatur ad praxim: nam saltem est ad illam dirigibilis; quod sufficit, vt omnis error participet aliquam oppositionem moralem radicalem & immediatam cum naturâ intellectuali vt sic.

125. *Resp. 3.*

126. *Vrget aduersarius. Resp.* Sed cur non possit Deus, vt causa particularis huiusmodi malum, vel in alijs, vel in assumptâ naturâ causare, possit autem cætera mala? Resp. quia quæ per se oppositionem habent cum naturâ intellectuali vt sic, eandem etiam oppositionem habent cum naturâ intellectuali diuinâ: vt quia mendacium opponitur naturæ intellectuali vt sic, opponitur etiam naturæ intellectuali diuinæ, propter easdem rationes. Implicat autem, Deum vt causam particularem efficere aliquid, quod oppositionem habeat cum suâ naturâ; alioqui posset à seipso auerti. Cùm enim necessariò seipsum infinitè diligat, nequit aliquid efficere, quòd aliquo modo suæ naturæ opponatur, & per quod virtualiter saltem à seipso auertatur. Reliqua verò mala physica, quia non opponuntur naturæ intellectuali vt sic, sed naturæ tali determinatæ, non opponuntur naturæ diuinæ: proinde non repugnat, illa Deum vt causam particularem efficere, siue in alijs, siue in propria natura assumpta. *Nota.*

127. Ex his etiam patet ad vtramque confirmat. nam mors est tantùm malum physicum: stoliditas verò asini est naturalis proprietas naturæ asininæ, per se consequens naturalem complexionem & temperamentum talis naturæ. Error verò nec est purum malum physicum, sed aliquo modo morale, saltem radicaliter & originatiuè, vt probatum est; neque est naturalis proprietas naturæ intellectualis, quin potiùs contraria & aduersa illi: nam proprium naturæ intellectualis est, tendere in verum.

Dubitatur, an potuerit Verbum assumere naturam humanam amentem, vel in eâ assumptâ amentiam permittere. Ratio dub. pro parte negatiuâ est: quia amentia per se opponitur naturæ rationali vt sic, cùm tollat principium per se ad discursum requisitum: tollit enim rectum & ordinatum vsum organorum & sensuum internorum, qui per se ad discurrendum requiritur. Confirmatur: quiuis homo naturali iure tenetur amentiam vitare, & illius causam non dare. Sed Verbum succedit humanæ naturæ cum eo naturali debito, quod haberet proprium suppositum in eandem naturam: ergo si proprium suppositum non posset amentiam in suâ naturâ admittere, neque illam admittere poterit Verbum. Affirmatiua tamen pars omninò vera: nam amentia per se nullam habet oppositionem moralem, formalem, radicalem, materialem & obiectiuam cum naturâ intellectuali; solùm enim cum naturâ intellectuali vt sic oppositionem habet malum, quod aliquo modo participat moralitatem, vel formaliter vt culpa; vel radicaliter & originatiuè, vt error; vel obiectiuè, vt actus tendentes ad obiectum dissonum, etiam absque rationis aduertentiâ, amentia verò per se solùm importat physicam læsionem organorum & sensuum internorum, ex quâ physicâ læsione impeditur rectus vsus sensuũ, & consequenter etiam intellectûs ratiocinatio. Confirm. posset Verbum assumere naturam humanam spoliatam omni sensu externo: at non minùs tunc ex priuatione sensuum externorum impediretur internus discursus intellectus, qui in discurrendo naturaliter pendet à phantasmatibus, ab externis sensibus in phantasiam transmissis, iuxta illud *Aristotelicum* axioma, *Oportet intelligentem phantasmata speculari*: ergo non est, cur ex hoc capite repugnet, Verbum amentem naturam assumere, vel amentiam in assumptâ iam naturâ admittere: sicut non solùm potest assumere naturam omni sensu externo priuatam, sed etiam talem sensuum priuationem in assumptâ iam naturâ admittere. 128. *An Verbum assumere potuerit naturam amentem? Ratio dub.* 129. *Conclusio.* 130. *Axioma Aristot.*

AD rationem dubitandi, concedo, amentiam per se opponi naturæ rationali, physicè; quia priuat illam physico principio, seu recto vsu sensuum, per se ad ratiocinandum requisito, non moraliter. Ad confirmationem, nego minor. nam Verbum solùm succedit loco proprij suppositi in assumptâ humanitate cum naturali debito vitandi mala moralia, non physica; quia illa tantùm, non hæc, habent oppositionem cum naturâ Verbi, cuiusmodi sunt peccata, errores, & actus ex obiecto rationi difformes. Vnde teneretur Verbum non admittere naturâ amente assumptâ motus ex obiecto dissonos & rationi difformes. Cæterùm non succedit cum omni eo debito, quod proprium suppositum haberet in eandem naturam: nam multa tenetur vitare proprium suppositum in suâ natura, v. g. membri mutilationem, sensus amissionem, priuationem vitæ, quando commodè posset, quæ non tenetur in assumpta natura vitare Verbum, nam posset, etiam sine causa, assumptam naturam exponere morti, quia proprium suppositum non habet dominium in vitam, & membra suæ naturæ; 131. *Ad rationẽ dubitandi.* *Ratio discriminis.*

naturæ; adeoque non potest licitè de illis ad libitum disponere, nec sine causâ suam naturam morti, aut membri mutilationi exponere. Verbum autem habet perfectissimum dominium in naturam assumptam, adeoque licitè posset de illâ ad suum libitum disponere, vt sibi placuerit. ita nequeunt multa filius & seruus de seipsis disponere, quæ tamen possunt Pater & Dominus.

DISPVTATIO XXV.

De humana voluntate Christi.

SECTIO I.

An fuerit semper diuinæ concors?

1. SVPPONIT titulus, duas in Christo esse voluntates, diuinam, & humanam, vt certum fidei dogma in multis Concilijs definitum, non solùm contra Monoth. sic dictos, quia vnam in Christo voluntatem agnoscebant, sed etiam contra Eutychetem, eiusque asseclas, qui dum asserebant ex duabus naturis, humanâ, & diuinâ, vnam tantū ex vnione integram naturam in Christo resultasse, *Quæst. titulus:* consequenter vnicam etiam in Christo fatebantur voluntatem. Eadem veritas expressa est Matth. 26. *Non sicut ego volo, sed sicut tu*: Lucæ 22. *Non mea volūtas, sed tua fiat*: Ioan. 6. *Non quæro voluntatem meam,*
2. *sed voluntatem eius, qui misit me*. 2. Et ratio id etiam, supposito mysterio, euidenter demonstrat. Nam positis duabus integris naturis intellectualibus in Christo, diuinâ & humanâ, necessariâ consecutione sequitur, duas in Christo esse voluntates, diuinam & humanam: cùm ad quamlibet naturam intellectualem per se sequatur appetitus rationalis, qui vel non distinguitur ab ipsâ naturâ intellectuali reipsa, sed solâ ratione; vel si distinguitur, postulat semper esse cum illâ, vt naturalis proprietas ipsius. Esse autē *Duæ naturæ in Christo.* in Christo duas naturas integras intellectuales, diuinam & humanam, eadem Concilia definiunt cōtra Euthychet. ijs oraculis, quibus Christus dicitur homo, & Deus. *Ioan.* 8. Christus de se loquens: *Quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus sum*: ad Roman. 5. *Si enim vnius delicto multi mortui sunt: multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Iesu Christi in plures abundauit*: Ioan. 1. *Et Verbum* (quod Euangelista antè dixerat esse Deum) *caro factum est*. Ad Rom. 9. *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula*. Et innumera sunt scripturæ loca, in quibus hæc veritas docetur. Quam non minùs etiam euidenter declarant actiones, tam propriæ naturæ humanæ, quàm diuinæ, quas Christus vt homo Deus exercebat: cuiusmodi propriæ naturæ humanæ erant, comedere, ambulare, loqui, mori: propriæ verò naturæ diuinæ, interna hominū secreta cognoscere, mortuos resuscitare, & reliqua miracula, propriâ potestate & imperio patrare, vt
3. peccata propriâ authoritate dimittere, &c. Eandem veritatem apertè supponit finis Incarnationis, *Ex fine Incarn.* qui fuit, hominem redimere per opera condignè meritoria Christi. Nullum autem opus potest esse condignè meritorium pro peccato nisi à liberâ voluntate Deitate condignificatâ procedat; cumque nequeat voluntas diuina esse liberum principium meriti, & mereri sit inferioris apud superiorem; necessariò, præter voluntatem increatam, consequentem naturam diuinam, condignificantem opus meritorium, ponenda erit in Christo voluntas humana, vt proximum principium liberum merendi pro hominibus apud Deum. His certis, prima difficultas, quæ in hac ineffabili coniunctione diuinæ & humanæ voluntatis sese offert, est, an illæ semper fuerint inter se concordes. *1. Difficul.*

RATIO dub. sumitur ex verbis Christi Matt. 26. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste*: Lucæ 22. *Pater, si vis, transfer calicem istum à me*: Ioan. 12. *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora*. Hæc enim verba iuxta *Cyrill. Alexand.* in hunc locum, *Augustin. tract.* 52. *in Ioan.* & aliorum PP. interpretationem, respondēt, illis *Matth.* 26. & *Lucæ* 22. *Pater transeat à me calix iste: Quemadmodum in horto, paulo antequam caperetur*, inquit Cyrillus, *orauit Patrem dicens: Pater, si possibile est; transeat à me calix iste: ita nunc petit à Patre vt saluificetur, & liberetur ab hac hora mortis subeundæ. Sed quemadmodum humana conditio tunc in eo diuina virtute deinde cōfortata, subiecit seipsam prorsus diuinæ ordinationi, dicens: veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu vis: & non mea voluntas, sed tua fiat: ita nunc imbecillitatem humanam subleuans cælesti robore, subiungit: sed propterea veni in hanc horam, vt scilicet mortem patiar secundùm tuæ voluntatis beneplacitum, nempe ideo ad hanc deductus sum horam, vt tibi obediam*. Et Augustinus: *Sicut autem hic dixit, nunc anima mea turbata est, ita etiam vbi dicit, tristis est anima mea vsque ad mortem: & Pater si fieri potest, transeat à me calix iste: ostendit suscepti infirmitatem*. Cùm igitur his verbis Christus à Patre liberari ab imminente morte efflagitet, manifestè ostendere videtur, suam ipsius humanam voluntatem non fuisse cum diuinâ, quæ efficaciter decreuerat, ipsum pro salute hominum mori, concordem. 4. *Ratio dubitandi.*

Constans tamen est, & certa omnium Patrum, & Schol. sent. cum *Mag. in* 3. *dist.* 17. & *S. Thom.* 3. *part. quæst.* 18. *artic.* 5. & 6. voluntatem humanam Christi nunquam fuisse à diuinâ discordem. Quam veritatem expressè definit *Agatho Papa in Epist. ad Constan. Imperat. Heracl.* & *Tibert. Augustos*, recepta & approbata *à* 6. *Synodo actione* 4. his verbis: *Cùm duas autem naturas, duasq; naturales voluntates, & duas naturales operationes confitemur in vno Domino nostro Iesu Christo, non contrarias eas, nec aduersas ad alterutrum dicimus*. Et demonstratur: nam aduersari diuinæ voluntati efficaci & absolutæ, iam notæ & manifestatę, sicut erat voluntas diuina de subeundâ morte pro salute generis humani, est imperfectio Christo repugnans. 5. *Vera sent.* *Ratio euidens.*

Igitur tota difficultas est, in explicandis *cit.* verbis Christi, quo pacto ex illis nulla arguatur inter humanam & diuinam voluntatem Christi discordia, sed potiùs summa concordia & cōsensio. 1. inter Patres *Hilarius Can.* 31. *in Matth.* & *Hieronym. in* 26. *cap. eiusd.* ideo docent, humanam Christi voluntatem in *cit. Matth. Luca & Ioan.* non fuisse à diuinâ discordem, quia non fuit de fugiendâ morte, quam ex mandato Patris exequi debebat, sed vel de vitando scandalo discipulorum, quod passuri erāt in ipsius passione & morte, vt *Hilarius* putat: vel de peccato & ruina Iudæorum, vt *Hieronym.* censet. *Non itaque*, inquit Hilarius, *mors, sed tempus mortis in metu est. Metuit, ne se Deum ambigent* (nempe discipuli) *quem cæsum, & conspūtum, & crucifixum essent contemplaturi. Postulat*, inquit Hieronymus, *vt si possibile est, transeat ab eo passionis calix. Postulat autem non timore patiendi, sed misericordiâ prioris populi, ne ab illis bibat calicem propinatum. Vnde & signanter non dixit, transeat à me calix, sed calix iste*, 6. 7. *1. Interpretatio verborum Christi.*

iste, hoc est, populi Iudæorum qui excusationem ignorantiæ habere non potest, si me occiderit, habens legem, & prophetas, qui me quotidie vaticinantur. Confirm. bis Christus de hâc Iudaici populi ruinâ miserationis affectum ostendit vsque ad lacrymas, semel ante passionem *Lucæ 19.* cùm *Videns ciuitatem fleuit super illam,* iterum in passione, cùm *Lucæ 23.* per publicas plateas Hierusalem duceretur ad mortem, *Conuersus,* ad mulieres, *quæ plangebant & lamentabantur eum,* miserationis affectu, *dixit: Filiæ Hierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros,* &c.

Confirm. responsio Hierony.

8. *Non rectè Recentiores aiunt non solui rationem dub. si vera resp.*

Hæc Hilarij, & Hierony. responsio procul dubio, si vera esset, & reliquorum PP. doctrinæ concordaret, dissolueret difficultatis nodum, quicquid aliqui dicant; eo quòd, vt ipsi aiunt, voluntas Dei non solùm erat, vt Christus pateretur mortem, sed vt illam pateretur à Iudæis: vnde idem erat, illam nolle pati à Iudæis, ac nolle pati vt à diuinâ voluntate decretam. Nam hæc fuit tantùm voluntas Dei permissiua, non præceptiua, vt illam Christus à Iudæis pateretur: non secùs ac fuit voluntas Dei permissiua de scandalo Apostolorum, cuius permissiua voluntas, *iuxta Hilarij interpretationem,* ne fieret, Christus ad Patrem orabat. Etenim cùm actio, mortem Christo illatiua, fuerit peccaminosa ex parte Iudæorum, non potuit Deus illam cum hâc circumstantiâ præcipere, sed tantùm permittere. Voluntas autem, quæ aduersatur voluntati diuinæ permissiuæ, non est propriè diuinæ contraria: quia quæ Deus vult permissiuè, non vult ex se antecedente voluntate, sed solùm dependenter à voluntate creaturæ, ex suppositione quòd ipsa voluerit. Alioqui etiam voluntas, quâ Christus *iuxta Hilarij* expositionem, petijt, ne scandalum discipulorum sequeretur, fuisset contraria voluntati diuinæ, quæ de facto tale scandalum permisit: quod tamen aduersarii non concedunt.

9. *Reijcitur Hilarij ac Hieronymi interpretat. Vt contraria cæteris patrib.*

Ergo eo solo nomine hæc Hilarij, & Hieronymi responsio reijcitur, quia aduersatur doctrinæ reliquorum PP. & Concil. quæ fugam mortis in humana voluntate Christi admittunt. Vnde *in citat. Epist.* sic habet *Agatho Papa: Nec enim nolle mori carnem, reprehensio est, quoniam hoc natura est: ipse autem quæ natura sunt, omnia absque peccato ostendit. Quando ergo dicit, si potest fieri, transeat à me calix iste: & non sicut ego volo, sed sicut tu, nihil aliud ostendit, nisi quia carnem indutus est timentem mortem, mortem enim timere, & anxiari illius est.* Et paulò pòst; *Habet autem,* inquit, *& nolle mori, eo quòd mortem caro recusabat naturaliter.* Idem docet Cyrillus *Alexandrinus libr. 8. in Ioan. cap. 15.* explicans illa verba: *Nunc anima mea turbata est: Itaque animam suam,* inquit, *turbatam protestatur, horrore imminentis passionis.* Et paulò pòst: *Dimisit,* inquit, *naturam humanam in se pati, quod erat ei proprium, vtpote exhorrescere mortem, & illam refugere.* Ambrosius *in 22. cap. Lucæ, Sequestrata,* inquit, *delectatione diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur. Suscepit enim tristitiam meam, vt mihi suam lætitiam largiretur.* Et infrà explicans illa verba: *Transfer à me calicem istum;* sic ait: *Quasi homo mortem recusans, quasi Deus sententiam suam seruans.* Idem docet August. *tract. 52. in Ioan. cit.* & passim reliqui PP.

10. *Responsio alia.*

2. Ex Scholasticis respondent *Richardus in 3. distinct. 17. articul. 1. quæst. 2. & 3. Duran. quæst. 1. num. 9. Argent. quæst. vn. articul. 2. ad 2. con. 1. conclus.* Ideò voluntatem fugiendi mortem in Christo, non fuisse contrariam diuinæ, quia fuit voluntas naturalis, sine rationis deliberatione, ex sola naturæ inclinatione orta, non autem rationalis & deliberata, quæ diuinæ semper fuit conformis. Vnde cùm dicit: *Transeat à me calix iste,* naturalem voluntatem naturaliter horrebat: dum verò subiungit: *Veruntamen non mea, sed tua voluntas fiat,* rationalem voluntatem parendi diuinæ, declarat. Quæ resp. fundam. habet in *cit. verbis Agathonis,* quibus hęc voluntas fugiendi mortem in Christo appellatur timor naturalis, & proprius carnis.

11. *Si vera, solueret diffic.*

Hæc etiam responsio, si vera esset, difficultatem dissolueret: nam voluntati diuinæ propriè non aduersatur motus naturalis necessariò ortus ex voluntate, vt appetitus quidam naturæ est; sed tantùm actus elicitus ex voluntate deliberatâ: sicut nec diuinæ voluntati aduersatur fuga appetitûs sensitiui ex impetu naturæ necessariò elicitus. Ratio: illa tantùm voluntas aduersatur diuinæ præceptiuæ, quæ virtualiter saltem supponitur prohibita in voluntate præceptiuâ Dei: sed voluntas naturalis necessariò elicita ex inclinatione naturæ, non potest esse virtualiter saltem in voluntate præceptiuâ Dei prohibita, cùm non possit voluntas Dei prohibere, quæ liberæ potestati operanti non subsunt.

12. *Reijcitur interpretat.*

Aliâ ergo viâ reijcitur, scilicet quia ex doctrinâ Concil. & Patrum, vt *disputat. 23.* nullus motus merè naturalis, ex purâ inclinatione naturæ, absque rationis deliberatione, fuit in appetitu rationali vel sensitiuo Christi: sed omnis motus tam rationalis, quàm sensitiui appetitûs, fuit ex præuiâ rationis deliberatione, sponte & liberè admissus: quippe qui illos, quando, quousque, & quos volebat, in se admittebat: quos propterea Patres non passiones, sed propassiones appellant. Igitur hæc responsio non subsistit, cùm falso nitatur fundamento. Ad authoritatem Agathonis respondeo, per *motum naturalem,* ibi pontificem non intelligere motum naturaliter excitatum, absque rationis deliberatione, sed vocat *naturalem,* quia est iuxta naturæ inclinationem, etiamsi sit deliberatè admissus, ad differentiam alterius motûs voluntatis, mortem acceptantis, qui quoniam est de obiecto contrario naturæ, non dicitur naturalis, sed solùm rationalis, quia soli rationi conformis est. Quòd autem hæc sit pontificis mens, constat ex ijs, quæ *infrà in eâdem Epistola ex testimonio Nysseni* docet: *Dedit enim,* inquit, *quando voluit, naturæ tempus propria operari.* Viden' igitur, quo modo natura in operando, quæ sibi erant naturalia, pendebat à voluntate deliberatâ Christi.

Explicatur Agatho.

Vera interpretatio verborum &c. & concordia humanæ voluntatis ipsius cum diuina de morte subeundâ.

Ratio vera & communis: vt vna voluntas sit alteri contraria, debet sub eâdem ratione, & conditione idem obiectum nolle, sub quâ ratione & conditione altera voluntas vult. nam ea tantùm voluntas opponitur alteri, quæ opponitur obiecto ipsius: cùm voluntas sit vitalis inclinatio in obiectum; & quæ opponitur obiecto, opponatur etiam inclinationi in obiectum, quæ necessariò tollitur, sublato obiecto. at diuina voluntas erat de morte à Christo efficaciter & absolutè exequendâ, vt bonâ & fructuosâ generi humano: voluntas autem humana Christi erat de fugiendâ morte vt contrariâ naturæ. non quidem efficaciter & absolutè, sed tantùm sub conditione, si à Patre præcepta proposita non fuisset. Quod obiectum nullo modo est oppositum obiecto voluntatis diuinæ: Sicut conditionata voluntas Iudicis de non damnãdo homicidâ, sub conditione si non fuisset homicida, non aduersatur absolutæ voluntati eiusdem, quâ absolutè & efficaciter illum ad iustam mortem damnat:

damnat: quia obiectum vnius voluntatis non tollit obiectum alterius: & consequenter nec vna voluntas tollit alteram, sed in eodem subiecto sese compatiuntur: ita Theologi, *S.Thom.3.p.qu.21.art.4. Scotus in 3.dist.15.quæst.vnic.* §. *Vltimo dicendum*, &c. Fuit in humana Christi voluntate quædam alia maior respectu diuinæ conformitas, quam *Scholastici* appellant conformitatem in genere causæ efficientis; quæ consistit in eo, vt vna voluntas velit, quidquid altera vult, vt alia velit. At voluntas diuina voluit, vt voluntas humana Christi nollet mortem vt contrariam naturæ, & sub conditione, si illa non fuisset sibi à Patre præcepta & proposita. Hanc admittunt *Alensis 3.p.quæst.15. memb.1. Albert.in 3.dist.17.art.1. Bonau.art.1.q.3. Richard.quæst.2.cit. Durand.loco cit.num.8. Gabriel quæst.vnic.art.2. quæst.6. Palat.disp.1. Suarez disp.38. sect.4. S.Thom. 3.p.quæst.18. art.6. vbi fine corp.* sic habet: *Placebat enim Christo secundùm voluntatem diuinam, & etiam secundùm voluntatem rationis, vt voluntas naturalis in ipso, & voluntas sensualitatis, secundùm ordinem suæ naturæ mouerentur.* Quæ conformitas colligitur etiam ex Concilijs & PP. dum asserunt, Verbum permisisse, vt in passione assumptâ natura proprios motus ageret. Dixi *Maior conformitas*: quoniam prior conformitas obiectiua, est tantùm negatiua, quatenus obiectum vnius voluntatis non aduersatur obiecto alterius: Hæc posterior effectiua, est positiua, quatenus positiuo actu voluntas se conformat cum aliâ voluntate, eundem actum volente.

14. *Conformitas in genere causæ efficientis.*

15. *Coroll. 1.*

Deducitur 1. neque illas duas voluntates humanas in Christo, quarum vna efficaciter & absolutè acceptabat mortem, vt vtilem generi humano, & à Patre præceptam; altera inefficaciter & sub conditione refutabat mortem, vt contrariam naturæ, fuisse contrarias inter se. Quod sic ostendo. Si voluntas mortis in Christo fuisset contraria voluntati mortis in eodem Christo, fuisset etiam contraria voluntati diuinæ de volendâ eâdem morte: at probatum est, voluntatem mortis in Christo non fuisse contrariam diuinæ de eâdem morte volendâ: ergo nec voluntas mortis in Christo fuit contraria voluntati mortis in eodem Christo. Maior prob. quæ penes aliquod tertium non sunt difformia, nec erunt difformia inter se: ergo si voluntas mortis, & voluntas mortis in eodem Christo non sunt difformes voluntati diuinæ, neque erunt difformes inter se. Sicut nequeunt duo esse inæqualia & dissimilia inter se, quæ sunt æqualia & similia vni tertio.

16. *Coroll. 2.* 2. Nullam fuisse in Christo ex hâc humanarum voluntatum varietate internam pugnam. Ratio: vt ex *disp.23.* interior pugna est, quando affectus vnius voluntatis excitatur contra affectum alterius voluntatis: in Christo autem nullus affectus excitatus est contra ipsius voluntatem: cùm omnes motus in Christo fuerint sponte admissi ex libero imperio voluntatis, non naturaliter excitati, ex naturali inclinatione naturæ.

17. *Coroll. 3.* 3. Plana est intelligentia loci *ad Hebr.5. Qui in diebus carnis suæ preces supplicationésque ad eum, qui possit illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens exauditus est pro sua reuerentia.* Nam Apost. alludit ad preces, quas Christus ante passionem suam in horto obtulit Patri, quando dixit: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste.* Cùm tamen per has preces non videatur Christus fuisse exauditus, siquidem petiuit liberari à morte, à quâ tamen liberatus non fuit. Sed fuit exauditus secundùm eam voluntatem, quâ efficaciter petiuit in se adimpleri voluntatem diuinam de morte sustinendâ, iuxta ipsius verba: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu: non mea voluntas, sed tua fiat: propterea veni in horam hanc.*

Christus fuit exauditus.

Deducitur 4. quo pacto, non obstante, quòd Christus scientiâ beatâ & infusâ certus erat de absolutâ voluntate Patris, vt pro salute humanâ moreretur, nihilominus petiuerit, à morte liberari, cùm talis petitio videatur frustranea & otiosa, vt de obiecto omninò impossibili: nam stante efficaci decreto Dei, impossibile erat, Christum à morte liberari. Nihilominus dicendum est, non fuisse hanc petitionem in Christo frustraneam aut otiosam: 1. quia fuit ad ostendendam in se veritatem susceptæ carnis, quæ mortem naturaliter refugit. 2. vt nobis exemplum relinqueret, quomodo nos debeamus in huiusmodi casibus gerere. Vnde Ambros. *in 22. Lucæ: Homo*, inquit, *in plaga & sciens ferre infirmitates, nos voluit erudire, vt quia in Ioseph didiceramus carcerem non timere, mortem vincere disceremus in Christo: &, quod est amplius, quemadmodum futuræ mortis mœstitiam vinceremus. Quomodo enim te imitaremur Domine Iesu, nisi sequeremur vt hominem, nisi mortuum crederemus, nisi vulnera vidissemus? quemadmodum discipuli crederent fuisse moriturum, nisi morituri tristitiam comperissent?* & Augustinus *tract.52.cit. Docuit te*, inquit, *quid cogites, docuit quid dicas, quem inuoces, in quo speres, cuius voluntatem certam atque diuinam tuæ voluntati humanæ infirmæque præponas.* Et paulò pòst: *Sicut autem hic dixit: nunc anima mea turbata est: ita etiam vbi dicit: tristis est anima mea vsque ad mortem: &, Pater, si fieri potest, transeat à me calix iste: ostendit hominis suscepti infirmitatem, vt doceat sic contristatum & conturbatum, quod sequitur, dicere: Verumtamen non quod ego volo, sed quod tu vis, Pater. Sic enim homo ab humanis in diuina dirigitur, cum voluntati humanæ voluntas diuina præponitur.* Et in Psalm.32. *concio.1.* post init. *Vnde gerens hominem Christus, & regulam nobis proponens, docens nos viuere, & præstans nobis viuere, ostendit hominis quamdam priuatam voluntatem, in qua suam figurauit & nostram, quia caput nostrum est, & ad eum, sicut nostis, tanquàm membra vtique pertinemus. Pater, inquit, si fieri potest, transeat à me calix iste. Hæc humana voluntas erat, proprium aliquid & tanquam priuatum volens. Sed quia recto corde voluit esse hominem, vt quidquid in illo aliquantum curuum esset, ad illum dirigeret, qui semper est rectus: verùm non quod ego volo* (ait) *sed quod tu Pater*, & paulò pòst. *Ostendit quandam hominis propriam voluntatē, ostendit, & correxit te. Ecce vide*, inquit, *te in me, quia potes aliquid proprium velle, vt aliud Deus velit. Conceditur hoc humanæ fragilitati, conceditur humanæ infirmitati.* 3. Ad explicandum maiorem charitatis affectum erga Patrem & genus humanum, & fortitudinis exemplum in superando mortis angore & tristitiâ. *Neque enim*, inquit *cit.* Ambrosius, *habent fortitudinis laudem, qui stuporem magis vulnerum tulerint, quàm dolorem.* 4. Vt nobis magis assimilaretur, magísque experientia ipsa compati posset, iuxta illud *Hebræor. 2. Debuit per omnia fratribus similari, vt misericors fieret, & fidelis pontifex ad Deum. In eo enim, in quo passus est ipse & tentatus, potens est & eis, qui tentantur, auxiliari.* Quintò, vt Martyribus exemplum præberet, mortem non fugiendi, etiamsi horreatur; nec minui, sed potiùs augeri meritum, etiamsi timeatur.

18. *Non fuit petitio frustranea.* *Ratio 1.* 2. *Tertia.* *Quarta.* *Quinta.*

DICES: Hæc solùm probant, debuisse Christum in se mortis tristitiam & dolorem suscipere, non autem liberationem à morte à Patre petere. Confirm. 19.

X

firm. maior perfectio videtur fuisse, si imminentis mortis horrorem Christus sentiens, liberationem à morte non petijsset, sed potiùs vltrò mortem ipsam quàm primùm subeundam flagitâsset: ita maior perfectio foret in puro homine, si sciens voluntatem Dei de morte sustinendâ, imminente morte, potiùs tolerantiam mortis, quàm liberationem à morte à Deo peteret. *Resp.* Nego assumpt. nam quo modo scire potuissemus, nos licitè & meritoriè aliquando liberationem à morte à Deo petere posse, etiamsi sciamus voluntatem Dei esse, vt illam patiamur, nisi capitis exemplo instructi? Christus enim non modò suo exemplo instruere voluit, quid sanctè, sed etiam quid licitè à Deo petere possimus. Vt igitur nos instrueret, licitè aliquando nos à Deo petere posse, saltem sub conditione, quod Deus decreuit absolutè fieri, hoc proprio exemplo nos docere voluit. Ad confirm. neg. antec. nam maior perfectio Christi fuit, vt tanquam caput proprio exemplo sua membra instrueret. Neque est eadem ratio de homine priuato, qui non est constitutus à Deo caput ad instruendos doctrinâ & exemplo alios. Quamquam etiam iste posset maiorem charitatem exercere, si petens liberationem à morte inefficaciter tantùm & sub conditione, efficaciter & absolutè se offerret ad mortem sustinendam. Leg. *S. Thom. 3. p. q. 21. art. 2.*

21. *Coroll. 5.* Deducitur 5. semper humana Christi voluntas absoluta & efficax fuit adimpleta: nam ad singularem Christi prudentiam spectabat, nunquam aliquid absolutè & efficaciter velle, nisi quod certò sciebat, à se fieri posse. Nec obstat, quod interdum dicitur aliquid voluisse, quod postea non est factum, vt cùm *Marci 7. Neminem voluit scire, & non potuit latere:* quia id non voluit absolutè & efficaciter per omnes vires, quas poterat adhibere, sed tantùm per vires naturales, vltra quas noluit adhibere supernaturales. Velut qui vult finem limitato aliquo medio, si eo adhibito, finem non consequatur, non dicitur à suo proposito frustrari; quia propositum ipsius non se extendebat ad consecutionem finis, nisi quatenus poterat per tale medium acquiri.

22. *Duplex difficultas enodatur. Prima.* Hîc duplex diffic. 1. hoc modo explicata voluntas mortis in Christo, inefficaciter & sub conditione, non necessariò infert duplicem voluntatem in Christo, vnam humanam, quâ fugiebat mortem; alteram diuinam, quæ eandem mortem præcipiebat: siquidem poterat vna eademque voluntas diuina eandem mortem absolutè & efficaciter velle, vt vtilem generi humano; & inefficaciter & sub conditione nolle, si eadem futura non esset vtilis generi humano. Vti potuit eadem voluntas humana Christi eandem mortem absolutè & efficaciter velle, vt à Patre præceptam, & inefficaciter & sub conditione nolle, vt naturæ contrariam. Ex quo fit, vt ex hâc explicatione corruat totum fundam. quo Concilia & PP. nituntur ad colligendam ex *cit.* verbis Christi duplicem voluntatem humanam & diuinam in Christo, contra hæreticos, qui id negabant.

23. *Secunda.* 2. An saltem de potentiâ absolutâ potuerit humana voluntas Christi esse contraria diuinæ: nam hactenus, de facto humanam Christi voluntatem non fuisse discordem à diuina, tantùm probant authoritates & rationes.

24. *Respondetur priori difficultati.* Ad 1. nego, ex *cit.* verbis Christi non necessariò colligi duplicem voluntatem, humanam & diuinam in Christo. Nam esto, non necessariò colligatur ex voluntate absolutâ, & conditionatâ simpliciter, necessariò tamen colligitur ex reliquis adiunctis circũstantijs: nempe quòd vna erat cum tristitiâ & timore, altera sine tristitiâ & timore constans perseuerabat in suo decreto de morte exequendâ. Vna rogat per modum supplicantis: altera audit per modum imperantis. Vna vt subdita & inferior alteri se subijcit in morte sustinendâ: altera vt superior & domina imperatâ mortem vrget. Qui effectus in vnam eandemque voluntatem cadere non possunt.

25. *De poster. 1. Opinio.* Quoad poster. diffic. Suarez *loco cit.* putat, hoc etiam de potentiâ absolutâ esse impossibile, suppositâ in Christo scientiâ decreti diuini de morte subeundâ: cùm impossibile sit, efficaci actu conari contra voluntatem Dei efficacem sibi manifestatam. Sublatâ verò scientiâ decreti diuini de morte exequendâ, censet, potuisse humanam Christi voluntatem absolutè & efficaciter tendere in obiectum contrarium diuinæ voluntati.

26. *2. Opinio.* *Fundam.* Alij Recent. hoc putant possibile, etiam positâ scientiâ de voluntate & decreto Dei in Christo: quia non repugnat, pro priori naturæ, antequam appareat decretum Dei vt obiectum præcipientis, voluntatem humanam Christi tendere in oppositum obiectum: non enim repugnat, aliquod obiectum pro 1. signo naturæ non apparere impossibile, quod pro 2. signo naturæ apparet impossibile; & consequenter pro 1. signo voluntatem ferri in illud vt possibile, in quod pro 2. signo ferri non posset. *Confirm.* Confirm. qui in hoc instanti indifferẽs est ad amorem, & odium eliciendum, pro priori naturæ videt, vtrumque actum esse sibi possibilem, possibilitate antecedente, & quantum est ex vi eorum, quæ pro eo signo repræsentantur. At talis cognitio sufficit, vt possit absolutè habere actum amoris, licet pro signo 2. in quo est actus odij, experiatur actum odij; & consequenter iudicet pro eo signo esse impossibilem actum amoris, impossibilitate consequente: quæ cognitio impossibilitatis consequentis si præcessisset pro signo priori, non potuisset absolutè velle actum amoris, quem iam præsciebat esse impossibilem potentiâ consequente.

27. *Conclusio.* Ego cum *Suarez* omninò censeo impossibile, positâ scientiâ de decreto Dei in Christo, prout de facto posita fuit visione beatâ, potuisse contrarium velle. Quia vt *disp. 23.* Scientia beata pro quouis signo & instanti, tam temporis, quàm naturæ præcedebat omnem aliam cognitionem in Christo, & consequenter etiam cognitionem de obiecto contrario decreto diuino: etsi non reputem absolutè impossibile, positâ scientiâ de decreto Dei in posteriori signo in Christo, potuisse in signo priori, pro quo nondum apparebat decretum Dei, in oppositum obiectum tendere, à quo tamen actu necessariò cessare debuisset immediatè post instans, antecedente in posteriori signo scientia de decreto Dei oppositum præcipientis: quia cùm in 2. signo naturæ obiectum, quod pro 1. signo apparebat possibile, iam appareat impossibile, non posset ampliùs circa illud versari actus voluntatis, vt circa obiectum possibile: ita si pro 1. signo naturæ obiectum appareat verum, quod pro 2. signo apparet falsum, poterit quidem intellectus in 1. signo elicere assensum circa illud, ab eo tamen necessariò cessare debebit immediatè post instans, apparente falsitate obiecti in 2. signo naturæ.

28. *Alioqui idẽ actus eodem instanti tẽporis simul esset & non esset.* Dixi, *Immediatè post instans temporis sequentis,* non naturæ, quia impossibile est, vt vnus idemque actus in eodem instanti temporis sit, & non sit, etiam secundùm diuersa signa naturæ: ergo si in 1. signo naturæ actus fuit elicitus, non poterit idem actus desinere in 2. signo naturæ, sed temporis immediatè sequentis: scilicet existentia rei respon-

dет

det reali mensuræ temporis: signa autem naturæ solùm designant diuersas prioritates & posterioritates, dependentiæ vel independentiæ eiusdem rei.

29. A fortiori sequitur, hoc possibile fuisse, sublatâ omninò scientiâ à Christo de decreto & voluntate Dei obiectum prohibente. Quia tunc potuisset humana voluntas Christi in obiectum reipsâ contrarium decreto & voluntati Dei tendere ex aliquo honesto motiuo. Nulla enim in hoc apparet implicantia, vel imperfectio Christo repugnans.

30. *Dices.* *Obijcies* 1. non posset humana Christi voluntas in tale obiectum ferri, nisi supposito errore in intellectu, quod non esset tale obiectum à Deo prohibitum: implicat autem in intellectu humano Christi error, vt *praced. disp. sect. vlt.* ergo implicat, etiam sublatâ scientiâ de decreto & voluntate Dei à Christo, humanam eius voluntatem ferri in obiectum reipsâ contrarium decreto & voluntati Dei.

31. *Resp.* Nego maior. nam vt eo casu voluntas humana Christi ferri posset in tale obiectum, reipsâ contrarium decreto diuino, necesse non esset, præcedere in intellectu humano eiusdem erroneum iudicium de voluntate diuinâ, sed sat foret, si tantùm præcederet iudicium de honestate obiecti secundùm se, sublatâ omni actuali notitiâ de decreto diuino circa tale obiectum: quæ negatio actualis notitiæ de decreto diuino, cùm sit pura negatio sciẽtiæ, nullam importat imperfectionem Christo repugnantem. Vel certè præcedere posset practicum iudicium, non quidem de voluntate diuinâ tale obiectum non prohibente, sed de ipsâ probabilitate signorum probabiliter iudicantium, tale obiectum non esse à Deo prohibitum. Quod iudicium & verum est, vt patet; cùm non sit de voluntate Dei, sed de probabilitate dumtaxat signorum; & sufficiens ad regulandam humanam voluntatem Christi circa obiectum alioqui ex se honestum: nam cognitio probabilis est sufficiens regula humana ad rectè & honestè operandum, vt 3. *tom.* *Iudicium practicum de probabilitate signorum decreti diuini in Christo absque ignorantiâ.*

32. *Confirm.* Confirm. certum est, in angelis beatis, saltem de potentiâ ordinariâ, non posse esse errorem, cùm naturaliter pugnet error, quod est maximum naturæ intellectualis malum, cum summâ felicitate; cùm tamen iuxta communiorem Patrum sentẽtiam, *Gregorij lib. 17. Moral. cap. 7.* Angelus præses regni Persarum restitit angelo Danielis 21. diebus, *Daniel.* 10. eo quòd, vt Patres interpretantur, nesciens voluntatem Dei de reuersione populi Israel, conabatur illum apud Persas detinere, sperans ex eius incolatu apud Persas fructum aliquem spiritualem in eos deriuandum. Cùm igitur iste angelus regni Persarum præses erroneum iudicium habere non potuerit de voluntate Dei circa reditum populi Israël, sed tantùm iudicium de probabilitate signorum huiusmodi voluntatem diuinam non indicantium, dicendum est, posse stare verum & sufficiens iudicium ad honestè operandum cum inuincibili ignorantiâ contrarij decreti diuini: ac proinde potuisse humanam Christi voluntatẽ cum inuincibili ignorantiâ decreti diuini, absque vllo practico errore licitè & honestè contrarium obiectum velle.

33. *Dices.* *Obijcies* 2. Talis actus esset materialiter saltem, & ex obiecto difformis naturæ rationali, quia esset de obiecto reipsâ prohibito: at talis actus repugnat Christo, vt *praced. disp.* Confirm. Verbum ex nostrâ sententiâ tenetur regere naturam assumptam in omnibus suis actionibus: ergo teneretur illam regere, vt in tali casu ferri non posset in obiectum reipsâ contrarium diuino decreto: alioqui talis actio imputaretur ad peccatum Verbo, esto *Confirm.*

non imputaretur naturæ assumptæ: sicut si actus materialiter tantùm difformes admitterentur in naturâ assumptâ, imputarentur Verbo, etiamsi non imputarentur naturæ assumptæ. Nego maior. Etenim non quiuis actus est materialiter & ex obiecto difformis, sed tantùm qui versatur circa obiectum suâ naturâ dissonum: at obiectum, in quod tenderet humana Christi voluntas, esset suâ naturâ consonum & conforme naturæ rationali. Iuxta hanc resp. patet ad confirm. nam Verbum solùm tenetur regere naturam assumptam, ne labatur in actus materialiter, & ex obiecto per se spectato difformes: quia supponit actum antecedenter difformem naturæ assumptæ, eâque mediante sibi, scilicet tendentem in obiectum per se dissonum. Confirm. talis actus neque haberet difformitatem ex obiecto secundùm se, quia illud supponeretur ex se honestum, & rationi consonum; neque ex voluntate Christi, quia illa honestè tenderet in tale obiectum ex se honestum, ex inuincibili ignorantiâ prohibitionis diuinæ; neque ex ipsâ prohibitione diuinâ; quia illa non esset à parte rei obiectum talis actûs, cùm nihil possit esse obiectum voluntatis, nisi sit præcognitum: ergo nihil haberet indecentiæ & difformitatis, quo minùs posset à Verbo in assumptâ naturâ admitti. Nec est eadem ratio de ijs actibus, qui licet indecentiam & difformitatem non habeant ex voluntate operantis, habent tamen illam ex obiecto per se dissono naturæ rationali. 34. *Resp.* *Ad confirm.* *Ratio.* 35. *Confirm.*

Instas: In humanis tam pater, quàm dominus sciens prohibitionem superioris, tenetur illam filio, & seruo manifestare, ne contra illam, etiam honestè, ex inuincibili ignorantiâ agant: ergo etiam Verbum teneretur assumptæ naturæ manifestare prohibitionem Dei, ne contra illam, etiam ignorantiâ inuincibili, honestè ageret. Resp. 1. neg. anteced. quando illi bona fide agunt ex inuincibili ignorantiâ talis prohibitionis, & nullum ex huiusmodi ignorantiâ sequitur damnum. Secundò neg. conseq. nam tam pater tenetur monere filium, quàm dominus seruum de prohibitione superioris, quia neuter habet authoritatem in prohibitionem superioris: Verbum autem habet plenam potestatem in prohibitionem factam naturæ assumptæ, cùm eadem sit Verbi & reliquarum diuinarum Personarum voluntas. Vnde hoc ipso, quòd Verbum assumptam naturam non instrueret de prohibitione illi factâ, hoc ipso talem obligationem tolleret. 36. *Instas.* *Resp.* 1. 2.

SECTIO II.

An voluntas humana Chtisti fuerit libera, & quo gradu libertatis?

CERTVM fidei dogma est, humanam Christi voluntatem fuisse in operando liberam. Isaiæ 53. *Oblatus est, quia ipse voluit*: Ioan. 10. *Nemo tollit*, inquit Christus, *eam*, hoc est animam, *à me: sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam.* In quem locum Cyrillus Alexand. lib. 7. in Ioan. cap. 7. *Hoc loco*, inquit, *quod sponte gustauerit mortem, neque inuitus ad passionem pertractus fuerit, edocet.* Hanc veritatem docent PP. & Concilia, dum definiunt, in Christo fuisse omnes proprietates naturæ humanæ, inter quas potissima est liberum arbitrium. Eandem vnanimi consensu sequuntur *Scholastici cum Magistro in 3. distinct. 18. & S. Thom. 3. parte quæst. 18. art. 4.* & ratio euidenter ostendit: nam Chri- 37. *Oracula diuina expressa.* *Patres & Concilia.*

Christus, vt definit *Trident. sess. 6. cap. 7.* fuit meritoria causa nostræ iustificationis & salutis; ad meritum autem necessaria est libertas: igitur in Christo fuit libertas. Nec obstat, quòd Christus peccare non potuerit: nam vt rectè August. *lib. de prædestin. SS. cap. 15. An ideò in illo* (nempe Christo) *non libera voluntas erat, ac non tantò magis erat, quantò magis peccato seruire non poterat?* Scholastica concertatio est, quo libertatis gradu humana Christi voluntas fuerit libera.

38. 1. Sentent. PRIMA sententia affirmat, fuisse liberam tantùm à coactione, quia nimirum sponte operabatur; non à necessitate, quia multa operabatur necessariò: *S. Thom. in 3. dist. 18. q. 1. art. 2. ad 5. in post. resp. Gabr. quæst. vnic. dub. 1. ad 2. in post. resp. Marsilij quæst. 12. art. 2. ad 1. ration. Almayni q. vnic. §. 3. Maioris q. 2. §. Secunda via, Fauent. disp. 44. cap. 1. Salmer. tom. 2. tract. 10.* & sequitur ex doctrina *Scoti in 3. dist. 18. quæst. vnic. §. In ista quæst. fine* & *in 4. dist. 49. q. 6. §. Dico ergo:* in quorum primo docet, Christum meruisse per actum fruitionis; in secundo, omnes beatos cum actu beatifico retinere libertatem ad peccandum, esto, propter extrinsecum impedimentum, nunquam possint in actum peccati exire; quia non est contra libertatem creaturæ, determinari ad vnum à causâ superiori, vt non possit ad oppositum; sed determinari ad vnum per intrinsecum habitum: beati autem non per intrinsecum habitum, sed per extrinsecam dumtaxat voluntatem Dei determinantur ad perpetuum actum fruitionis, cum quo nequit esse peccatum, potentia proxima. (Ratio Scoti.) Fundam. hæc libertas sufficit ad merendum: probant *Gabr. qu. cit. art. 1. notab. 5.* & *Almain. cum Scoto:* Meritum principaliter consistit in acceptatione diuinâ: omnis quippe actus à Deo ad præmium aliquod acceptus, dicitur meritum: sed potest Deus ad præmium acceptare, non solùm actum liberum, sed etiam necessarium: Igitur potuit Christus non solùm per actum liberum, sed etiam per necessarium mereri. (Fundam.)

39. 2. Sentent. SECVNDA parum à primâ differens docet, libertatem Christi, & reliquorum hominum positam esse in obiectiuâ indifferentiâ iudicij de medio, necessariam connexionem non habente cum fine: *Bannez 1. p. q. 19. art. 10. dub. 1. §. Tertium docum.* Vnde infert, omnem actum voluntatis, qui originatur ex practico iudicio talis medij, per se ad consecutionem finis indifferentis, esse liberum, etiamsi aliundè voluntas ad talem actum eliciendum sit antecedenter prædeterminata. Fundam. Deus est perfectè liber, & tamen in Deo alia ratio libertatis non inuenitur respectu eorum, quæ extra se vult, nisi quia iudicat, illa non habere necessariam connexionem cum fine, sed esse secundùm se indifferentia, & sic iudicata eligit, esto actus ipse voluntatis in Deo sit necessarius. (Fundam.)

40. 3. Sentent. communis & omninò vera. TERTIA affirmat, humanam Christi voluntatem fuisse liberam, non solùm à coactione, sed etiam à necessitate; nec sat esse ad formalem libertatem, obiectiuam indifferentiam iudicij de medio ad consecutionem finis indifferente, sed etiam subiectiuam indifferentiam voluntatis operandi, & non operandi: *S. Thom. 3. p. q. 18. art. 4. ad 3. & in 3. cit.* in 1. resp. *Argent. quæst. vnic. art. 3. ad 3. cont. 1. concl. Palatij disp. 1. post med. Suarez 3. p. disp. 37. sect. 2. Vasquez disp. 74. Valent. 3. p. disp. 1. quæst. 18. puncto 1.* &c. Quæ sententia omninò vera est. Prob. ex Patribus, qui omnem moriendi necessitatem à Christo excludunt, cùm tamen actu moriendi Christus maximè nobis promeruerit. (Cyrillus Alexand.) Cyrillus *Alexand. lib. 5. in Ioan. cap. 5.* in illa verba: *Nemo misit in illum manum, quia nondum venerat hora eius. Non itaque,* inquit, *tempus est, quia noluit, qui tunc solùm teneri potuit, cùm voluit, sua enim voluntatis fuit, quòd nunc detentus non est, sicut & sua fuerat voluntatis, quòd postea à Iudæis captus est,* & lib. 7. cap. 7. *Potestatem habeo separandi animam meam à carne eo temporis momento, quo mihi libuerit, & rursus habeo potestatem sumendi eam per iteratam ad corpus vnionem tempore resurrectionis, quo rediuiuus exurgam.* Chrysostomus *homil. 28. in Epist. ad Hebr.* in illa verba: *Qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem confusione contemptâ: licebat,* inquit, *ei nihil pati, si voluisset:* & paulò pòst: *Erat ergo ei promptum, si voluisset non venire ad crucem:* idipsum confirmat Verbis Christi: *Potestatem enim,* inquit, *habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo, rursus accipiendi eam.* (Chrysost.) Hilarius *in Psal. 54.* in illa verba: *In veritate tua disperde illos,* docet Christum non necessitate, sed voluntate se morti subiecisse. (Hilarius.) Hieronymus *in 53. Isaiæ* super illa verba: *Oblatus est, quia ipse voluit: Non enim,* inquit, *necessitate crucem, sed voluntate sustinuit;* vbi voluntatem opponit necessitati, & paulò pòst: *Poterat eos, qui ad se missi fuerant, declinare, quibus occurrit intrepidus, & vltro se obtulit;* vbi Christi libertatem non solùm explicat per voluntatem ad mortem se offerendi, sed etiam per potestatem eam declinandi. (Hieronym.) Quam libertatem tanquã à signo *ibid.* probat: *Alioqui si non propria voluntate esset oblatus, quî indicare & prædicare poterat proditorem?* Augustin. *tract. 119. in Ioan. fine* explicat libertatem, quâ Christus mortuus est; *Quis ita dormit, quando voluerit sicut Iesus mortuus est, quando voluit? quis ita vestem deponit, quando voluerit, sicut se carne exuit, quando voluit? Quis ita, cùm voluerit, obijt, quomodo cùm voluerit, obijt?* Damascenus *lib. 3. fidei cap. 14. & 18.* fusè probat, humanam Christi voluntatem fuisse perfectè liberam, suæque operationis dominam. (Damascen.) Eadem veritas ex alio Patrum principio colligitur, quo docent, Christum permisisse se à Iudæis capi, ligari, occidi. Ambrosius *lib. 5. Epist. epist. 19. fine, Dominus,* inquit, *se permisit capi.* (Ambrosius) Gregorius 3. *Moral. cap. 12. Cùm ergo se pro nostra redemptione Dominus membrorum satanæ manibus tradidit, quid aliud quàm eisdem satanæ manum in se sæuire permisit? qui autem se permittit capi, potest se permittere non capi, proinde non necessitate, sed propria potestate capitur.* (Gregorius)

41. Prob. 1. libertas in Christo à necessitate. Prob. 2. ex alio PP. & Concil. principio, quo testantur, Christum, quando, quamdiu, & quos voluit humanos motus & passiones in se excitasse: ex *Ioan. 11. Infremuit spiritu & turbauit seipsum:* ergo non solùm sponte, sed etiam liberè huiusmodi motus in se admisit, alioqui non quando, & quamdiu, & quos voluisset, in se excitâsset, sed quando, & quamdiu, & ad quos fuisset, vel ab ipsis motibus, vel à propriâ voluntate determinatus. (Euidenter.) Hoc sæpè inculcat *6. Synodus act. 4. in Epist. Agath. act. 8.* & alibi.

42. Prob. 3. Prob. 3. ex peculiari Bullâ *Pij 5. Gregorij 13. Vrbani 8.* in quâ damnatur hæc propos. *Baij ordine 39. quod voluntariè fit, etsi necessitate fiat, liberè tamen fit:* ergo ex decreto horum Pontificum non saluatur libertas in solâ voluntate spontaneè operandi; nam hæc operandi necessitatem non excludit.

43. Prob. 4. 4. Damnata est Caluini doctrina, qui admittit in humanis voluntatibus in operando necessitatem, etiamsi in eisdem concedat libertatem à coactione, vt constat ex *lib. 2. institut. cap. 3. num. 5.* (Vide tom. 3. disp. 6. edit. 2.) vbi sic epilogando concludit: *Hæc igitur distinctionis summa obseruetur, hominem vt vitiatus est ex lapsu, volentem quidem peccare, non inuitum, nec coactum, affectione animi propensissima, non violentâ coactione, propria libidinis motu, non extraneâ coactione,*

quâ

quæ tamen ex naturæ prauitate non posse, nisi ad malum moueri, & agi. Nec propterea illum minùs peccare, docet, quòd necessariò peccet, nam: *Quis,* inquit, *hominem ideò minùs voluntariè peccare dicat, quòd sit peccandi necessitati obnoxius.* Et quod hîc de necessitate ad peccandum docet, idem de necessitate ad honestè operandum *infrà* affirmat *nu.*10. vt nihil aliud sit honestè operari, quàm spõtaneè non coactè ad virtutem moueri: sed prima & secunda sentẽtia, reipsâ à Caluini doctrinâ quid differat, nõ

44. *Probatur Ratione.* video. ergo. 4. Ea libertas ponenda est in humanâ voluntate Christi, quæ necessaria est ad meritum, ex *Trident. sess. 6. cap.* 7. vbi ait, Christum meruisse nostram iustificationem: at libertas necessaria ad meritum, non est tantùm libertas à coactione, sed etiam à necessitate quæ consistit in potestate operandi, & non operandi; ex *eod. Trident. sess. 6. cap.* 5. *& can.* 4. vbi libertatem ad meritum requisitam, definit per potentiam indifferentem ad vtrumlibet, seu per potentiam consentiendi, vel non consentiendi gratiæ excitanti: per eandem indifferẽtiam

S. Thom. ad vtrumlibet, libertatem definit *S. Doctor.* 1. 2. *qu.* 10. *artic.* 4. *Quia igitur voluntas,* inquit, *est actiuum principium non determinatum ad vnum, sed indifferenter se habens ad multa, sic Deus ipsam mouet, quòd non ex necessitate ad vnum determinat, sed remanet motus*

Aristot. *eius contingens, & non necessarius:* & Aristot. 3. *Ethic. cap.* 5. libertatem ad laudem & vituperium requisitam, definit per potestatem agendi, & non agendi, perque intrinsecum dominium supra suos actus: *In quibus,* inquit, *in nostrâ potestate situm est agere, situm est etiam non agere; & in quibus non agere, si-*

Vt tom. 3. *disp.* 6. *mili modo etiam agere:* concludit. *Si agere, cùm honestum sit, in nostrâ est potestate; non agere, cùm turpe sit, in nobis, erit collocatũ, si item non agere, cùm honestum sit, in nobis est, agere quoque, cùm turpe sit; erit nostræ facultatis.* Hîc Philosophi authoritate edocti Theologi, liberam causam definiunt illam, quæ, positis omnibus ad agendum requisitis, potest agere, & non agere: at quo pacto poterit non agere, qui determinatus ad vnum, necessariò, licet sponte, agit? Vnde tandem concedit *Bannez 1. p. quæst.*

Bannez. 41. *art.* 2. *dub.* 2. §. *Dico tertiò,* quod illud dumtaxat SS. PP. Philosophi, & reliqui sapientes appellant liberum, quod possibilitatem habet ad esse, & non esse. 6. Ex oppositâ sententiâ sequeretur, &

45. *Prob. e. ex absurdis.* Beatos amando Deum amore beatifico, & pueros amentesque in suis actibus, quin æternum Patrem, æternumque Filium in producendo Spiritu S. liberos esse, quia spontaneè, & voluntariè producũt.

46. 7. *Impugnatur sententia Bannez.* 7. Contrà Bannez, adhuc stante obiectiuâ indifferentiâ iudicij, potest voluntas à Deo necessitari: ergo non consistit formaliter libertas in hâc iudicij indifferentiâ; cùm impossibile sit, manente formali essentiâ rei, non manere rem ipsam. Anteced. prob. certum est, posse Deum in tali casu voluntatem necessitare: sed aliter eo casu voluntas operaretur necessitata, ac operaretur non necessitata: sed non necessitata operaretur liberè; ergo necessitata non operaretur liberè.

47. *Confirm.* Confirm. libertas formaliter est tantùm in voluntate, & non nisi radicaliter, & originatiuè in indifferentiâ iudicij: ergo adhuc stante indifferentiâ iudicij, tolli potest indifferentia voluntatis, atque adeò libertas forma-

Aristotel. Ratio à priori. lis; ex *cit. Philos.* quia non sunt laude, aut vituperio dignæ, & consequenter meritoriæ, aut demeritoriæ, nisi illæ operationes, quarum fieri, aut non fieri, à nostrâ pendet voluntate. *Nemo,* inquit, *laudat, aut vituperat ea, quæ in nobis sunt necessaria.*

48. *Coroll.* Ex dictis sequitur, humanam Christi voluntatem, non modò fuisse liberam libertate contrarietatis, sed etiam contradictionis: quia non solùm fuit libera in eligendo hoc, vel illo bono, quod est esse liberum libertate contrarietatis; sed etiam in eligendo, vel non eligendo vno eodemque bono, quod est esse liberum libertate contradictionis. Nec refert, quod humana Christi voluntas fuerit impeccabilis: nam ad meritum non requiritur libertas ad bonum & malum, sed sufficit indifferentia ad hoc, vel ad illud bonum, vel ad bonum, & ad omissionem boni, vt docet *S. Thom.* 3. *p. quæst.*

18. *art.* 4. *ad* 3. Cæterùm oppositam sententiam *S. Thom. quæst.* 6. *de malo art. vnic. in corp.* appellat hæreticam, eo quòd tollit rationem meriti & demeriti in humanis actibus: nec intelligi potest de spõtaneo: nam *ibid.* distinguit spontaneum à libero: *Suarez* 3. *p. disp.* 37 *sect.* 2. *dicto* 2. nostram sententiam existimat certam: Ego ad minimum contrariam opinionem censeo in fide periculosam. 49. *Censura sententiæ.*

Ad fundamentum primæ, neg. maior. Ad prob. concedo, ad completum meritum requiri acceptationem, seu promissionem diuinam de præmio retribuendo: nego, in eâ tantùm rationem meriti consistere, sed in alijs etiam conditionibus requisitis ex parte operantis, inter quas præcipua est libertas. Vnde nego, posse Deum ordinare actum necessarium per modum meriti ad præmium; quia præmium, vt præmium essentialiter respondet actui libero; respondet enim actui exhibito in obsequium præmiantis, qui vt sit honorificus præmianti, debet procedere ex liberá voluntate operantis. Nam sicut necessarium non potest habere rationem doni, ita nec rationem obsequij. 50. *Ad fund. 1. Sentent.*

Ad fundam. secundæ, aio, in Deo aliam rationem libertatis reperiri, quàm indifferentiam ex parte iudicij de medio ad consecutionem finis indifferente; scilicet etiam indifferentiam ex parte voluntatis, non quidem ad actum eliciendum, vel non eliciendum, sed ad effectum producendum, vel non producendum; de quo *tom.* 1. *disp.* 14. *sect.* 3. 51. *Ad fundamentum secunda.*

SECTIO III.

An & quo pacto humana Christi voluntas fuerit libera in actibus præceptis non obstante vnione hypostatica?

Ratio dubit. oritur ex physicâ impeccabilitate humanæ voluntatis Christi; nam hæc excludit physicam potentiam peccandi, & cõsequenter libertatem seruandi præcepta, quæ est potentia exequendi, vel non exequendi præcepta, seu peccandi: sicut enim peccare, est transgredi præceptum; ita posse peccare, est posse transgredi præceptum: ergo si humana Christi voluntas fuit libera in seruandis præceptis, fuit peccabilis. Aut igitur in seruandis præceptis non fuit libera, aut si fuit libera, non fuit impeccabilis. Ad hunc nodum soluendum varij excogitati sunt modi. In hâc *sect.* conciliandа erit libertas cum physicâ impeccabilitate ortâ ex vnione ad Verbum; sequenti cum eâdem ortâ ex clarâ visione Dei. 52. *Ratio dubitandi.* *Grauissimus difficultatis nodus.*

Primus modus *Cisterciens. in* 3. *quæst.* 3. *art.* 2. *Palud. dist.* 12. *quæst.* 2. *art.* 3. negantium, Christum fuisse præcepti capacem. 1. quia non plus persona Verbi est capax præcepti, vt subsistens in naturâ humanâ, quàm vt subsistens in naturâ diuinâ; in vtrâque enim est eadem increata persona, ab omni lege, præceptóve absoluta. 2. quia præceptum obligat sub reatu culpæ, quia obligat per comminationem amissionis amicitiæ diuinæ, in quâ pecca- 53. *Varij modi impugnantur. Primus.*

tum consistit: Christus autem non est capax culpæ; ergo nec præcepti. Sed contrà: humanam Christi

54. *Contrà.* voluntatem esse præcepti capacem, docuit *S.Tho.* 3.*p. quæst.*47. *art.*2. quia fuit capax obedientiæ & subiectionis ad Deum, *Rom.*5. *Philip.*2. ergo & præcepti: nam formale obiectum obedientiæ, teste *eod.* 2.2.*quæst.*104.*art.*2. est superioris præceptum.

A priori. Ratio: cùm humana Christi voluntas sit creata, adeoque naturâ suâ defectibilis, non potest esse sibi regula in suis actionibus, sed eget regulari ab alio superiori. 2. esto, non fuerit capax præcepti positiui; fuit certè capax præcepti naturalis, quod ex intrinsecâ lege naturæ seruare tenebatur; per quorum obseruantiam dici non potest, Christum non meruisse.

55. *Ad 1. argument.* Ad 1. neg. maior. nam potest Verbum in naturâ assumptâ esse capax præcepti, sicut & obedientiæ, subiectionisve, cuius non est capax in propriâ; esto sit eadem persona. Ratio: hæc proprietas non conuenit immediatè personæ, sed naturæ, eâque mediante personæ, vt subsistenti in tali naturâ. Ad 2. nego, de essentiâ præcepti esse, actu obligare subiectum sub reatu culpæ, sed tãtùm aptum esse ad obligandum iuxta subiecti capacitatem. Vnde primarius effectus præcepti non est, obligare subiectum ad culpam, sed illud dirigere ad finem per media lege præscripta.

56. *Dices.* Dices. Si præceptum non obligat Christum sub reatu culpæ, posset absque præiudicio suæ impeccabilitatis illud transgredi.

Resp. Sed neg. sequel. nam non ideò præceptum Christum sub reatu culpæ nõ obligat, quia posset illud sine culpâ transgredi; sed contrà, quia non potest Christus præceptum transgredi, non potest præceptum Christum sub reatu obligare: hoc autem non prouenit ex impotentiâ præcepti, sed ex incapacitate subiecti peccare non potentis.

57. *Secundus modus.* Secundus *Victoria apud Medin.* 3.*p. quæst.*47.*art.* 2. *Salmer. tom.*10. *tract.*2. negantium, Christum habuisse à Patre præceptum moriendi, quod confirmari potest authoritate Patrum. Basilius *lib. de spiritu S. cap.*8. explicans mandatum, quod Christus à Patre accepisse dicitur, *Proinde*, inquit, *quod dicitur mandatum, ne sermonem imperiosum per vocalia organa prolatum intelligamus Filio velut obedienti præscribenti, quid facere debeat, sed iuxta sensum Deo dignum intelligamus volũtatis traditionem, instar formæ cuiuspiam in speculo relucentis à Patre in Filium sine tempore demanantem.*

Chrysost. Chrysost. *homil.*59. *in Ioan. ad med.* expressè negat, Christum habuisse à Patre moriendi præceptum, rationemque assignat. *Qui*, inquit, *à seipso animam ponit, præcepto non indiget.* Vnde mandatum idem significare, ait, quod concordiam

Cyrillus Alexand. humanæ cum diuinâ voluntate. Cyrill. *Alex. lib.*7. *in Ioan. c.*7. explicans mandatum, quod Christus à Patre accepit, *Nihil aliud*, inquit, *mandatum hic dicitur, quàm ea Filij, quæ ad Patrem est, concordia, nempe beneplacito Patris filius mortem passus est*: & *lib.* 10. *c.*20. docet, id quod erat Patris consilium, more humano à Christo mandatum appellari.

Anselm. Anselm. *lib.*1. *Cur Deus homo, cap.*9. *Potest etiam dici*, inquit, *quia præcepit illi mori Pater, cùm hoc præcepit pater, vnde incurreret mortem.*

58. *Confirm.* Confirm. *Ioan.*10. eodem modo ait Christus, se à Patre mandatum accepisse ponendi animam suam per mortem, ac eam per resurrectionẽ sumendi: sed non habuit præceptum eam per resurrectionem sumendi: quia præceptum datur de ijs, quæ in nostrâ sunt potestate: resurgere autem à morte, non fuit in humanâ Christi potestate, sed in diuinâ; cuius opus fuit, Christum è morte ad vitam reuocare.

59. Sed contrà: saltem concilianda est libertas Christi cum impeccabilitate in præceptis naturalibus, ad quorum obseruantiam obligabatur ex intrinseco rationis dictamine. 2. verior & communior Scholasticorum sententia est, Christum habuisse à Patre moriendi præceptum, quod testatur *S. Thom.* 3.*p. quæst.*47. *art.*2. eamque docuerunt *Ambros. lib.*5. *de fide ad Gratian. c.*5. *fine*, vbi mandatum idem interpretatur, quod præceptum. Augustinus *tract.*79. *in Ioan.* & *lib. cont. serm. Arian. cap.* 1. respondens argumento Arianor. qui ex obedientiâ Christi erga Patrem contendebant Christum inferioris esse naturæ à Patre. *Quod enim*, inquit, *voluntati & præcepto Patris obediens est Filius, nec in hominibus demonstrat diuersam, imparemq́; naturam, Patris præcipientis, & filij obedientis. Huc accedit*, pergit August. *quod Christus non tantùm Deus est, quâ natura æqualis est Patri, sed etiam homo, quâ natura maior est Pater, cuius etiam non solùm Pater, sed dominus est.* Colligitur ex Ioan. 10. *Hoc mandatum accepi à Patre meo*, & cap. 12. in fine, *Qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit*, & c. 14. in fine, *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio*, & cap. 15. *Si præcepta mea seruaueritis, sicut & ego præcepta Patris mei seruaui*, vbi eodem modo vocat præcepta, quæ ipse à Patre, ac ea, quæ Apostoli ab ipso acceperũt. 60.

Matth. 26. *Si possibile est transeat à me calix iste*, subditque: *Pater, si non potest hic calix transire, nisi bibã illum, fiat voluntas tua.* Porrò si hæc Patris volũtas fuisset tantùm consultiua, non præceptiua, transire potuisset; quia quod datur sub consilio, non datur, vt absolutè faciendum. *Ad Philip.*2. *Humiliauit seipsum factus obediens vsque ad mortem*: at obedientia superioris præceptum supponit. Ratio: quotiescumque sunt expressa verba scripturæ, & in proprio sensu intellecta nullum pariũt absurdum, ea in proprio sensu accipienda sunt. 61. *Ex his formatur hæc ratio.* Patres pro contraria sententia citatos, aio, vel eos locutos fuisse de Christo vt Deo, vt *Basilius*; vel certè eos cautè, castèque locutos fuisse propter *Arianos*, quorum hæresis tum maximè vigebat. *Exponuntur Patres.*

Ad confirm. nego, eodem modo Christum dixisse, se à Patre mandatum accepisse, vt animam suam per mortem poneret, ac vt eam per resurrectionem sumeret. 62. *Ad confirm.* Nam, vt per mortem illam poneret, præceptum habuit per se; vt per resurrectionem meritoriè illam resumeret, habuit tantùm præceptum consecutiuè; eo modo, quo quis accipiens præceptum Baptismi, simul consecutiuè accipit præceptum meritoriè accipiendi gratiam. Cùm enim Deus decreuisset, dare filio suo resurrectionis gloriam per mortem, vt per meritum, iuxta illud *Lucæ vlt. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* dando illi præceptum moriendi, simul consecutiuè dedit præceptum, non quidem physicè; nam hoc est opus solius diuinitatis; sed meritoriè resurgendi. Quod non obscurè colligitur ex *Ioan.* 10. *Pono animam meam, vt iterum sumam eam*, scilicet meritoriè, vt primum sit medium, secundum finis, ex Patris ordinatione.

Tertius *Cabre.* 3.*p.q.* 18. art. 4. *disp.*4. §.3. asserentis, præceptum datum fuisse Christo, dependenter ab ipsius voluntate, quæ sine peccato potuisset præceptum non acceptare: 63. *Tertius modus.* ex Ioan. 10. *Propterea me diligit Pater, quia ego pono animam meam, & iterum sumam eam. Nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso, & potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo iterum sumendi eam: hoc mandatum accepi à Patre meo.* *Prob.* Quibus Christus significat, moriendi præceptum sibi iniunctum fuisse dependenter à suâ voluntate, vt tantùm illud obligârit, quantum ipse eo obligari voluerit: ex *Hebr.* 10. vbi dicimur in voluntate Christi, quâ suum corpus obtulit, nos *Confirm.* fuisse

fuisse sanctificati; quod esse non posset, nisi talis oblatio fuisset libera: non fuisset autem libera, nisi in voluntate Christi positum fuisset, eam habere, vel non habere: si autem illa fuisset præcepta, non potuisset Christus eam non habere: Hunc alij Recen-

64. *Idem modus magis explicatur.* sic explicant. Potuit Deus imponere Christo præceptũ moriendi, & simul in potestate ipsius relinquere, vt vel iuxta præceptum moreretur: vel, si vellet, precibus impetraret dispensationem præcepti. Quo posito, Christus non solùm fuit liber quoad circumstãtiam mortis, per solam temporis anticipationem, liberè eligendo mortem ante tempus, in quo ex præcepto ad illam subeundam obligabatur, sed etiam quoad substantiam mortis. Igitur hic modus rectè conciliat perfectam libertatem Christi, etiam quoad substantiam actûs præcepti, cum impeccabilitate eiusdem. Maior colligitur ex *Matt. 26. An putas, quia non possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plus quam duodecim legiones angelorum?* quibus Christus ostendit, se potuisse vitare mortem, rogando Patrem, vt ab eâ liberaretur, si voluisset: non potuisset autem illam vitare stante præcepto: ergo petendo dispensationem à præcepto. Minor prob. non potest maior libertas in obseruatione præcepti excogitari, quàm ita acceptare mortem, vt possis non solùm tunc, quando præceptum intimatur, sed nunquam illam acceptare. Christus autem ita habuit præceptum moriendi, vt non solùm non teneretur tunc, quando præceptum habuit, mortem acceptare, sed nec postea toto tempore sequenti; quia toto tempore sequenti potuit petere præcepti dispensationem, atque adeò potuit simpliciter non mori.

65. *Reijcitur.* Sed contrà 1. hic modus conciliandi Christi libertatem cum ipsius impeccabilitate non congruit illis Christi: *Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: veruntamen non mea voluntas, sed tua fiat.* Etenim si Christus habuisset liberam facultatem petendi dispensationem à præcepto, & consequenter liberationem à morte, quam infallibiliter obtenturus fuisset, si eam petiuisset, non dixisset: *Si possibile est, transeat à me calix iste:* quis enim ad mortem damnatus, in suâ tamen liberâ potestate habens facultatem petendi liberationem à morte, quam certus est infallibiliter à principe se obtenturum, dicat, si possibile est transeat à me mors ista, & non potiùs, si nolit liberationem à morte petere, dicat, etsi possibile sit, vt ab hac morte liberer, nolo tamen in hoc meam, sed Iudicis voluntatem facere? ergo si Christus facultatem habuisset petendi liberationem à morte, quam infallibiliter obtenturus fuisset, non dixisset: *Si possibile est, transeat à me calix iste:* sed potiùs: *Et si possibile sit, vt transeat à me calix iste, nolo tamen, vt in hoc mea voluntas, sed tua fiat* Dum igitur Christus ait, *si possibile est*, impossibilitatem vitandi mortem ostendit ortam ex absoluto decreto Patris, & simul ad ostendendam vehementiam tristitiæ, & naturale desiderium naturæ præceptam mortem fugiendi, ait, se liberationem à morte sub conditione, si per præceptum impossibilis non esset,

66. *Contrà 2.* percupere. 2. Hic modus facit voluntatem diuinam in hoc medio redimendi genus humanum per mortem & passionem Christi dependentem ab humanâ voluntate Christi, cùm potiùs humana Christi voluntas debuerit in hoc esse dependens à voluntate diuinâ: cùm ex hoc medio & magna Deo gloria, & ingens humano generi vtilitas, & inclyta

67. *Contrà 3.* laus honorque Christo dimanaturus erat. 3. non saluat in Christo perfectam libertatem quoad substantiam actûs in obseruatione præceptorum naturalium, in quibus non habet locum dispensatio. Vnde concedunt Aduersarij, in his præceptis Christum non habuisse libertatem ad substantiam actûs, sed tantùm ad circumstantias intensionis, motiui &c. quo fit, vt dum volunt in vno præcepto perfectam libertatem quoad substantiam actûs saluare, in reliquis tollant: cùm non minùs Christus per obseruantiam reliquorum præceptorum sit nostram redemptionem meritus. 4. dum conantur isto modo perfectam libertatem saluare quoad substan- 68. *Contrà 4.*
tiam mortis, aliunde illam valde imperfectam reddunt ex defectu indifferentiæ. Putant enim: Christum fuisse moraliter determinatum ad operandum id, quod ex duobus iudicabatur perfectius: & quia perfectius opus erat obedire Patri mortem præcipienti, quàm dispensationem petere, consequenter fuit Christus ad mortem acceptandam moraliter determinatus: ac proinde non fuit in eâ acceptandâ perfectè liber. Nam cùm libertas for- *Libertas*
maliter consistat in indifferentiâ voluntatis, tantum *perfecta est*
tollitur de perfectâ libertate, quantum tollitur de *perfecta indifferentia.*
indifferentiâ voluntatis: tantum autem tollitur de indifferentiâ voluntatis, quantum ponitur de determinatione eiusdem voluntatis ad vnam partem, cùm indifferentia sit æquilibrium ad vtramque partem. Dum igitur Christus elegit mortem præceptam, elegit illam moraliter determinatus tanquam ad opus perfectius: ergo non elegit illam ex perfectâ libertate: nam perfectior libertas est, quæ ad opus tendit cum æquali indifferentiâ ad opposi-
tum. Confirm. ex hoc multum laudis & meriti de- 69.
cedit in actu, quo Christus mortem liberationi *Confirm.*
mortis prætulit. Nam sicut minori reprehensione & vituperio dignus est, qui malum opus facit, ad illud moraliter determinatus quàm qui absque vllâ morali determinatione; minore quippe reprehensione dignus est, qui in maximâ tentatione positus, vehementiâ tentationis succumbit, quàm qui nullâ tentatione impulsus, malum committit. Ita è contrario, maiori laude & præmio dignus est, qui nullâ morali causâ determinatus, ex perfectâ indifferentiâ voluntatis bonum opus operatur, quàm qui moraliter determinatus, illud idem opus facit. Dum *Communis*
igitur actus, quo Christus mortem dispensationi à *opinio præ-*
morte prætulit, fuerit vt ad opus perfectius mora- *stantior.*
liter determinatus, minori laude ac præmio dignus fuit, quàm fuisset, si illam ex perfectâ indifferentiâ elegisset: vt elegit iuxta communem sententiam docentem, Christi libertatem cum impeccabilitate in præcepto mortis saluatam fuisse quoad circumstantias, præsertim temporis: nam eo tempore, quo Christus per anticipationem, mortem elegit, nullâ morali causâ determinabatur ad illam tunc eligendam, sed poterat ad sequens tempus illam differre.

Vltimò hæc sententia non euitat difficultatem, 70. *Par difficultas.*
quâ communis sententia laborat de libertate quoad solam temporis anticipationem. Nam esto Christus habuerit facultatem petendi dispensationem à præcepto positiuo mortis, non habuit tamen facultatem petendi dispensationem à debito naturali moriendi: quo posito, non potuisset habere libertatem, nisi quoad solam temporis anticipationem. Maior constat: nam si Christus non fuisset violentâ morte occisus, debuisset naturali morte occidere, cùm hoc sit debitum ex se annexum naturæ mortali, quam Christus assumpsit. Neque habuit facultatem ab hoc debito dispensationem petendi, vt nec à reliquis debitis naturæ humanæ mortali annexis, comedendi, dormiendi &c. Etenim hoc ipso, quòd naturam mortalem assumpsit, assumpsit illam cum debito mortalitatis: Minor prob. ideò per aduers. communis sententia non saluat libertatem

quoad substantiam mortis, sed tantùm quoad anticipationem temporis, quia Christus non poterat mortem simpliciter vitare, & consequenter liberè acceptando mortem mereri quoad substantiam mortis: At idem sequitur ex sententia Aduers. posito naturali debito moriendi in Christo; scilicet, Christus petendo dispensationem à præcepto positiuo mortis, non fuisset promeritus, nisi per anticipationem temporis, quo anticipâsset naturale debitum mortis, quod necessariò necessitate naturæ mortalis debebat aliquando soluere. Vnde conce-

71. *Cedunt tandem aduersarij.* dunt, Christus accepisset præceptum moriendi, exequendum intra aliquod longum tempus, & per notabilem differentiam temporis mortem liberè anticipâsset, meriturum fuisse quoad substantiam mortis: negant, hoc modo fuisse Christo impositum præceptum: quia hoc est, tacitè præceptum negare, cùm præceptum non debeat exequi ad libitum eius, cui imponitur, sed ad libitum imponentis. Et quia præceptum fuit de illâ morte, quam de facto Christus sustinuit, iuxta *Ioan.* 18. *Calicem, quem dedit mihi Pater, non bibam illum?* vbi relatiuum *illum* signat eam passionem & mortem, quam tunc volebat Petrus Christo impedire.

72. Sed contrà: 1. falsum est, non posse præceptum dari exequendum intra notabile tempus. Quis enim negabit, posse principi viro merenti mortem, illam exequendam imponi intra aliquod notabile tempus? 2. Verba Christi, non necessariò designant mortem quoad circumstantiam temporis, sed vel quoad genus mortis, vel quoad personas à quibus erat illam passurus, à quibus adhuc potuisset illam

73. *Ad priores auctoritates. A poster.* pati post aliquod notabile tempus. Cæterùm priores scripturæ pro hoc modo allatæ solùm probant, Christum liberè animâ suam posuisse, adhuc posito præcepto, quod vltro concedo, vt *infrà*. Posteriores varias habent interpret. vt videre est apud *Origenem, Hieronymum, Bedam in hunc locum, Chrysost. hom.* 74. *in* 14. *Ioan.* & *apud Maldon. in cit. locum Matth.* sed vera & facilis explicatio est, ijs verbis Christum ostendere voluisse, se libertatem habere ad vitandam mortem, non simpliciter, sed tunc, quando ea Verba protulit: quia pro *tunc* non obligabatur ad mortem acceptandam, sed poterat illam ad aliud tempus differre quæ explicatio est iuxta communem sententiam; quæ docet Christum meruisse per liberam mortis anticipationem.

74. *Quartus modus.* Quartus *Medinæ* 3. *p. q.* 19. *art.* 3. & 4. *dub.* 1. *ad* 1. & *q.* 47. *art.* 2. *ad* 5. &c. *Thomist.* saluat in Christo ad opera præcepta libertatem in sensu diuiso. Quia diuidendo à præcepto, ex. gr. moriendi, potuit non mori; impeccabilitatem verò in sensu composito; quia, stante præcepto, non potuit non mori, eo prorsus modo, quo in puris hominibus, positâ efficaci motione gratiæ, saluant libertatē in sensu diuiso, quia licet, positâ efficaci motione non possit non sequi consensus, potest tamen non sequi in sensu

75. *Reijcitur.* diuiso. Sed contrà: quando suppositio est independens à voluntate creatâ, eâque positâ, non est in potestate eiusdem actum non elicere, talis suppositio destruit vsum libertatis, quæ postulat, vt dū operatur, possit non operari: at impositio præcepti fuit independens ab humanâ voluntate Christi: ergo si eo posito, non fuit in potestate eiusdem, præceptum non seruare, non fuit in humanâ Christi voluntate, ad præceptum seruandum sufficiens libertatis vsus.

76. *Quintus modus.* Quintus *Bannez*, Christi libertatem collocantis in obiectiuâ indifferentiâ iudicij, impeccabilitatem

Refutatur. verò, vti *cæteri Thomistæ*, in physicâ prædetermina-

77. *Sextus modus.* tione ad bonum. Sed hic confutatus manet ex *sect. præced.* Sextus *Zumel* 1. *p. q.* 22. *art.* 4. *qu. vn. dub.* 2. qui Christi libertatem saluat in spontaneo & suaui operandi modo: *Quantum enim erat*, inquit, *ex illo modo operandi, ita volebat, & eligebat illud opus, ac si nullam haberet aliunde necessitatem faciendi illud*; impeccabilitatem verò in physicâ præmotione. Sed contrà: *Reijcitur.* suauitas operandi, si necessitatem non excludat, libertatem non saluat, vt patet in amore beatifico, in quo est summa suauitas, & spontaneitas, quia tamen necessitatem non excludit, liber non est. Septi- 78. *Septimus modus.* mus *Bonau. in* 3. *dist.* 18. *artic.* 1. *qu.* 2. *ad* 2. *Argen. qu.* 1. *art.* 3. *ad* 3. *Marsil. qu.* 12. *art.* 2. §. *His præmissis, Almai. dist.* 12. *qu. vn. Asturicen. relect. de Gratiâ Christi qu.* 5. *art.* 3. *dub.* 1. *post concl.* 3. *ad* 3. qui Christi impeccabilitatem saluant in solâ gratiâ efficaci, voluntatem humanam Christi ad bonum confirmante; libertatem verò in intrinsecâ indifferentiâ ad oppositum, quam gratia efficax non tollit; quo pacto intrinseca indifferentia ad oppositum, confirmati ad bonum liberè operantur. Sed contrà: hic modus non *Reijcitur.* saluat eum libertate physicam, sed moralem tantùm impeccabilitatem: gratia enim ad bonum confirmans non tollit physicam, sed moralem duntaxat potentiam ad peccandum.

Octauus *Molinæ* 1. *p. qu.* 14. *art.* 13. *disp.* 18. *me.* 4. 79. *Octauus.* *Suarez.* 3. *p. disp.* 37. *sect.* 3. qui Christi libertatem ad actus præceptos saluat in proximo principio operatiuo; physicam impeccabilitatem in principio remoto. Etenim humana voluntas Christi spectata secundùm proximum principium operandi, erat indifferens ad omnes actus etiam præceptos: quia ad operandum proximè non constituebatur medio aliquo physicè prædeterminante ad vnum, sed tantùm morali infallibili, inclinante quidem voluntatem Christi ad opus præceptum infallibiliter exequendum, ab eâ tamen indifferentiam ad oppositum non auferebat. Spectata verò eadem voluntas vt hypostaticè vnita Deo, est physicè impeccabilis, tum radicaliter ex personâ diuina substantialiter complente principium ipsum operandi; tum formaliter, ex infallibili regimine ratione talis vnionis ab intrinseco, & connaturaliter sibi debito: sic enim includit Verbum, vt intrinsecum & substantiale principium operandi, cui non modò in propria, sed etiam in assumptâ naturâ physicè repugnat, posse peccare. Ergo vt sic non solùm excludit peccatum, sed physicam potentiam ad peccandum. Stat ergo in Christo libertas in principio proximo, & physica impeccabilitas in principio remoto operādi. Cō- 80. trà 1. hic modus admittit in Deo positiuum decre- *Refutatur, etsi olim arriserit. Probari nequit obtria.* tum de concurrendo eum voluntate humanâ Christi ad actum peccati, sub conditione si ipsa peccare voluerit, sine quo concursu & decreto non est humana Christi voluntas proximè indifferens ad seruanda præcepta: repugnat autem in Deo positiuum decretum de concurrendo, etiam sub conditione, ad actum peccati cum voluntate humanâ Christi, vt *disp.* 24. *sect.* 3. Secundò hic modus de facto non ponit maiorem impeccabilitatem proximam in Christo, quàm ponat in confirmatis, in quibus est etiam moralis impeccabilitas proxima: quamuis in Christo ponatur ab intrinseco debita, in confirmatis ratione extrinseci dumtaxat decreti. 3. reuerà non saluat libertatem in Christo: nam liber dicitur is, qui non tantùm ratione vnius, sed omnium principiorum, quibus intrinsecè ad operandum constituitur, potest agere, vel non agere: nam siue ratione vnius, siue ratione alterius prin- *Liberum est ex toto principio.* cipij, quoad operandum intrinsecè constituitur, ita ad vnum determinetur vt nequeat oppositum agere, reuerà liber non est: quia liberum constituitur ex toto principio intrinseco, quod debet agere. Licet igi-

cet igitur humana Christi voluntas non esset ratione proximi principij determinata ad actum præceptum, quia tamen eadem esset determinata ratione principij remoti, dici reuerâ non posset in seruãdo præcepto libera: sicut non diceretur liber ad fugam, qui licet non esset compedibus ligatus, haberet tamen circa se milites, qui nunquam illum ad fugam proripiendam permitterent.

81. *Nonus modus.* *Refutatur.* Nonus saluat libertatem in Christo, non in ipsâ acceptatione mortis præceptæ, sed in actu reflexo, quo Christus eandem mortem fuisset acceptaturus, etiamsi præcepta non fuisset. Sed contrà: hic modus non saluat libertatem in tolerantiâ & perpessione mortis: cùm tamen iuxta *oracula*, *Concilia & PP.* ipsa tolerantia & perpessio mortis fuerit potissimum opus humanæ redemptionis; & consequenter meritorium; ac proinde liberum: cùm non per alia opera Christus nos redemerit, quàm per opera meritoria.

82. *Decimus modus.* Decimus saluat libertatem Christi in ordine ad præcepta positiua per media & auxilia moralia intrinseca, quæ Christi voluntatem non prædeterminabant ad vnum sed illam indifferentem relinquebant ad vtrumlibet, etiam ad suspensionem actûs; physicam verò impeccabilitatem per media physicè prædeterminãtia, non quidem intrinseca, & actu collata, sed extrinseca, & in diuino dumtaxat decreto præparata actu conferenda, quoties cùm nullo medio morali Christus fuisset præcepta seruaturus. Ratione primi voluntas humana Christi fuit perfectè libera, & quoad substantiam, & quoad circumstantias præcepti; quia media, quibus præcepta seruabat, relinquebant illam perfectè indifferentem ad vtrumlibet. Ratione secundi, erat physicè impeccabilis; quia, vt humana voluntas Christi dicatur physicè impeccabilis, necesse non est, vt in se intrinsecè collatum habeat medium, quo fiat intrinsecè impotens ad malum, sed sufficit, vt illud paratum habeat in diuino decreto, quotiescumque necessarium fuerit ad malum vitandum. Sic vt voluntas dicatur simpliciter potens ad bonum, necesse non est, vt in se actu habeat medium, quo actu possit tale bonum operari; sed sufficit, vt illud paratum habeat, quandocumque, & quotiescunque operari voluerit: ita è contrario, vt voluntas sit physicè impotens ad malum, necesse non est, vt in se actu habeat id, quo fiat actu impotens ad malum, sed sufficit, vt illud paratum habeat, quotiescunque opus fuerit.

83. *Reijcitur, etsi aliquãdo placuerit.* Contrà: etiam hic admittit in Deo positiuum decretum de concurrendo cum voluntate humanâ Christi ad actum peccati, sub conditione si velit ipsa peccare. Cùm etiam hic admittat positiuum decretum de concurrendo saltem sub conditione, cum voluntate humanâ Christi ad actum peccati. Dum enim relinquit illam indifferentem ad vtrumlibet, necessariò relinquit illi paratum concursum ad vtrumlibet, sine quo non posset esse ad vtrumlibet potens.

84. *Vndecimus Modus & Communis Theologorum.* Vndecimus communis Theolog. saluat in proximâ potentiâ physicam impeccabilitatem ad substantiam præcepti, libertatem verò ad solas circumstantias. Nam licet non potuerit Christus actum præceptum quoad substantiam non seruare, potuit tamen illum non seruare ex hoc vel illo motiuo, cum hâc vel illâ intensione, hoc vel illo tempore. Vnde supponit iste modus, non fuisse præcepta positiua imposita Christo cum obligatione seruandi illa quoad omnes circumstantias, alioqui non potuisset per obseruantiam talium præceptorum mereri. Adhuc tamen variant Doctores in explicando, quo pacto hic modus conciliet Christi libertatem quoad circumstantias actûs præcepti cum physicâ impeccabilitate quoad substantiam eiusdem præcepti. Vnde variæ excogitatæ sunt viæ.

85. *Impugnantur viæ aliquot.* PRIMA: Christum vi præcepti positiui mortis necessitari tantùm ad actum externum mortis, non ad internum, ex quo mortis executio pendet; proinde potuisse cum necessitate exequendi præceptum externum, habere libertatem circa actus internos, de quibus nullum acceperat præceptum.

86. *Prima.* Sed contrà: 1. hæc via non saluat vniuersaliter in Christo libertatem ad seruanda præcepta positiua: nam Christus non solùm obligabatur ad seruandum præceptum positiuum mortis, sed etiam præcepta naturalia diligendi & colendi Deum: quæ præcepta seruari non possunt absque actu interno dilectionis & religionis; 2. falsum est, posito præcepto, Christum solùm teneri ad actum externum, sed eo ipso etiam obligari ad aliquem internum vt principium externi. 3. Christus non solùm meruit per internam acceptationem mortis, sed etiam per externam tolerantiam mortis: nam ea ipsa fuit maximum opus humanæ redemptionis, & Christo gratias agere tenemur, etiam propter ipsam mortis passionem, quam liberè sustinuit: non liberè autem sustinuisset, si necessariò illam pati debuisset. *Potissima ratio.* Nec dici potest, liberè illam passum fuisse, libertate actûs interni, quo liberè illâ acceptauit: Nam tunc libertas actûs interni redundat in externum, quando externus subest potestati operantis. Ideò enim actus potentiæ vegetantis non potest denominari liber ex actu interno, quo liberè acceptatur, quia talis actus non subest potestati acceptantis. *Actus externus.* At mors externa in hac sententia non suberat potestati Christi; Christus enim non potuisset resistere, vel repellere mortem sibi extrinsecùs illatam: nam resistere morti, fuisset resistere Deo mortem Christo tolerandam præcipienti. Vnde ponamus, quòd hoc instanti Deus præcipiat mortem Christo subeundam: Christus hoc instanti non potest morti resistere, etsi possit illam interno actu positiuo non acceptare. Sicut iustè damnatus tenetur Iudicis sententiæ non resistere, etsi non teneatur interno actu positiuo illam acceptare. Ita Christus fuisset quidem liber quoad internum actum positiuum, quo illatam mortem acceptâsset, non fuisset autem liber quoad externum actum tolerantiæ mortis, quam necessariò passus fuisset, cùm tamen nostra redemptio non solùm tribuatur actui interno, quo Christus mortem acceptauit, sed etiam actui externo, quo eandem mortem pro nobis patienter sustinuit. *Etiam actui externo tribuitur redemptio.* Vnde hic modus aduersatur illis *Ioan.* 10. *Ego pono animam meam, & nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.* Qui autem non habet potestatem resistendi morti sibi illatæ, non potest dicere hoc.

87. *Secunda via.* SECVNDA docet, non teneri Christum hoc instanti, quo obligatur ad præceptum seruandum, per hunc actum internum determinatum, sed posse hoc, vel illo indiuiduo actu indeterminatè illud seruare: quamuis igitur Christus necessitetur ad aliquem actum vagè, quod est necessitari ad substantiam actûs, manere tamen potest liber ad hunc, vel illum actum, ex hoc vel illo motiuo, cum tali vel tali intensione eliciendum, quod est manere liberum ad circumstantias actûs. *Refutatur.* Sed contrà: hoc est ponere Christum determinatum tantùm moraliter, non physicè ad substantiam actûs præcepti, cùm tamen Aduersarij velint, fuisse physicè determinatum, & quidem proximè ad substantiam præcepti, & non tantùm moraliter, quamuis liberum ad circumstantias eiusdem præcepti. Hoc probo: hoc modo etiam sunt determinati ad implenda præ-

da præcepta positiua confirmati in gratiâ, nam etiam hi ex vi gratiæ confirmantis ad bonum sunt determinati aliquo actu, licet non hoc vel illo determinato, ad seruanda præcepta positiua: cùm tamen hi non sint determinati physicè, sed tantùm moraliter. *A priori.* Tum à priori: quando singuli actus in particulari, à potentiâ eliciendi, sunt liberi, quoad substantiam & circumstantias; vti sunt in hac sententiâ, quæ necessitatem quoad substantiam non ponit in actibus particularibus, sed in aliquo vagè; non potest in proximo principio operatiuo supponi physica determinatio intrinseca ad aliquem vagè, sed ad summum moralis. Sicut quia singula peccata venialia liberè in particulari committuntur, non potest in proximo principio operatiuo supponi physica determinatio ad aliquē vagè. Nec recurri potest, vel ad claram visionem Dei, à quâ physicè necessitari poterat voluntas Christi ad aliquem actum vagè, & ad nullum in particulari; quia hîc abstrahimus à visione beatâ, de qua *sect. seq.* & solùm consideramus voluntatem Christi ratione vnionis hypost. præcisè: vel ad physicam aliquam qualitatem, quæ voluntatem physicè necessitet ad aliquem actum vagè, & ad nullum in particulari, cùm implicet talis qualitas: nam omnis qualitas debet esse indiuidua & particularis, & consequenter potentiam determinans ad aliquem actum in particulari.

89. *Tertia via.* TERTIA libertatem Christi saluat in eo, quòd Deus prædeterminet voluntatem ipsius ad illud motiuum, vel intensionem, ad quod, vel ad quam ipsa voluntas humana Christi antecedenter liberè se determinauit. *Reijcitur.* Sed contrà: vel hæc antecedens determinatio libera, est distinctus actus ab eo, quo voluntas Christi præceptum seruat, & iam non saluatur libertas in actu præcepto: vel est ipse actus præceptus, quà liberè procedit quoad circumstantias à voluntate humanâ Christi, de quo *infrà*.

90. *Quarta via.* QVARTA affirmat, voluntatem Christi esse physicè impeccabilem per negationem concursûs ad omnem actum malum, liberam per indifferentiam ad hunc, vel illum actum bonum. *Contrà.* Sed contrà: hic modus non explicat, quo pacto stare possit physica impeccabilitas ad omnem actum malum cum physicâ indifferentiâ ad hunc, vel ad illum actum bonum: nam licet hæc rectè saluetur in præceptis negatiuis, quæ seruari possunt per quoscumque actus bonos, imò solâ negatione actus vetiti, non tamen videtur, quo pacto saluari possit in præceptis positiuis, quæ seruari non possunt, nisi actu præcepto. Vnde in his non videtur saluari posse libertas ad hunc, vel ad illum actum bonum, cùm debeat vi præcepti elici hic determinatus actus, qui præcipitur. Igitur si ad suspensionem actûs præcepti non relinquitur in Christo physica potentia, non videtur, quâ ratione in eo maneat libertas ad hunc determinatum actum præceptum, cùm non possit vice actûs præcepti voluntas alium substituere, quia non seruatur præceptum, nisi actu præcepto.

91. *Quinta via.* QVINTA conciliat physicam impeccabilitatem cum libertate in Christo, per qualitatem physicè prædeterminantem voluntatem humanam Christi ad substantiam actûs præcepti, & simul relinquens illam indifferentem ad circumstantias intensionis, motiui &c. *Prob.* Dabilis est qualitas, Christi voluntatem physicè determinans ad acceptandum præceptum mortis, & simul ei potestatem relinquens acceptandi illud ex hoc, vel illo motiuo: Non implicat, vt idem effectus ab vnâ causâ secundùm vnam rationem necessariò, ab aliâ secundùm aliam liberè producatur: v.g. de facto quælibet virtus naturalis necessariò producit suum effectum secundùm rationem specificam, Deus verò eumdem effectum liberè producit secundùm rationem indiuidualem: *Duplici exemplo.* nam stante eâdem ratione specificâ, necessariò à virtute naturali producibili, potest Deus eumdem effectum secundùm aliam & aliam indiuiduationem producere: vnde posset Deus hanc virtutem liberè concurrendi ad indiuiduationem actûs, necessariò producibilis quoad specificam rationem, communicare animæ Christi saltem quoad indiuiduationes finitas, & tunc cum necessariâ productione actûs secundùm rationem specificam, staret libera productio eiusdem secundùm rationem indiuidualem. *Secundum.* Secundum exemplum sit de amore beatifico, qui circa Deum clarè visum necessariò producitur à voluntate beati, circa creaturas verò in Deo visas liberè ab eadem voluntate producitur; non enim potest voluntas beati; cùm primùm ei per claram visionem repræsentatur Deus, illum non amare, potest tamen creaturas per eandem visionem repræsentatas, non amare, vt multi docent, de quo *infrà*. *Confirm.* Confirm. potest eadem actio à voluntate liberè, ab habitu cum eâdem voluntate coagente necessariò produci.

92. *Refutatur.* Sed neque hæc via explicat, qualis, & an possibilis sit huiusmodi qualitas, quæ voluntatem physicè determinando ad substantiam actus, illam liberam relinquat ad diuersa motiua eiusdem actus. Ratio dub. cùm motiua actûs sint intrinseca actui, non apparet, quâ ratione ista qualitas, physicè voluntatem prædeterminando ad substantiam actûs, illam liberam relinquat ad diuersa motiua eiusdem actûs: quia cùm motiua actûs sint de intrinsecâ substantiâ actûs, si hæc qualitas physicè prædeterminaret voluntatem ad substantiam actûs, physicè etiam prædeterminaret ad quidquid est identificatum cum substãtiâ actus.

93. *Confirm.* Confirm. hæc qualitas, vtpotè naturalis, & non sub ordinata in agendo voluntati naturâ præueniret voluntatem; cùmque actio huius qualitatis non esset distincta ab actione voluntatis, necessariò secum illam traheret: proinde non posset voluntas suam actionem liberè exercere circa motiua, cùm actio circa motiua non sit distincta ab actione circa substantiam actûs.

94. *Ad confirm.* Ad rationem in confirm. esto possit idem effectus ab vnâ causâ naturaliter, ab aliâ liberè produci, quando causa naturalis in agendo subordinatur causæ liberæ, vti sunt omnes habitus tam acquisiti, quàm infusi in hâc vitâ, qui in agendo pendent à liberâ applicatione voluntatis; nisi enim voluntas illos ad agendum applicaret liberâ suâ actione, quæ est eadem cùm actione ipsorum habituum, illi nunquam ex se agerent: nequit tamen idem effectus à causâ liberâ liberè produci, quãdo à naturali independenter à liberâ producitur, vti produceretur in hâc viâ: cū deberet huiusmodi qualitas potiùs applicare voluntatem ad cooperandū secum, quàm applicari à voluntate ad secum coagendum. Vnde actio talis qualitatis naturâ præueniens actionem voluntatis, illam necessariò secum traheret, nullâ in eâ libertate relictâ ad vsum talis actionis: quia nec talem actionem ipsa voluntas liberè inchoaret, nec illam inchoatam posset non prosequi, cùm ipsi non esset subordinata.

95. *Dices.* Nec dici potest talis actio subordinari voluntati circa motiua, esto non subordinetur circa substantiam actûs præcepti: *Contrà.* quia cùm actio circa motiua non sit distincta ab actione circa substantiam actûs, si est necessaria circa substantiam, erit etiam necessaria circa motiua: nam etsi hoc intelligi possit, quando voluntas obiectiuè tantùm prædeterminatur per cognitionem necessitantem

stantem ad substantiam actûs, & simul libertatem relinquentem ad varia motiua actûs, vt in *seq. viâ* explicabitur; non tamen videtur intelligibile, quando voluntas subiectiuè prædeterminatur ad substantiam actûs, vti hæc via contendit, vt sit distin-
Discrimen viæ huius à sequenti. cta à seq. nam ipsa est, quæ inchoat actionem productiuam actûs, quæ cùm sit eadem cum actione voluntatis, non potest necessariò inchoata à qualitate, liberè produci circa aliud motiuum à voluntate: cùm non possit circa aliud motiuum à voluntate produci, nisi aliâ actione. Vnde si voluntas non habet potestatem in actionem talis qualitatis, nec potestatem habebit mutandi actionem circa aliud motiuum; quia mutatio circa aliud motiuum, necessariò mutat actionem circa substantiam indiuiduam actûs. Quando verò qualitas obiectiuè tantùm determinat voluntatem ad substantiam actûs, non ipsa qualitas, sed voluntas inchoat actionem, quam potest necessariò producere circa substantiam, & liberè circa motiua actûs, vt in *seq. viâ*

Ad exempla. Et hanc tantùm obiectiuam voluntatis prædeterminationem probat exemplum 2. Primum non est ad rem: nam ideò effectus naturalis quoad specificationem necessariò producitur à causa secunda, liberè quoad indiuiduationem à primâ, quia Deus ab æterno libero suo decreto præparauit hunc potiùs numero concursum, quàm alium; quo præparato, necessariò ex suppositione à causa secunda producitur hic numero effectus. Voluntas autem creata, nec ante productionem talis qualitatis suum concursum determinat ad hoc potius motiuum, quàm ad aliud; nec si illum determinaret, esset tâlis actus liber, sed potiùs esset liber actus ille, quo antecedenter suum concursum determinaret ad hoc potiùs motiuum, quàm ad aliud: sicut non est liber effectus naturalis, qui nunc de facto ex hoc numero concursu producitur, sed ipsa tantùm præparatio concursûs ab æterno fuit Deo libera.

96. *Sexta via.* Sexta via conciliat Christi libertatem cum impeccabilitate, per cognitionem repræsentantem intellectui humano Christi solam præcepti obseruantiam vt bonam & exercendam, nullo autem pacto contrariam, aut contradictoriam in obseruantiam. Prob. non implicat cognitio, quæ actu repræsentet intellectui humano Christi obseruantiam præcepti vt bonam, & simul varia motiua, propter quæ illud sit obseruandum, & nullo pacto inobseruantiam præcepti, vel suspensionem ipsius actûs præcepti, aut motiuorum. Quo posito, voluntas humana Christi esset physicè impeccabilis, cùm non posset suspendere actum præcepti defectu cognitionis non repræsentantis suspensionem actûs præcepti, sine quâ cognitione voluntas est impotens ad suspendendum culpabiliter actum præceptum. Nam vt suspensio actus præcepti sit culpabilis, debet procedere ex notitiâ eiusdem suspensionis, omnis namque actus, vt sit liber, radicaliter pendet ex indifferentiâ iudicij: Et simul eadem voluntas Christi esset libera, non quidem ad non eliciendum actum præceptum, cùm hæc sit ipsissima libertas peccandi, sed ad eliciendum illum ex hoc, aut

97. *Refutatur.* illo motiuo. Hæc via saluat quidem libertatem ad aliquod meritum, non tamen ad perfectum; nam multùm ei derogat necessitas quoad substantiam actûs. Quare non debemus in huiusmodi angustias libertatem Christi adducere, nisi quando aliâ viâ non possumus perfectiorem illi cum physicâ impeccabilitate conciliare.

98. *Septima viâ omniũ* Septima conciliat Christi libertatem cum physicâ impeccabilitate per circumstantiam temporis. Nam potuit Christo imponi præceptum mortis, *probabilissima iuxta communem sentent.* relictâ illi plenâ potestate eligendi sibi tempus moriendi; hoc enim indicare videtur vox illa sæpe à Christo apud *Ioan.* repetita, *Nondum venit hora mea*, hoc est, tempus moriendi à me electum, iuxta illud *Ioan.* 10. *Ego pono animam meam, nemo tollit eam à me, sed ego pono eam à meipso.* Nam per hanc circumstantiam temporis liberè Christus exercebat totam substantiam actûs moriendi, dum in potestate ipsius erat, hoc vel illo tempore totam præcepti substantiam exequi, vel non exequi. Saluat physicam impeccabilitatẽ, quia cum hac libertate adimplendi præceptum, hoc vel illo tempore, quo non obligabatur, fuisset Christus physicè prædeterminatus ad illud exequendum, si illud distulisset vsque ad vltimum instans temporis obligationis.

Hæc via probabilissimè conciliat in Christo cum 99.
physicâ impeccabilitate libertatem, non modò ad circumstantias, verùm etiam ad substantiam mortis præceptæ, idque ex formali motiuo præcepti. Nam toto tempore præcedente vltimum instans obligationis, Christus habebat plenam potestatem subeundi, vel non subeundi mortem; & consequenter perfectam libertatem ad substantiam mortis præceptæ. Confirm. si quis certò sciret; se post an- *Confirm.*
num moriturum, & ante hunc annum oblatâ occasione, anticiparet tempus mortis per martyrium, iste esset verè martyr, ex eo tantùm; quòd vitam pro Deo liberè effunderet anticipato tempore: ergo pari ratione Christus certò sciens, se post aliquod tempus ex præcepto Patris necessariò moriturum, si prædictum tempus liberè anticipâsset per notabilem durationem, verè diceretur liberè mori, non solùm quoad temporis circumstantiam, sed etiam quoad substantiam mortis. Hinc sequitur, potuisse *Coroll.*
Christum per hanc circumstantiam temporis mereri primo instanti suæ conceptionis, cùm primùm fuit illi hoc præceptum intimatum; quia non tenebatur tunc positiuo actu præceptum acceptare: sicut nemo tenetur, cùm primùm præceptum sibi promulgatur, positiuo actu illud acceptare, sed solùm illi non repugnare, & suo tempore illud adimplere.

Verùm obijci potest 1. Si Christus mortem di- 100. *Obijcies.*
stulisset vsque ad vltimum instans temporis, in quo præceptum mortis necessitâsset Christum ad illam subeundam, non potuisse in tali actu saluari libertatem; quia tunc ita Christus acceptâsset mortem eo instanti, vt non potuisset pro eodem instanti non acceptare: alioqui potuisset peccare, resistendo præcepto, quod tunc ad sui obseruantiam vrsisset.

Ad 1. Nego, Christum distulisse mortem vsque ad 101. *Resp.* 1.
vltimum instans obligationis, idque vt posset plenè & perfectè per illam mereri. 2. concesso casu, dicendum esset, mansisse eo instanti humanam voluntatem Christi liberam, solùm quoad diuersa motiua, ex quibus iuxta Sextam viam poterat præceptum adimplere. Quæ libertas etsi non sit ita perfecta, vti ea quæ est ad totam substantiam actûs præcepti, est tamen ad merendum simpliciter sufficiens.

Obijcies 2. Iuxta hanc viam dici possunt antiqui 102. *Dices.*
PP. meruisse Incarnationem quoad substantiam, ex eo tantùm quòd illam meruerunt quoad temporis anticipationem. Confirm. ita se habet Incarnatio necessariò futura ex vi decreti diuini ad preces antiquorum PP. quibus illam ante tempus moraliter accelerârunt: sicut mors Christi ex vi præcepti necessariò futura ad actum eiusdem Christi, quo illam anticipato tempore accelerauit. Nego sequel. 103.
quia in communi modo loquendi, illud dicimur *Resp. ratio discriminis.*
mereri quoad substantiam in diuinâ prædestinatione, quod

ne, quod meremur, vt Deus illud primò prædestinet; non quod iam prædestinatum, hoc vel illo tempore, huic vel illi loco executioni mandetur. Contrà verò, tunc dicimur in communi modo loquendi per substantiam mortis mereri, quando per anticipationem temporis mortem liberè subimus. Fundatur hic modus loquendi in eo, quod non aliter possumus liberè mortem subire, nisi quoad solam temporis anticipationem; cùm aliunde mors simpliciter sit infallibiliter futura: vnde non potest homo per suæ vitæ profusionem simpliciter mereri, nisi quoad solam temporis anticipationem, cùm non sit nisi ad certum tempus suæ vitæ possessor. Contrà verò, cùm ea, quæ in diuina prædestinatione sunt, non solùm possimus esse moralis causa, vt anticipato tempore executioni mandentur, sed etiam vt simpliciter à Deo prædestinentur, ideò non dicimur propriè quoad substantiam mereri illa, quæ tantùm meremur, vt citiùs executioni man-
Ad confirm. dentur. Vnde paritas non currit, cùm non sit idem vtriusque communis loquendi vtrobique fundamentum.

SECTIO IV.

An Christi voluntas fuerit libera non obstante visione beatifica?

104. *1. Ratio dubitandi.* RAtio dubit. vna sumpta ex actibus præceptis, ad quos seruandos humana Christi voluntas physicè necessitabatur obiectiuè ratione summi boni clarè visi; eâdem quippe necessitate necessitamur ad media, sine quibus nequit conseruari finis, quâ necessitamur ad finem: sed humana Christi voluntas ratione visionis gloriosæ necessitabatur ad conseruandum amorem erga Deum: ergo eâdem necessitate necessitabatur ad obseruanda præcepta, sine quorum obseruantiâ amor beatificus conseruari
2. Ratio dubit. non poterat: Altera sumpta ex operibus sub consilio, quorum Christus vi amoris beatifici necessariò faciebat, quæ Patri gratiora iudicabat, iuxta illud *Ioan. 8. Ego quæ placita sunt ei, facio semper*, igitur nulla supererat libertas, neque quoad actus sub præcepto, neque quoad actus sub consilio. Pro qua diffic.
105. *Varij modi. Primus.* PRIMVS modus *S. Tho. qu. 29. de verit. art. 6. ad 6. & in 2. dist. 5. qu. 2. art. 2. & in 3. dist. 18. qu. 1. art. 2. ad 2. Scoti qu. vn. §. In ista qu. fine, Capreol. qu. vn. art. 3. ad argu. Aureol. Gabr. quæst. vn. art. 1. not. 5. & art. 3. dub. 1. Aureo. in 1. dist. 1. art. 3. qui est in fine dist.* negantium, amorem beatificũ esse necessarium; atque adeò vi illius voluntatem Christi physicè necessitari ad præcepta seruanda, cùm nequeant media magis necessitare, quàm finis; cùm omnis necessitas mediorum sit propter finem: ergo si amor beatificus, qui est finis, non est simpliciter necessarius, nec præcepta,
Reijcitur. quæ media sunt ad hunc finem, erunt simpliciter necessaria.
106. Sed contrà: teste *eod. S. Tho. 1. 2. q. 4. art. 4. & 1. p. q. 82. art. 2.* beatus necessariò amat Deum clarè
A priori. visum; Quia sicut in Deo clarè viso apparet omnis ratio boni; ita in suspensione talis actûs nulla apparet, vel apparere potest ratio alicuius boni: nequit autem voluntas suspendere actum, nisi in eâ suspensione appareat aliqua ratio boni. Vnde *3. p. q. 19. art. 3. ad 1. negat S. Doctor*, Christum meruisse actu charitatis, quatenus fuit actus Comprehensoris, sed quatenus fuit actus Viatoris, & *1. p. qu. 62. art. 4.* negat, angelos potuisse per actum beatificum suam beatitudinem promereri: *Quia non videtur*, inquit, *possibile, quod quis simul fruatur, & suam fruitionem mereatur*; quare videtur priorem sententiam in summâ reuocasse.

SECVNDVS *Bannez 1. parte qu. 19. art. 10. dub. 1. fine*, affirmantis, ea tantùm media à beatis necessariò amari, quæ ex se necessariam connexionem habent cum amore beatifico: præcepta autem positiua non habent ex se necessariam connexionem cum amore beatifico, sed ex solâ extrinsecâ voluntate præcipientis. Sed contrà: non saluat libertatem in præceptis naturalibus, quæ ex se necessariam connexionem habent cum amore beatifico. 2. à quocumque talis connexio cum fine proueniat, statim beatum necessitat eâ necessitate, quâ adhæret vltimo fini. 107. *Secundus.* *Refutatur.*

TERTIVS *Zumel 1. p. q. 22. art. 4. dub. 2. Suarez 3. p. disp. 37. sect. 4.* &c. distinguentium amorem Dei in Christo, 1. consequentem scientiam beatam, 2. infusam; priorem docent, esse necessarium & proprium Christi vt Comprehensoris. 2. liberum & proprium Christi vt Viatoris. probant: potuit prior amor contineri in solâ portione superiori animæ, & nullo pacto se extendere ad imperandos actus præceptos: quia cùm hoc fiat per modum cuiusdam efficientiæ, potuit diuinitus impediri: ergo solus amor consequens scientiam infusam, fuit proximum principium imperandi actus præceptos. Sed contrà: implicat, amorem beatificum actu existentem in voluntate Christi, illam non necessariò inclinare ad actus præceptos; quia cùm hæc inclinatio fiat in genere causæ formalis obiectiuæ, quæ seipsâ, nullâ mediâ efficientiâ distinctâ, inclinat voluntatem ad amorem [illegible] ad ea, quæ cum tali formâ obiectiuâ necessariam connexionem habent, implicat à Deo impediri. 108. *Tertius.* *Reijcitur.*

QVARTVS communis saluat Christi libertatem cum impeccabilitate proueniente ex beatitudine in actibus præceptis per circumstantiam motiui, quæ non fuit cum substantiâ actûs Christo præcepta, sed in potestate ipsius relicta. Etenim sicut ex suppositione finis particularis efficaciter intenti manet voluntas determinata ad aliquod medium, cum indifferentiâ ad hoc, vel illud in particulari; ita ex suppositione finis vltimi necessariò dilecti manet voluntas determinata ad substantiam præcepti, cùm indifferentiâ ad exequendum illud sub tali, vel tali motiuo, cùm nullum motiuum in particulari cadat sub præceptum. Prætereà saluat libertatem in præcepto moriendi, non solùm quoad circumstantiam motiui, sed etiam quoad totam substantiam mortis, per circumstantiam temporis. Nam posito, quòd in ipsius libera potestate fuit, vti verè fuit, eligere sibi tempus mortis, potuit per anticipationem temporis notabilis ante vltimum instans, in quo vrgebat præceptum mortis, mortem sibi eligere, & tunc verè, fuisset meritus quoad substantiam mortis, vt *praeced. sect.* Nota: impeccabilitas proueniens ex vnione hypost. est tantùm negatiua, per negationem potentiæ physicæ proximè completæ per concursum generalem primæ causæ: impeccabilitas proueniens ex beatitudine est positiua, per positiuam formam obiectiuè prædeterminantem humanam voluntatem Christi ad omnia ea, quæ sunt connexa cum vltimo fine necessariò dilecto. Ipsa enim visio Dei physicè ex parte obiecti, quod intuitiuè proponit, prædeterminat voluntatem ad vitanda omnia ea, quæ sunt contraria vltimo fini; & sequenda, quæ sunt cum vltimo fine necessariò connexa. Ex quo discrimine nascitur hoc aliud, quòd per impeccabilitatem prouenientem ex vnione hypost. sibi propriam, non immutetur positiuè intrinsecus modus operandi humanæ voluntatis Christi, sed tantùm negatiuè; quia nec proponitur 109. *Quartus modus communis.* 110. *Notanda differentia.* *Alia.*

ponitur præceptum seruãdum cũ opposito iudicio illud non seruandi, nec voluntati ad id ipsum conceditur concursus. Per impeccabilitatem verò prouenientem ex beatitudine, cum cæteris beatis cõmunem, positiuè immutatur intrinsecus modus operandi voluntatis; quia immutatur per intrinsecam visionem Dei, quæ vitali ac natiuo suo impetu voluntatem impellit ad seruãda præcepta & omnia ea, quæ sunt cum vltimo fine necessariò connexa.

111. *Dices.* *Obijcies.* Adhuc positâ clarâ visione summi boni, volũtas beati remanet subiectiuè & efficiẽter indifferẽs ad obseruantiã præcepti affirmatiui, cùm non remaneat physicè ad illã determinata; quippe quæ adhuc clarâ visione summi boni positâ, vlteriùs determinari possit per physicam qualitatẽ superadditam ad obseruantiã præcepti: ergo adhuc clarâ visione sũmi boni positâ, manet in beato libertas ad seruanda præcepta affirmatiua. *Confirm.* Confir. Clara visio Dei nõ erat in Christo proxima & immediata regula seruandi præcepta, sed proxima & immediata regula illorũ erat notitia infusa extra Verbũ, vi cuius volũtas Christi nõ necessitabatur ad obseruantiã præcepti, vt constat de notitiâ infusâ, quã habebat de Deo extra Verbum, vi cuius notitiæ liberè, nõ necessariò diligebat Deum, etsi eumdem necessariò diligebat vi claræ visionis in Verbo.

112. *Resp.* Nego conseq. Nam esto voluntas beati maneat subiectiuè & efficiẽter indifferẽs ad obseruatiã præcepti, vt argu. probat, haud tamẽ manet indifferens obiectiuè, quod ad proximã libertatẽ requiritur: cũ proxima libertas cõstituatur etiã ex indifferẽtiã obiectiua iudicij, vt ex primâ radice per se cõcurrente ad libertatẽ actus. *Indifferentiam obiectiuam tollit visio Dei.* Cũ igitur per visionẽ claram Dei tollatur à beato indifferẽtia obiectiua iudicij, nã eâ stãte nõ potest beatus habere indifferẽs, sed determinatũ iudiciũ de obseruãtia præcepti, consequẽter tollitur proxima libertas, quę ex vtraque indifferentia cõstituitur. *Ad confir.* Ad confir. nego clarã visionem Dei non fuisse in Christo proximã regulam seruandi præcepta. Nam cùm clara visio Dei sit ipsa cognitio vltimi finis, amore cuius omnia eliguntur, & diliguntur vt media, cumque notitia finis præsertim vltimi, sit regula & norma eligendi, diligendique media; nam eâ necessitate eliguntur, diliguntur que media, quã diligitur finis ipse, consequenter clara visio vltimi finis est proxima regula obseruandi præcepta, vt media connexionem habentia cum fine, nam sine obseruantiâ præcepti non potest vltimus finis conseruari. Quòd autem præter claram visionem Dei requiratur proximior cognitio ipsorum præceptorum, illa nõ requiritur vt regula eligendi media; nam illa tantũ est cognitio & intentio finis, sed vt conditio sine quâ non posset voluntas ea eligere, nisi cognoscat propria & immediata cognitione. Concedo etiã, Christum vi notitiæ infusæ extra Verbum liberè dilexisse Deum extra tempus præcepti; quia talis amor non erat necessarius ad conseruationem vltimi finis, vi cuius solùm Christus necessitabatur ad ea, sine quibus vltimus finis conseruari non poterat, cuiusmodi sunt actus præcepti.

113. *Coroll. Cõtra Molinam & Suarez.* Ex his falsum est, humanam Christi voluntatem vel ratione vnionis, vel ratione beatitudinis liberè seruasse præcepta quoad substantiam actûs, tẽpore, quo illa determinatè obligabant: alioqui eo tẽpore habuisset Christus physicam potentiam ea transgrediendi, & consequenter decretum concursũ ad actum peccati: implicat autem, *vt suprà*, Deum habuisse liberum decretum de concurrendo ad actum peccati cum humanã Christi volũtate.

114. *Ad 1. Rationem dubitandi.* Patet ad 1. rationẽ dub. concedo enim, Christũ ratione beatitudinis nõ habuisse libertatẽ seruãdi pręcepta affirmatiua quoad substantiã actûs, tẽpore, quo illa determinatè obligabant, sed habuisse libertatẽ vel quoad circũstantias motiui & intensionis, vel etiã quoad substantiã, tẽpore, quo determinatè non obligabãt.

115. *Ad 2. Rationem dubitandi. Prima resp.* Ad 2. rationem dub. variæ sunt resp. 1. non potuisse Christum eligere oppositum ei, quod illi sub consilio seruandum proponebatur, ex *Ioan. 5. Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem: quæcunque enim ille fecerit,* hoc est decreuit fieri, *hæc & filius similiter facit, Pater enim diligit filiũ, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit,* hoc est, quæ vult vt fiant. Quòd autem hic sermo sit de Christo vt homine, constat ex seq. vbi dicitur Pater omne iudicium dedisse filio, non vt Deo, sed vt homini, vt Christus testatur: *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Tum quia humana Christi voluntas non poterat diuinę, non solum præcipiẽti, sed etiam consulenti discordare.

116. *Secunda.* 2. distinguit opera consilij ab operibus supererogationis: ad priora negat, liberum fuisse Christo, oppositum ei, quod erat sub consilio, amplecti: ad posteriora concedit, liberum ei fuisse, oppositum eligere.

117. *Tertia.* 3. docet, tam ad opera cõsilij, quàm supererogationis Christum fuisse moraliter determinatum, cum hâc tamen morali determinatione habuisse physicam potentiam, sufficientem ad libertatem in genere moris & laudis ad oppositum eligendum.

118. *Quarta.* 4. absolutè affirmat, potuisse Christum oppositum velle; ex communi sententia, quæ Christi libertatem in actibus præceptis saluat quoad circumstantias motiui, intensionis, & durationis actûs præcepti: nam si quoad has circumstantias Christus fuit liber; ergo non fuit determinatus ad optimum motiuum, summam intensionem, & durationem. *Hæc 4. placita Theolog.*

119. *Resp. prima.* Resp. 1. de facto Christum semper operatũ fuisse id, quod ex duobus propositis, omnibus pensatis, ei melius ac perfectius videbatur. In hoc à fortiori debẽt omnes conuenire, qui idem sentiunt de ipsius Genitrice, nẽpe quòd illa in singulis actibus virtutũ sẽper operata sit secundùm vltimum posse gratiæ, tã habitualis, quàm actualis excitantis ac præmouẽtis. Quod inter alios docet *Suar. to. 2. in 3. p. disp. 18. sect. 2. dicto 2.* tum exemplo bonorum angelorum, qui in viã operati sunt iuxta totũ posse gratiæ & habituum supernaturalium. Tum auctoritate *S. Bernardini serm. 51. de Conceptione cap. 3.* asserentis, nunquam B. Virginem elegisse, nisi quod ei sapientia diuina demonstrabat, tantumq; semper Deũ dilexisse, quantum à se diligendum existimauit.

120. *Dices.* DICES: ergo Christus non habuit virtutes morales acquisitas: nam hæ comparantur ex frequentatis actibus earumdem virtutum; si autem Christus semper operabatur, quod melius & perfectius ei videbatur, cumque melius & perfectius sit, operari ex motiuo supernat. quàm naturali, manifestè sequitur, Christum nunquam exercuisse actus virtutum naturalium, sed supernat. adeoque non habuisse virtutes morales acquisitas, quæ ex earum frequentatis actibus comparantur.

121. *Resp.* Nego conseq. nã ex hoc non sequitur, Christum nunquam exercuisse, actus virtutum naturalium, sed illos nunquam exercuisse, nisi vt imperatos ab aliqua virtute supernat. præsertim à charitate, cuius imperio omnes actus virtutum, tam naturalium, quàm supernat. Christus vltimatè dirigebat in Deũ. Quando igitur Christus sanabat infirmum, poterat illum sanare ex motiuo subleuandæ miseriæ, quatenus homo erat, quod est motiuum virtutis naturalis; & simul quatenus capax erat felicitatis supernat. quod est motiuum misericordiæ supernat. & simul etiam hos actus referre in Deum finem vltimum supernat. quod

quod est motiuum charitatis supernat. Hæc enim motiua non sese excludunt, cùm sint sibi inuicem subordinata. An autem eumdem actum elicere potuerit ex diuersis motiuis, naturali, & supernat. *infrà.*

122. *Resp.2.* Resp.2. ita Christum in his operibus semper elegisse, quod melius & perfectius omnibus pensatis sibi videbatur, vt tamen potentiam ad oppositum eligendum sufficientem ad libertatem in genere moris & laudis, omninò habuerit. Non dico physicam, aut moralem, cùm possit esse de nomine quæstio, quænam potentia sit sufficiens ad libertatem in genere moris, physicáne, an moralis, sed abstrahendo ab his *Fundam.* vocabulis, absolutè assero, quòniam si Christus vi visionis beatæ fuisset omninò determinatus ad perfectius semper eligẽdum, nulla sibi relicta ad oppositum libertate, vix possemus in omnibus operibus Christi aliquod meritum saluare: nam omnia opera, tam præcepti, quàm consilij, quàm supererogationis, Christus exercuisset cum hâc determinatione. Ex quo etiam corrueret communis Sent. de libertate Christi in operibus præceptis quoad circũstantias motiui, intensionis, & tẽporis, vt in 4. resp. Nam iuxta hanc opin. fuisset Christus determinatus ad exercẽdum opus præceptum ex meliori motiuo, summâ intẽsione, & opportuniori tẽpore, quo iudicabat illud esse exequendum. Neque dicas, po-
123. *Dices.* tuisse in Christo saluari libertatem, quia licet fuerit determinatus ad optimũ, potuit tamẽ ex duobus optimis alterutrum liberè eligere: tum quia non sẽper
Contrà. occurrebãt duo æquè perfecta, ac proinde tunc determinatus fuisset ad perfectius. Tũ maximè, quia hæc libertas nõ est sufficiẽs in genere laudis & meriti: Sicut è cõtrario non est sufficiens in genere vituperij & reprehensionis: non enim qui inuincibiliter putaret, se necessariò esse determinatũ ad alterutrũ malũ ex duobus propositis, eligens vnũ esset dignus reprehẽsione & vituperio, nisi fortè cùm potuisset eligere minus, elegit maius: nã tunc esset reprehẽsibilis propter illũ excessum, secundũ quẽ potuit maius
124. malũ non eligere. Verũ ex hâc nostrâ resp. sequitur,
Inferes. Christũ & reliquos beatos nõ esse vi visionis beatificæ determinatos ad eligẽdum sẽper id quod iudicant, magis placere Deo, sed posse vi propriæ libertatis eligere id, quod iudicant, minùs placere Deo.
Concedunt sequel. Alioqui concedunt sequel. nullumq; existimarẽt absurdum, beatos posse, physicâ saltẽ potentiâ sufficiẽte ad libertatem in genere moris & laudis, Deo non gratificari, eligẽdo quod minùs Deo placere iudicãt. Quã sequel. nõ concedo, cùm satis per se absur-
125. *Non rectè.* dum videatur, & contra perfectionẽ visionis beatificæ, posse beatum, nolle in aliquâ re, quæ Deo magis placet, illi gratificari. Cùm visio beata ita beatũ rapiat ad gratificandũ Deo in omnibus, vt non sit in ipsius libertate, ei non gratificari. Propter quod *to. 3. disp. 2. sect.* 11. docui, posito præcepto diuino de suspensione amoris beatifici, beatum necessariò cessare ab amore beatifico: quia tunc beatus iudicaret, magis se gratificari Deo, cessando ab amore beatifico, quã continuando illũ: eo quòd beatus necessariò fertur ad maius beneplacitũ Dei. Adinueniẽdus igitur est aliquis modus, qui ista duo saluet & beatũ vi visionis beatificæ necessitari ad eligendum semper
126. *Modus saluandi &c. qui prudenti intellectui in re tantâ debet satisfacere.* id, quod magis iudicat placere Deo, & nihilominus manere liberum in actibus non præceptis. Modus est, si dicamus, maius beneplacitũ Dei in huiusmodi operibus non præceptis, non esse de opere ipso entitatiuè perfectiori, sed de opere in ratione liberi obsequij. At si hoc modo dicamus, rectè saluatur in beatis, & necessitas sequendi in omnibus maius Dei beneplacitum, & ipsorum in huiusmodi operibus sufficiens libertas in genere moris & laudis. ergo ita dicendũ. Maior prob. quod in nostris operibus magis placet Deo, est ratio obsequij: obsequiũ autẽ eò maius gratiusque est Deo, in cuius honorem exhibetur, quò liberiùs à creaturâ offertur. Vnde gratiora sunt illi opera, quæ maiori cũ aduertẽtiâ in ipsius obsequium fiunt, etiãsi quoad entitatẽ sint minus perfecta, qui ex maiori libertate procedũt. Quod enim necessariò alteri impenditur, non tam est opus amoris, à quo obsequiũ, vt si acceptũ procedere debet, quã naturæ. Hinc videmus, maximũ Dei studiũ eò tẽdere, vt perfectissimè, quoad fieri potest, illæsã seruet hãc libertatẽ in suis creaturis. Ad quã saluandã permittit tot peccata: quippe spectat ad perfectã sũmi gubernãtis prouidẽtiam, suos subditos regere iuxta proprias ipsorũ naturas & mores. Minor ostẽditur. Si maius beneplacitũ Dei est, *Hic maior diffic.*
nõ maior perfectio absoluta operis, sed maior libertas ipsius operãtis, hoc ipso beatus ex vi internæ inclinationis, quã ex visione beatifica habet ad gratificandũ in omnibus Deo, maximâ quã potest gratificatione & obsequio non poterit ad opus quod iudicat entitatiuè perfectius, necessariò se determinare: nã hoc ipso nõ faceret maius beneplacitũ Dei, qui in opere beati nõ tam sibi cõplacet de perfectione operis, quã de libertate operãtis. Minùs autẽ poterit se necessariò determinare ad opus minùs perfectũ; nam in opere minùs perfecto necessariò elicito, nõ solùm esset defectus libertatis, sed etiã maioris perfectionis entitatiuæ. Igitur liberè se determinabit iuxta diuinũ beneplacitum ad exercẽdam alterutrã partem operis non præcepti. Confirm. sicut si sciret *Confirm.*
beatus, maius beneplacitum Dei esse, vt perfectius opus eligeret, necessariò illud eligeret, vt diuinę obsecundaret voluntati: ita sciens, maius beneplacitũ Dei esse, vt liberè alterutrũ eligat, liberè eliget, vt eidem diuinæ obsequatur voluntati: cùm obiectum beati sit ferri in id, quod est maius Dei beneplacitum, & modo operandi, qui magis Deo placet.

Instabis 1. Beatus ex beneplacito diuino necessita- 127. *Instat 1. contra hũc modum.*
tur ad seipsum liberè determinandum ad opera non præcepta: ergo non liberè ad ea se determinat. quia liberè se determinare est, à nullo necessitari, sed à seipso ad operandũ applicari. Resp. dist. antec. beatus *Resp.*
necessitatur ad seipsũ liberè determinãdũ, & suppositione, quòd velit liberè seipsũ ad determinandum applicare, cõcedo: necessitatur ad seipsum liberè determinandũ absolutè, nego. Quare cùm dicitur beatus ex beneplacito diuino necessitatur ad seipsum liberè determinandum, sensus non est, quod debeat necessariò se ad seipsum liberè determinandũ applicare, ita vt sola maneat in beato concomitans libertas ad hoc, vel illud obiectũ, etiã maius perfectũ eligendum, non autem antecedens libertas ad liberè seipsum applicandum; nam ad hoc etiam se extẽdit diuinum beneplacitum, vt liberè beatus applicet se ad seipsum determinãdum, ad hoc vt ista opera sint in genere moris & laudis perfectè libera. Sed sensus est, necessitatur ad seipsum liberè determinãdum, quia propter diuinum beneplacitum nõ potest, vel ad ipsa opera eligẽda, vel ad seipsum applicãdũ necessitari, sed ad vtrumque iuxta diuinum beneplacitum liberè accedere. Instabis 2. Deo magis 128. *Instat 2.*
placet opus perfectius: ergo nõ potest Deo magis placere opus minùs perfectum à beato liberè elicitum, quã opus perfectius. Resp. dist. antec. Deo ma- *Resp.*
gis placet opus perfectius, quàm minùs perfectum, si vtrumque liberè eliciatur, concedo: magis placet opus perfectius necessariò elicitum, quàm minùs perfectum liberè exercitum, in ratione moris & obsequij, nego. Quia igitur non posset opus perfectius liberè à beato exerceri, si illud simpliciter Deo magis

magis placeret in ratione moris & obsequij, ideò maius beneplacitum Dei non est de opere perfectiori simpliciter, sed de opere liberè ab operante exercito. Dixi, *in ratione moris & obsequij*: nam certum est, in ratione entis, illi magis placere opus perfectius etiam necessariò productum: verùm in operibus à liberis creaturis elicitis Deus magis attendit ad rationem moralem liberi, quàm ad rationem physicam entis; cùm magis cedat in ipsius honorem & obsequium moralis ratio liberi, quàm physica ratio entis.

129. *Instas 3.* INSTAS 3. sequeretur, magis placere Deo puram suspensionem liberam beati, quàm visionem & dilectionem ipsam beatificam necessariò à beato elicitam. Confirm. in purâ suspensione nulla apparet ratio obsequij in Deum: nam omne obsequium fundatur in aliquo actu positiuo, quem creatura liberè exhibet Deo in recognitionem supremæ Maiestatis & excellentiæ, quam in Deo agnoscit. *Resp.* Nego sequel. nam visio & dilectio beatifica, non solùm magis placent Deo physicè & in ratione entis, vt singulares participationes suæ increatæ visionis, & dilectionis, quâ seipsum contemplatur, & diligit; sed etiam moraliter, & in ratione obsequij, quà connotant præterita merita libera, vt causam, à quâ moraliter promanarunt. *Ad confir.* Ad Confirm. esto, in purâ omissione non appareat ratio intrinseca positiua obsequij, ac proinde nequeat ex hoc capite magis Deo placere, quàm actus positiuus necessariò elicitus; placet tamen in ratione moris magis Deo, propter liberum vsum libertatis in eâ relucentem, cùm maximum beneplacitum Dei sit, illæsum conseruare, quoad fieri potest, hunc libertatis vsum in suis creaturis.

130. *Instas 4.* INSTAS 4. Scit beatus, quòd etiamsi maius Dei beneplacitum sit, vt in huiusmodi operibus liberè seipsum determinet, adhuc maius Dei beneplacitum esse, vt ex duobus operibus eligat perfectius: ergo ad illud necessitabitur. *Resp.* Nego maius Dei beneplacitum esse, vt beatus eligat opus perfectius, sed liberius: nam hoc ipso, quòd maius beneplacitum Dei esset, vt perfectius opus à beato eligeretur, non posset tale opus liberè à beato eligi. *Pugna terminorum.* Implicat igitur, dicere, Deo in ratione obsequij magis placere opus perfectius, & illud liberè à beato eligi: nam hoc ipso, quòd magis Deo placeret, non posset liberè à beato eligi. Quòd si liberè à beato eligitur, non ipsum opus vt in se perfectius, sed vt liberè elicitum Deo magis placet. Vt igitur possit opus perfectius liberè à beato eligi, debet magis Deo placere in ratione liberi obsequij, quàm in ratione physicæ entitatis.

131. *Instas 5.* INSTAS 5. ergo saltem necessitabitur beatus ad eligendum opus magis liberum, quia hoc magis placet Deo. *Resp.* Verùm hoc implicat in adiecto, beatum necessitari ad eligendum opus magis liberum: nam hoc ipso, quòd ad illud necessitaretur, non esset ampliùs liberum: nam dicitur opus liberum ex liberâ determinatione ipsius operantis.

132. *Instas. 6.* INSTAS 6. sequitur, falsum esse, quòd in 1. *resp.* docui, Christum semper elegisse perfectiora secundùm se, cùm æquè Deo in ratione moris & liberi obsequij tam in Christo, quã in quolibet beato placeant opera minùs perfecta: ergo cùm aliũde nõ sit alia ratio, quæ Christum antecedenter moraliter determinauerit ad semper perfectius eligendum, absque fundamento hoc asseritur. *Resp.* Nego sequelam, nego etiam, nullam aliam esse rationem, quæ Christum, & quemlibet beatum moraliter antecedenter determinet, licet non necessitet ad perfectius semper eligendum: hæc autem est rectissimum dictamen rationis, visionis beatificæ splendore illustratum, quod Christum, & omnes beatos moraliter antecedenter, liberè tamen & dependenter à voluntate ipsorum, semper determinat ad opus perfectius eligendum.

INSTAS 7. idẽ dici posset de operibus præceptis, vt maius beneplacitum Dei sit, de libertate operis præcepti, quàm de opere ipso præcepto: nã hoc posito, beatus liberè exerceret opera præcepta etiam tempore, quo sui obseruantiam determinatè vrgẽt. Nego sequel. nam de opere præcepto est determinata Dei voluntas, vt ipsum opus fiat, & non oppositum: alioqui si hoc relinqueret liberæ potestati creaturę, non esset ampliùs præceptum, sed consilium. 133. *Instas 7.* *Resp.*

INSTAS 8. ergo posset Deus habere beneplacitum, vt beatus liberè eligeret amorem beatificum, & tunc non necessariò, sed liberè Deum amaret. Resp. Esto id de absoluta Dei potentia fieri possit, nego tamen id fieri posse, spectatâ intrinsecâ naturâ beatitudinis, quæ ab intrinseco postulat, vt sit immutabilis & inuariabilis, adeoq; vt in sui conseruatione non pendeat à liberâ potestate creaturæ. 134. *Instas 8.* *Resp.*

INSTAS 9. sequitur, in opere Christi magis Deo placere rationem liberi, quàm rationem personalis dignitatis, quia hæc tantùm placet in ratione entis, illa in ratione moris & obsequij. Nego sequel. quia ratio dignitatis personalis intra ordinem dignitatis personalis, placet Deo infinitè; ratio verò liberi intra ordinem liberi creati, placet Deo finitè. Et ipsa dignitas personalis Christi, quatenus liberè antecedenter ex liberâ voluntate Christi operantis deriuabatur in eius opera libera, placebat Deo in ratione obsequij, & quidem infinitè, quatenus cum ipso opere libero exhibebatur in obsequium Deo. 135. *Instas 9.* *Resp.*

INSTAS 10. sequeretur, quòd etiam Deus necessitaretur ad maius suum beneplacitum exequendum, & consequenter ad optimum semper operãdum, contra *disp.* 4. nã semper maius Dei beneplacitum est circa maius bonum: quò enim bonum est maius eò maiorẽ habet de illo complacentiã. Resp. est in Deo beneplacitum, vnum per modum simplicis complacentiæ terminatum ad creaturas possibiles, vt ad terminos suæ omnipotentiæ; alterum per modum efficacis voluntatis, aut formalis, vt cùm absolutè vult aliquid fieri; aut virtualis, vt cùm vult vnum dependenter, & sub conditione alterius: quæ voluntas dicitur efficax & formalis respectu medij, quod ad finis executionem adhibet; virtualis & conditionata respectu ipsius finis, propter quẽ medium adhibet dependenter, & sub conditione alterius. Quoad 1. Deus non necessitatur sequi maius suum beneplacitum, vt id semper à parte rei operetur, circa quod fertur per maiorem complacentiam simplicis affectûs, alioqui semper deberet, operari quod est optimum: vnde Deus priuaretur libertate operandi ad extra. Quoad 2. semper Deus necessitatur ad sequẽdum suũ efficax & absolutum beneplacitum: ex suppositione enim quòd efficaciter & absolutè vult aliquid, necessariò exequitur illud, ratione suæ immutabilitatis. Ad beneplacitum autẽ conditionatum solùm necessitatur ex suppositione, quòd ponatur conditio; nam sub tali conditione, & non aliàs est beneplacitum Dei. Non dicitur autem Deus sequi maius suum beneplacitum, sed beneplacitum simpliciter; quia nunquam sibi efficaci voluntate proponit duo practicè exequenda, vt ex illis alterutrum sequatur, sicut proponere potest creaturæ duo bona, alterum maius, alterum minus efficaci voluntate conditionatâ, præbendo sufficientia media ad vtrumque, sed hoc ipso, 136. *Instas 10.* *Resp.* *Duplex in Deo beneplacitum.* *Quoad secundum.*

ipso, quòd ex se absolutè vult aliquid, ex suppositione necessariò exequitur illud. Implicat enim vt Deus velit duo efficaci voluntate absolutâ, & ad vnum tantùm illorum exequendum necessitetur.

137. Obijcies. DICES: Beatus ratione visionis beatæ non solùm necessitatur ad sequendum maius beneplacitum Dei efficacis voluntatis, sed etiam simplicis complacentiæ: nam quamdiu non constat beatos Deum contrarium velle, necessariò operatur, quod est perfectius, cùm illud iudicet magis placere Deo: ergo etiam Deus in operando sequitur suum maius beneplacitum simplicis affectus. Resp. Resp. distinguo antecedens. Beatus necessitatur ad sequendum maius beneplacitum simplex Dei, affectu simplicis complacentiæ, concedo; affectu efficaci & executiuo, nego. Etenim ad conformandum se cum beneplacito Dei, sufficit, vt eo modo habeat illud, quo Deus ipse habet: ergo sicut Deus ipse illud solùm necessariò habet per modum simplicis affectus; ita Beati necessariò illud tantùm habent per modum simplicis complacentiæ. Hinc fit, vt Beati simul cum Deo necessariò diligant, dilectione simplicis complacentiæ, omnes creaturas in Deo visas, quia vt sic diligunt illas vt participationes diuinæ bonitatis, & terminos omnipotentiæ Dei. *Beati necessariò diligunt creaturas possibiles.* Ad probationem antec. nego, beatum semper necessariò operari, quod perfectius est, quamdiu illi non constat de contrariâ volũtate Dei: nam quamdiu beato non constat de voluntate efficaci saltem conditionatâ Dei, potiùs supponit, maius beneplacitum Dei esse, liberum etiam minus perfectum opus exercere, quàm necessarium magis perfectum: quia semper liberum in ratione obsequij excedit necessarium. Pari modo quamdiu Deus non necessitatur antecedenti aliquâ suâ voluntate efficaci, liberè operatur, cùm hic modus ad extra operandi sit perfectior.

138. Ad 1. resp. n. 115. Ex dictis patet ad fundamentum primæ responsionis: nam Christus optimè se conformauit diuinæ voluntati, quæ erat, vt maximè quoad fieri posset, liberè hos actus eliceret. Quanquam citat. oraculum *Ioan.* à PP. explicatur de Christo vt Deo, vt *S. Thom. in suâ Catena.* Nec obstant posteriora verba, quæ potestatem iudicandi tribuunt Christo vt homini, quin priora intelligantur de Christo vt Deo.

139. Ad 2. Ad fundamentum secundæ responsionis, eadem est ratio de operibus sub consilio, & supererogationis: nam eodem modo poterat Deus illa consulere Christo, vt liberè exequenda in ratione obsequij. Quanquam si fuisset aliquod opus consilij, quod Deus consuluisset Christo, vt sibi magis placitum secundùm se, non secundùm rationem liberi & moralis obsequij, ad illud necessitatus fuisset Christus quoad substantiam actûs: & non nisi liber mansisset quoad circumstantias, motiui, intensionis, aut temporis.

140. Ad 3. & quartã. Tertia & quarta responsio conuenit in conclusione cum nostrâ, licet discrepemus in principijs; nam auctores illi putant, Christum & reliquos beatos vi visionis beatificæ non necessitari ad sequendum maius beneplacitum Dei in omnibus suis operationibus, sed vel tantùm determinari moraliter cum sufficienti libertate ad oppositum, vt authores tertiæ responsionis, vel nullo modo ad illud sequendum antecedenter determinari, vt Authores quartæ.

DISPVTATIO XXVI.

De merito Christi.

SVPPONO 1. fuisse in Christo actus meritorios, eâ certitudine, quâ certum est, Christum fuisse humani generis redemptorem; scilicet non alio modo quàm merendo nobis suis actibus vitam æternam, & reliqua dona supernaturalia, quæ per peccatum amiseramus. *De fide certum.* Quæ veritas ratione etiam constat: nam in Christo fuerunt omnes conditiones ad merendum requisitæ. *Conditiones merendi.* Prima est sanctitas personæ merentis; quæ maior, quàm increata Verbi? Secunda libertas eiusdem in operando, ex *præcedente disputat.* Tertia honestas operis; cùm omnes Christi operationes fuerint ex honestissimo motiuo elicitæ. Quarta proportio operis ad præmium: at quis neget, omnia opera Christi fuisse proportionata ad quodcumque præmium possibile? Quinta promissio diuinâ de acceptandis ipsius operibus ad certum præmium, ex illo *Isaia* 53. *Promissionẽ colligunt PP. ex Isaia 53.* *Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuum: & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit & saturabitur. In scientia sua iustificabit ipse iustus seruus meus multos, & iniquitates eorum ipse portabit.* Vbi ad litteram sermo est de Christo, iuxta Patrum vnanimem consensum. Vnde Hieronymus in hunc locum, *quia igitur, laborauit, videbit Ecclesias in toto orbe consurgere, & earum saturabitur fide.* Sexta est status Viatoris; cùm non solùm Christus fuerit Comprehensor, sed etiam Viator; nõ modò in corpore ratione passibilitatis & mortalitatis, verùm etiam in animâ, ratione angoris & tristitiæ, cuius in hâc mortali vitâ fuit capax.

SVPPONO 2. quodlibet Christi opus, ratione valoris personalis, quo moraliter informabatur, non modò condignum fuisse omni præmio creato possibili, sed etiam præmio increato alterius vnionis hypostaticæ cum personâ Patris, vel Spiritûs sancti, vt *disputat. 6. sect. 6.* *Alterum certum.* Quo fit, vt nullum Christi meritum de facto sit à Deo adæquatè remuneratum. Vlteriùs indago primò quibus actibus Christus promeruit, vel promereri potuerit: Secundò, quo tempore: Tertiò, quæ aut sibi, aut alijs vel meruit, vel mereri potuerit.

SECTIO I.

An Christus mereri potuerit per amorem beatificum vt terminatum ad proximum?

1. SVPPONO de facto, quicquid sit de possibili, Christum non meruisse, nec mereri potuisse amore beatifico, vt terminato ad Deum, quia de facto ad Deum terminabatur necessariò: non potuit autem mereri per actum necessarium. Controuersia est, an de facto per illum mereri potuerit, quatenus terminabatur ad proximum, eâdem visione in Deo visũ, eodemq; amore cum Deo amatum & dilectum.

2. 1. Sentent. PRIMA sent. affirmat: *Scot. in 3. distinct. 18. qu. vn. §. In ista quæstione fine, Lychetũ ibidem, Rubionis quæst. 1. art. 4. ad 1. dub. Valen. 3. part. disputat. 1. qu. 19. puncto 2.* Fundam. Potuit humana Christi voluntas eo temporis momento, quo illi per clarã visionem *Fundam.*

sionem Dei, simul cum obiecto beatifico repræsentatæ fuerunt variæ creaturæ rationales, per amorẽ tendere solùm ad obiectum beatificum, & non ad creaturas: ergo potuit amor beatificus vt terminatus ad proximum in Christo esse meritorius. nam tota ratio, cur talis actus vt terminatus ad creaturas, non potuerit esse meritorius, est, quia etiam vt terminatus ad creaturas, non potuit esse contingens, adeoque liber, sed necessarius, non minùs quàm vt terminatus ad Deum ipsum. Antecedens probo: solùm obiectum infinitè bonum necessitat voluntatem ad amorem sui: sed nullum obiectum, præter Deum, est infinitæ bonitatis: ergo nullum obiectum, præter Deum, necessitat voluntatem ad sui amorem; & consequenter liberè potuit illud cum obiecto beatifico amari, vel non amari. *Confirm. 1.* Confirm. 1. potest voluntas Christi tale obiectum cognitum extra visionem claram Dei liberè amare: ergo etiam cognitum per claram visionem Dei, quia clara visio Dei non mutat bonitatem obiecti creati. 2. Beatus vi visionis beatificæ solùm necessitatur ad amandum Deum secundùm bona intrinseca, non extrinseca: ergo poterit amor beatificus terminatus ad Deum, secundùm bona extrinseca, esse meritorius & dignus remuneratione quia talis actus liberè terminaretur ad Deum secundùm bona extrinseca. Antec. prob. beatus vi visionis beatificæ ad ea tantùm in Deo amanda necessitatur, quæ necessariam connexionem habent cum ipso Deo, cuiusmodi sunt solùm bona intrinseca. Nota in hâc sent. talem actum esse tantùm liberum in fieri, non in facto esse, seu in conseruari. Ratio; quia in fieri tantùm in potestate beati est, talem actum cum tali respectu in principio beatitudinis elicere: non est autem in potestate eiusdem, semel cum tali respectu elicitum, non conseruare. Quia cùm talis respectus non distinguatur ex naturâ rei ab entitate amoris beatifici, sicut hanc conseruari, vel non conseruari, non pendet à potestate beati, sed Dei: ita nec illam cum tali respectu conseruari, vel non conseruari, pendebit à potestate beati, sed Dei.

3. *Confirm. 2.*

4. *Notandum.*

5. *2. Sentent. probabilior.* SECVNDA negat: *Suarez 3. p. disp. 39. sect. 2. §. Hic modus, Vasquez disp. 74. cap. 2. & 3.* Hæc videtur probabilior. Difficultas est in assignandâ ratione.

6. *1. Ratio.* PRIMA: nequit idem indiuisibilis actus esse simul necessarius & contingens: igitur nequit idem indiuisibilis actus terminari ad Deum necessariò, & ad proximum liberè. nam liberè terminari, est ita terminari, vt potuerit non terminari, quod est contingenter terminari. Antecedens probatur: alioqui idem actus, quatenus necessarius, non posset non esse; quatenus contingens, posset non esse: atque adeò idem posset esse, & non esse secundùm eandem indiuisibilem entitatem: quod videtur ex terminis ipsis implicare. Contrà: idem amor beatificus posset esse necessarius quoad specificationẽ, & respectu obiecti primarij, quia quoad hoc non potuit non esse; liber verò & cõtingens quoad indiuiduationem, & respectu secundarij, quia potuit ad secundarium non terminari; & consequenter aliam habere indiuiduationem. Sicut in sententia communi, quam sequitur *Vasquez*, (& non improbat, saltem ex hoc *cap. Suarez*) potest idem actus esse necessarius quoad genericam substantiam actûs, & simul liber quoad specificam rationem, ex libero motiuo desumptam: cùm tamen ratio specifica reipsa non distinguatur à genericâ ratione eiusdem actûs. Ergo posset idem amor beatificus quoad specificationem sumptam ex obiecto primario, necessariò; quoad indiuiduationem verò desumptam ex secundario, liberè produci. Confirm. hoc non est aliud, quàm ita à principio amorem beatificum terminatum fuisse ad Deum cum respectu ad creaturas, eâdem visione beatâ repræsentatas, vt potuerit cum tali respectu ad creaturas non terminari, etsi non potuerit non terminari ad Deũ tunc terminatus ad solum obiectum primarium, fuisset idem actus specie, diuersus tamen numero.

7. *Non conuincit.*

A priori.

8. *Confirm.*

9. *Dices.* Neque obstat 1. quòd idem amor elicitus circa obiectum primarium & secundarium simul, non possit, ne quidem circa secundarium, amplius desinere: nam hoc tantùm arguit necessitatem in facto esse & in conseruari, non autem in fieri. Sicut quamuis liberum decretum Dei semel positum, non ampliùs possit à Deo ipso reuocari, non impedit, quò minùs illud liberè à Deo sit positum. Neque obstat 2. quòd idem amor beatificus ad proximum terminatus, aliquo instanti reali, antequam produceretur, non fuerit: nam, vt actus sit liber, liberè à potentiâ elicitus, non requirit, vt aliquo instanti reali reipsa non fuerit, sed sufficit, vt potuerit non esse. Patet in libero decreto Dei de condendo mundo, quod nullo instanti reali æternitatis non fuit, cùm tamen liberè fuit: nam ita fuit totâ æternitate, vt potuerit vi antecedentis libertatis diuinæ pro eâdem æternitate non fuisse. Igitur libertas actus per hoc saluatur formaliter, quòd pro eodem instanti, pro quo fit, potuerit non fieri, non quidem in sensu composito, sed diuiso, ex solâ libertate operantis, naturâ tantùm, non duratione præcedente productionem actus.

10. *Dices.*

Resp.

11. *2. Ratio.* SECVNDA. Habitus charitatis, positâ clarâ visione Dei, necessariò operatur omni suâ virtute; ergo non modò necessariò fertur in Deum, vt in obiectum primarium clarè visum, sed etiam in creaturas, vt in secundarium, eodem actu cum Deo visas. quia causa naturalis non subest in operando libertati agentis: Antecedens probatur, charitas in patriâ regulata visione beatificâ, operatur vt causa naturalis non impedita: ergo operatur necessariò secundùm totum posse, quod habet. Confirmatur. *Confirm.* Non minùs charitas, quàm lumen gloriæ, necessariò operatur circa suum obiectum: at lumen gloriæ necessariò fertur in primarium & secundarium; ergo etiam charitas. Contrà: dici posset charitas, positâ clarâ visione Dei, necessariò operari totâ suâ virtute, circa obiectum primarium, non circa secundarium, quia circa illud tantùm operatur totâ suâ virtute, naturaliter & necessariò, quod beat: at solum obiectum primarium, non secundarium, beat: ergo.

12. *Non est efficax.*

13. *Alia ratio luminis gloriæ.* Nec est eadem ratio de habitu luminis gloriæ: 1. quia hic nullo modo pendet à voluntate beati, cùm non producat visionem Dei, imperante, vel cooperante voluntate, sed vt causa merè naturalis, antecedenter ad omne imperium & cooperationem voluntatis beati. Cùm tamen charitas non operetur omninò independenter à voluntate beati, sed debeat cum illa simul concurrere & cooperari voluntas ex præuiâ visione Dei & creaturarum, eâdem visione expressarum; adeoque poterit in vnum obiectum concurrere necessariò, in aliud liberè; eo quòd vnum beet, alterum non beet. 2. quia lumen gloriæ per se ordinatur ad perficiendum beatum, cùm per se tendat ad exprimendum obiectum, in intellectu beati, quasi prolem intentionaliter gignendam. Charitas verò per se ordinatur ad obiectum amabile, cui per amorem seipsum amans intentionaliter com-

communicat, quod patet à signo: quia non censeretur Deus aliquâ perfectione carere, carendo amore creaturarum; censeretur autem carere aliquâ perfectione sibi debitâ, si careret cognitione creaturarum: quia cognitio per se est ad perficiendum intellectum cognoscentis: amor non tam est ad perficiendam voluntatem amantis, quàm ad communicandum bonum amantis ipsi amato. *Nota.*

14. *Ratio efficax, cur beatus necessariò amat creaturas simul cum Deo.* Ratio efficaciter probans, est: Beatus vi visionis beatificæ necessariò amat, quod est maius beneplacitum Dei, ex *praeced. disputat. sect. vlt.* maius autem beneplacitum Dei est, amare simul cum Deo creaturas visas in Deo, quàm illas non amare; nam illud est maius beneplacitum Dei, ad quod visio beatifica magis inclinat; at visio beatifica magis beatum inclinat ad amandum proximum, & reliquas creaturas in Deo visas, quàm ad illas non amandum: ergo maius beneplacitum Dei est, amare, quàm non amare creaturas in Deo visas. Maior probatur: visio gloriosa non elicitur ex libero imperio beati, sed ex lumine gloriæ, immediatè à Deo collato, physicè prædeterminante intellectum ad eliciendam illam, secundùm omnes eas conditiones, propter quas Deus ipse lumen contulit. Ergo illud est maius beneplacitum Dei, quod visio gloriosa à lumine producta declarat; scilicet quod Deus mediante lumine à se collato, indicat beato. Minor ostendo de facto quælibet visio gloriosa non modò practicè iudicat, diligendum esse Deum super omnia, sed etiam proximum visum in Deo amore charitatis propter se, & vltimatè propter Deum; ergo de facto visio gloriosa magis inclinat beatum ad diligendum proximum visum in Deo, quàm ad non diligendum. quia magis inclinat ad diligendum proximum practicum iudicium amandi illum, quàm aut negatio huius practici iudicij, aut oppositum iudicium, de non diligendo illo. Antecedens probatur de facto quilibet beatus debet vi visionis beatificæ, saltem posse diligere proximum amore charitatis in Deo visum: ergo debet vi eiusdem visionis beatificæ practicè iudicare, diligendum esse proximum amore charitatis in Deo visum, cùm nequeat beatus diligere proximum in Deo visum, nisi vi eiusdem visionis, quâ Deum, & proximum in Deo videt, practicè iudicet, illum esse eodem amore, quo Deus diligitur, diligendum. Igitur quælibet visio beata practicè iudicat, diligendum esse proximum in Deo visum: ac per consequens, cùm beatus cognoscat, hoc practicum iudicium visionis beatificæ esse à Deo, ac proinde maius beneplacitum ipsius esse, vt proximus in Deo visus ametur, quàm non ametur, necessariò illum amabit eodem actu amoris, quo amat Deum ipsum. Loquimur autem de amore proximi terminato ad proximum propter se, non ad proximum vt terminum diuinæ omnipotentiæ; nam vt sic omnis creatura in Deo visa necessariò diligitur à beato affectu simplicis complacentiæ, quia vt sic non diligitur propter se, sed immediatè propter Deum, quatenus aliqua participatio ipsius est. *Visio beata indicat diligendum proximum.*

15. *Confirm. 1.* Confirm. 1. Si beatus non amaret proximum amore charitatis in Deo visum, non operaretur iuxta adæquatum dictamen visionis beatificæ, quæ non solùm dictat, diligendum esse Deum in seipso visum, sed etiam proximum in eodem Deo cognitū, ac proinde non operaretur iuxta maius beneplacitum Dei, per ipsam visionem declaratum.

16. *Confirm. 2.* 2. Vt posset beatus vi visionis beatificæ proximum in Deo visum liberè diligere, deberet visio beatifica iudicare, proximum in Deo visum esse diligendum, & simul eundem proximum in Deo visum non esse diligendum: implicat autem, vt idem indiuisibilis actus iudicet, aliquid absolutè esse diligendū, & simul non esse absolutè diligendum: nam vnum iudicium formaliter opponitur alteri, non secùs ac assensus opponitur dissensui circa idem: cùm vnum iudiciū absolutè neget, quod alterum absolutè affirmat. Maior prob. nō potest voluntas beati proximum in Deo visum diligere, nisi ex præuio iudicio de proximo in Deo viso diligendo, cùm omnis actus voluntatis supponat iudicium intellectûs. Neque potest idem beatus proximum in Deo visum, non diligere, nisi ex præuio iudicio positiuo practico nō diligendi proximum: ergo eadem visio deberet, vt posset esset sufficiens regula amoris liberi erga proximum in Deo visum, continere hæc duo iudicia simul. *Ergo implicat vt beatus vi visionis gloriosa proximum in Deo visum liberè diligat.*

17. *Confirm.* 3. Etsi beatus proximum in Deo visum non diligeret solâ suspensione actus amoris erga proximum, vt de potentiâ absolutâ fortè non implicaret, adhuc esset tunc positiuum iudicium de non diligendo proximo in Deo viso necessarium. Cùm nec possit voluntas liberè suum actum suspēdere nisi suspensionem ipsam actûs iudicet vt bonam & sibi conuenientem, Deoque gratam, *ex praeced. disp.* Id etiam colligitur ex naturâ visionis beatificæ, quæ in se inuariabilis est: vnde eodem modo perseuerat semper, quo semel fuit à principio producta. Quòd si ponamus eam variabilem, saltem circa obiecta secundaria, tunc non repugnabit, illam à principio produci cum practico iudicio diligendi proximum in Deo visum, cū virtute mutandi hoc iudicium in oppositum, non diligendi proximum in Deo visum. Verùm hæc variabilitas est contra naturam visionis beatæ; quæ vt perfecta participatio visionis increatæ naturaliter postulat semper perseuerare, vti semel fuit ab initio producta.

18. *Dices.* Dices: posset absque variatione sui visio beata esse sufficiens regula liberi amoris erga proximum in Deo visum: quia posset produci vt practicum iudicium diligendi proximum in Deo visum, cum virtute, vt non ipsa mutetur in oppositum iudicium, sed vt ipse intellectus beati per alium actum, à visione beatificâ distinctum, formare possit oppositum iudicium. *Resp.* Sed contrà: cùm tale iudicium, oppositum iudicio visionis beatificæ, sit actus extra Deum non poterit repræsentare proximum vt visum in Deo, proinde non poterit esse regula non diligendi proximum vt visum in Deo, sed vt cognitum extra Deum. 2. solum virtuale iudicium de non diligendo proximo in Deo, inclusum in formali iudicio visionis beatæ de diligendo eodē proximo in Deo, non est beato sufficiens signum, quòd voluntas Dei sit, vt propter tale iudicium liberè seipsum determinet ad diligendum proximū in Deo visum: quamdiu autem de tali voluntate Dei beato expressè non constat, necessariò fertur in amorem proximi in Deo visi. nā ex vnâ parte visio beata immediatè à Deo infusa per ipsum formale & expressum iudicium diligendi proximum certificat beatū de voluntate Dei, vt simul cum Deo diligatur proximus; alioqui aliam visionem sine tali expresso ac formali iudicio infudisset: quia non potest liberè se determinare ad oppositum eius, quod expressè sibi per visionem beatam reuelatum est, nisi certam habeat de tali voluntate reuelationē. Maior prob. tale iudiciū virtuale de opposito eius, quod formale iudicium practicè dictat esse faciendū, naturaliter includitur in quouis iudicio formali practico: cùm non sit aliud, quàm cū ipso formali iudicio practicè operādi vnū opus, simul etiam beatum scire, posse oppositū fieri. Quæ cognitio, naturaliter comitatur *Tale iudicium virtuale inclusum in formali nō est beato sufficiens signū de voluntate Dei.*

quodlibet

quodlibet iudicium practicum circa rem, cuius oppositum fieri non repugnat: ergo tale iudicium virtuale non potest esse beato certum indicium voluntatis Dei, quod velit, vt iuxta illud operetur: nam, vt sit illi certum indicium voluntatis Dei, de liberè iuxta illud operando, non debet naturaliter includi in quouis practico iudicio: si enim etiam quando Deus expressè vult, vt beatus necessariò operetur iuxta practicum iudicium cum visione beatâ communicatum, infundit etiam virtuale iudicium de opposito, non poterit beatus per hoc iudicium esse certus, quod Deus velit, vt iuxta tale iudicium operetur; quia cum tali iudicio naturaliter stare potest contraria voluntas Dei. Dixi *naturaliter*; quia posset Deus hoc virtuale iudicium auferre à iudicio formali, vt hoc tantùm practicè repræsentaret rem faciendam, absque vllâ notitiâ oppositi. Hinc tamen non potest beatus esse certus de voluntate diuinâ, cùm sciat, Deum semper, quoad fieri potest, operari iuxta naturales exigentias rerum, proinde non solere hoc virtuale iudicium separare à practico formali.

19. *Coroll.* Infertur, non modò beatum vi visionis gloriosæ necessariò amare amore concupiscentiæ omnes creaturas propter Deum dilectum amore amicitiæ, sed etiam vi eiusdem necessariò amare omnes creaturas rationales amore amicitiæ supernat. immediatè propter se, vltimatè verò propter Deum vltimum finem omnium: sicut ipse Deus diligit omnes creaturas rationales, *Ratio.* quia hoc ipsum practicè dictat in vnoquoque beato visio gloriosa, cùm hic sit perfectior modus, & conformior modo, quo Deus seipsum, & creaturas rationales diligit.

20. *Notandum.* Nota, hunc nostrum discursum supponere communem illam sent. quæ docet, beatos vnico actu indiuisibili videre Deum, & creaturas in Deo, de qua 1. *tom. disp.* 9. *sect.* 20. Alioqui si distinctâ cognitione videretur Deus, & creaturæ, non possent creaturæ videri in Deo, sed extra Deum: & consequenter non esset casus, de quo disputo, an scilicet possit proximus visus in Deo liberè amari eodem actu, quo amatur Deus. Nam tunc sicut distincta foret cognitio, quâ cognosceretur proximus, à cognitione, quâ cognosceretur Deus; nam vna esset cognitio intuitiua solius Dei, altera creaturæ, & tantùm abstractiua Dei: ita distinctus quoque esset amor, quo amaretur proximus, & Deus: cùm nec cognitio intuitiua Dei posset esse regula amandi simul proximum cum Deo; quia talis cognitio non repræsentaret proximum, sed tantùm Deum: Nec cognitio proximi posset esse regula amandi cum proximo necessariò simul Deum; quia talis cognitio non repræsentaret Deum intuitiuè; quæ sola necessitat ad amandum necessariò & quoad exercitium Deum, sed tantùm abstractiuè.

21. *Discrimen quæritur.* Solùm in hâc nostrâ ratione assignandum est discrimen, cur maius beneplacitum Dei sit, vt beatus diligat proximum in Deo visum, & non maius beneplacitum Dei sit, vt illum etiam diligat extra Deum cognitum, ac proinde illum etiam extra Deum cognitum, necessariò diligat. *Confirm. dub.* Confirm. hoc maius beneplacitum Dei, vt cum Deo simul diligatur proximus visus in Deo, colligit beatus ex visione beatâ, quæ dictat, diligendum esse proximum visum in Deo; quod dictamen cùm sit à Deo, colligit beneplacitum Dei esse, vt simul proximus eodem actu cum Deo diligatur. At etiam notitia supernat. quæ extra Deum dictat, diligendum esse proximum dilectione supernat. est infusa immediatè à Deo: ergo etiam ex eâ debet beatus colligere, maius beneplacitum Dei esse, vt diligatur proximus extra Deum. Resp. Discrimen huius rei colligi tum ex natura visionis beatæ, regulantis tam amorem erga Deum, quàm erga proximum, eâdem visione visum in Deo, & aliarum cognitionem extra Deum. Tum ex naturâ ipsius amoris regulati à visione beatâ, & alterius non regulati à visione beatâ. Nam hæc, cùm sit participatio visionis increatæ, suâ naturâ postulat inuariabilitatem: hoc autem fieri non posset sine variabilitate visionis beatæ, quæ saltem deberet posse variari ex vno dictamine in aliud: quam tamen inuariabilitatem non postulant reliquæ notitiæ extra Deum: & amor ipse beatificâ visione regulatus, naturaliter etiam postulat inuariabilitatem & necessitatem, non minùs quàm visio, non reliqui amores notitiâ extra Deum regulati: quia sicut in naturalibus semper supponitur aliquis amor necessarius & inuariabilis, vel quoad specificationem, vt amor boni in communi, seu vltimi finis; vel etiam quoad exercitium, vt in angelis, & animabus separatis amor sui & Dei finis naturalis, vt fundamentum cæterorum. Ita in supernaturalibus præsertim in statu gloriæ supponi debet aliquis amor necessarius & inuariabilis, non solùm quoad specificationem, cuiusmodi est amor Viatoris respectu finis supernaturalis in statu gratiæ, sed etiam quoad exercitium, qualis debet esse amor Comprehensoris in statu gloriæ. Nam sicut omne fundamentum debet naturâ suâ esse firmum ac stabile, atque adeò inuariabile: ita in vnoquoque statu id quod est fundamentum cæterorum, debet naturâ suâ esse firmum ac stabile, ac proinde necessarium & inuariabile. Nec sat est, vt solus amor erga Deum in statu gloriæ sit necessarius & inuariabilis: quia cùm perfectior sit amor ipse erga Deum, si ponatur etiam necessarius & inuariabilis erga proximum, quia sic ponitur inuariabilis quoad specificam rationem, & numericam, cùm non potuerit esse alius actus numero diuersus, vi huius indiuidualis luminis gloriæ; cumque hic amor ponendus sit perfectiori modo, quo potest, cùm sit perfecta participatio amoris increati, ita de facto ponendus est. Ad confirm. nego, præcisè ex visione beatificâ dictante, proximum in Deo visum diligendum esse, colligere beatum, maius beneplacitum Dei esse, vt proximus in Deo visus diligatur; sed tum ex eo, quòd visio beata ita dictat, diligendum esse proximum in Deo visum, vt simul eadem non dictet, non esse eundem proximum in Deo visum diligendum: quæuis autem alia supernat. notitia ita dictat, proximum esse diligendum, vt simul oppositum iudicium admittat de proximo hîc & nunc non diligendo. Et quamuis etiam visio beatifica in eodem intellectu beati admittere possit iudicium de non diligendo proximo, illud tamen iudicium non posset esse de proximo non diligendo in Deo viso, sed de non diligendo proximo extra Deum cognito: quia tale iudicium, cùm esset distinctum à visione beatificâ, non posset esse de proximo in Deo viso, sed extra Deum cognito. Tum ex eo, quòd visio beata procedit ex antecedente voluntate Dei, independenter à voluntate beati: at quæuis alia notitia supernat. extra Deum (excipio speciales reuelationes) procedit à voluntate concomitante Dei: nam ideò illam Deus infundit, quia voluntas beati illam postulat: sicut ideo in nobis naturalem cognitionem de honestate obiecti naturalis producit, quia illam nostra naturalis voluntas exigit. Nam ita se habet cognitio supernaturalis de obiecto supernat. in statu gloriæ, vbi beati sunt ab intrinseco potentes ad actus supernaturales eliciendos: sicut cognitio naturalis de obiecto naturali in statu naturæ. Quod autem procedit

Marginalia (right column): 22. *Resp.* — *Ratio.* — *Fundam. quodlibet sit firmum.* — 23. *Ad confir.* — *Maximè.*

procedit à voluntate antecedente Dei, est per se declaratiuum ipsius beneplaciti; quia cùm ad illud non concurrat, nisi sola voluntas Dei, per se erit ipsius voluntatis ac beneplaciti declaratiuum: non autem quod procedit à voluntate concomitante eiusdem: quia cùm ad illud diuina voluntas concurrat vt determinata, & dependenter à voluntate creatâ, nec semper voluntas creata sit aut iuxta beneplacitum Dei, non semper quod procedit à concomitante voluntate Dei, erit per se declaratiuum

24. *Ad fund. 1. Sentent.* beneplaciti, aut maioris beneplaciti ipsius. Patet ad fundam. primæ, & ad vtramque confirm. nam ex vi visionis beatificæ necessitatur. Quare falsum est,

Ad 2. Confirm. quod in 2. confirm. assumitur; beatus enim vi visionis beatificæ necessitatur non tantùm ad ea, quæ ex naturâ rei intrinsecam & necessariam connexionem habent cum Deo, sed etiam ad ea, quæ connexionem habent cum voluntate & beneplacito Dei, cuiusmodi sunt bona extrinseca, quæ Deus necessariò amat, vel amore simplicis complacentiæ secundùm esse possibile, vel amore efficaci secundùm esse actuale, ex suppositione, quòd illa in esse actuali conseruat. Neque est eadem ratio, quod in 1. confirm. dicebatur, de proximo cognito extra Deum: quia cognitio extra Deum non necessitat beatum ad operandum, quod perfectius est, *vt suprà.*

SECTIO II.

An Christus mereri potuerit actu dilectionis Dei orto ex scientia infusa, aut naturali?

25. *Triplex scientia Christi de Deo.* Anima Christi habuit scientiam de Deo, intuitiuam in seipso, abstractiuam in aliquo effectu supernat. acquisitam in effectibus naturalibus. Disputatum, an mereri potuerit actu dilectionis Dei orto ex intuitiuâ scientiâ Dei; deinceps an mereri potuerit actu dilectionis Dei, orto ex scientia infusâ, aut naturali.

26. *1. Sentent.* Prima sent. negat: *Vasquez 3. p. disput. 74. cap. 3.* nititur duplici fundam. 1. negando in Christo scientiam infusam de Deo trino & vno, cùm nequeat Deus vt trinus & vnus euidenter cognosci, nisi cognitione beatâ; negatâ autem scientia infusâ negatur amor ex eâ originatus. Quoniam verò hoc fundam. sufficiens non erat ad negandum, saltem Christum mereri potuisse actu dilectionis Dei, originato ex scientiâ naturali Dei, assignat aliud fundam. quo probat, nullo modo potuisse scientiam siue infusam, siue naturalem Dei esse principium dilectionis Dei in Christo; hoc sic probat: Quotiescumque voluntas perfectissimo modo scilicet beatifico, amat obiectum propter bonitatem ipsius clarè cognitam, impossibile est, vt ad idem obiectum diligendum moueatur ex imperfectiori aliâ notitiâ: quia nequit medium imperfectum, in præsentia medij perfectioris, mouere potentiam circa idem obiectum: Velut cùm quis nouit personam ex relatu aliorum, si posteà nouit ex propriâ cognitione, nequit ampliùs ad eam amandam moueri ex testimonio aliorum, sed ex propriâ notitiâ ipsius.

27. *2. Sentent. communior & verior.* Secunda communior affirmat: *Argent. in 3. dist. 18. quæst. vnic. art. 3. ad 1. cont. 1. concl. Rubio qu. 1. art. 3. concl. 2. Capreol. in 1. dist. 1. qu. 3. ad 7. cont. 4. concl. Ferrar. 3. cont. gent. cap. 62. fine, Medina 3. p. quæst. 19. art. 4. Suar. disp. 39. sect. 2. Valent. disp. 1. quæst. 19. puncto 2.* Quæ verior est, *S. Thom. 3. parte quæst. 34. art. 3.*

Colligitur apertè ex S. Thom. vbi docet, Christum primo instanti suæ conceptionis fuisse per proprium motum liberi arbitrij in Deum sanctificatum, *qui quidem motus liberi arbitrij est*, inquit, *Meritorius.* Porrò motus hic est ipsissi- *Præsertim in summâ.* mus charitatis actus: at in sent. *S. Thom. in summâ*, amor beatificus non est meritorius, cùm sit necessarius: ergo fuit alius, scilicet infusus: & *quæst. 19. art. 3. ad 1.* docet, Christum meruisse per charitatem, non quatenus erat Comprehensoris, sed quatenus erat Viatoris: est autem charitas Viatoris, quatenus regulatur scientiâ diuersâ à beatâ. Ratio: non repu- *Ex opposito Fundam.* gnant duo actus dilectionis Dei in Christo, alter beatificus ex scientiâ beatâ, alter non beatificus ex infusâ, vel naturali: igitur potuit per actum dilectionis non beatificum ex scientia infusa, aut naturali originatum mereri: nam talis actus est liber, procedit enim ex abstractiuâ, non intuitiuâ notitiâ Dei; nec semper est sub præcepto; quia cùm sit positiuus, non obligat ad semper: igitur habet omnes conditiones ad meritum requisitas. Antec. prob. 1. Ideo in sent. *Vasquez* amor non beatificus pugnat *Ad hominem.* cum beatifico, quia quando obiectum perfectissimo modo amatur per medium perfectius, nequit idem amari per aliud medium imperfectius, quia medium imperfectum in præsentiâ perfectioris non valet mouere voluntatem operantis circa idem obiectum: ergo pari ratione quando obiectum perfectissimo modo cognoscitur per medium perfectum, non potest idem obiectum alio medio imperfecto cognosci: ergo Deus perfectissimè cognitus à beato cognitione intuitiuâ, nequit cognosci cognitione abstractiuâ naturali. At potest per *Vasquez* Deus cognitus cognitione intuitiuâ beatificâ, adhuc cognosci cognitione abstractiuâ naturali: ergo etiam poterit dilectione beatificâ, adhuc diligi dilectione non beatificâ.

Responderet *Vasquez*, non esse eandem ratio- 28. nem de cognitione & amore. Sed contrà; ipse *3. p.* *Fortè responderet. Contrà.* *quæst. 53. cap. 1.* expressè docet, non posse intellectum humanum Christi simul cum clarâ visione Dei habere notitiam infusam eiusdem; eo quòd qui intuetur rem in seipsâ, non potest simul ad illam moueri medio extrinseco; quia tale medium non habet in præsentiâ medij perfectioris vim mouendi potentiam intellectiuam circa idem obiectum. Sed adhuc responderet *Vasquez*; tunc obie- 29. ctum cognitum in seipso intuitiuè, non posse co- *Vrgeret.* gnosci ab eodem intellectu per aliquod medium abstractiuè, quando tale medium non potest ducere intellectum in aliquam notitiam euidentem de eodem obiecto. Cæterùm scientia infusa non potest ducere intellectum in aliquam notitiam euidentem de Deo trino & vno; potest autem scientia naturalis ducere intellectum in euidentem notitiam Dei vnius: igitur non potest scientia infusa, potest scientia naturalis esse cum scientiâ beatâ. Sed *Contrà.* contrà; ita se habet amor non beatificus respectu amoris beatifici, sicut scientia naturalis Dei respectu scientiæ beatæ eiusdem: ergo si potest scientia naturalis Dei stare cum scientiâ beatâ, poterit amor non beatificus, originatus ex scientiâ naturali Dei, stare cum amore beatifico, originato ex scientiâ beatâ eiusdem.

Prob. 2. Quotiescumque nouum medium af- 30. fert nouum motiuum formale cognoscibilitatis, *Ratio à priori.* vel amabilitatis in obiecto, potest mouere potentiam ad nouum actum circa idem obiectum, non obstante priori actu perfectiori: sed tam scientia infusa, quàm amor non beatificus, affert in Deo intuitiuè cognito, & beatificè dilecto, nouam rationem cognoscibilitatis, amabilitatisve; ergo potest mouere potentiam ad nouum actum cognitionis, & amoris,

amoris,non obstante perfectiori actu cognitionis, & amoris. Maior prob. solus defectus motiui formalis ex parte obiecti potest impedire potentiam, quo minùs tendere possit in obiectum; nam hæc tantùm ratio ex parte obiecti est essentialiter requisita, & quicquid aliud requiritur, gratis fingitur. Minor ostend. motiuum formale videndi Deum intuitiuè, est essentia diuina secundùm se; motiuum formale cognoscendi Deum abstractiuè, siue scientiâ infusâ, siue naturali, est connexio aliqua creaturæ cum Deo, fundata in aliquâ dependentiâ eiusdem à Deo: Motiuum formale amoris beatifici, est bonitas increata cognita immediatè in seipsa; motiuum formale amoris non beatifici, est bonitas increata cognita in aliquo suo effectu.

31. *Dices.* DICES: per cognitionem & amorem beatificum non solùm videtur, & diligitur Deus secundùm se, sed etiam creaturæ connexæ cum Deo: ergo nihil remanet aut cognoscendum, aut amandum, quod non sit cognitum, aut amatum per cognitionem, & amorem beatificum. Sed distinguo conseq. Nihil

Resp. remanet cognoscendum, aut amandum per modum termini, & obiecti materialis, concedo; per modum motiui & obiecti formalis, nego. Etenim creaturæ cognitæ in Deo per visionem beatam, non sunt formalis ratio cognoscendi, aut seipsas, aut Deum, sed tantùm materialis ratio terminatiua, non motiua intellectûs beati; formalis enim ratio videndi & mouendi, est Deus ipse, vt eminentialis causa creaturarum: contrà verò formalis ratio cognoscendi Deum scientiâ infusâ, aut naturali, non est Deus, sed dependentia, & connexio creaturæ cum Deo. Item formalis ratio diligendi Deum amore beatifico, est bonitas increata in seipsa immediatè visa; formalis ratio diligendi Deum amore non beatifico, est bonitas increata vt relucens in suis effectis, quæ variatio ponit diuersitatem in obiecto & motiuo immediato diligendi. Nam licet amor non tendat in cognitionem formaliter, sed in bonitatem secundùm se; quia tamen nequit voluntas tendere in bonitatem secundùm se, nisi vt cognitam; cumque diuersa cognitio diuerso modo repræsentet obiectum, secundùm diuersam cognitionem, diuersum resultat immediatum obiectum formale diligendi. Dixi *Immediatum*, nam mediatum & vltimatum, quod finaliter, & quasi arguitiuè intenditur, est ipsa bonitas secundùm se; immediatum tamen est bonitas, vt cognitione repræsentata: hoc autem sufficit, vt possit voluntas duplici amore beatifico, & non beatifico diligere Deum.

32. *Ad fund. 1. Sentent.* Ad vtrumque fundam. oppositæ, constat ex dictis: falsum enim est, medium imperfectum in præsentiâ perfectioris non posse mouere potentiam ad nouum actum circa idem obiectum, quando medium imperfectum affert nouum motiuum formale diuersum.

SECTIO III.

An Christus meruerit per reliquos actus virtutum moralium tam supernaturalium, quàm naturalium?

33. *1. Sentent. Fundam. duplex. Primum.* PRIMA sent. negat: prob. 1. Christus omnia operabatur propter Deum: ergo omnes actus ipsius eliciebantur ex motiuo charitatis. ergo reliqui actus virtutum moralium non erant in Christo meritorij formaliter, propter intrinsecam honestatem ipsius virtutis moralis, sed solùm extrinsecè & materialiter, quatenus erant materia & obiectum charitatis, ex cuius dumtaxat motiuo & honestate eliciebantur, 2. Nullus in nobis est actus vitæ æternæ condignè meritorius, nisi vt imperatus à charitate; vt multi de merito censent *tom. 3. disp. 35. sect. 4.* ergo neque in Christo: nam eadem est ratio in Christo, & in nobis quoad rationem formalem meriti. Nec dignitas personæ dat formalem rationem meriti, sed illam ex proprio obiecto & motiuo suppositam, eleuat ad infinitum præmium intra eundem ordinem, in quo meritum supponitur ex se proportionatum præmio. Igitur si actus virtutum moralium ex se non habent condignitatem & proportionem ad præmium æternæ gloriæ, neque illam habebunt ex dignitate personæ increatæ Verbi. Anteced. prob. sicut dignitas personæ non supplet reliquas conditiones ad opus meritorium requisitas, vt constat de conditionibus libertatis & honestatis, quas Verbum non supplet, sed in opere meritorio supponit: ita nec supplet rationem formalem meriti, quæ est intrinseca proportio & condignitas operis ad præmium; sed illam ex proprio obiecto suppositam eleuat ad infinitum præmium intra eundem ordinem, in quo talis ratio meriti supponitur. *Secundum.*

34 *2. Sentent.* SECVNDA affirmat, Christum meruisse per actus virtutum moralium supernat. non naturalium, posito quòd actus virtutum naturalium in nobis non sunt meritorij alicuius præmij supernat. Hanc sent. docent aliqui Recent. quæ quoad 1. partem constabit ex dicendis: quoad 2. prob. eod. 2. fundam. quo præcedens sentent. In nobis huiusmodi actus non sunt, ne de congruo quidem, præmij supernat. meritorij; ergo nec in Christo, cùm eadem sit ratio quoad rationem formalem meriti in nobis & in Christo. Dixi, *Posito quod huiusmodi actus virtutum naturalium in nobis non sunt meritorij alicuius præmij supernat.* nam qui cum *Vasquez* sentiunt, huiusmodi actus esse in iustis æternæ vitæ meritorios, à fortiori affirmabunt, eos eiusdem æternæ vitæ meritorios fuisse in Christo. *Fundam.*

35. *3. Sentent.* TERTIA vniuersaliter docet, omnes actus virtutum, tam supernatur. quàm naturalium fuisse in Christo præmij supernat. condignè meritorios, esto tales actus in nobis non sint eo præmio condigni: *Suarez 3. p. to. 1. disp. 39. sect. 2. dicto 4.* Quæ sent. longè probabilior.

36. *1. Assertio.* DICO 1. Christus meruit per actus virtutum moralium supernat. non tantùm denominatiuè & materialiter, sed intrinsecè & formaliter. Assertio conformior est Scripturæ, quæ Christi obedientiæ tribuit rationem meriti: Ad Roman. 5. *Sicut per inobedientiam vnius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per vnius obeditionem iusti constituentur multi:* & ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem; mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* In quorum primo Apostolus tribuit obedientiæ Christi iustificationem nostram; in 2. exaltationem nominis in præmium ipsius obedientiæ in sustinendâ morte crucis. Vtroque testimonio ad eandem Christi obedientiam probandam vtitur *Ephesinum 1. p. Titul. De Christi obedientia:* & adducit locum *Ioan. 6. Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Quæ verba proculdubio indicant perfectam obedientiam, ad quam Christus erga Patrem seruandam venerat. Eandem veritatem manifestè supponunt *Pius V. & Gregorius XIII.* in Bulla contra Baium, qui in 20. propos. damnatâ, sic habent: *Videtur insinuare, quod opera iustitia, & tempe-* *Probatur ex Scriptura.*

peran-

perantia, quæ Christus fecit, ex dignitate personæ operantis non traxerint maiorem valorem. Cùm igitur omnes istæ authoritates rectè intelligi possint de obedientiâ formali & intrinsecâ, & non tantùm materiali & denominatiuâ, ita intelligendæ sunt.

37. *Dices.* DICES: In primo testimonio Apostolus opponit obedientiam Christi inobedientiæ Adæ: sed inobedientia Adæ non fuit formaliter inobedientia, sed tantùm materialiter, quatenus omne peccatum includit transgressionem præcepti diuini: ergo nec obedientia Christi fuit formalis, sed tantùm materialis, quatenus omnis actus honestus includit obseruantiam & impletionem diuinæ voluntatis.

38. *Resp. 1.* Resp. 1. neg. minor. nam vt docet S. Doctor 1.2. *quæst.* 82. *art.* 2. *ad* 1. in peccato Adæ non solùm fuit malitia intemperantiæ, & superbiæ, sed etiam inobedientiæ. Nihil enim vetat, quin, vt 3. *tom.* in vno eodemque actu physico sint plures species malitiæ moralis. Neque ad contrahendam speciem malitiæ requiritur, vt illa per se intendatur, sed sufficit, vt tantùm præuideatur, vt *ibid.* *Resp. 2.* 2. Nego conseq. nam esto non fuerit in peccato Adæ inobedientia expressa & formalis; potuit tamen in actu Christi esse, quam asserere, nullum est absurdum, & meliùs saluantur citatæ auth. Nec necesse fuit in *cit. testimon.* Paulum seruâsse formalem oppositionem ex parte vtriusque extremi, qualis est inter obedientiam formalem, & inobedientiam formalem, sed satis fuit seruasse oppositionem formalem ex parte vnius, & materialem tantùm ex parte alterius.

39. *Probatur Ratione.* Prob. 2. Non repugnat, vt idem actus, vel eliciatur ex intrinseco motiuo vnius virtutis, & imperetur ex extrinseco motiuo alterius, vel certè, vt idemmet eliciatur ex motiuo vtriusque virtutis, tam imperantis, quàm imperatæ: ergo non repugnat, vt Christus meruerit per reliquos actus virtutum moralium, etiam intrinsecè & formaliter, esto omnia operaretur ex imperio charitatis: nam si quæ fuisset repugnantia, ex eo fuisset, quòd omnes actus à Christo elicerentur ex motiuo charitatis; ex quo tantùm, & non ex proprio motiuo acciperent formalem & intrinsecam honestatem; cùm nequeat actus eam accipere, nisi eliciatur ex motiuo & honestate virtutis: cùm nequeat honestas obiecti intrinsecè refundi in actum, nisi eodem actu per se intendatur, vt cum *Philos. in Ethic.* ex 3. *tom.* suppono. *De virtute imperante & actu imperato nota.* Anteced. prob. Non repugnat, vt, vel virtus imperans distincto actu, elicito ex proprio motiuo, imperet alteri, vt suum actum eliciat ex proprio motiuo; in quo casu actus virtutis imperatæ habebit intrinsecam honestatem sibi refusam ex proprio motiuo: vel, vt vtraque virtus tam imperans, quàm imperata intrinsecè concurrant per modum vnius principij & motiui adæquati, vnaquæque partialiter in eundem actum: & tunc talis actus intrinsecè, participabit honestatem vtriusque virtutis, cùm sit elicitus propter honestatem vtriusque; vt si charitas imperet temperantiæ, suum vt actum eliciat ex proprio motiuo, talis actus habebit intrinsecam honestatem temperantiæ refusam ex motiuo temperantiæ, & simul erit extrinsecè ordinatus ad finem charitatis, ex proprio actu & imperio charitatis. Tripliciter enim potest charitas imperare actum temperantiæ. *Charitas imperat tripliciter.* 1. vt ipsa charitas ex suo dumtaxat motiuo eliciat actum temperantiæ: & tunc erit actus temperantiæ materialiter, charitatis verò formaliter; adeoque intrinsecè & essentialiter ordinatus in finem charitatis. 2. imperando temperantiæ, vt ipsa ex suo proprio motiuo eliciat actum temperantiæ: & tunc erit actus temperantiæ formaliter, extrinsecè tantùm & denominatiuè ordinatus in finem charitatis, per actum distinctum charitatis. 3. vt charitas & temperantia vtraque ex proprijs motiuis simul concurrat ad eundem actum eliciendum. Potuit igitur Christus 2. & 3. modo elicere actus virtutum moralium ex imperio charitatis: & quidem tantò probabiliùs hoc asserendum est, quantò perfectiùs hoc modo, quàm primo, illos elicuisset. Nam eò perfectior est actus, quò plures in se honestates continet: cùm autem 1. modo actus temperantiæ, exemp. gr. solam in se continuisset honestatem charitatis, non ipsius temperantiæ, dicendum probabilius est, Christum non 1. sed 2. & 3. modo operatum fuisse actus temperantiæ, & reliquos virtutum moralium. Confirm. charitas ordinat in Deum, id quod est perfectius, magisque placens & gratum Deo: at perfectior est, magisque grata Deo honestas formalis temperantiæ, quàm sola & nuda materia eiusdem: ergo illam potiùs, quàm hanc in Deum ordinat: Vt autem illam in Deum ordinet, supponit actum temperantiæ elicitum ex proprio motiuo & honestate ipsius temperantiæ. 40. *Confirm.*

DICO 2. Christus condignè meruit etiam per actus virtutum naturalium. Assertio probat. eodem fundam. quo prob. præcedens. Nam potuit Christus non solùm per charitatem imperare virtutibus supernat. sed etiam naturalibus, vt ex proprio motiuo honestatis naturalis suos actus elicerent, eosque sic elicitos per imperium charitatis referre in finem eiusdem charitatis. Qui actus ex naturali honestate eliciti, etsi non erant ab intrinseco proportionati & condigni præmio supernat. fiebant tamen condigni & proportionati tali præmio ex valore & dignitate personæ operantis, quæ suum valorem & moralem æstimabilitatem communicabat omnibus suis actibus, adeoque omnes suos actus reddebat proportionatos & condignos quouis præmio supernat. Confirm. sicut eadem persona Verbi reddit dignam humanitatem omni dono supernat. quæ alioqui secundùm intrinsecam suam perfectionem spectata, non esset tali dono digna: Ita ea ipsa persona Verbi reddit dignum actum omni præmio supernaturali, qui alioqui secundùm intrinsecam suam honestatem spectatus, non esset tali præmio dignus. 41. *Assertio 2. Fundam.* 42. *Confirm.*

Hinc infertur, etiamsi Christus elicuisset actum indifferentem, iuxta opin. quæ tales actus indifferentes concedit, illum futurum fuisse dignum præmio supernat. non ex intrinsecâ honestate, quam nullam haberet, sed ex extrinseco valore & dignitate à personâ Verbi sibi communicatâ. Contrà verò, si per impossibile elicuisset actum difformem rationi, illum nullo præmio futurum fuisse dignum: cùm talis actus, vtpotè ex diametro oppositus dignitati ac sanctitati personæ Verbi, non esset capax illius valoris & dignitatis. 43. *Coroll.*

Obijcies 1. probabile est, Christum semper operatum fuisse, quod erat perfectius: perfectius autem erat, operari actum temperantiæ, ex. gr. ex motiuo & honestate supernat. quàm ex motiuo & honestate naturali: ergo nunquam Christus meruit per actus virtutum naturalium formaliter, sed tantùm materialiter & denominatiuè. Admissâ maiori, distinguo minor. perfectius erat, operari actum temperantiæ ex motiuo & honestate supernatur. quàm ex solo motiuo & honestate naturali, concedo; quàm ex honestate naturali, & supernaturali simul, nego. Atque ita putandum est, fuisse operatum Christum huiusmodi actus virtutum naturalium, vt non ex solâ honestate naturali, sed ex honestate 44. *Dices.* 45. *Resp.*

46. Vrges. nestate etiam supernat. illos elicuerit. DICES: hoc modo nullus actus in Christo fuisset virtutis naturalis: nam hoc ipso, quòd ad actum virtutis naturalis concurrit aliqua virtus supernaturalis, non manet amplius intra ordinem honestatis naturalis, sed trahitur ad ordinem honestatis supernaturalis, vt patet de actibus intellectus & voluntatis, ad quos hoc ipso quòd concurrit aliquod principium, vel habitus supernaturalis, trahuntur ad ordinem supernaturalem, quia semper causa perfectior, qualis est supernaturalis respectu naturalis, assimilat sibi effectum. Nego sequel. nam dupliciter poterat
47. Resp. Christus actus naturales propter honestatem supernaturalem operari: vno modo, vt in eundem actum vtraque virtus naturalis, & supernaturalis simul concurreret, in quo tantùm sensu procedit obiectio: 2. modo, vt idem actus virtutis naturalis imperaretur ex virtute supernaturali, &
Duplex sensus. eliceretur ex motiuo & honestate naturali, vt *suprà* de actibus virtutum moralium supernat. respectu charitatis. Atque in hoc 2. sensu non procedit obiectio: in quo dico, Christum operatum fuisse huiusmodi actus virtutum naturalium: cùm maior perfectio sit, circa idem obiectum operari per multiplices actus honestos, elicitos ex diuersis motiuis sibi mutuò subordinatis, vt sunt motiuum naturale & supernat. circa idem obiectum materiale. Nec repugnat, eundem actum virtutis naturalis imperari à pluribus virtutibus, nempe à supernaturali morali, quæ immediatum imperium habet in naturalem sibi subordinatam, & à supernaturali theologicâ charitatis, quæ vt regina omnium virtutum vniuersale imperium habet in omnes.

48. Dices. *Obijcies* 2. Virtus naturalis in Christo operabatur regulata ex scientiâ infusâ, quæ illi ostendebat honestatem obiecti supernat. ergo nunquam illa operari poterat ex solâ honestate obiecti naturalis: quia ex totâ illâ honestate operabatur, à
49. Resp. 1. quâ proximè & immediatè regulabatur. Resp. 1. neg. anteced. nam poterat operari regulata tantùm ex scientia acquisita: Quæ enim erat necessitas, vt semper regularetur ex scientiâ infusâ? at inquies, necessitatem fuisse ex suppositione, quòd Christus semper operabatur ex perfectiori motiuo. Sed contrà; ad hoc sufficit, vt per alium actum distinctum virtutis supernat. regulatum scientiâ infusâ operatus sit circa idem obiectum materiale: exemp. grat. quando Christus subleuabat miseriam infirmi, restituendo illi sanitatem, poterat vno actu regulato ex scientiâ acquisitâ intendere honestatem naturalem, quæ relucebat in illa subleuatione infirmi: alio verò actu regulato ex scientiâ infusâ intendere honestatem supernat. quæ in eadem infirmi subleuatione relucebat: tandem imperio charitatis vtrumque actum tam misericordiæ naturalis, quàm supernat. dirigere in Deum vt in vltimum finem, à Christo summè dilectum. Cùm enim huiusmodi honestates distinguantur in eodem obiecto materiali, per ordinem ad diuersa motiua & fines, naturalem & supernat. possunt di-
Resp. 2. stincti actus circa illas simul exerceri. Resp. 2. nego, omnem scientiam infusam in Christo fuisse supernat. ac proinde regulatiuam honestatis supernaturalis, sed tantùm eam, quæ erat de obiecto supernat. vt constat ex ijs; quæ *suprà* de scientiâ infusâ Christi.

50. Ad fund. 1. Sentent. Ex his patet ad 1. fundam. primæ. Ad 2. primò, nego anteced. de quo ex professo *citat. tom.* 2. nego consequent. eiusque probat. non enim est eadem ratio in Christo & in nobis. Nam in Christo dignitas personæ, moraliter refusa in actum reddebat illum, etsi non physicè, moraliter saltem proportionatum & condignum quouis præmio supernat. Falsum igitur est, personæ dignitatem non conferre actui, à se, mediante naturâ, elicito, proportionem & valorem ad præmium, etiamsi talem valorem & proportionem non habeat ex proprio obiecto: quippe quæ non solùm eleuat ad infinitum præmium, honestatem, quam in actu repetit, sed etiam confert nouam, quam in actu non supponit: vt patet de valore, quem Christi persona confert cuilibet actui, à se mediante humanitate, elicito, ad personam increatam media vnione hypostaticâ promerendam, quem valorem in actu ex parte obiecti non supponit. Ratio: Dignitas & proportio actus ad præmium.
hæc dignitas & proportio actus ad præmium formaliter consistit, vt tanti valoris & moralis æstimabilitatis sit opus, quod exhibetur, quanti valoris & æstimabilitatis sit præmium, quod in mercedem talis operis datur. At persona operans, confert actibus, mediante propriâ naturâ à se elicitis, valorem & æstimabilitatem, quam habet in se: igitur omnis actus Christi habet proportionem & dignitatem cum quolibet præmio supernaturali, etiamsi illam non habeat ex proprio obiecto. Nec est eadem ratio de libertate: nam hæc fundatur in physicâ actione, mediante quâ actus ita procedit à suo proximo principio, vt ab eodem possit non procedere; & quia nullus humanitatis Christi actus physicâ actione procedit à personâ Verbi, nullus humanitatis Christi actus sortiri potest rationem liberi à personâ Verbi. Contrà verò proportio & dignitas operis meritorij consistit in valore & morali æstimabilitate, quam persona Verbi conferre potest actibus suæ humanitatis.

Ex his etiam patet ad fundamentum secundæ. 51. Ad fund. 2. Sentent.
Cæterùm cur gratia habitualis in nobis non reddat dignos præmio supernaturali actus ex solo motiuo naturalis honestatis elicitos, reddat autem illos tali præmio dignos personalitas Verbi, *disput.* 5. *sectione* 10. Quia nimirum gratia habitualis vnitur nobis vt forma accidentalis, quæ non dignificat, nisi ea opera, ad quæ ipsa medijs habitibus infusis, vt proprijs potentijs influit. Personalitas autem Verbi vnitur humanitati vt forma hypostatica complens substantialiter illam in ordine ad omnes operationes, quarum vna cum subsistentiâ Verbi est completum principium; ac proinde omnes operationes, siue naturalis, siue supernaturalis honestatis moraliter dignificat, quia ad omnes concurrit cum humanitate vt principium completum *quod*.

SECTIO IV.

An Christus mereri potuerit per suos actus, quos à Deo secundùm omnes circumstantias prædefinitos intuebatur in Verbo?

EX duplici cap. oritur difficultas, 1. ex prædefinitione actuum. An cum eâ stare potuerit Christi libertas, ac proinde Christi meritum in ijs exercendis; quæ difficultas communis est cum reliquis prædestinatis, quorum actus, vt probabilior fert opinio, fuerunt à Deo quoad omnes circumstantias prædefiniti. 2. ex intuitiuâ notitiâ eorumdem in Verbo, quæ est propria Christi, 52. Proposita controuersia caput duplex.

Christi, qui simul fuit Viator & Comprehensor: etenim per visionem gloriosam anima Christi ab initio suæ conceptionis non solùm intuebatur essentiam diuinam, sed etiam omnes suos actus futuros liberos, quos eliciturus erat. Cæterùm hic non loquimur de prædefinitione præceptiuâ; nam hæc, etiam vt non cognita in Verbo necessitabat Christi voluntatem saltem ad non omittendum actum præceptum, sed de prædefinitione purè prædefiniente actum dependenter ab humanâ voluntate Christi.

53. *Assertio 2. 1. Sentent.* Prima sentent. negat, Christi libertatem, ac proinde meritum stare potuisse cum antecedente suorum actuum prædefinitione; potuisse autem stare cum comitante prædefinitione, & intuitione eorumdem. *Vasquez 3. part. disput. 74. cap. 6. & 1. part. disput. 89. cap. 10. & disput. 99. cap. 7.* vbi distinguit prædefinitionem, antecedentem absolutam cooperationem creaturæ, à comitante eam: *Duplex prædefinit.* priorem ait, repugnare libertati creatæ, non posteriorem: quia omnis determinatio etiam extrinseca, quæ antecedit libertatem, eaque posita à creatura tolli non potest, lædit libertatem: *Fundam.* concomitans verò cooperationem creaturæ, supponit libertatem creaturæ; nam hæc simul, dependenterque ab ipsâ creaturâ, definit concursum creaturæ. Quòd autem in sentent. *Vasquez*, notitia intuitiua actuum concomitanter prædefinitorum non abstulerit à Christo libertatem in ijs exercendis, deducitur *ex 3. parte disput. 53. cap. 2. & ex disp. 74. cap. 3. 5. & 6. & deinceps*, in quorum primo affirmat, intellectum humanum Christi semper fuisse in actuali, & quidditatiuâ notitiâ omnium futurorum; licet hanc ponat distinctam à visione beatâ, quâ solus Deus videtur. In 2. docet, Christum liberè exercuisse omnium virtutum actus, præter charitatis in Deum: sequitur, intuitiuam notitiam actuum à Deo concomitanter prædefinitorum non abstulisse à Christo libertatem in ijs exercendis.

54. *2. Sentent. Deducta ex doctrina Molina.* Secunda concedit, libertatem Christi, & consequenter meritum stare potuisse cum prædefinitione etiam antecedente actuum, non cum intuitiuâ notitiâ eorumdem: ex *Moln. 1. part. quæst. 14. art. 13. disput. 17. §. Quæret, & disp. 18. memb. 2. & 4.* in quorum secundo concedit, omnes Christi actus, sicut & omnes actus supernaturalis reliquorum fuisse à Deo prædefinitos, & cum tali prædefinitione integram mansisse in Christo ad eos eliciendos libertatem. Jn primo propterea negat, Deum priùs ratione, quàm actu ab æterno voluerit mundum, cognouisse se voliturum mundum, quia alioquin non fuisset liber ad volendum mundum: nam licet alterius libertas non lædatur, quòd vnus sciat, quid alter electurus sit, antequam eligat, læditur tamen propria si idem sciat; quid ipse electurus sit, antequam actu eligat. Nam nec in potestate ipsius fuit contrarium scire, nec tali scientiâ stante potest contrarium velle.

55. *Tertia sententia probabilior.* Tertia affirmat, Christi libertatem, adeoque meritum stare potuisse, & cum prædefinitione omnium suorum actuum etiam antecedenter ad consensum absolutum, & cum intuitione eorundem in Verbo: *Suarez 3. part. disput. 37. sect. 5.* Quæ probabilior est, ex *S. Thom. 4. contra gentes cap. 36. & 3. part. quæst. 21. art. 4.* vbi docet, nil Christum voluisse, nisi quod eum velle voluntas diuina disposuit, quod saltem intelligi debet de voluntate prædefinitiua. *Fundamentum prioris partis assertionis.* Quia licet voluntas Dei prædefiniens non solùm æternitate, sed etiam causalitate, præcedat actus prædefinitos, eò quòd non solùm æternâ duratione præcedit illos vt in tempore exequendos, sed etiam vt causa eorum in ipsa æternitate absolutè futurorum: Nam priùs ratione fuerunt prædefiniti, quàm præuisi vt absolutè futuri; pendet enim hoc ex illo vt effectus à causâ: eadem tamen voluntas prædefiniens ratione subsequitur in ipsâ æternitate eosdem actus præuisos sub conditione futuros, ex 1. *tom.* ergo talis voluntas quantumuis efficax & absoluta non potuit in Christo, aut in quouis alio libertatem tollere: scilicet quando voluntas efficax Dei supponit libertatem creaturæ sub conditione futuram, non tenetur ad effectum exequendum adhibere alia media, quàm quæ præuidit per scientiam conditionatam, cum liberâ voluntate creaturæ infallibiliter operatura: ergo sicut infallibile erat, quòd per talia media creatura liberè foret tales actus operatura, ita sine vllâ læsione creatæ libertatis potuit Deus eosdem actus per eadem media, quibus præuidit sub conditione liberè futuros, prædefinire; vt essent absolutè futuri, cùm non maiorem vim inferat Deus creaturæ per voluntatem prædefinientem, quàm intulisset sine illâ, quia per hanc Deus non operatur immediatè per se ipsum, determinando voluntatem creatam, sed medijs auxilijs & motionibus præuisis sub conditione congruis libertati creatæ. Item, 56. *Fundamentum posterioris partis.* notitia, quâ anima Christi suos actus futuros liberos intuebatur, non determinabat voluntatem Christi ad illos eliciendos, neque vt erat notitia suorum actuum; quia præsupponebat illos liberè futuros; non enim ideo erant futuri, quia præuidebantur futuri; sed contrà, ideò præuidebantur futuri, quia præsupponebantur liberè futuri: non igitur adimebat, sed supponebat libertatē in ipsis actibus præuisis tanquam in obiecto: scilicet nihil potest immutare libertatē, nisi quod aliquo modo influit in illam, notitia autem actûs futuri nullo pacto influit in libertatem, cùm non sit causa, neque physica, neque moralis ipsius, sed pura contēplatio consequens actum, sicut enim cognitio actus præsentis non tollit à potentiâ libertatem, sed illam præsupponit, & præsuppositam solùm repræsentat: ita nec cognitio actus futuri tollit à potentia libertatem, sed illam præsupponit, & solùm præsuppositam per modum obiecti repræsentat. *Ratio.* Neque determinabat vt erat notitia diuinæ prædefinitionis: nam hæc non maiorem vim infert humanæ voluntati Christi vt cognita, quàm vt reipsâ existens: quia cognitio repræsentat voluntati Christi prædefinitionem Dei, vt de facto decreta fuit; scilicet dependenter ab ipsâ absque vllâ obligatione illam exequendi; alioquin si cognitio diuinæ prædefinitionis aliquam necessitatem imponeret humanæ voluntati Christi, destrueret suum obiectum, quod est ipsa prædefinitio, quatenus decreta est dependenter ab ipsa voluntate Christi.

57. *Dices.* *Obijcies* 1. Vt prædefinitio ab æterno poneretur, non fuit in potestate Christi, quia nec Christus in tempore aliquid facere potuit, vt illa ab æterno poneretur, cùm tempus supponat æternitatem: nec ea posita efficere, vt vel illa tollatur, cùm Deus immutabilis sit; vel vt actus prædefiniti non sequantur, cùm non sit in potestate Christi, efficacem Dei voluntatem irritam reddere.

58. *Resp.* Concedo, non fuisse in potestate Christi, vt talis prædefinitio ab æterno poneretur, nam adhuc tales actus præuisos sub conditione futuros, potuit Deus efficaciter non prædefinire: fuisse tamen in potestate Christi, vt talis prædefinitio ab æterno non poneretur: quia in potestate Christi fuit

fuit efficere, vt tales actus non fuerint ab æterno sub conditione præuisi, si ad eos in tempore non se determinâsset, ad quos pro suâ libertate potuisset non se determinare. Nec obstat, quòd diuina prædefinitio æternitate, causalitateque præcedat actus prædefinitos seu effectum absolutè futurum, & hic vt absolutè futurus pendeat à diuinâ voluntate, vt à causâ: in ipsa enim æternitate subsequitur eundem effectum præuisum sub conditione futurum, sine quâ præuisione nō potuisset Deus actus Christi, alteriúsve creaturæ efficaciter prædefinire, vt liberè futuros. Concedo etiam, positâ efficaci prædefinitione Dei, Christum efficere non posse, vt illa tollatur actu; sic enim dicit necessitatem ex suppositione, quæ inuoluit consequentem libertatem Christi, quia supponit Christum liberè se determinaturum, in quâ liberâ determinatione futurâ Christi fundatur prædefinitio æterna Dei: efficere tamen potuisset, vt illa ab æterno posita non fuerit. Cæterùm falsum est, eâ positâ, non esse in potestate antecedente Christi, vt actus prædefiniti non sequantur. Nam sicut prædefinitio non tollit à Christo indifferentiam, ita nec potestatem, vt actus prædefiniti non sequantur: nec tamen hinc sequitur, in potestate Christi esse, irritam reddere efficacem voluntatem Dei, sed potiùs, vt illa ab æterno posita non fuerit, non quidem in sensu composito; sic enim inuoluit necessitatem ex suppositione, sed in sensu diuiso.

Prædefinitio fundatur in liberâ determinatione creaturæ.

59. *Dices.* DICES. In Christo est potentia ad oppositum actui prædefinito: sed hæc est potentia ad irritandam efficacem prædefinitionem Dei. Nam sicut non existentia actûs prædefiniti, est irritatio prædefinitionis Dei; ita potentia ad non faciendum actum prædefinitum, est potentia ad irritandam prædefinitionem Dei.
60. *Resp.* Resp. In Christo esse tantùm potentiam antecedentem ad oppositum actui prædefinito, non consequentem: prædefinitio autem Dei non fundatur in potentia antecedente, sed in negatione potentiæ consequentis: quia non fundatur in medio prædeterminante, sed infallibili. Sicut ergo non repugnant simul, actus infallibiliter futurus, & indifferentia ad oppositum; ita neque impotentia consequens, & potentia antecedens respectu eiusdem actus. *Disparitas assignatur.* Quare neg. minor. ad prob. non existentia actus prædefiniti tollit impotentiam consequentem, in quâ fundatur prædefinitio; quam tamen non tollit potentia antecedens ad oppositum actui prædefinito; quia stat simul actum esse infallibiliter futurum, & Christum esse antecedenter indifferentē.
61. Hinc soluitur illud argu. Ex antecedēti necessario non potest nisi consequēs necessarium sequi: sed quod Deus prædefiniuit actū Christi, hîc & nunc eliciendum, est antecedens necessariū: ergo. *Necessariū duplex.* Distinguo maior. ex antecedenti simpliciter necessario non sequitur nisi consequens necessarium; ex antecedenti necessario tantùm ex suppositione potest sequi consequens contingens: sed quòd Deus prædefinierit actum Christi, est antecedens necessarium tantùm ex suppositione actûs infallibiliter futuri: igitur hoc consequens, quòd hic actus prædefinitus sit eliciendus, erit contingens.
62. *Aliud argum. soluitur.* Ex hoc etiam soluitur argum. Deus facere non potest, vt quod semel ipse prædefinierit, non sit futurum, alioquin posset seipsum mutabilem facere: ergo nec Christus facere potuit, vt quod Deus prædefiniuit vt futurum, non sit futurum. Nego conseq. de potentiâ antecedente, concedo de potentiâ consequente: hoc sufficit, vt Deus facere non possit, vt quod semel prædefiniuit vt futurum, possit non esse futurum.

Obijcies 2. Imperfectio fuisset in Christo, repugnare potuisse diuinæ voluntati efficaciter prædefinienti, sibi euidenter notæ: quia tenebatur in nullo à diuinâ voluntate discordare. 63.
Nego, fuisse imperfectionem in potestate antecedente: nam voluntas prædefiniens, cùm non sit præceptiua, relinquit Christo libertatem ad oppositum; hoc enim ipsum fuit æterna Dei voluntate prædefinitum, vt tales actus liberè à Christo elicerentur, & consequenter ita fierent, vt possent antecedenter non fieri: alioquin destrueretur obiectum diuinæ prædefinitionis, quod sunt actus ipsi liberè elicienda à voluntate Christi. *Resp.* Voluntati Dei præcipienti Christus repugnare non potest, neque potentiâ antecedente completâ ex intrinseco, & extrinseco principio; purè verò prædefinienti repugnare potest, etiam potentia antecedente completa: quia ad oppositum actui præcepto, cùm sit peccatum, non habet Christus potentiam antecedentem physicam completam. *Discrimen voluntatis præcipientis à purè prædefiniente.* Ex quo sequitur, quòd actus præcepti fuerunt simul cum vnione hypostatica virtualiter prædefiniti: quia sicut per ipsam vnionem Christi voluntas reddita est formaliter impeccabilis, ita in ipsa virtualiter prædefiniti sunt omnes actus præcepti: actus verò consilij prædefiniti sunt post vnionem, & dependenter ab humanâ voluntate Christi, etiam potestate consequente sub conditione præuisâ.

Obijcies 3. non fuit in potestate Christi, aut visionem beatificam mutare, aut efficere vt illa falsum repræsentaret: ergo non potuit Christus liberè exercere suos actus, quos futuros per visionem beatam intuebatur in Verbo, ac proinde per illos mereri: nam si liberè exercere potuisset suos actus, quos per visionem beatam futuros intuebatur in Verbo, efficere potuisset, vt vel visio beata illos non repræsentaret, vel eos falsò repræsentaret. Anteced. prob. visio beatifica neque in essendo, neque in repræsentando, etiam obiecta secundaria, pendet à liberâ voluntate beati. 64.
Resp. Non fuit in potestate Christi consequente visionem beatam mutare, concedo; non fuit in potestate Christi antecedente, nego. 65. *Resp.* nam visio beata fuit posterior causalitate actibus liberè à Christo eliciendis, siquidē in eos nullo modo influebat, sed erat purum signum, duratione tātùm præcedens illos vt futuros, solùm repræsentans eos, quo pacto erant futuri liberi à suo proximo principio, quæ erat humana voluntas Christi proximè regulata à scientiâ infusâ, vel acquisitâ. *Primum exemplum.* Explico: cognitio diuina priùs ratione, quā Deus in æternitate posuerit decretum de creando mūdo, repræsentauit illud diuinæ voluntati, vt mox in 2. signo rationis ponendum; tamen non abstulit à Deo antecedentem libertatem, per quam in 2. signo liberè posuit suum decretum de creando mundo; esto eâ cognitione positâ, non potuerit Deus potestate cōsequente tale decretum non ponere. Quod exemplum etsi neget Molina, concedunt reliqui. *Secundum.* Et quod omnes tenentur concedere, reuelatio facta Petro de trinâ futurâ negatione Christi, non sustulit à Petro antecedentem libertatem ad eandem non ponendam: Et ponatur talis reuelatio perseuerasse in intellectu Petri vsque ad vltimū instās, quo Christum negauit; adhuc liberè eo instanti Christum negâsset vi antecedentis potestatis, quæ adhuc manebat cum reuelatione futuræ negationis, tēpore præcedēte; *A priori.* quia cognitio, quæ nullo modo est causa actûs, sed tantùm est purum signum illius, non mutat intrinsecè proximum principium talis actûs: proinde si absque tali cognitione actûs vi proximi principij futurus erat liber, etiam cum tali cognitione futurus

turus erit liber: quia quando cognitio duratione tantùm non autem causalitate præcedit actum futurum, supponit causas, virtute quarum actus est futurus, independenter ab ipsa cognitione repræsentante,& consequenter si independenter ab ipsâ cognitione actus futurus erat liber; etiam,tali cognitione positâ, erit futurus liber, cùm talis cognitio relinquat causas, eo prorsus modo, quo illæ supponebantur ante positionem talis cognitionis.

66. *Necessitas ex solâ liberâ determinat.* Nec obstat,quòd,tali cognitione positâ,necesse sit in sensu composito sequi effectum: quia talis necessitas cùm pendeat ex liberâ determinatione futurâ ipsius voluntatis, non tollit, sed supponit libertatem. Vnde cum tali necessitate consequente, dependente à liberâ determinatione futurâ voluntatis, manet antecedens potestas in voluntate ad oppositam partem se determinandi:nam sicut suppositio futuræ determinationis volũtatis non tollit de præsenti antecedentem libertatem ad oppositũ; ita neque cognitio futuræ determinationis eiusdem,cùm nõ plus influat in actum futurum cognitio tempore præcedens ipsum futurum,quàm suppositio ipsius futuritionis actûs, cùm neutra ad actum se habeat antecedenter & vt causa,sed consequenter,& vt signum tantùm actus futuri.

67. Dices. De facto Christus omnes suos futuros actus visione beatificâ cognitos, necessariò elicuit: ergo nunquam potuerũt illi esse liberi, vel in præscientiâ Dei,vel in executione; scilicet positâ notitiâ suorum actuum futurorum in visione beatâ expressorum, non potuit illos Christus non elicere; alioqui potuisset de facto falsam reddere suam visionem beatificam.

68. *Resp.* Distinguo anteced. de facto Christus suos actus futuros in visione beata cognitos necessariò elicuit,necessitate antecedente,nego; necessitate consequente,concedo; scilicet proximè ortâ ex visione beatificâ repræsentante hos actus; remotè verò, & originaliter ex suâ liberâ determinatione,dependenter à quâ infusa est animæ Christi visio repræsentatiua horũ actuum. Etenim priùs fuit in diuina præscientia Christus vt liberè se ad hos actus determinaturus, quàm fuerit illi decreta hæc numero visio repræsentans hos numero actus futuros. *Exemplum de reuelatione trina negationis.* Sicut priùs præuisa fuit à Christo trina negatio Petri liberè futura,quàm fuerit decreta reuelatio trinæ negationis futuræ infundenda Petro: omne quippe obiectum naturâ præcedit cognitionem, cuius est obiectum: vnde in æternitate trina negatio Petri naturâ præcessit scientiam Dei de eâdem futurâ; & à fortiori eadem naturâ præcessit decretum Dei de reuelatione eiusdem futuræ conferendâ suo tempore Petro; ac proinde præcessit etiam ipsam reuelationem collatam Petro. Neque ex eo quòd reuelatio trinæ negationis futuræ facta sit Petro, tempore præcedens actualem executionem trinæ negationis,tollit, quin reuelatio trinæ negationis supponat causalitate priorem futuram executionem trinæ negationis,dependenter à quâ facta est reuelatio Petro.

69. *Par ratio scientia infusa.* Deducitur 1. Eandem rationem fuisse de scientiâ infusâ: nam etiam per hanc Christus cognouit omnes suos actus, quos liberè eliciturus erat in hâc vitâ; eâque positâ, non poterat Christus potestate consequente illos non elicere, alioqui potuisset potestate consequente falsam reddere scientiam infusam: quod non minùs implicat, quàm potestate consequente falsam reddere visionem beatam; cùm vtraque sit infallibilis, & à Deo immediatè infusa.

70. Dices: ergo saltem fuit in Christo potestas antecedens ad reddendum falsam visionem beatificam. *Resp.* Nego conseq. nam posse potentiâ antecedente falsam reddere visionem beatificam, est posse voluntatem Christi cõponere cum opposito,quod visio beatifica repræsentat, quod falsum est: nam potentia antecedens in Christo non erat ad componendum cum opposito,quod repræsentabat visio,ex suppositione, quod erat actu posita; sed vt potuerit talis visio antecedenter non poni. Sicut antecedens libertas; quæ erat in Petro ad non negandum Christum, non erat ad componendum cum opposito, quod reuelatio prædicebat, sed ad efficiendum, vt reuelatio antecedenter non poneretur:ac proinde non erat potestas ad falsam reddendam reuelationem Christi: nam hæc est potestas componendi cum opposito reuelationis iam factæ.

2. Discrimen inter visionem beatam respectu amoris beatifici erga Deum & proximum visum in Deo,& respectu aliorũ actuum,quos Christus elicuit extra visionẽ Dei: scilicet visio beata respectu amoris beatifici erga Deum,& proximum visum in Deo,se habet vt causa complens cũ voluntate beati, vnum principiũ antecedenter requisitum,ad amorem beatificum eliciendum: respectu verò aliorum actuum, quos Christus extra visionem beatificam eliciebat, se habebat tantùm vt purum signum, supponens aliam cognitionem proximam,quæ vnà cum voluntate Christi integrabat vnum principium proximum adæquatum antecedenter requisitum ad eos actus eliciendos. 71. *Coroll. 2.* Vnde in nullo signo amor beatificus potuit præuideri vt futurus, nedum vt liberè futurus,independẽter à visione beatâ:quia in nullo signo potuit præuideri futurus,nisi dependenter ab omnibus causis necessariò prærequisitis,inter quas vna est visio beatifica, vt regula voluntatis ad beatificum amorem eliciẽdum. *Amoris beati & aliorum actuum discrimen.* Contrà verò reliqui actus,quos Christus elicuit:præuideri potuerunt vt futuri, atque adeò etiam vt liberè futuri in signo priori ad visionem beatificam: quia illi non dependebant à visione beatifica vt à causâ; nam hæc erat notitia infusa,vel acquisita cõplens cum humanâ voluntate Christi integrum principium elicitiuum illorum antecedenter ad visionem beatificam.

72. Dices. Etiam visio beata influebat in actus meritorios Christi:nã,vt *vlt. sect. præced. disp.* visio beata prędeterminabat voluntatem Christi ad obseruantiam præceptorum: igitur neque actus meritorij Christi præuideri potuerunt independenter à visione beata. *Resp.* Resp. neg. antec. Etenim visio beata solùm influebat in voluntatem Christi quoad physicam impeccabilitatem, auferendo ab eâ physicam potentiam proximam peccandi, eamque obiectiuè prædeterminando ad obseruantiam præceptorum tempore,quo obligabant,non autem ad actus meritorios, qui proximè regulabantur ex scientiâ infusâ. Ad summum enim visio beata ad actus meritorios se habebat vt causa impulsiua remota, non proxima,quæ erat sola scientia infusa.

73. *Coroll. 3. Quando sensus compositus tollat libertatem, quando non.* Quando actus in sensu composito necessariò est futurus necessitate antecedente, vt est amor beatificus vi visionis beatæ,& in nostrâ sent. actus contritionis vi prædeterminationis physicæ, tollit libertatem: quando verò est necessariò futurus,necessitate tantùm consequente, non tollit,sed supponit libertatem:quia quando est necessariò futurus necessitate antecedente, tollit indifferentiam antecedentem,quæ consistit,vt positis omnibus antecedenter ad operãdum requisitis, creatura possit, vel non possit operari: at hoc ipso quòd ponitur antecedens necessitas, tollitur hæc antecedens indiffe-

differentia ad operandū, vel non operandum, quia ponitur determinatio ad vnum, quæ pugnat cum indifferentiā ad vtrumlibet. Quando verò actus est necessariò futurus necessitate consequente, non tollit à voluntate antecedentem indifferentiam, sed supponit illam, vi cuius supponitur liberè futura determinatio ipsius voluntatis; sed solùm supponit liberam determinationem futuram ipsius voluntatis, ex cuius suppositione actus dicitur necessariò futurus, eâ necessitate, quâ omnis res, dum est, ex suppositione quod est, necessariò est.

73. *Ad Fundamentum prioris partis 1. sententiæ.* Ad fundam. prioris partis primæ, quæ tantùm est contra nos. Omnis determinatio etiam extrinseca, quæ antecedit libertatem, eaque potestate antecedente à voluntate creata tolli non potest, lædit libertatem, concedo: omnis determinatio extrinseca, quæ antecedit libertatem, eaque tolli non potest potestate dumtaxat consequente, lædit libertatem, nego. Ad Minorem, concedo prædefinitionem actuum Christi positam fuisse ab æterno independenter à voluntate Christi absolutâ; nego, eam positâ potestate antecedente tolli non potuisse ab eâdem Christi voluntate, non quòd posita tolli potuerit, sed quòd antecedenter potuerit non poni. Ad prob. nego simpliciter, creaturam irritam facere posse diuinam prędefinitionem; hoc est illam iam positam posse irritare; potestas fuit in Christo tantùm vt potuerit prædefinitio antecedenter non poni, si aliter fuisset præuisus operaturus Christus, vti præuideri potuit vi suæ antecedentis libertatis.

74. *Ad Fundamentum Molinæ.* Ad fundam. Molinæ, nego ex eo quòd Deus in primo signo rationis præuiderit suum decretum futurum de condendo mundo, non liberè in secundo signo decreuisse mundum: nam scientia talis decreti nullam imponit necessitatem diuinæ voluntati. *Ratio.* Quia talis scientia, licet sit prior ratione, est tamen posterior causalitate, seu quasi causalitate: priùs enim supponit decretum futurum, vt obiectum dependenter à liberâ voluntate Dei, & deinde cognoscit illud; vnde sicut futuritio effectûs non tollit libertatem à voluntate, ita nec scientia talis futuritionis: alioquin nullus actus produceretur liberè, cùm ante productionem actûs semper præcedat futuritio actûs; quæ non tollit libertatem, quia non antecedit, sed subsequitur causalitate actum liberum; ex eo enim quòd aliquando actus liberè producetur, dicitur ex tali suppositione antequam actus producatur, futurus: sed neque scientia antecedit, sed subsequitur actum liberum, cùm nequeat illum vt obiectum repræsentare, nisi præsupponat ex suppositione futurum. Vnde in hoc eadem est ratio, siue scientia actûs futuri præcedat in eodem supposito, siue in alio.

75. *In potestate Dei fuit cognoscere oppositum decreto futuro.* Ad aliud: in potestate Dei non fuit cognoscere oppositum ex suppositione decreti futuri, concedo: absolutè, nego; etenim sicut in potestate Dei fuit, non velle mundum, ita in potestate eiusdem fuit, cognoscere oppositum. Cæterùm positâ semel in Deo scientiâ decreti futuri, non fuit in potestate ipsius consequente, fuit in antecedente, tale decretum non condere. Vnde si Deus in tempore conderet suum decretum, æterna scientia talis decreti non tolleret antecedentem libertatem Dei circa tale decretum. *Ad hominem.* Et arguo contra *Molin.* qui *q. 12. art. 8. disp. 5. memb. 8.* concedit in Christo scientiā omnium futurorum; & consequenter etiam suorum actuum, quâ non obstante, admittit in Christo in iisdem exercendis libertatem: ergo etiamsi Deus priùs ratione, quàm suum decretum conderet, habuerit infallibilem scientiam de illo in signo 2. condendo, adhuc liberè potuit illud in signo 2. condere. Instabis. Deus neque antecedente potentiâ est moraliter mutabilis; esset autem, si posset antecedente potentiâ suum decretum ex suppositione futurum non condere. 76. *Instas.* Nam posse suum decretum ex suppositione futurum non condere, est, posse facere, vt suum decretum ex suppositione futurum, non sit futurum, quod est, posse suum decretum mutare. *Resp.* Sed nego Minor. nam posse mutari moraliter, non est, habere tantùm antecedentem potentiam, suum decretum non ponendi, quamdiu actu positum non est: nam hoc essentialiter includitur in ipsa libertate Dei, quæ sicut ex suppositione decreti futuri non tollitur, ita nec per cognitionem eiusdem decreti futuri tollitur, sed est habere potentiam tollendi suum decretum, postquam semel positum est, quod quia innoluit inconstantiam, in Deum cadere non potest.

SECTIO V.

Quo tempore Christus meruerit?

Tria sunt tempora, de quibus quæri potest; Primum instans, quo conceptus fuit; totum tempus vitæ mortalis; & reliquum post mortem sequens. 77. *1. Sentent.* Non defuerunt, qui docuerunt Christum primo instanti suæ conceptionis non meruisse, ducti hoc discursu: *Fundam. 1.* Ad meritum requiritur cognitio: in Christo, præter cognitionem beatam, non fuit nisi infusa & acquisita; beata non est ad merendum proportionata, cùm non sit cognitio Viatoris, quâ tantùm Christus meruit; sed Comprehensoris, quâ non meruit: infusa autem & acquisita, esse non potuerunt, cùm non operentur, nisi per conuersionem ad phantasmata, dependenter à sensibus, qui primo instanti, imò per totam infantiam, defectu dispositionis in Christo operari non poterant. Hanc sententiam refert, & vt probabilem defendit *Durand. in 3. dist. 18. q. 2. nu. 7.* sequitur ex opinione illorum, qui infusam scientiam non discriminant ab acquisita: vnde sicut hęc in operando pendet à phantasmatibus, ita & illa. 78. *Hæc sententia reijcitur, censurâ notatur.* Verùm hæc vt graui notâ digna à Theologis exploditur. Ex ea enim sequitur, toto tempore infantiæ Christum non meruisse; nec eius lacrymas in infantiâ profusas, nec eius sanguinem in circumcisione effusum, nobis ad meritum profuisse; quod est contra Patres, & Ecclesiæ sensum. Ambros. *in 2. cap. Lucæ: Me illius infantia vagientis abluunt fletus: mea lacrymæ illæ delicta lauarunt. Plus igitur, Domine Iesu, iniurijs tuis debeo, quod redemptus sum, quàm operibus, quòd creatus sum.* Beda assignans rationem, cur Christus circumcidi voluerit, hæc scribit *Homil. de Circumcisione. Vt etiam nobis obediendi virtutem commendaret exemplo, & vt eos, qui sub lege positi, legis onera portare nequiuerant, sua compassione iuuaret: vt qui in similitudine carnis peccati aduenit, remedium, quo caro peccati consueuerat mundari, non respuit.*

79. *Aliud fundamentum.* Alij alio ducuntur argum. cur Christus instanti primo conceptionis non meruerit, nec mereri potuerit, sed immediatè pòst: vel quia nulla res, dum producitur, operari potest, cùm operari supponat esse vt actus 2. primum, vt opinantur *Alens. 3. p. qu. 17. memb. 2. art. 1. Albert. in 3. dist. 18. art. 6. Bonau. ar. 1. q. 2.* Vel quia ad meritum requiritur exercitium libertatis, quod instanti primo, quo natura producitur, esse non potest; cùm omnis actio deliberata requirat tempus, in quo exerceatur. *Confirm.* Confirm. Non potest instanti primo, quo creatura rationalis producitur, demereri; ergo nec mereri.

80. *Priorem partem colligit S.Tho. ex Apost.* Dico 1. Christus meruit instanti 1. suæ conceptionis, non solùm extrinseco, sed etiam intrinseco: ex *S.Thom.lect.1.in 10.cap. ad Hebr. Ingrediens,* nempe Christus, *mundum, dicit: hostiam & oblationem voluisti, corpus autem aptâsti mihi* &c. *Ecce venio, vt faciam Deus, voluntatem. In quâ voluntate,* concludit Apostolus *sanctificati sumus.* Ingressus est *Probat.* autem Christus in mundum per carnis assumptionem, iuxta illud *Ioan.16. Exiui à Patre,* nempe per æternam processionem: *& veni in mundum,* per tē- *Ratio.* poralem generationem. nam instanti 1. Christus habuit omnia ad merendum requisita; & quia finis Incarnationis fuit, vt per opera meritoria genus humanum redimeret, sequitur, vt non solùm *Pr. maior.* potuerit, sed statim in meritum inchoarit: scilicet primo instāti Incarnationis Christus habuit scientiam infusam, quæ, *vt suprà,* non eget ministerio sensuum, cùm sit in esse & operari à sensibus independens. Habuit præterea antecedentem indifferentiam ex parte volūtatis ad operandum, vel non 81. *Posterior pars probatur.* operandum: quæ duo ad meritum sufficiunt. Item primo instanti intrinseco fuit esse, quod, vt operari possit, non est necesse, vt duratione, sed vt tantùm naturâ præcedat operationem: non enim sol, cùm primùm creatus fuit, expectauit tempus, vt mundum illuminaret, sed instanti, quo cœpit esse, cœpit simul mundū illuminare; & Pater æternus instanti æternitatis filium genuit. Fuit etiam voluntas cum præuiâ cognitione infusâ ad operandum, vel non operandum eodem instanti expedita. Nam neque hæc, vt operetur, requirit tempus, sed sufficit, vt naturâ præcedat operationem, vt valeat illam liberè exercere: patet in Deo, qui non duratione, sed *Ratio.* tantùm naturâ præcedit volitionem mundi. Ratio: vsus libertatis consistit in eo, vt dum exercetur, potuerit vi antecedentis potestatis eodem instanti non exerceri, etiamsi de facto nullum sit instans, quo talis vsus libertatis non sit positus; quia ad libertatem sufficit, vt potuerit non poni.

82. *Dices.* Dices: primo instanti Incarnationis Christus accepit à Patre præceptum moriendi: sed non potuit illud eo instanti non acceptare: ergo non po- *Resp. 1.* tuit instanti 1. mereri. Nego conseq. nam esto mereri non potuerit per liberam acceptationē mortis quoad substantiam, mereri saltem potuit quoad circumstantias, motiui, intensionis &c. vel certè quoad alios actus, ad quos exercendos illo instanti non obligabatur. Quia verò ex *cit. Pauli* colligitur, Christum eo instanti meruisse per sui corporis oblationem, ac proinde per mortis acceptatio- *Resp. 2.* nem. Distinguo minor. non potuit Christus mortem præceptam, instanti 1. sibi intimatam, non acceptare positiuè, nego; negatiuè, concedo. Etenim ad intimationem præcepti non tenebatur Christus positiuo actu voluntatis tunc præceptum acceptare, seque ipsum in redemptionem humani generis offerre: sed tantùm negatiuè se habere, positiuè non repugnādo præcepto de morte sibi promulgato, illud suo tempore exequendo: proinde omnis actus, quo positiuè Christus mortem à Patre præceptam acceptauit, seque ipsum in redemptionem hominum obtulit, fuit meritorius, vtpotè li- 83. *Ad rationes opposita. num.79.* ber, ad quem eliciendum non tenebatur. Ad confirm. negant Thomistæ conseq. quia putāt, primam operationem, quam exercet creatura, siue sit necessaria siue libera, tribui Deo vt primo authori: cùm igitur nequeat tribui Deo prima operatio demeritoria vt primo authori, queat tribui prima meritoria, sequitur, vt non sit eadem ratio demeriti, ac meriti instanti 1. conceptionis exerciti. Sed veriùs neg. antecedens: cùm non magis sit primus author primæ operationis liberæ Deus, quàm cuiusuis subsequentis. Vnde 2.*tom. disp.20. sect.3.* doceo, potuisse angelos instanti primo durationis peccare, licet non instanti primo naturæ: in quo præcessit notitiā & dilectio necessaria sui.

Dico 2. Christus à primo instanti suæ conceptionis per totum tempus suæ vitæ mortalis vsque 84. *Assertio 2.* ad vltimum instans mortis cōtinuò meruit, absque vllā meriti interruptione: *Suarez disp.39. sect.3. Vasquez disp.75. cap. vlt. fine, Ioan. de Lugo disp.27. sect.4. ex Alens.3.p.q.17. memb.2.art. ex Caiet.3.p.q.34.art.2. Magist. in 3. dist.18. cap.2.* vbi ait, Christum in meritis proficere non potuisse: proficere autem potuisset, si aliquod tempus vel momentum omisisset vacuum merito. Fundam. hic modus merendi possi- 85. *Fundam.* bilis est, cùm seruatus sit ab angelis sanctis, dum fuerunt in viâ, qui nunquam ex actu transibant in non actum, sed semper ex vno actu meritorio in alium: at non decuit, Christum hâc in parte esse inferiorem angelis: Maximè cōducit ad finem Dominicæ Incarnationis, qui fuit per opera meritoria humanum genus redimere: Magis declarat charitatem Christi erga Deum & homines, vtpotè qui ne momentum quidem voluit esse vacuum, vel ab obsequio præstando Deo, vel ab opere meritorio nobis: Facit ad maiorem dignitatem Christi, vt quò pauperior propter nos esse voluit in bonis externis & temporalibus, cò ditior esset in bonis internis & spiritualibus, vt suis meritis ditaret multos: nam quamuis vno actu in vno dumtaxat momento elicito, potuisset, non modò sufficienter, sed & superabundanter redimere omnes, bonisque supernaturalibus cumulare, ad maiorē tamen liberalitatem & munificentiam id præstare voluit continuis totius suæ vitæ actibus, quos omnes in cultum Dei, & bonum nostrum consecrauit. *Vltimò,* *Vltimò.* Christus semper operabatur, quod erat perfectius, non necessitate, sed libertate: perfectior autem modus (quis neget?) est, nunquam à merendo cessare, sed continenter ex vno actu meritorio transire in alium, absque vllâ interpolatione. Neque ad hoc præstandum Christus impediebatur, aut infantiâ, aut somno; quippe qui mereri poterat per actus regulatos à scientiâ infusâ, quæ in operando non eget ministerio sensuum.

Cæterùm controuerti solet, num Christus me- 86. *An Christus meruerit ad instās intrins. mortis.* ruit vsque ad instans intrinsecum mortis inclusiuè. Affirmant, inter quos videtur *Caiet. 3.p. quæst. 50.art.6. §. Ad primum,* vbi docet, mortem, prout terminabat voluntarium mori, fuisse in Christo, & Martyribus meritoriam: hoc est, quatenus ipsa priuatio vitæ erat voluntarius effectus ex antecedente voluntate mortem acceptantis, imperatus. Opposita sententia est probabilior; *Suarez disp.39.* 87. *Sentent. probabilior.* *sect.3. fine*: ex *S.Thom.3.p.quæst.50 art.6.* vbi docet, mortem Christi fuisse meritoriam, prout erat in facto esse, hoc est fuisse meritorium non primum esse mortis, quod fuit primum non esse hominis, sed ipsum esse antecedēs intrinsecum instans mortis, quod erat ipsum esse hominis, quatenus actu tendebat ad non esse hominis. Ratio: cùm instans *Ratio.* intrinsecum mortis, sit primum non esse hominis, cessat status viæ, & consequenter tempus merendi, quod tantùm concessum est homini, quo desinente intrinseco instanti mortis, desinit status & tempus merendi homini concessum. Vnde ad rationem *Caiet.* resp. priuationem vitæ fuisse Christo meritoriam, non in se & formaliter, sed in voluntate antecedente illam acceptante; vnde mors potiùs est effectus meriti, quàm meritum formaliter.

Dico 3.

88. *Assertio 3.* DICO 3. post mortem Christus non amplius meruit: est communis *Theolog. in 3. dist.* 18. qui potiùs vt certum supponunt, quàm disputent: *S. Thom. 3. p. quæst. 19. art. 3. ad 1. & quæst. 50. art. 6. ad* 2. &c. ex Ioan. 9. *Me oportet operari opera eius, qui misit me, donec dies est: venit nox, quando nemo potest operari.* Porrò per *diem* Patres intelligunt, tempus huius vitæ, quo concessum nobis est, posse operari opera æternæ vitæ meritoria: per *noctem* tempus alterius vitæ, quo non ampliùs permissum est, iuxta *Eccles.* 9. *Quodcumque facere potest manus tua, instanter operare: quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, nec scientia erunt apud inferos, quò tu properas.* Vtrumque explicat *Hieronym. in hoc* 9. *cap.* de tempore merendi huius vitæ, & non alterius, sicut alij PP. Item *ad Hebr.* 10. *Vna oblatione consummauit in sempiternum iustificatos:* vbi Chrysost. *Homil.* 18. *fine: Si ergo remisit peccata per vnum sacrificium, non est amplius opus secundo.* Ratio: Christus eandem merendi viam

89. *Ratio assertionis solidissima.* habuit, quam habent cæteri homines: at non habent merendi viam, nisi vitam mortalem: *ex cit. locis*, & ad Galat. 6. *Dum tempus habemus, operemur bonum:* vbi Hieronym. *in Comment. maior. Tempus,* inquit, *sementis, vt diximus, tempus est præsens, & vita quam currimus. In hâc licet nobis quod volumus seminare. Cùm ista vita transierit, operandi tempus aufertur. Vnde & Saluator ait: Operamini dum dies est: veniet nox quando iam nullus poterit operari.* Chrysostom. in eundem locum: *Quemadmodum non semper est in nostrâ potestate facere sementem; ita nec dare eleemosynam. Cùm enim hinc fuerimus abducti, etiamsi millies velimus, nihil effecerimus.* Ambros. explicans eundem loc. *Tempus idcircò conceditur vitæ, vt iam iustè versemur, exemplum dantes Gentilibus:* Anselm. *Ergo dum tempus seminandi, & operandi habemus, quod ignoramus, quamdiu habituri sumus, operemur nunc assiduè bonum.* Maior prob. sicut

Cætera to. 3. disp. vlt. Christus seruauit cæteras leges, quas habuit nobiscum communes, ita & hanc, cùm nulla in hâc

90. dispensandi fuerit necessitas. Confirm. Si adhuc Christus nunc pro nobis in cœlo mereretur, se-

Confirm. queretur, quod adhuc nunc redimeret nos; nam non alio pretio Christus redemit nos, quàm pretiô suorum meritorum; & tamdiu dicitur redemptor suos captiuos redimere, quamdiu pro illis prætium pendit: at scripturæ oraculis significatur, opus nostræ redemptionis esse iam perfectum & consummatum morte & passione Christi Domini. Ad Galat. 3. *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum, quia scriptum est, maledictus omnis qui pendet in ligno.* Ad Hebr. 2. *Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, authorem salutis eorum per passionem consummare.* Ad Hebr. 9. *Christus assistens Pontifex futurorum bonorum* &c. *per proprium sanguinem introiuit semel in Sancta, æterna redemptione inuenta.* & cap. 10. *Vna oblatione consummauit in sempiternum sanctificatos.* Apocal. 5. *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius, quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo.* Et PP. certum supponunt, redemptionem nostram completam & consummatã morte Christi.

91. *Obijcies* 1. Christus adhuc nunc in cœlo existens orat pro nobis, iuxta illud 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem, Iesum Christum: qui,* Rom. 8. *interpellat pro nobis:* & Hebr. 7. *Manet semper viuens ad interpellandum pro nobis:* eiusque oratio est nobis proficua & impetratoria, ex *Trident. sess.* 14. *cap.* 8. ergo est nobis meritoria, cùm nil aliud

92. sit mereri, quàm impetrare. Negant 1. aliqui, Christum nunc in cœlo pro nobis orare: sed de hoc *infrà.* Resp. 2. neg. conseq. nam mereri oratione, est, *Resp.* ipso actu orationis sibi debitum facere, quod oratione petitur: Christus autem non actu ipso orationis, quo nunc pro nobis apud Deum interpellat, facit sibi debitum, quod oratione petit, sed operibus & meritis in hac vitâ exercitis, quæ nunc per orationem æterno Patri ad impetrandum pro nobis offert: per quæ opera plenum ius acquisiuit ad omnia, quæ in cælesti vitâ pro alijs petiturus erat.

DICES: non solùm præterita opera, quæ mediâ 93. oratione Christus æterno Patri nunc offert, digna *Dices.* sunt, vt pro quâcumque re, quæ à Christo petitur, acceptentur, sed ipsa oratio, mediante quâ eadem præterita opera exhibentur, digna est, vt pro quâcumque re exaudiatur: ergo non solùm præterita opera, sed ipsa etiam præsens oratio Christi est nobis meritoria. Nego conseq. Etenim ad meritum 94. non sufficit condignitas operis, sed requiritur et- *Resp.* iam promissio retribuentis, *ex 3. tom. disp. vlt. sect.* 3. Oratio igitur, quâ nunc præterita sua merita Christus præsentat Patri, etsi de se digna sit, vt pro quacumque re petita exaudiatur, quia tamen promissionem Dei non habet, vt per eam, sed per opera tantùm præterita, nobis cælestia dona impetret, non dicitur meritoria. Pari ratione non di- 95. citur nunc Christus in sacrificio altaris pro no- *Nota à pari.* bis mereri, etiamsi ad illud offerendum concurrat vt principale offerens: quia talis oblatio nunc à Christo facta, non habet annexam promissionem Dei, vt per eam nobis nunc aliquid promereatur; sed per opus sacrificij, quatenus fuit in arâ Crucis cruentè semel consummatum, per quod plenum ius acquisiuit ad omnia dona, quæ erat per incruentum sacrificium nobis quotidie impetraturus.

Obijcies 2. Omnia nouæ legis sacramenta dicun- 96. tur à PP. ex vulnere lateris Christi effluxisse: ergo vulnus Christi lateri inflictum post mortem fuit meritorium, cùm nequeant in illo sacramenta fundari, nisi vt in opere meritorio; nec alio titulo sint sacramenta Ecclesiæ donata, quàm titulo meritorum Christi, qui illa nobis meruit: Resp. fuit vulnus 97. lateris Christi meritorium formaliter & in se, ne- *Resp.* go; cùm illud inflictum fuerit corpori demortuo, quod meritoriæ actionis capax non est: vnde vt sic illud vulnus fuit mera passio, in quâ sola meritum saluari non potest. Rursus fuit meritorium per actionem tũc elicitam ab animâ separatâ Christi, vulnus illud inflictum acceptante, & nego: fuit meritorium per actionem, quâ illud à Christo in vitâ præuisum, acceptatum fuit, & Deo oblatum ad Ecclesiæ sacramenta fundanda, concedo. Quocirca vulnus illud post mortem secutum fuit meritorium denominatiuè à liberâ voluntate Christi illud in vitâ præuisum acceptantis.

SECTIO VI.

An Christus de condigno sibi mereri potuerit Vnionem hypostaticam per opera Vnionem subsequentia?

DVpliciter potuit illam sibi promereri, vel per 98. opera subsequentia vnionem, ab eâdem di- *Hic modus* gnificata; vel per opera concomitantia, naturâ tan- *3. non implicat.* tùm præcedentia vnionem: omitto tertium modum, per opera tempore præcedentia vnionem: cùm vi præsentis decreti natura humana in Christo, quæ tantùm poterat per opera tempore præ-

cedentia mereri, non præcesserit suam vnionem cum Verbo. Hic de priori difficult. Porrò bifariam considerari potest vnio hypostatica. 1. quoad prædestinationem; 2. quoad executionem: de vtroque hîc quæritur, an eam potuerit Christus per opera subsequentia condignè mereri.

99. *1. Sentent. apud neminem legi.* *Fundam.* PRIMA sententia affirmat, Christum per opera subsequentia condignè mereri potuisse vnionem cum Verbo, etiam quoad prędestinationem. Potuit enim Deus per opera vnionem subsequentia, sub conditione tantùm præuisa, prædestinare eandem vnionem vt absolutè futuram: ergo potuit Christus per opera subsequentia, etiam quoad prædestinationem, vnionem ipsam condignè mereri: nam eatenus non potuisset, quatenus illa non potuisset ratione præcedere decretũ dē prædestinandâ vnionē humanitatis cum Verbo: sed hæc opera sub conditione præuisa ratione præcesserũt, & omnis scientia conditionata ratione præcedit omne decretum absolutum in Deo: ergo.

100. *2. Sentent.* SECVNDA negat, potuisse Christum per opera subsequentia vnionem quoad prædestinationem condignè mereri, potuisse tamen illam condignè promereri quoad executionem: *Suarez 3. p. disp.* 10. *sect.* 4. *Fundam.* Fundam. posterioris: si quid obstaret, esset, quia merita supponerent Incarnationem; hoc autē non sequitur. Nam merita, quæ mouerent Deum ad Incarnationē exequendam, non essent merita vt actu exhibita, sed vt in æternitate tãtùm præuisa vt absolutè futura, quæ non supponunt Incarnationem actu exhibitam, sed in æternitate tantùm prędestinatam; potuit enim Deus Incarnationem prędestinare sub hâc conditione, vt non esset illam executioni mandaturus, nisi propter opera subsequentia. Sicut potest Rex, per modum anticipatæ solutionis, conferre militi equum in præmium meriti ex equo futuri.

101. *3. Sentent.* TERTIA negat, potuisse Christum per opera vnionem subsequentia suam Incarnationem tam quoad prædestinationem, quàm quoad executionem mereri: *Vasquez 3. p. disp.* 21. *cap.* 5. *&* 6. &c. Recentiorum.

102. *Assertio 1.* DICO 1. Implicat, Christum potuisse suam Incarnationem quoad prædestinationem per opera subsequentia condignè mereri: Est omnium, qui docēt, principium meriti non cadere sub meritum, *S. Thom. 3. p. q. 2. art. 11. Richard. in 3. dist. 4. art. 3. q. 1. Gabr. quæst. vnic. art. 3. dub. 3. Marsil. q. 5. art. 3.* &c. *ferè Scholast.* *Fundam.* Fundam. vt opera Christi Incarnationem subsequētia mereri potuissent eiusdem Incarnationis prædestinationem, debuissent in præscientiâ Dei, vt absolutè futura præcedere prædestinandi voluntatem: non potuerunt autem vt absolutè futura in præscientia Dei præcedere ipsam prædestinandi voluntatem: quia nihil potest à Deo præcognosci vt absolutè futurum, aut esse, nisi supposito efficaci decreto de reipsâ futurâ, & omnibus causis per se ad rei futuritionem immediatè saltem prærequisitis. Sed inter causas per se ad talia opera immediatè requisitas, est ipsa Incarnatio, quæ illis valoris condignitatem tribuit: non igitur potuerunt hæc opera à Deo præuideri vt absolutè futura, nisi supposito efficaci decreto de Incarnatione, quæ non potuit vicissim prædestinari in eorũdem operum Incarnationem subsequentiũ præmium. Alioquin eadem Incarnatio vt causa meriti supponeretur prædestinata ante meritum, & vt effectus & præmium meriti non supponeretur prædestinata ante meritum. Maior prob. meritum non est causa præmij, nisi mouendo voluntatem præmiantis ad præmium retribuendum: ergo non est causa præmij, nisi à præmiante cognitum vt absolutè futurum: quia non est causa præmij præcognitum vt possibile; alioquin meritum non discriminaretur à fine, qui quoniam causat mouendo agens ad cōmunicandam existētiam sibi, non requirit in scientiâ agentis sui existentiam, nisi vt possibilem: meritum verò quia causat mouendo præmiantem non ad dandam existentiam sibi, quæ supponitur, sed ad dandam existentiam præmio, quæ non supponitur, requirit in scientiâ præmiantis existentiam sui, non tantùm possibilem, sed etiam futuram: Et meritum possibile non est actu, sed in potentiâ tantùm meritum: ergo non potest actu meritoriè causare, cùm nulla causa actu causare possit, nisi sit constituta actu in ratione causæ. Nec causat præcognitum vt futurum sub conditione; quia meritũ sub conditione futurum, nullum habet ius ad præmiũ: ergo non potest esse causa præmij: nam meritum causat præmium, mouendo præmiantem ad præmium retribuendum, propter ius quod habet in præmium; & vbi nullum est ius in præmium, nullum est meritum. Confirm. per hoc maximè discriminatur meritum à fine, quòd finis mouet agens ad communicandam sibi existentiam propter solam bonitatem sui; meritum verò propter ius, quod habet in præmium. At multum meritum sub conditione futurum tenetur Deus remunerare: alioquin teneretur Deus omnia merita sub conditione futura remunerare, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de reliquis. Omne autem ius supponit aliquod debitum, cùm supponat facultatem habendi aliquid ab alio; & facultas supponit debitum dandi in alio, alioquin frustra foret talis facultas habendi, vbi nullum foret debitum dandi. Ratio: nemo accipit ius per id, quod haberet, si hæc, vel illa circumstantia poneretur, sed per id, quod actu habet; nam omne ius in actu nititur in aliquo fundamento in actu: ergo qui non habet meritum, sed solùm haberet, si tali, vel tali auxilio præueniretur, nullum ius habet in præmium. Confir. sicut demerita sub conditione futura nequeunt mouere Deum ad pœnam infligendam; ita nec merita sub conditione futura ad meritum retribuendum.

Meritum non causat vt possibile præcognitum. *Nec vt futurum sub conditione.* *Confirm.* nullum *A priori.* *Confirm.*

Obijcies 1. Potuit Deus prædestinare Incarnationem propter merita humanitatis Christi, naturâ priora: ergo potuit eandem prædestinare propter merita eiusdem humanitatis, naturâ posteriora. Nego conseq. nam merita humanitatis naturâ priora Incarnatione, non supponunt essentialiter Incarnationem decretam, cùm non ab illâ, sed ab auxilio gratiæ collato independenter ab Incarnatione, sumant suum valorem de congruo: at merita naturâ posteriora, cùm suum valorem sumant ab Incarnatione, essentialiter illam supponunt decretam: de quâ diffic. *sect. seq.* 103. *Resp.*

Obijcies 2. Ideò non potuerunt opera Christi Incarnationem subsequentia, Incarnationis prædestinationem mereri, quia opera non poterant præuideri, nisi post decretum absolutum de Incarnatione: at potuerũt hæc opera præuideri saltem cum ipso, & in ipso decreto de Incarnatione: ergo. Resp. Esto, adhuc nego, ea mereri potuisse decretum Incarnationis. Etenim vt potuissent, debuisset ratione præcedere Incarnationis decretum, vt causa suum effectum; omnis enim causa, quà talis, debet naturâ & causalitate suum effectum præcedere. Vt igitur opera subsequentia, potuerint eiusdem Incarnationis prædestinationem mereri, non sat est, vt simul fuerint cognita cum decreto, sed debuerunt ante decretum præcognosci, ac mo- 104. *Resp.*

ac mouere diuinam volũtatem ad Incarnationem prædestinandam: non potuerunt ita mouere, cognita tantùm in decreto Incarn. quia vt sic non præcedunt, sed subsequuntur Incarnationis prædestinationem, cùm supponant illam iam prædefinitam.

105. *Assertio 2.* Dico 2. Non potuerunt Christi opera Incarnationem subsequentia, de condigno mereri Incarnationem quoad substantiam executionis, sed solùm quoad circumstantiam temporis, vel loci. *Fundam.* Quia vi prioris decreti, quo independenter ab operibus Christi Incarnationē subsequentibus, prædestinata fuit Incarnatio, necessariò prædestinata fuit, vt esset aliquo tempore, & loco executioni mandanda: scilicet vi prioris decreti prædestinata fuit Incarnatio, vt absolutè futura: ergo vt absolutè exhibenda; ergo vt necessariò aliquando executioni mandanda: quia vi prioris decreti fuit efficaciter prædestinata: efficax autem decretum Dei necessariò importat effectum aliquando ad extra ponendum. ergo vi prioris decreti non poterat Incarnatio non aliquando executioni mandari: ergo quoad substantiam executionis fuit necessariò vi prioris decreti prædestinata.

106. *Ad Fundamentum aliarũ sententiarum.* Ad fundam. primæ, patet ex dictis. Fund. secundæ tantùm probat, merita in æternitate præuisa vt absolutè futura, potuisse mouere Deum ad Incarn. exequendam quoad circumstantiam huius, vel illius temporis, de quo *infrà*, non autem quoad substantiam executionis, quæ necessariò fuit decreta vi prioris voluntatis, quâ Deus independenter ab operibus Incarnationem subsequentibus, ipsam efficaciter prædestinauit. Ad exemplum de equo per modum anticipatæ solutionis collato militi in præmium futuri laboris, Respondet *S. Tho. 1. 2. q. 114. art. 5. ad 3.* in labore militis vtentis equo, esse aliquid antecedens vsum equi, quod mouere potest Regem ad dandum illi equum in præmium, ipsa scilicet naturalis dexteritas, & applicatio seu directio equi in vsum belli. In opere verò Christi nihil est antecedens vnionem, quod mouere possit Deum ad retribuendum illi vnionem in præmium, cùm prima ratio meriti proueniat ab vnione, sicut in nobis prima ratio meriti prouenit à gratia. Vel certè dici potest, talem equum non dari in præmium militi absolutè, sed sub conditione si consequatur victoriam; quâ non consecutâ, illum mansurum sub dominio donantis. At Deus supponitur absolutè decreuisse Incarn. vt ex eâ præuidere potuerit in æternitate merita absolutè futura.

SECTIO VII.

An Christus de congruo sibi promereri potuerit Vnionem hypostaticam per opera Vnionem concomitantia?

107. Controuersia est tantùm de possibili, vt præcedens; nam de facto omnes *Schol. cum Magist. in 3. dist. 18. & Thomistæ cum S. Doct. 3. p. q. 10. & 11.* docent, nulla in Christi humanitate tempore aut naturâ præcessisse opera, propter quæ illi collata fuerit Vnio cum Verbo, ex August. *lib. de prædest. Sanct. cap. 15. in Enchir. cap. 36. & alibi.* Quam sent. *Medina 3. p. q. 2. art. 11.* ad fidem pertinere censet; *Censura opinionis.* *Vasquez 3. p. disp. 21. art. 1.* solùm oppositam temerariam putat, & erroris insimulandam. Ego, quod attinet ad merita tempore præcedentia vnionem, censeo esse de fide, implicitè definitam in Concilijs, in quibus contra *Fotin. & Orig.* definitum est, humanitatem Christi non priùs tempore extitisse, quàm fuerit vnita Verbo. Quod attinet ad merita naturâ tantùm præcedentia, solùm iudico oppositam auctoritate August. *& Schol.* esse temerariam. Cæterùm priùs ratione debuisset in æterno decreto Dei prædestinari ad gratiam accidentalem, quàm ad substantialem; non iuxta connaturalem exigentiam humanitatis, quæ sicut priùs naturâ postulat subsistere, quàm operari, ita priùs ratione prædestinari ad vnionem hypost. quàm ad gratiam accidentalem; nec secundùm dignitatem Christi, qui priùs fuisset prædestinatus ad filiationem adoptiuam, quàm ad naturalem ergo tantùm de possibili est quæstio. *Cur de facto per opera vnione priora non promeruerit vnionem.*

108. *1. Sentent.* Prima sentẽtia negat, Christi humanitatem per opera vnionem concomitantia, de congruo vnionem sibi promereri potuisse. *Suarez 3. part. disp. 10. sect. 3. Vasquez disp. 21. cap. 6.* Fundam. Omnis operatio supponit suum principium substantialiter completum priùs naturâ: principium enim præsupponitur ad suam operationem: completur autem substantialiter per subsistentiam siue propriam, siue alienam: quia subsistentia sicut complet naturam in essendo, ita & in operando: ergo quia hic ordo cùm sit essentialis, nequit à Deo immutari; cùm non possit Deus facere, quin subsistentia sit intimior naturæ, & anterior operatione, proinde naturâ prior. Confirmatur: Si humanitas Christi simul tempore cum subsistentia Verbi, priùs naturâ elicuisset actum meritorium, non potuisset talis actus minùs dependere à subsistentia Verbi, quàm de facto pendet; sed de facto pendet ab illa vt à principio operante completo priùs naturâ præsupposito; ergo etiam tunc. 2. Si potuisset humanitas Christi per opera naturâ præcedẽtia, vnionem cum Verbo sibi promereri, aut illa fuisset meritoria vnionis, vt dignificata ab vnione, sic principium meriti caderet sub meritum; aut à gratiâ habituali priùs naturâ collatâ humanitati: at neque hoc; tum quia gratia habitualis data est Christo dependenter ab vnione vt proprietas consequens, adeoque posteriùs naturâ: alioquin data fuisset ex affectu adoptionis quod implicat, quia adoptio pugnat cum vnione ad Verbum: illa constituit filium adoptiuum, hæc naturalem: nec quis respectu eiusdem est filius adoptiuus & naturalis simul. Tum quia omnia opera hoc ipso, quòd proficiscerentur ab humanitate reipsâ vnitâ Verbo, essent infiniti valoris, proinde suam dignitatem sumerent ab vnione: ergo non posset eadem vnio dari in præmium talium operum; alioquin principium meriti caderet sub meritum. Antec. prob. non potest forma non statim conferre suum effectum formalem subiecto apto; ergo nec vnio hypost. suum valorem operibus profectis ab humanitate reipsâ vnitâ Verbo. Tum quia non possent talia opera non placere Deo, vt opera filij naturalis, ac proinde vt dignificata ab ipsa vnione: ergo non possent illam naturâ præcedere. *Fundamentum Suar.* 109. *Fundamentum Vasq.*

110. *2. Sentent. probabilior.* Secunda docet, potuisse Christi humanitatem per opera vnionem concomitantia, vnionem ipsam de congruo sibi promereri: *Caiet. 3. p. q. 2. art. 11. §. Ad hoc dub.* Quæ probabilior est, *Fundam.* potuit Deus æterno suo decreto priùs ratione efficaciter velle hanc humanitatem cum ijs gratiæ auxilijs, cum quibus præuiderat illam cum quâuis subsistentiâ, siue creatâ, siue increatâ, sub conditione bene operaturam, quàm illi decerneret hanc, vel illam determinatam subsistentiam: ergo potuit huic humanitati in præmium huiusmodi operum decernere vnionem hypostaticã: nam huiusmodi opera præuisa post decretum de producenda humanitate

cum ijs gratiæ auxilijs, cum quibus sub conditione præuisa fuerat cum quâuis subsistentiâ rectè operatura, habent omnia requisita, vt de congruo mereri possint huic humanitati vnionem hypostaticam, scilicet essent supernaturalia, vtpotè auxilio supernaturali elicita, & habitu sanctificantis gratiæ dignificata, cum promissione diuinâ de retribuenda vnione hypost. & ratione præcederent vt absolutè futura in præscientiâ Dei vnionem hypost. quæ danda esset in præmium talium operum: nam præuisa essent post absolutum decretum de producendâ humanitate &c. quidquid autem præuidetur post absolutum decretum, videtur absolutè futurum, cùm omne decretum absolutum Dei det rei decretæ futuritionem. Ea demum prioritas ad meritoriè causandum præmium sufficit, per quam meritum moraliter mouere possit voluntatem præmiantis ad præmium decernendum, scilicet prioritas in præscientiâ absolutâ præmiantis. Cùm enim meritum suam causalitatem exerceat in voluntate præmiantis, mouendo moraliter illam ad præmium decernendum, ea prioritas sufficiet, quâ à præmiante præuideatur vt absolutè futurum, priùs ratione, quàm propter ipsam decernatur præmium.

111. *Sola prioritas in præscientiâ absolutâ præmiantis sat est ad meritoriè causandū præmium:*

112. *Etsi ab indeterminatâ subsistentiâ cōcomitanter se habente.*

Vt autem aliquid ex vi diuini decreti videri possit absolutè futurum, non est necesse, vt illud videatur cum ijs principijs, quæ ad illud comitanter tantùm supponuntur, sed cum ijs solùm, quæ formaliter & per se ad illud prærequiruntur, siue hæc principia sint proxima, siue remota. At subsistentia solùm se habet concomitanter ad opera naturæ: ergo potuerunt opera huius humanitatis præuideri absolutè futura, dignificata tantùm à gratiâ accidentali, absque eo quòd viderentur futura ab eâdem humanitate subsistente in aliquâ subsistentiâ. Maior patet: nam quæ tantùm se habent concomitanter ad rem, nullum esse influunt in rem: proinde posset res, quantum est ex vi suæ entitatis præcisè, esse sine illis, & consequenter præuideri cum suo esse absque illis: nam eatenus non posset præuideri sine illis, quatenus non posset præuideri cum suo esse absque illis: ergo si suum esse non habet ab illis, necesse non est, præuideri cum illis. Vt quia Incarnatio suum esse non habet à præsentiâ loci, vel temporis, vt præuideretur absolutè futura, necesse non fuit, illam præuideri cum aliqua determinata præsentia loci, aut temporis; sed potuit ab omni determinatâ loci, & temporis præsentiâ præcisâ præuideri absolutè futura vi decreti Dei præscindentis Incarnationis substantiam ab eius circumstantijs. Et quæ formaliter & per se prærequiruntur ad rem, sunt talia, vt sine ijs res esse non possit, & consequenter nec videri, cùm visio supponat rem saltem in decreto Dei: ergo in eodem supponi debent omnia principia, à quibus res per se pendet. Minor. prob. talia merita præuisa absolutè futura duplex haberent esse, physicum, & morale: quoad neutrum autem per se penderent ab aliquâ determinatâ subsistentiâ: nam esse physicum haberent ab hâc humanitate tantùm præuisâ vt existente, vi sui adæquati principij effectiui; morale verò à gratia accidētali, quæ collata fuisset huic humanitati priùs ratione, quàm ei collata fuisset subsistentia Verbi. Ergo quoad nullum esse talia merita dependerent à subsistentia Verbi: atque adeò potuisset subsistentia Verbi huic humanitati decerni, propter ipsius merita præuisa à solâ gratiâ accidentali dignificata.

Prior pars maioris patet.

Pars posterior elucet.

Hic nodus.

113. *Confirm. 1.* Confir. 1. posito absoluto decreto de producendâ naturâ cum ijs gratiæ auxilijs, cum quibus sub conditione præuisa fuisset operatura, statim ea ipsa opera, quæ præuisa fuissent sub conditione futura, præuisa essent absolutè futura; atque adeò vt idonea ad mouendam diuinam voluntatem ad vnionem hypost. illis in præmium decernendam. Antec. ostendo: nam vt eadem principia & effectus, qui præuisi fuissent sub conditione futuri, præuideri potuissent absolutè futuri, nihil aliud requirebant, quàm efficax decretum Dei cum ijs principijs à quibus illa per se pendent, quo decreto tantùm posito, & nullo alio addito, omnia illa, quæ præuisa fuissent ante decretum sub conditione futura, post decretum visa essent absolutè futura. Confirm. 2. non minùs natura in operando à parte rei pendet ab aliquâ præsentiâ in loco, & coëxistentiâ in tempore, quàm ab aliquâ subsistentiâ: sed potuit hæc Christi humanitas priùs ratione cum principijs ad operandum requisitis, quàm cum aliquâ determinatâ præsentiâ in loco: aut coëxistentiâ in tempore, à Deo decerni, atque adeò præuideri: nam Deus ex precibus antiquorum PP. absolutè præuisis, quæ supponebant merita Christi in præscientiâ Dei absolutè præuisa, vtpotè à quibus moraliter causabantur, decreuit Incarnationis opus accelerare, *vt infrà*. Igitur potuerunt priùs ratione à Deo præuideri merita Christi vt absolutè futura, ex quibus moraliter pendebant preces antiquorum PP. propter quas motus est Deus ad accelerandum tempus Incarn. quàm præuiderit coëxistentiam eiusdem Incarn. in aliquo determinato tempore: alioqui non potuisset illam in præmium subsequentium precum decernere; aut in præmium decreuisset, quod iam anteà decretum fuisset.

114. *Confirm. 2.*

Deducitur 1. quo pacto idem non fuisset promeritum seipsum: nam opera, quæ mouissent Deum ad conferendam vnionem hypost. huic naturæ, non fuissent dignificata ab ipsâ vnione; quo pacto talia opera promeruissent seipsa, promerendo principium sui valoris, ratione cuius moraliter mouissent Deum ad decernendam in præmium eamdem vnionem iam anteà decretam, sed vt dignificata tantùm gratiâ actuali, & habituali, priùs ratione huic humanitati decretâ. 2. Qua ratione in hac sententia saluetur, quòd merens per præmium habeat plus, quàm haberet ex suo tantùm merito: Nam ex vi decreti, quo Deus efficaciter decreuisset condere hanc humanitatem cum ijs gratiæ auxilijs, cum quibus præuisa fuisset sub conditione operatura, non fuisset illi debita subsistentia Verbi, sed aliqua creata: ergo quòd ex ipsius præuisis operibus decreta ei fuisset subsistentia Verbi, fuisset speciale donum, quod non exegisset ex suo tantùm merito: nam ex suo merito ad summum habuisset ius ad subsistentiam creatam. 115. *Coroll. 1.* 116. *Coroll. 2.*

117. *Obijcies* 1. non alia Christi merita præuidere potuit Deus, quàm quæ reipsa in tempore extitura erant: sed quæ reipsa in tempore extitura erant, omnia pendebant à subsistentiâ Verbi vt à complemento substantiali ad operandum antecedenter requisito: ergo non potuit illa Deus præuidere vt absolutè futura, nisi vt naturâ posteriora & dependentia à subsistentia Verbi: & consequenter non potuit in præmium talium operum decernere huic humanitati vnionem cum Verbo: nam non potuit Deus vnionem cum Verbo in præmium operum ab hâc humanitate exhibendorum decernere, nisi præuidisset illa naturâ priora & independentia ab ipsâ vnione, alioqui meritum & præmium fuissent idem; neque merens post præmium habuisset plus, quàm habuisset ex solo suo merito; siquidem cum ipso opere meritorio collata etiam fuisset huic naturæ vnio hypostatica. Maior constat: nam Deus scientia visionis non videt, nisi quæ aliquando extitura sunt in tem-

Maior cum 1. conseq. constare videtur.

in tempore,& cum eo modo,& circumstantijs,quibus extitura sunt in tempore: cùm scientia visionis sit pura intuitio rei existentis vt existentis,proinde supponit rem existentem, vt illam intueri ac repræsentare possit. Minor prob. quæ in tempore extitura erant, de facto producenda erant ab hâc humanitate completâ per hanc determinatam subsistentiam Verbi: ergo dependebant à subsistentiâ Verbi vt à complemento substantiali, ad operandum antecedenter requisito.

118. *Resp.* Distinguo Maior.non alia merita præuidere potuit Deus vt absolutè futura, quàm quæ erant reipsa in tempore futura quoad substantiam,concedo; quoad omnem modum & circumstantias, cum quibus erant in tempore extitura, nego. Nam potuit in signo priori, Deus decernere substantiam rei,nondum in particulari eodem signo decretis omnibus cricumstantijs ipsius,cum quibus in tempore extitura erat: & consequenter potuit in aliquo signo priori præuidere substantiam rei absolutè futuram, nondum absolutè futuris præuisis circumstantijs eiusdem rei, cum quibus in tempore de facto extitura erat. Nam posito decreto de substantiâ rei,statim vi talis decreti præuidetur futura substantia rei,cùm ad præuidendam futuram substantiam rei, non sit necesse expectare subsequens decretum de circumstantijs eiusdem rei:scilicet decretum Dei statim dat futuritionem rei secundùm illam entitatem,secundùm quam illam efficaciter decernit. Vt si aliquo signo priori efficaciter decreuit substantiam Incarnat. nondum eo signo in particulari decretis circumstantijs temporis,loci,& personarum,quibus de facto executioni mandanda erat (vti illam de facto decreuisse, infrà ostendam) statim eo signo præuisa fuit Incarnatio quoad substantiam futura, non expectato posteriori signo,in quo determinatè & in particulari decretæ fuere circumstantiæ temporis, loci,& personarum.

Incarnatio & substantia operis præuideri potest signo priore quàm circumstantia.

Ratio. Ratio: ad videndam substantiam rei vt absolutè futuram,non requiritur aliud: quàm efficax decretum Dei absolutè decernentis principia, ex quibus substantia & entitas talis rei per se pendet:nam statim decretum efficax, purificando conditionem, reddit rem anteà visam sub conditione futuram,visibilem vt absolutè futuram, & consequenter statim Deus videt illam actu absolutè futuram:quia vt possit Deus actu videre rem absolutè futuram,non expectat,nisi vt reipsa sit visibilis,vt absolutè futura:fit autem res visibilis vt absolutè futura per efficax decretum Dei rem decernentis cum omnibus principijs per se ad illam requisitis.

119. Hinc apertè sequitur,potuisse Deum præuidere Christi merita vt absolutè futura, antequam præuidisset illa sub determinatâ subsistentiâ,tempore, aut loco existentia: licet Christus sua merita non nisi sub determinatâ subsistentiâ, & determinato tempore,aut loco re ipsa habere potuerit:quia nimirum non potest natura à parte rei præscindere à quibusdam conditionibus & circumstantis, à quibus præscindere potest in mente Dei:quia à parte rei non solùm debet existere cum omnibus ijs principijs,à quibus per se, sed etiam à quibus comitanter pendet:in mente autem diuinâ sufficit, vt cum ijs tantùm principijs decernatur, ex quibus tantùm per se pendet:nam ijs dumtaxat efficaciter decretis, videtur reipsa absolutè futura quoad substantiam,licet nondum videatur futura quoad circumstantias.

120. *Ad prob. maioris nu. 117.* Ad prob.Maioris concedo,Deum scientiâ visionis non potuisse videre alia,quàm quæ in tempore extitura erant:nego tamen, ea quouis signo videre potuisse cum omni modo & conditione,quâ in tempore extitura erant;cùm potuissent aliquo signo præscindere ab ijs, cum quibus extitura erant in tempore. Pro quo nota,aliud esse, Deum aliquo *Notandum.* præuidere rem futuram cum modo,quo est futura, quia nondum eo signo res est cum tali modo decreta:aliud,aliquo signo præuidere rem futuram, aliter ac est futura,quod falsum est:nam ex eo quòd Deus priori signo præscindat à modo; cum quo de facto res est futura, non propterea videt illam futuram aliter,ac de facto est futura,sed solùm nondum videt illam cum determinato modo,cum quo est futura. Concedo etiam, scientiam visionis esse 121. puram intuitionem rei,aut exstituræ vi decreti, aut actu existentis in seipsa in certâ loci, & temporis coëxistentiâ. Etenim priùs quàm res videatur in seipsa actu existēs,videtur extitura vi decreti efficaciter illam decernentis. Nam sicut prius est,rem à Deo decerni,quàm eamdem rem sub determinatâ subsistentiâ,loco & tempore existere:ita priùs vi decreti cognoscitur vt extitura, quàm vt sub determinatâ subsistentiâ,loco,& tempore actu existens. Vnde illa propositio,ideò Deus nouit rem futuram, quia supponebat illam in tempore existentem,falsa est de causâ vnicâ & adæquatâ: cùm etiam illam Deus noscat futuram vi sui decreti absoluti, antequam videat illam actu existentem in seipsâ,sub certâ temporis, & loci præsentiâ. Vera autem est de causâ sufficienti; cùm non solùm Deus cognoscat rem futuram vi sui decreti absoluti, sed etiam in seipsâ sub certâ & determinatâ loci, ac temporis præsentiâ existentem.

Purificatâ conditione statim res transit in absolutam futuritionem.

Obijcies 2. Semper operatio huius humanitatis 122. reipsâ supponebat subsistentiam Verbi naturâ priorem: erat enim ab hâc humanitate substantialiter completâ per hanc subsistentiam Verbi:ergo illam supponebat etiam in decreto Dei:nam eam prioritatem res habet in se,quam sortitur ex decreto Dei, à quo vt à causâ 1. pendet.

123. *Resp.* 1. Distinguo antec.semper operatio huius humanitatis reipsâ supponebat subsistentiam Verbi naturâ priorem, vt principium per se ad operandum requisitum,nego;vt præuiam conditionem comitanter tantùm ad operandum requisitam, licet vt substantiale complementum respectu naturæ, concedo. Velut calefactio præsupponit subiectum caloris calefacientis naturâ prius, non vt principium per se ad calefaciendum requisitum,sed vt præuium sustentaculum caloris,ad calefaciendum comitanter tantùm se habens.

124. *Resp.* 2. 2.Distinguo conseq.supponebat illam naturâ priorem per modum præuiæ conditionis in decreto Dei adæquato,quo decreta fuisset natura humana adæquatè cum omnibus suis conditionibus & circumstantijs,cum quibus reipsâ extitura fuisset in tempore,concedo: supponebat illam naturâ priorem,vt præuiam conditionem in decreto inadæquato Dei,quo tantùm decreta fuisset hæc humanitas cum ijs tantùm gratiæ auxilijs,cum quibus præuisa fuisset sub conditione operatura,nego. Ad prob.sat est, vt res eam prioritatem habeat in se,quam sortitur ex decreto Dei adæquato, vi cuius res executioni mandatur; cùm nequeat executioni mandari,nisi cum omnibus ijs conditionibus & circumstantijs,sine quibus reipsâ existere,vel operari non potest.

Obijcies 3.Natura essentialiter pendet à subsisten- 125. tiâ,sine quâ implicat à parte rei existere; *vt suprà*: ergo pendet ab illa per se: quia non pendet ab illâ vt à purâ dumtaxat conditione, vti pendet à præsentiâ loci & temporis,sed vt à complemento substantiali, per se ad naturæ existentiam requisito. 126.

Resp. Distinguo antec.pendet per se à subsistentiâ in ratione

tione existentiæ præcisè, nego; pendet in ratione existentiæ completæ, concedo. Nam in eo formaliter pendet à subsistentiâ, quod formaliter accipit ab illâ; accipit autem ab illâ, non existentiam præcisè, quam à solo accipit agente, sed existentiam completam. Quo fit vt licet non possit natura præuideri completè existens absque subsistentiâ, possit tamen absque subsistentiâ præuideri existens præcisè. Quod sufficit, vt potuerit hæc humanitas præuideri cum meritis absolutè futuris; scilicet cum principio per se ad illa requisito: hoc autem non est natura completè existens, sed natura præcisè tantùm existens. Nam illud tantùm per se ad merita præsupponitur, quod per se & formaliter ad operandum prærequiritur: hoc autem non est existentia completa, seu subsistentia, quæ ad operandum concomitanter tantùm se habet, sed existentia præcisè, quæ sola ad operandum se habet, formaliter & per se: quia nisi natura supponeretur existens, non posset existentiam communicare suis operibus, nec præuideri vt absolutè operatura: etsi à parte rei non possit absque materiali etiam & comitanti principio natura operari, nec reipsa in tempore operatura videri absque subsistentiâ, ita sine præsentiâ ad certum locum & tempus non potest natura reipsa operari, cùm tamen sine illa possit in præscientia vi decreti diuini præuideri vt operatura: & sine subiecto sustentante principium operatiuum, non potest accidens, aut forma materialis reipsa operari, cùm tamen in præscientiâ tam accidens, quàm forma materialis vi decreti diuini præuideri possit operatura præcisa ab omni subiecto; licet subiectum substantialiter compleat formam materialem in ratione completæ existentiæ, non minùs quàm subsistẽtia naturam.

Existentia præcisa, non completa, se habet per se ad operandum.

Duplex exemplum.

127. *Ratio.* Ratio: illud tantùm debet cum principio operatiuo videri, quod per se ad effectum operandum prærequiritur: nam hoc tantùm habito, habetur integrũm principium formale effectûs futuri. Cùm enim huiusmodi effectus non debeant præuideri in seipsis existentes in certâ temporis duratione, quo pacto supponunt naturam à parte rei existentem cum suis omnibus conditionibus ad operandum prærequisitis, sed ex vi decreti diuini absoluti & efficacis; necesse non est, ad illos hoc modo videndos, præsupponi omnia principia, & conditiones, quæ à parte rei prærequiruntur, sed tantùm cum principio formali operatiuo: nam statim ac tale principium præuisum sub conditione operaturum, à Deo efficaciter decernitur, præuidetur absolutè operaturum: cùm nequeat, posito efficaci decreto, ampliùs præuideri sub conditione operaturum, purificatâ iam conditione per ipsum decretum Dei.

128. *Axioma.* Iuxta hanc doctrinam intelligitur illud axioma: *Quod est causa causæ, est causa causati:* videlicet, quod est causa illius esse, quod formaliter & per se ad effectum prærequiritur, est etiam causa ipsius effectûs, non autem quod est tantùm causa illius, quod solùm comitanter ad effectum præsupponitur, esto ad causam ipsam se habeat formaliter: vt ignis, qui est causa caloris in aquâ, est simul causa calefactionis, per quam aqua ab igne calefacta calefacit. Contrà verò, quod est causa rarefactionis aquæ calidæ, non est simul causa calefactionis ab aquâ rarefactâ productæ: quia rarefactio non est principium formale per se in calefactionem influens.

129. *Obijcies* 4. Cum reipsâ decretâ non solùm decerni debet principium immediatum effectûs, sed etiam mediatum: sed subsistentia est principium saltem mediatũ operationis naturæ; immediatum naturæ, cùm compleat & causet substantialiter illius existẽtiam: ergo. Distinguo maior. debet cum reipsâ decretâ necessariò simul decerni principium mediatum, per se requisitum & præsuppositum ad effectum causandum, concedo; comitanter tantùm requisitum, nego. Cùm igitur subsistentia non sit principium per se requisitum ad operationes naturæ sed tantùm concomitanter, esto sit principium naturæ in esse completo, non erit per se principium operationum naturæ: ac proinde ad præuidendam naturam absolutè operaturam vi decreti diuini, non est necessarium, illam efficaciter decerni cum ipsa natura: ita licet materia sit principium per se formæ in esse completo, non est tamen per se principium operationis eiusdem: ac proinde non necessariò debet cum formâ decerni, vt forma vi decreti diuini videri possit absolutè operatura. 130. *Resp.*

Obijcies 5. Ideo potest natura absque vllâ subsistentiâ decerni, vt præuideri possit absolutè operatura, quia non necessariò pendet ab hâc determinatâ subsistentiâ: sed neque natura pendet ab hoc determinato principio productiuo, vel actione: ergo nec cum natura debet necessariò decerni hoc principium productiuum, vel hæc actio, vt videri possit absolutè operatura. Minor prob. potuit Deus hanc eamdem humanitatem vel se solo producere, actione dependente tantùm à se, vel coagente aliquo principio generatiuo Patris creati, per actionem ab ipso dependentem. Concedo, potuisse hanc humanitatem ab alio principio, & actione produci: vti & eadem humanitas cum aliâ potuit subsistentiâ creari. Nego, quod sicut potuit natura efficaciter decerni ante vllam subsistentiam, ita potuerit hæc humanitas efficaciter prædestinari ante vllum principium productiuum, vel actionem. Implicat enim videre determinatum effectum absque determinato principio, à quo effectus per se pendet: cùm igitur natura per se pendeat à principio productiuo, & actione, implicat videre illam cum determinato esse, sic enim videri debet, vt possit videri absolutè operatura, & non cum determinato principio & actione essendi: Eadem non pendet à subsistentiâ in ratione existentiæ præcisè, secundùm quam tantùm decerni debet, vt videri possit absolutè operatura. Hinc fit, vt non possit videri natura determinatè existens, quo pacto videri debet, vt videatur determinatè operatura, à principio productiuo, & actione tantùm vagè; nam determinatus effectus determinatum poscit principium sui esse: poscit autem videri vt dependens, seu dependibilis ab aliquâ subsistentia vagè tantùm. 131. 132. *Resp.* *Ratio.*

Infertur 1. Cur principium meriti non possit decerni in præmium eiusdem meriti: quia cùm principium meriti sit ipsum formale principium conferens & communicans valorem operi, propter quem opus ipsum fit idoneum ad mouendam voluntatem præmiantis ad præmium decernendum, debet supponi efficaciter decretum in particulari & determinatè cum principio operis meritorij; & per consequens nequit efficaciter decerni post meritum iam præuisum, cùm ante meritum præuisum supponatur determinatè & in particulari efficaciter decretum. 2. Cur non potuerit decerni vnio hypostatica in præmium subsequentium operum, tanquam propter merita de condigno; potuerit autem decerni in præmium operum concomitantium, tanquam propter merita de congruo: quia in primo casu vnio hypost. fuisset formale principium merendi; nam propter opera ab increatâ subsistentiâ dignificata motus fuisset Deus ad eandem subsistentiam in præmium communicandam. In 2. subsistentia diuina nullo pacto fuisset principium meriti, 133. *Coroll.* 1. 134. *Coroll.* 2.

meriti, cùm totum & adæquatum principium merendi eo casu fuisset humanitas cum solâ gratiâ actuali & habituali, decreta independenter à subsistentiâ Verbi.

135. *Obijcies 6.* Hinc videmur duplex decretum circa eandem rem in Deo admittere, alterum intentionis, alterum executionis, quod 1. *tom. disp.* 14. *sect.* 4. negaui. Vbi docui, vi eiusdem decreti efficacis rem simul à Deo decerni, & executioni mandari: hîc autem docere videmur, vno decreto rem decerni, altero executioni mandari: nam decretum, quo hæc humanitas cum his auxilijs fuisset volita, fuisset diuersum à decreto, quo hæc humanitas cum hac subsistentia executioni mandata fuisset.

136. *Resp.* Admitto duplex decretum circa rem non secundùm eandem rationem, sed secundùm diuersas; non enim admittimus vnum decretum definiens rem quoad intentionem secundùm substantiam, & alterum exequens eamdem rem secundùm substantiam: sed vnum decretum, quod simul eamdem rem quoad intentionem definit secundùm substantiam, & simul executioni mandat quoad eamdem substantiam; & alterum, quod rem definit & quoad intentionem, & quoad executionem secundùm circumstantias.

137. *Obijcies 7.* Hæc merita fuissent tali casu in primo signo rationis quoad substantiam decreta independenter à subsistentiâ Verbi, siquidem eadem merita executioni mandari potuissent per subsistentiam creatam: ergo non potuissent eadem merita in secundo signo decerni dependenter à subsistentiâ Verbi, nisi mutato priori decreto.

138. *Resp.* Resp. Fuissent decreta independenter à subsistentia Verbi, positiuè, nego; præcisiuè, concedo. Etenim solùm in 1. signo fuissent decreta merita quoad substantiam dependenter positiuè à principio formali & per se à comitanti tantùm præcisiuè: quia nihil fuisset in eo signo formaliter & in particulari decretum de positiuâ dependentiâ à principio comitanti, sed tantùm virtualiter & in communi: eo modo quo, quando decernitur efficaciter finis, cum eo simul virtualiter & indeterminatè, non formaliter & determinatè decernuntur media, quæ tantùm determinatè & formaliter decernuntur in 2. signo rationis: quanquam dependentia quam operatio à parte rei habet à subsistentiâ non est vt à causâ, sed vt à conditione.

139. *Ad fund. 1. Sentent.* Ad fundam. primæ, disting. Maior: omnis operatio supponit suum principium substantialiter completum prius naturâ, si sermo sit de principio per se, vera est vniuersaliter in omni statu, & absque vllâ limitatione: cùm in omni statu repugnet, esse determinatam operationem, qualis esse debet operatio absolutè futura, & non esse determinatum principium per se, à quo talis operatio per se pendet. Sin autem sermo sit de principio tantùm comitanti, limitanda est: supponit in omni statu principium substantialiter completum, complemento comitanti, nego; supponit principium substantialiter completum complemento comitanti in executione & à parte rei, transeat; cùm nequeat interdum in executione & à parte rei operatio præscindere etiam à principijs & conditionibus comitantibus.

Ad prob. maioris. Ad prob. nego, omne principium in omni statu præsupponi naturâ prius ad operationem, sed duntaxat illud à quo operatio per se pendet.

140. Ad prob. conseq. concedo, in eo, in quo hic ordo est essentialis, non posse à Deo immutari: est autem essentialis, vt nunquam complementum substantiale, in genere complementi substantialis physici, fiat naturâ posterius operatione, cuius proximum principium substantialiter complet; sed semper maneat in genere complementi substantialis physici, naturâ prius operatione. Hinc tamen non repugnat, vt possit fieri posterius in genere effectûs moralis: nam hæc posterioritas non repugnat cum prioritate in genere complementi substantialis physici. *Mutua prioritas & posterior. vt constat de fine & medijs.* In primo igitur signo, in quo Deus efficaciter decreuisset hanc humanitatem cum his auxilijs, nullâ adhuc in particulari decretâ subsistentiâ, præuidisset vi talis decreti hanc humanitatem his auxilijs absolutè operaturam: proinde vidisset hanc operationem naturâ posteriorem in genere principij per se hâc humanitate & gratiâ, & simul etiam naturâ posteriorem in genere complementi substantialis comitantis aliquâ subsistentiâ indeterminatè, nondum in particulari decretâ. In 2. signo, in quo propter hanc operationem præuisam absolutè futuram, vi principij per se efficaciter decreti, dare decreuisset huic humanitati subsistentiam Verbi, præuidisset eandem subsistentiam Verbi posteriorem naturâ in genere effectûs moralis hâc operatione, propter quam motus fuissent ad illam decernendam; & simul naturâ priorem in genere complementi substantialis physici comitantis: ac proinde nunquam vidisset illam naturâ posteriorem in genere complementi substantialis physici.

DICES. Cur igitur non potuisset Deus priùs efficaciter decernere subsistentiam Verbi, vt physicum complementum substantiale huius humanitatis, & posteà propter opera ab ipsâ subsistentiâ condignificata præuisa vt absolutè futura, eandem subsistentiam decernere in præmium huic humanitati, ac proinde illam in præmium dare propter opera subsequentia? siquidem non repugnat, vt eadem subsistentia sit prior & posterior in diuerso genere causæ. 141.

Resp. implicantia est ex eo, quòd tolleretur ratio meriti & præmij, quæ essentialiter postulat, vt merens plus habeat post præmium, quàm habuerat anteà ex solo suo merito. Iam si Deus ante vllam præuisam operationem efficaciter decerneret huic humanitati, vt substantiale complementum physicum subsistentiam Verbi, si posteà eamdem subsistentiam daret propter præuisa opera subsequentia, non daret aliquid, quod merens ipse ex solo suo merito non habebat antè. 142. *Resp.*

Instabis. Haberet illam nouo titulo præmij, quo non habebat anteà, sicut easdem corporis gloriosi dotes Christus habuit in præmium suorum operum, cùm tamen anteà illas easdem habebat, vt proprietates ratione vnionis hypost. sibi debitas. 143. *Instabis.*

Sed transeat totum: neque enim in hoc sensu est inter DD. quæstio, quando inter ipsos disceptatur, an possit principium ipsum meriti dari in præmium merenti quoad nouum dumtaxat titulum, sed quoad substantiam præmij, quo pacto implicat, cùm iam debeat substâtia præmij necessariò supponi efficaciter decreta & collata merenti, vt per illam, tanquam per principium per se antecedenter requisitum, mereri sibi valeat præmium. *Resp.*

Ad confirm. nego maior. tum quia eo casu, saltem in mente diuinâ in primo signo rationis hæc opera huius humanitatis non dependissent positiuè & determinatè à subsistentiâ Verbi, neque vt à conditione, sicut de facto semper dependerunt. 144. *Ad confirm.* Tum quia tunc hæc vnio hypostatica habuisset nouam dependentiam in genere causæ moralis meritoriæ ab his operibus, à quibus non habet nunc: quia tunc decreta & collata fuisset propter hæc opera præuisa vt absolutè futura ab hâc humanitate, & his auxilijs antecedenter decretis, propter quæ non est decreta & collata nunc. Quæ dependentia sic prob. *A posteriori.* si in eo casu hæc opera, dependenter à quibus decreta & collata fuisset hæc vnio hypostatica in hâc huma-

humanitate non præcessissent, vti potuissent non præcedere, si hæc humanitas cum his auxilijs præuisa fuisset pro suâ libertate non operatura, non fuisset hæc vnio decreta, & collata huic humanitati. Contrà verò ex vi præsentis decreti, etiamsi nulla præuisa fuissent opera huius humanitatis, vnionem concomitantia, adhuc fuisset talis vnio huic humanitati decreta & collata.

145. *Ad fund. Vasquez.* Ad 2. Resp. eo casu operationem humanitatis futuram fuisse meritoriam Vnionis, vt dignificatam à gratiâ habituali priùs naturâ humanitati collatâ. Vnde ad 1. prob. nego, tunc gratiam habitualem datâ fuisse humanitati ex positiuo affectu adoptionis, sed tantùm præcisiuè, quia licet in signo *à quo* priùs fuisset collocata gratia, quàm vnio, quia tamen in eodem signo *in quo* simul fuissent gratia & vnio, non potuisset gratia habitualis dari ex positiuo affectu adoptionis; nam positiuus affectus adoptandi excludit positiuum affectum filiationis naturalis. Nec dici potest in primo tantùm signo rationis fuisse gratiam à Deo datam ex positiuo affectu adoptandi, non autem in secundo. Quia nihil positiuè Deus vult in vno signo, quin idem positiuè velit in quolibet subsequenti, nam quod Deus ex se positiuè vult, nunquam mutat. Reliquæ verò probationes ad summum procedunt de operibus procedentibus ab humanitate reipsâ vnitâ Verbo, non de operibus procedentibus ab humanitate priùs ratione prædestinatâ cum auxilio congruo: sic enim, vti ratione præcedit vnionem, ita eius operatio ex congruo auxilio præuisa, valorem suum non habet ex vnione, sed ex gratiâ habituali.

SECTIO VIII.

An antiqui PP. Christi Incarnationem meruerint?

146. *1. Sentent.* PRIMA Sententia *Suarez disp. 10. sect. 6.* affirmantis, antiquos Patres neque quoad substantiam meruisse Incarnationis prædestinationem; quia ipsa est radix, in quâ omne meritum PP. fundatur; neque quoad circumstantias; quia etsi hoc non implicet, tamen perfectior modus Incarn. fuit vt planè esset independens à meritis hominum quoad prædestinationem; meruisse tamen illius executionem, etiam quoad substantiam; quia potest res prædestinata independenter à meritis alicuius, executioni mandari dependenter à meritis eiusdem vti quod prædestinatum est independenter ab omni merito, potest executioni non mandari, nisi dependenter à meritis.

147. *2. Sentent.* SECVNDA *Alen. 3. p. qu. 8. memb. 3. art. 2. Bonau. in 3. dist. 4. art. 2. quæst. 1. Scoti in 4. dist. 2. quæst. 1. §. Ad 1. Richar. in 3. art. 3. qu. 1. Gabr. qu. vnic. art. 3. dub. 3. Marsilij qu. 5. art. 1. & 3. S. Thom. 3. p. quæst. 2. art. 11. & in 3. dist. 4. quæst. 3. art. 5. Vasquez disput. 22. cap. 4.* affirmantium, antiquos Patres solùm meruisse Christi Incarnationem quoad temporis accelerationem.

148. *Conclusio constans inter Schol. Fundam. vnicum.* DICO 1. Nulla pura creatura potuit de condigno Incarnationis mysterium promereri, neque quoad substantiam, neque quoad circumstantias. Fundam. meritum de condigno debet in valore præmium adæquare: sed nullius puræ creaturæ meritum potest in valore mysterium Incarn. adæquare: nec quoad circumstantias: quia meritum de condigno, præter æqualitatem, debet suâ naturâ ad præmium ordinari: vt *tom. 3. disp. vlt.* at nullum opus ex gratia procedens suâ naturâ ordinatur ad circumstantias Incarn. promerẽdas: alioquin omnia opera Iustorũ in gratiâ facta suâ naturâ ordinarentur ad eas. Ratio: opus à gratiâ profectum suâ naturâ solùm ordinatur ad promerendum id, quod ex naturâ suâ connexionem habet cum gratiâ, cuiusmodi est incrementum gratiæ, gloria, & habitus supernaturales. *A priori.*

149. DICO 2. De congruo non implicat, ex vi alterius decreti, Deum prædestinâsse Incarnationem, etiam quoad substantiam, dependenter à meritis antiquorum Patrum: implicat autem, illam prædestinâsse ex vi præsentis decreti. Primum constat: quia ex vi alterius decreti potuit Deus gratiam conferre antiquis PP. independenter à meritis Christi, & ex ipsorum meritis in æternitate præuisis hoc mysterium prædestinare. Secundum prob. ex vi præsentis decreti, omnis gratia collata est creaturis dependenter à meritis Christi; sed principium meriti non cadit sub meritum, nullumque opus est meritorium apud Deum, nisi à gratiâ procedat: ergo. *Assertio 2.*

150. DICO 3. Implicat ex vi præsentis decreti, antiquos Patres secundùm primariam rationem motiuam, meruisse substantiam Incarn. quoad executionem, non autem quoad secundariam rationem, licet de facto neque secundùm hanc illam meruerint. Primum patet: quia ex vi præsentis decreti, merita Christi, quæ fuerunt causa meritorum antiquorum Patrum supponebant in præscientiâ Dei Incarnationem vt futuram, & aliquando exhibendam: ergo non potuit hæc ipsa executio quoad substantiam cadere sub meritum illorum: alioquin fuisset anterior & posterior secundùm eandem obiectiuam rationem respectu eorundem meritorum. Secundum prob. potuit Deus ex meritis antiquorum præuisis in signo rationis posteriore ad ipsam Incarn. præuisam iam actu exhibendam nouâ quasi ratione impulsiuâ moueri ad eandem exequendam. Tertium constat authorit. Schol. qui ferè omnes negant, antiquos Patres meruisse substantiam Incarn. quod ex *August. 13. de Trinit. cap. 19.* colligit *Scotus in 4. dist. 2. qu. 1. §. Ad primum*, vbi Incarnationem appellat summam gratiam: non fuisset summa gratia, si admixtum habuisset aliquod meritum. Ratio; Christus est prima causa meritoria, depẽdenter à quâ Deus omnia dona supernat. contulit creaturis: ergo debuit omninò gratis exhiberi, quia primum in vnoquoque genere non debet ab alio in eodem genere pendere. *Assertio 3.* *Ratio.*

151. *Obijcit Suarez.* Bona opera antiquorum Patrum, præsertim B. Virginis, fuerunt medium ad exequendam Incarn. sed illa tota fuere propter merita Christi: ergo eadem opera fuerunt media ad executionem sui principij in genere meriti. Distinguo maior. fuerunt medium quoad substantiam Incarn. nego; quoad circumstantias, concedo. *Obiectio.* *Resp.*

152. DICO 4. Antiqui Patres mereri potuerunt circumstãtias Incarn. non modò quoad executionem, verùm etiam quoad prædestinationem, & de facto meruerunt temporis accelerationem, *Daniel. 9.* Quia circumstantiæ sunt, sine quibus saluatur rei substantia: ergo potuit Deus prædestinare Incarnationem independenter à meritis hominum quoad substantiam, circumstantias verò non nisi dependenter à meritis eorundem: sicut potuit Incarnatio exequi sine his, vel illis circumstantijs determinatè & in particulari, ita potuit sine his vel illis prædestinari: prædestinatâ autem Incarnatione quoad substantiam potuit Deus dependenter ab illâ gratiam conferre Patribus, dependenter à quorum meritis prędestinare potuit has vel illas circumstantias *4. Assertio.* *Fundam.*

stantias particulari; sicut enim merita Christi per se tantùm pendent à substantiâ Incarn. ita ex meritis Christi supponentibus Incarn. quoad substantiam decerni potuit gratia Patribus, ex quorum meritis postea prædestinari potuerunt circumstantiæ determinatè & in particulari.

153. *Dices.* DICES. Non ob alia merita Christi Deus prædestinâsset gratiam antiquis Patribus, & dependenter ab eorum meritis Incarnationis circumstantias, quàm quæ de facto fuerunt: sed quæ de facto fuerunt, supponebant Incarnationis circumstantias iam prædestinatas; quia merita non mouent, nisi vt præuisa actu exhibita extra causas: quo pacto supponunt determinatam matrē, determinatum tempus &c. Distinguo minor. Merita, quæ de facto fuerunt, supponebant Incarnationis circumstantias prædestinatas vi prioris decreti, quo prædestinata fuit substantia Incarnationis, nego: supponebant circumstantias prædestinatas vi posterioris decreti, quo substantia cum omnibus circumstantijs fuit adæquatè prædestinata, concedo. Præterea nego, merita non mouere Deum, nisi vt actu exhibita: quippe quæ mouere possunt, antequam videantur reipsà in tempore exhibita, sed tantùm vt exhibenda vi absoluti decreti, quo prædestinata fuit Incarnationis substantia, *vt suprà*. Ex dictis patet ad sent. & rationes *Suarez*.

154. *Resp.*

Ad sententiam Suarez.

SECTIO IX.

Quid sibi Christus de facto meruerit?

154. QVinque sunt, de quibus conuerti potest; Beatitudo animæ cum reliquis donis infusis gratiæ & virtutum: Conseruatio vnionis hypost., Productio partialis vnionis hyp. in partibus illis materiæ, quas quotidiano incremento Christus sibi aggenerabat.; Reproductio totalis vnionis hypost. totius humanitatis per mortem amissæ, & iterum per resurrectionem reparatæ: Beatitudo corporis gloriosi cum reliquis dotibus & perfectionibus.

155. *An Christus sibi meruerit animæ beatitudinē cum reliquis donis infusis gratiæ virtutum.* *1. Sentent.* Quoad animi beatitudinem, & reliqua dona supernaturalia tam gratiæ, quàm virtutum, non pauci affirmant, ea Christum accepisse ex meritis: ita *Guilielm. de Rubio. in 3. dist. 18. quæst. 1. art. 2. concl. 4. Mayro. quæst. 1. Maior quæst. 2. &c.* quam sent. probabilem putat *Albertus in 3. dist. 18. art. 4. & 7.* putant, ea sibi Christum promeruisse per opera tempore subsequentia, *Albertus, Rubio, Maior*: per opera naturâ tantùm præcedentia, *Maior*, qui vtrumque modum censet probabilem, & *Mayro.* per opera simul existentia cum beatitudine, *Rubio*, qui nullo modo vult concedere, meritum naturâ præcessisse præmium, sed vel fuisse simul cum illo, vel tempore posterius; suffragatur S. *Doctor 3. parte quæst. 34. artic. 3.* vbi docet, Christum in 1. instanti suæ conceptionis fuisse sanctificatum per proprium motum liberi arbitrij in Deum. *Qui quidem motus*, inquit, *liberi arbitrij est meritorius.* Quæ sanctificatio, cùm intelligi nequeat de sanctificatione per vnionem hypost. siquidem de eâ docet *qu. 2. art. 11.* sibi Christum mereri non potuisse, intelligenda erit de sanctificatione per visionem beatificam, & gratiam habitualem. Eandem probabilem censet *Suarez disp. 40. sect. 2.* quamuis ipse oppositam sequatur vt probabiliorem. Vnde temerè illam vt temerariam damnat *Medina*.

157. *Probatur 1. hæc sententia ex scriptura.* Prob. 1. ex Lucæ vlt. *Nónne hæc oportuit pati Christū, & ita intrare in gloriam suam?* Si autem necessaria fuit Christo passio, vt per eam in gloriam suam intraret; non igitur fuit illi gratis collata, sed vt præmium & merces proprijs meritis & laboribus retributa. Hebr. 2. *Videmus*, IESVM *propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum.* Quem locum explicans Anselm. *Videmus*, inquit, *oculis fidei, coronatum gloriâ & honore secundùm animam & corpus, qui coronatus est propter passionem mortis.* Quibus significat, eodem titulo datam fuisse Christo gloriam animæ, quo illi data fuit gloria corporis: at gloria corporis, *vt infrà*, data fuit Christo titulo mercedis & præmij, propter obedientiam in sustinendâ morte; ergo etiam gloria animæ. 2. Illud est tribuendum Christo, quod est perfectius: perfectius autem est, habere aliquid per proprium meritum, quàm gratis: ergo non gratis, sed meritoriè Christus accepit beatitudinem animæ cum reliquis donis gratiæ & virtutum supernat. Minor. prob. habere aliquid per proprium meritum, est habere illud propriâ virtute, qui modus habendi procul dubio perfectior est, quàm habere per extrinsecam dumtaxat voluntatem donantis. 158. *Probat. 2. ratione.*

SECVNDA negat, Christum beatitudinem animæ, & reliqua dona gratiæ & virtutum supern. habuisse ex proprijs meritis, sed vt proprietates ratione hypost. vnionis sibi connaturaliter debitas. Est communis Schol. cum *Magist. in 3. dist. 18. & Thomist. cum Angelico 3. p. qu. 19. art. 3.* 159. *2. Sentent. Difficultas in ratione efficaci assignandâ.*

I. Ratio est; ideò Christum animæ beatitudinem sibi non meruisse, quia non potuit illam sibi mereri, nisi per actum naturâ priorem: non potuit autem habere actum naturâ priorem visione beatificâ: nam posito quòd in instanti conceptionis Christus fuerit beatus, implicat, vt in eodem instanti habere potuerit actum meritorium naturâ priorem: quia quod necessariò mouet, priùs mouet, quàm quod liberè mouet, vt patet in angelis, qui priùs habuerunt amorem necessarium erga seipsos, quàm liberum erga alia obiecta; esto eodem instanti habuerint vtrumque amorem simul: sed obiectum beatificum clarâ visione propositum, necessariò mouet; contrà verò obiectum meritorium, liberè: igitur non potuit Christus cum visione beatificâ eodem instanti temporis habere actum meritorium naturâ priorem: est aliquorum Scotist. ex *Scoto in 3. distinct. 18. quæst. vnica §. Hoc viso*, versu *Ad 1.* vbi docet, nullum actum meritorium naturâ priorem præcedere potuisse actum beatificum animæ Christi, idque propter nobilitatem & excellentiam talis actûs, & modi habendi illum, nempe immediatè circa finem ante vllum actum circa media. Sed contrà: habere actum naturâ priorem visione beatificâ, non est aliud, quàm simul cum ipsâ elicere actum, dependenter à quo vt à causâ meritoriâ motus sit Deus ad visionem beatificam communicandam. At potuit Christus simul cum visione beatificâ elicere actum, dependenter à quo vt à causâ meritoriâ motus fuerit Deus ad visionem beatificam sibi communicandam: ergo potuit Christus habere actum naturâ priorem visione beatificâ, etiamsi illam habuerit instanti 1. suæ conceptionis. Maior constat: nam prioritas naturæ, est tantùm prioritas causalitatis, quæ stare potest cum simultate, imò & cum posterioritate durationis, vt patet de passione Christi, quæ posterior tempore, fuit prior naturâ, & causalitate gratia collata antiquis Patribus. Minor probat. non obstante visione beatâ, Christus retinuit sufficientem libertatem ad merendum. 160. *1. Ratio.* *Scotus.* 161. *Reijcitur.* 162. *Potuit visio conferri dependenter ab aliquo actu quem eo instanti elicere potuisset.*

Nec obstat quòd illam acceperit à 1. instanti suæ conceptionis, quia vt potuerit per actum in primo instanti liberè elicitum illam prome-

promereri, necesse non erat, vt in eodem instanti de facto visio beatifica non fuerit, sed tantùm vt potuerit non esse. Nam sicut, vt 1. instanti fuerit meritum, non requiritur, vt eo instanti de facto non fuerit, sed tantùm vt potuerit non esse; ad meritum enim solùm requiritur, vt ita pro aliquâ duratione sit, vt potuerit pro eâdem duratione, vi antecedentis libertatis non esse; nō autem, vt aliquando de facto non sit, vt patet de actu libero Dei, qui in totâ æternitate semper fuit: ita ad præmium non requiritur, vt illud de facto aliquando non fuerit, sed ita fuerit, vt potuerit non esse: quia cùm pendeat ex actu meritorio libero, vti hic debet posse non esse, ita & illud. Sed ex eo quòd Christus 1. instanti fuit beatus, non sequitur, quòd non potuerit pro eodem instanti antecedenter non esse beatus: ergo ex eo quod 1. instanti habuit beatitudinem animæ, non sequitur, quòd pro eo instanti non potuerit illam sibi promereri per actum eodem instanti liberè elicitum, quem si non elicuisset, beatitudinem pro eodem instanti non habuisset. Ad probat. minoris, distinguo maior. quod necessariò mouet, 163. prius, hoc est, efficaciùs & certiùs mouet, quàm quod liberè mouet, concedo: quia quod necessariò mouet, ita mouet, vt non possit non mouere: quod autem liberè, ita mouet, vt possit non mouere. Quod necessariò mouet, priùs natura & causalitate mouet, quàm quod liberè mouet, nego: quia potest id, quod liberè mouet, esse causa moralis eius, quod necessariò mouet; non autem contrà: proinde potest quod liberè mouet esse prius naturâ & causalitate eo, quod necessariò mouet.

164. 2. Ratio. II. Ratio *Vasquez disput.* 78. *cap.* 3. Ideo nec Christus, nec vllus beatus, non modò de facto, sed nec de possibili, potuit per opera concomitantia, vel subsequentia, visionem beatificam sibi promereri, quia omnia opera, quæ possunt in beato esse meritoria *Minor & consequ. constant suprà.* apud Deum, supponunt visionem Dei, vt principium & causam illorum: implicat autem vt quod supponitur principium & causa meriti, cadat sub meritum: ergo implicat, Christum, aut quemlibet alium beatum, visionem beatificam sibi mereri per opera concomitantia, vel subsequentia visionem. Maior prob. vel hæc opera meritoria sunt dilectio Dei: at hæc necessariò supponit visionem Dei, à quâ originetur: præter dilectionem autem Dei ortam ex visione eiusdem nulla alia dari potest in *sent. Vasqu.* dilectio Dei beatis, *vt suprà:* Vel sunt opera aliarum virtutum; & hæc aut eliciuntur ex motiuo charitatis erga Deum, ac proinde supponunt dilectionem, & consequenter visionem Dei: aut ex proprio motiuo ipsarum virtutum siue infusarum, siue acquisitarum; & hæc eodem modo supponunt visionem Dei vt principium; cùm impossibile sit, eum, qui videt Deum, ex visione ipsa Dei non moueri ad efficacius consideranda opera & obiecta aliarum virtutum; atque adeò efficaciori affectu moueri ad ea exercenda, quàm moueretur, si Deum non videret. Ergo visio Dei necessariò habet aliquam efficacitatem in huiusmodi opera: igitur non poterit eadem visio beatifica dari in præmium eorumdem operum: alioquin principium meriti daretur in præmium eiusdem meriti, quod implicat. Sed con- 165. *Reijcitur.* trà: falsum est, in Christo non fuisse, nisi dilectionem originatam ex visione Dei, vt *sect.* 2. falsum etiam est, visionem Dei fuisse in Christo principium meriti: sed illius principium fuit scientia infusa. Ad id autem quod dicitur, visio beata influxisse in opera meritoria Christi, 1. negari potest, quia potuit pro priori signo rationis intellectus & voluntas Christi adæquatè moueri à sola notitia infusa. 2. esto, Christus fuerit ad opera meritoria motus scientiâ etiam beatâ, adhuc nego, visionem beatam dari non potuisse in præmium talium operum, non quidem propter intensiorem illum affectum, quo procedebant ex motione visionis beatæ, sed propter substantiam & intensionem, secundùm quam eadem opera præuisa fuissent absolutè futura vi solius notitiæ infusæ. Nam priùs ratione potuit in æterno suo decreto Deus prædestinare hanc humanitatem, cum hâc subsistentiâ Verbi, & notitiâ infusâ, vi cuius potuit præuidere hæc opera vt absolutè futura, quàm illi decernere visionem beatificam. Et tunc licet in tempore eadem opera maiorem intensionem acceptura essent ex visione beatificâ, non tamen propter hanc maiorem intensionem illa collata fuisset humanitati Christi, sed propter solam substantiam & intensionem cum quâ præuisa fuissent futura ex vi & motione solius scientiæ infusæ. Confirm. etiamsi con- 166. *Confirm.* tritio elicita à peccatore, accipiat valorem & condignitatem à gratiâ iustificante, quæ in eodem instanti infunditur; non tamen propter huiusmodi valorem infunditur à Deo gratia contrito, alioqui principium meriti daretur in præmium; sed propter intrinsecam honestatem, quam contritio antecedenter ad gratiam habitualem habet ex obiecto & auxilio supernaturali. Esto igitur opera Christi aliquam perfectionem accepissent à visione beatificâ, simul eodem instanti cum intellectu humano Christi concurrente ad opera meritoria, adhuc visio dari potuisset in præmium talium operum, non propter perfectionem, quam accepissent ex visione beatificâ, sed quam tantùm accepissent ex proprio obiecto & scientiâ infusâ.

III. Ratio *Medinæ* 3. *p. quæst.* 19. *art.* 4. Impli- 167. 3. Ratio. cat, vt idem sit principium meriti, & terminus seu merces eiusdem: sed posito, quòd lumen gloriæ, & visio beata collata fuerunt Christo instanti conceptionis, necessariò fuerunt principia ex parte intellectus, regulantis opera meritoria Christi: nam duplex assignari potest principium ex parte intellectus Christi, regulans ipsius merita, lumen gloriæ, seu visio beata, & scientia ipsa infusa. Si primum, vera est minor; si secundum, adhuc sequitur intentum: nam scientia infusa in genere causæ efficientis oritur ex lumine gloriæ: ergo saltem mediatè lumen gloriæ fuit principium meritorum Christi. Sed contrà: falsum est scientiam infusam efficienter 168. *Refutatur.* oriri à lumine gloriæ, cùm vterque sit habitus infusus per se primò ad operandum ordinatus: vnus autem habitus infusus non producitur efficienter ab alio, sed vel immediatè à Deo, vel ad summum ab ipsâ gratiâ sanctificante, vt à naturâ supernat. exigente habitus infusos vt proprietates & potentias operatiuas. 2. esto scientia infusa naturaliter petat produci à lumine gloriæ, diuinitùs tamen produci posset à solo Deo, independenter à lumine, & tunc posset esse causa regulatiua actus meritorij ipsius luminis.

IV. Ideò de facto Christus non meruit sibi glo- 169. 4. Ratio quorundam Recentiorum. riam, & reliqua dona animæ, quia de ratione meriti est, vt merens plus accipiat per præmium, quàm ex solo suo merito haberet. Cùm enim præmium ordinetur ad vtilitatem & emolumentum ipsius merentis, nisi aliqua maior perfectio per præmium accrescat merenti vltra eam, quam merēs ipse haberet ex solo suo merito, non censebitur moraliter præmiatus. Cùm igitur supponatur ex communi sententia, hæc dona Christus accepisse vt proprietates ratione diuinę personalitatis sibi debitas, nō potuit eadem

dem dona naturaliter accipere in præmium suorum
170. *Impugnatur.* operum. Sed contrà: hæc ratio manifestam instantiam habet in gloria corporis, & impassibilitate animæ, quas Christus accepit & vt proprietates ratione diuinæ personalitatis sibi naturaliter debitas, & vt præmium suorum laborum.

171. *Instatur.* DICES: gloriam corporis (& eodem modo philosophari debent de animi impassibilitate) vi præsentis decreti non accepisse Christum titulo naturalis debiti & exigentiæ, vti accepit gloriam animæ, cum gratiâ & reliquis habitibus infusis; sed tantùm titulo meriti, consentiente Christo, ita vt vi præsentis decreti consecutus non fuisset gloriam corporis, & animi impassibilitatem, nisi per merita: vt etiam docet *Vasquez 1.p.disp.89.cap.11. fine*: ex Lucæ vlt. *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* nam si alio titulo, quàm mortis consecuturus fuisset vi præsentis decreti gloriam corporis, non oportebat, in illam intrare per passionem, siquidem aliâ viâ in illam iam intrasset: & ex *Cyrillo dialogo 5. de Trinit. circa med.* vbi docet, non fuisse Christum à sanctis adorandum, nisi fuisset mortuus & crucem passus: ergo gloria corporis data illi fuit titulo tantùm passionis & mortis. Sed contrà 1. idem dici posset de gloriâ animæ, vt neque illam de facto Christus acceperit titulo connaturalis debiti & exigentiæ, sed tantùm meriti, adeoque nec vi præsentis decreti illam habiturus fuisset, nisi per passionem. Nec obstat, quòd mors & passio fuerunt tempore posteriores gloriâ animi, quam de facto Christus accepit initio suæ conceptionis: nam per eos possunt merita esse tempore posteriora præmio, non tantùm respectu aliorum vt fuerunt merita Christi respectu gratiæ collatæ antiquis PP. sed etiam respectu ipsius merentis. 2. Falsum est, semper contra naturam meriti esse, vt merens accipiat in præmium id, quod alio titulo est sibi debitum, quando nouus titulus cedit in singularem gloriam & honorem ipsius merentis. Nam tunc singularis ille honor potest esse sufficiens præmium meriti. Sic successio regni debita filio Regis titulo hæreditatis, si posteà accedat nouus titulus victoriæ, poterit ratione huius noui tituli eadem regni successio esse sufficiēs præmium ad compensandos labores in bello impensos. Ita ratione noui tituli honorifici resultantis ex gloriosâ morte & passione, potuit eadem gloria corporis Christo esse præmium suorum meritorum: neque enim vi solius vnionis hypostaticæ debita fuisset Christo gloria corporis cum tali honore: siquidem vi illius habiturus illam fuisset etiam absque vllo opere gloriosè patrato. Vnde hæc sentent. communis est.

172. *Reijcitur.*

173. *Contrà 2.*

174. *Ad authoritatem script.* Ad 1. scripturæ Resp. verbum, *Oportet*, non semper significare necessitatem, sed decentiam, in quo sensu eo vtitur *Trident. sess. 6. cap. 6.* vbi loquens de contritione, ait illam ante baptismum agi oportere: cùm tamen ad baptismum non sit simpliciter necessaria contritio, sed sufficiat attritio. Ita cùm dixit Christus, se hæc pati oportuisse, vt intraret in gloriam suam, non intellexit de necessitate simpliciter, quasi nullo alio titulo & viâ in illam intraturus fuisset, nisi per merita, sed de solâ decentiâ; quia valde decens fuit, vt in illam non solùm titulo connaturalis debiti, sed etiam mortis & passionis intraret.

175. *Cyrilli.* AD 2. *Cyrilli*, R. Illum loqui ex suppositione, quòd filius Dei non fuisset incarnatus: nam tunc nec fuisset crucem passus nec mortuus, ac proinde neque hanc gloriam fuisset assecutus, quam de facto per passionem assecutus est, sic enim scribit: *Quandoquidem necessarium hominum lapsibus & nostris peccatis erat Vnigenitum pati, maximam quidem habeat gratiam ipse, sciat autem, quod humanitatus crimina illi diuinæ gloriæ occasio fuerint. Nam si non peccassemus, neque factus esset nobis similis, neque sustinuisset crucem: & si non mortuus fuisset, neque assecutus esset, vt adoraretur, & à nobis, & à Sanctis.* Sed esto loquatur de cruce & morte, etiam factâ suppositione Incarn. adhuc ex ipsius verbis aliud non colligitur, quàm quòd si mortuus, & pro nobis crucem passus non fuisset, à nobis, & à sanctis adoratus non fuisset hoc præciso titulo, vt Redemptor per crucem, sed alijs titulis.

DICES. De facto Christus vi præsentis decreti non fuisset incarnatus, nisi futurus fuisset Redemptor per passionem: ergo vi præsentis decreti non habuisset gloriam corporis, nisi fuisset mortuus & passus. Resp. 1. Idem argumentum fieri posse de gloriâ animi, quam tamen communiter concedunt, non habuisse Christum vi præsentis decreti per merita, sed titulo dumtaxat connaturalis exigentiæ: cùm tamen nisi Christus futurus fuisset redemptor per mortem, nec habiturus fuisset gloriam animi. 2. Disting. conseq. ex vi præsentis decreti Christus non habuisset gloriam corporis, sicut nec animi, nisi fuisset passus, vt ex medio extrinseco & consequenter, concedo: nam sublatâ morte, cum quâ de facto vi præsentis decreti connexa fuit Incarnatio, sublata etiam fuisset Incarnatio, & consequenter cum eâ vtraque gloria tam corporis, quàm animi: vt ex medio intrinseco & formaliter, nego: Nam adhuc factâ Incarnatione, & per possibile, vel impossibile, passione non secutâ, Christus vi medij intrinseci habiturus fuisset gloriam tam animi, quàm corporis: nam mansisset sufficiens titulus habendi illam, debito connaturalitatis. 176. *Dices.* *Resp. 1.* 177. *Resp. 2.*

V. *Scoti in 3. dist. 18. quæst. vnica §. Hoc viso*, vers. *Aliter dicitur*, decebat, vt in illo regno cœlesti essent omnes gradus & combinationes Beatorum: sed aliqui sunt, qui beatitudinem habent ex merito tantùm proprio, vt angeli: alij ex merito tantùm alieno, vt paruuli baptizati: alij partim ex proprio, partim ex alieno, vt adulti: ergo debuit esse aliquis, qui ex nullo merito beatitudinem haberet. Sed cōtrà: hæc est tantùm leuis congruentia, cùm talis combinatio non videatur ad notabilem perfectionem beatifici status spectare; quin potius congruentiùs videtur, vt nullus præter Deum, qui solus est fons supernat. beatitudinis, eam possideat, nisi ex meritis. 2. probabilior opinio est, Christum meruisse etiam angelis essentialem beatit. 178. *5. Ratio.* 179. *Confutatur.*

VI. *S. Thom. 3. p. quæst. 19. art. 3.* Quando modus habēdi aliquid per meritum præiudicat maiori perfectioni & dignitati Christi, quam ei accrescere posset per meritum, non est talis modus attribuendus Christo: sed modus habendi beatitudinem animæ, gratiam sanctificantem, & reliquos habitus infusos per meritum, præiudicat maiori perfectioni & dignitati Christi; quia cùm meritum sit tantùm respectu eius, quod nondū habetur, debuisset Christus his perfectionibus aliquando carere: sed his perfectionibus aliquando carere, magis minueret dignitatem Christi, quàm illam augeret meritum: igitur præstitit Christo, illas habere sine merito, quàm ex merito. Sed contrà: non est necesse, vt meritum tempore, sed naturâ tantùm præcedat præmium: ergo non fuisset necessarium, vt Christus aliquando caruisset beatitudine, & cæteris donis animæ, vt ea promereri potuisset. Antecedens constat tum in augmento gratiæ, quod in præmium datur iustis eodem instanti, quo meri- 180. *6. Ratio.* 181. *Reijcitur.*

meritoriè operantur: tum in primâ gratiâ iustificante, quæ propter actum contritionis, vt propter meritum de congruo datur contrito eodem instanti, quo conteritur.

182. *Omnium probabilissima ratio.* VII. Cur de facto Christus gloriam animæ, cum reliquis donis infusis sibi non promeruerit, etiamsi ea sibi promereri potuerit, est: quia maior est imperfectio, hæc habere per meritum, quàm sit perfectio, ipsa per meritum possidere: nam maior est imperfectio, operari ex principio intrinsecè incompleto, quàm sit perfectio, hæc dona habere ex merito: importat enim intrinsecum defectum virtutis operatiuæ: non habere autem hæc dona ex merito, importat solùm illa non possidere vt mercedem suorum laborum, sed vt aliunde sibi debita; quod nullam importat positiuam imperfectionem & defectum: at vt potuisset Christus suam visionem beatam, cum gratiâ accidentali, & reliquis habitibus infusis sibi promereri, illa promereri debuisset per actum alicuius virtutis supernat. nam ea per solum actum virtutis naturalis promereri, esset maior imperfectio, cùm dicat in ipso opere meritorio defectum intrinsecæ proportionis & condignitatis ad præmium, & licet huiusmodi meritum esset cõdignum & proportionatum extrinsecè à dignitate personæ operantis, esset tamen improportionatum intrinsecè, cùm esset in suâ entitate naturale: non potuisset autem hæc sibi promereri per actum virtutis supernat. elicitum principio nisi intrinsecè incompleto scilicet. *Christo tribuendus est modus hæc dona habendi perfectior.* Vt iste actus (ponatur quod sit, charitatis supernat. eliciatur à principio intrinsecè completo, deberet produci ab ipsâ voluntate humanâ Christi completâ per habitum inhærentem supernat. charitatis: ergo deberet supponere habitum charitatis infusum vt principium effectiuum sui. *Demonstratur.* Rursus hic idem habitus, vt connaturaliter existeret, deberet in eâdem humanâ voluntate Christi supponere gratiam habitualem, ex quâ vt ex propriâ essentiâ & formâ supernatur. omnes habitus supernaturales, aut physicè, vt multi putant, aut saltem moraliter, vt probabilius censeo, fluunt: & consequenter non possent huiusmodi habitus dari in præmium actûs eliciti à principio intrinsecè completo per habitum; alioqui daretur principium meriti in præmium: ergo necessariò deberet talis actus, vt posset suum habitum, & cum eo gratiam, reliquasque supernaturales virtutes promereri, elici à voluntate humanâ Christi nondum completâ per habitum intrinsecum, sed per solam virtutem extrinsecam assistricem Dei, supplentem vim habitûs intrinseci.

183. *Dices.* Nec dici potest, Deum eo casu infusurum solum habitum charitatis, propter cuius actum connaturaliter elicitum, infusurus posteà fuisset gratiam, reliquosque habitus supernat. *Contrà.* nam tunc aliud sequeretur absurdũ, nempe quòd talis habitus contra ipsius naturam productus esset in voluntate Christi, absque gratiâ, & reliquis habitibus supernaturalibus. Etenim cùm habitus infusi sint naturales proprietates gratiæ sanctificantis, supponunt connaturaliter illam, vt principium & formam, à quâ immediatè dimanant.

184. *De visione beatâ.* Sola superest difficultas de actu visionis beatæ: nam licet assignata ratio rectè probet de habitu luminis, quòd connaturaliter debeat ad quemlibet actum supernaturalem simul cum gratiâ, & reliquis habitibus infusis supponi, non tamen probat de actu visionis; quia cùm hic sit actus 2. productus ab intellectu beati & lumine gloriæ, ac proinde naturâ & causalitate posterior lumine, & reliquis habitibus, non debet connaturaliter supponi ad actum meritorium, ac proinde posset connaturaliter cadere sub meritum illius. Verùm vt hic actus meritorius perfectè, & connaturaliter eliciatur, debet supponere habitum illius virtutis, cuius est actus & cum eo simul gratiam, & reliquos habitus supernaturales, ac proinde etiam habitum luminis; qui cùm in actum visionis beatificæ tendat vt causa naturalis, prædeterminans intellectum beati ad visionem Dei necessariò eliciendam, non poterit visio Dei connaturaliter dari in præmium talis actus. Nam, vt visio Dei dari posset in præmium talis actus, deberet, adhuc posito lumine gloriæ, connaturaliter posse non produci: at posito lumine gloriæ, non potest visio Dei connaturaliter non produci: quia lumen gloriæ est causa naturalis; quæ cùm sit necessariò determinata ad suum effectum, naturaliter postulat, ita illum producere, vt non possit illum non producere. Maior probat. prémium sequitur naturam meriti: vnde sicut de ratione meriti est, vt possit esse, & non esse, cùm de ratione meriti sit, liberè esse: ita de ratione præmij est, quod propter meritum datur, vt ita sit, vt potuerit antecedenter non esse. 185. *Hoc etiam probat nostra ratio, si rectè explicetur.*

Confirm. vel Christus elicuisset hunc actum meritorium ante ipsius infusum habitum: & tunc operatus fuisset illum ex principio intrinsecè incompleto; quæ maior fuisset imperfectio, quàm fuisset perfectio, habere illius habitum absque merito: vel elicuisset illum post infusum ipsius habitum: & tunc, aut cum habitu actus meritorij non fuisset simul infusa gratia sanctificans, & consequenter nec reliqui habitus supernaturales, & iam talis habitus non esset connaturaliter in humanâ voluntate Christi, in quâ connaturaliter postulat esse cum suâ propriâ formâ, ex quâ naturaliter dimanat: aut cum illo simul infusa fuisset gratia, & reliqui habitus supernaturales, inter quos est lumen gloriæ: & tunc vel permitteretur, vt lumen gloriæ ageret iuxta suam naturam, & iam statim necessariò produceret visionem Dei, ac proinde non posset visio Dei dari in præmium talis actus: vel non permitteretur, vt ageret iuxta suam naturam, & iam vis illi inferretur. 186. *Confirm.*

Dices. Potuisset Deus priùs ratione decernere Christo habitum actus meritorij, & deinde propter talem actum, vi solius proximi principij ab æterno præuisum vt absolutè futurum, decernere gratiam & reliquos habitus, nec non visionem beatificam, *vt suprà* de vnione hypostatic. Concedo id fieri potuisse; nego, connaturaliter, & sine præiudicio maioris perfectionis & dignitatis Christi, quòd hîc tantùm contendo. Nam priùs ratione decreuisse Christo vnum habitum supernaturalem absque alijs, priusque ratione in æternitate præuidisse Christum operaturum cum vno habitu, absque præsuppositione reliquorum, nec fuisset iuxta naturam talis habitus, nec sine præiudicio maioris perfectionis & dignitatis Christi præuisæ; cùm maior perfectio & dignitas Christi, etiam vt præuisa postulet, operari ex principio intrinsecè completo tam per se quàm comitanter ad actum requisito. 187. *Dices.* *Resp.* Confirm. ratione *Scoti*, quâ *citat. loco* probat de facto Christum sibi gloriam animæ non meruisse, quia priùs, naturaliter est actus circa finem, quàm circa media. Igitur priùs naturaliter fuit actus Christi beatificus circa Deum vltimum finem, quàm actus aliquis meritorius circa media. Quæ ratio, vt probet, intelligenda est de actu circa finem omnium perfectissimo, cuiusmodi est actus beatificus: alioqui potuisset Christus habere actum meritorium circa Deum finem naturâ 188. *Hæc ratio potest confirmari ratione Scoti*

priorem

priorem actu beatifico, sed abstractiuum, & præ
189. actu beatifico imperfectum. Colligitur ex Ioan. 1. *Vidimus gloriam eius, gloriam quasi Vnigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Quibus modus, quo Christus gloriam animæ cum reliquis infusis donis possedit, non assignatur propter merita, sed
Chrysost. propter naturalem filiationem Dei. Vnde Chrysost. *apud S. Tho. in Catena: Vidimus*, inquit, *gloriam, qualem decet, & conueniens est, habere Vnigenitum & naturalem filium.* Porrò habere gloriam, qualem decet, & conuenit habere Vnigenitũ ac naturalem filium, est habere illã iure proprio & hæreditario sibi debitam.

190. *Argument. 1. Sentent.* Vnde ad argument. 1. Sentent. Resp. *citat.* loca Scripturæ intelligenda esse de gloriâ corporis, vt ferè omnes intelligunt. Cæterùm Anselm. non loquitur ibi de gloria animæ essentiali, sed accidentali vt complemento tantùm gloriæ essentialis; quod consistit in impassibilitate animæ, quam simul cum impassibilitate corporis propter sua merita accepit post resurrectionem: sic enim anteà locutus fuerat: *Coronâsti; id est, circumdedisti eum ad modum coronæ, quæ totum caput circumdat, gloria quantùm ad animam, vt omnes internæ vires eius glorificentur; & honore, quantùm ad corpus, re esset immortale & lucidissimum.* Explicans autem, quæ fuerit hæc glorificatio animæ: *Tres*, inquit, *sunt vires in anima, idest, ratio, sanctificatio, vegetatio. Secundùm rationem nihil recepit in resurrectione, quia neque sapientiam ampliorem, neque dilectionem Dei, & proximi vehementiorem: sed secundùm vegetabilitatem, & sanctificationem recepit, quoniam anima suum corpus ita vegetauit, vt subijci non possit vlli corruptioni: & sic sanctificauit, sic omnes sensus corporis vigere fecit, vt nullo modo posset detineri, vel aliquid molestiæ pati.* Ad Rationem constat.

191. *De tribus alijs controuersijs initio sectionis propositis. 1. Sentent.* Quoad aliam controuersiam de conseruatione vnionis hypostaticæ, de productione nouarum vnionum partialium in partibus materiæ aggeneratæ, & reproductione vnionis amissæ per mortem in resurrectione, docet *Suarez disput.* 10. *sect.* 4. §. *Hac resp.* Christum hęc omnia sibi de condigno promeruisse. Nam & merita ipsius ad hæc de condigno se extendere poterant: & eadẽ facto meruisse, magis conducit ad ipsius dignitatem. Contrà *Vasquez*
192. *2. Sentent. Probabilior.* *disput.* 78. *cap.* 3. quem docti Recent. sequuntur, putat, ea Christum non ex meritis, sed gratis habuisse: quamuis non repugnet, ea habere etiam potuisse ex meritis. Quæ sentent. longè probabilior est. Et sanè quòd non repugnet, ea ex meritis habere potuisse, patet: nam semel gratis collatâ vnione hypostatica quoad primam productionem, potuit per opera ab ea dignificata condignè sibi promereri, tam conseruationem eiusdem, quam partiales vniones producendas in partibus materiæ de nouo aggeneratæ, & eandem per mortem amissam, si qua fuit per mortem amissa, nam ad hæc omnia condignè poterant se extendere merita Christi elicita instanti 1. productionis vnionis hypostat. quo eadem vnio quoad primam sui productionem supponi potuisset vt principium meriti, quoad conseruationem vt præmium.

193. *Vnio per mortem nulla amissa.* Quòd autem de facto nihil horum sibi Christus meruerit, probat. nullam vnionem hypostaticam per mortem Christus amisit: nulla enim datur vnio humanitatis cum Verbo, distincta ab vnionibus partialibus animæ & corporis, quæ per mortem non fuerunt amissæ. Fundam. solæ istæ partiales vniones animæ & corporis, positâ vnione naturali inter eandem animam & corpus, sufficientes sunt, vt tota humanitas dicatur vnita & subsistens in Verbo.

Quoad conseruationem verò eiusdem vnionis, 194.
quam in primo instanti 1. suæ conceptionis accepit, probat. 1. Conseruatio rei naturaliter sequitur naturam productionis eiusdem rei: sed productio vnionis hypostaticæ gratis non ex meritis eius, cui confertur, postulat fieri. Maior probat. *Prob. 1. Conseruatio gratis exigit fieri.* conseruatio est eadem continuata actio, solâ connotatione temporis à productione discreta: ergo si productio connaturaliter petit gratis fieri, etiam conseruatio id naturaliter postulabit: quia ab eodem termino, nempe à reipsâ productâ, suam naturam & essentiam desumit conseruatio, ac productio: ergo si vna à re productâ habet, vt fiat independenter à meritis eius, cui confertur, eamdem connaturalitatem habebit altera. Minor probat. productio vnionis hypostaticæ, est productio complementi substantialis, per se antecedenter requisiti ad operandum; est enim productio vnionis naturæ cum subsistentiâ; quæ substantialiter complet principium operandi; ac proinde naturaliter præerequiritur ad merita, quæ supponunt principium operatiuum substantialiter completum, & consequenter productionem substantialis complementi, nam productio sequitur naturam rei productæ. Confirm. Qui perfectè donat, vti donat sua *Confirm.*
dona Deus, donat, quantum est ex se, irreuocabiliter, & iuxta naturalem exigentiam rei donatæ: sed res donata, cùm sit substantiale complementum prærequisitum ad operandum ex parte naturæ, naturaliter exigit, vt non solùm primâ productione, sed etiam in conseruatione sit independens ab operibus eiusdem naturæ. Probat. 2. Si Chri- 195. *Prob. 2.*
stus sibi promeruisset conseruationem vnionis hypostaticę, non potuisset Deus eandem conseruationem gratis continuare; quia repugnat, eandem rem Deum gratis, & simul propter merita conseruare; cùm vnus titulus contradictoriè excludat alium: Nec est eadem ratio de titulo connaturalis exigentiæ; non enim repugnat, vt eadem res sit debita duplici titulo, connaturalis exigentiæ, & meriti seu mercedis: at si Deus non ampliùs gratis in humanitate Christi conseruâsset vnionem hypostaticam, neque etiam gratis ampliùs continuâsset sanctitatem, quam mediâ eâ humanitas Christi accipiebat à subsistentiâ Verbi: hoc autem est contra Patres docentes, Christum non exercitatione virtutum, vti nos, sed naturâ fuisse sanctum. Fuisset exercitatione virtutum sanctus; quia sanctita- *Hæc de conseruatione vnionis.*
tem illam, quam mediâ vnione hypost. à subsistentiâ Verbi accipiebat, accepisset medijs actibus virtutum, quibus illam sibi promerebatur.

De productione verò nouarum vnionum partialium in partibus materiæ continuò aggeneratæ, est eadem ratio: nam huiusmodi vniones naturaliter exiguntur à naturâ, vt partialia complementa substantialia eiusdem ad perfectè & completè operandum: ergo est eadem ratio ac de conseruatione primæ vnionis. 196. *Quid de productione partialium?*

Obijcies. Etsi non semper gratiæ habitualis productio pendeat à meritis accipientis, semper tamen eius conseruatio pendet à meritis ipsius habentis: ergo etiamsi vnio hypostat. non dependerit à meritis Christi, potuit tamen eius conseruatio ab ipsius meritis connaturaliter pendere. Anteced. probat. gratia habitualis in adultis non conseruatur, nisi dependenter ab obseruantia pręceptorum, & consequenter dependenter ab ipsorum operibus. 197.
Distinguo anteced. gratia habitualis pendet per se primò quoad conseruationem meritoriè à nobis, nego; secundariò & consequenter, concedo. Nam gratia habitualis per se primò pendet à nostris 198. *Resp.*

meritis quoad augmentum tantùm; cùm nulla sint merita in nobis, à quibus pendeat solùm in conseruari, sed per se primò in augeri, & secundariò in conseruari: quia nō conseruatur, nisi per obseruantiam præceptorum: obseruantia autem præceptorum nonconseruat gratiam in iustis, nisi augendo illam. Contrà verò vnio hypost. si in conseruari pēderet à meritis Christi, non penderet ab illis in augeri, cùm ex se sit inaugmentabilis, sed tantùm in conseruari. Nec refert, quod sit augmentabilis saltem extensiuè per partiales vniones in partibus materiæ de nouo aggregatæ: nam illæ cùm sint vniones partium substantialium, substantialiter integrantium naturam, sequuntur conditionem primæ vnionis substantialiter constituentis principium operatiuum.

199. *Dices.* Dices: Gratia habitualis non modò pendet in augeri & conseruari per opera meritoria, sed tantùm in conseruari per negationem operum demeritoriorum: igitur gratia habitualis non solùm per se primò pendet à nostris bonis operibus in augeri, & tantùm consequenter in conseruari; sed etiam per se primò solùm in conseruari. Nego, per

200. *Resp.* solam negationem operum demeritoriorum, gratiam meritoriè in conseruari pendere à nobis: quia cùm negatio operum demeritoriorum non sit ex se apta moraliter mouere diuinam voluntatem ad conseruandam gratiam in præmium talis negationis, cùm negatio operis demeritorij nullam habeat positiuam bonitatem, & non nisi positiua bonitas moraliter mouere possit diuinam voluntatem, dici non poterit gratiæ conseruatio meritoriè pendere ab huiusmodi negatione operum demeritoriorum: sed tantùm dicitur ab illa pendere, vt à remouente prohibens; cùm peccatum suâ naturâ sit incompossibile cum gratiâ, & per negationem operis demeritorij remoueatur peccatum.

201. *Alia quæst.* Vltimò quæri potest, An saltem Christus condignè meruerit, vt ipsius vnio hypostatica in Eucharistiâ quotidie replicaretur per legitimos sacerdotes? Resp. Affirmatiuè: nam sicut Christus condignè nobis meruit omnia nouæ legis sacramenta: ita consequenter meruit omnia, quæ ad hæc perficienda requiruntur, inter alia autem est replicatio vnionis hypost. cum corpore & sanguine Christi, quæ sunt formales termini Eucharisticæ transsubstantiationis.

202. *De postrema controuersia supra proposita. Conclusio.* Quoad postremam controuersiam, dico cum communi *Magistri in 3. di. 18. omnium Schol. S. Th. 3. p. qu. 19. ar. 3. & qu. 53. ar. 4. & 59. ar. 3.* Christum condignè sibi meruisse animi impassibilitatem, gloriam corporis, cæterasque eiusdem immortalitatis dotes, nominis celebritatem, ascensionis triumphum, gloriosam in paterno throno exaltationem confessionemve, actuale dominium in creaturas, & iudiciariam potestatem in omnes: ex Lucæ 24. *Nonne hæc oportuit pati Christum & ita intrare in gloriam suam?* quod testimonium saltem de gloria corporis & animi impassibilitate intelligi debet ad Philip. 2. *Humiliauit semetipsum factus obediens vsque ad mortem* &c. *Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod est super omne nomen.* Quibus Apostolus nominis exaltationem & celebritatem tribuit Christo propter meritum ipsius obedientiæ. Nam vt in hunc locum *tra. 104. in Ioan.* ait August. *Humilitas claritatis est meritum, claritas humilitatis est præmium.* Ad Hebr. 2. *Videmus Iesum propter passionem mortis, gloriâ & honore coronatum.* Apocal. 5. *Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius: quoniam occisus es.* Vbi causa huius dignitatis datæ Christo assignatur ipsius mors & occisio. Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Ioan. 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Ratio *S. Thom.* est: nobilius est aliquid obtinere proprio merito, quando dignitas meriti non derogat alicui perfectioni maiori subiecti; quia obtinere aliquid propter meritum, est illud quodammodo per seipsum habere: sed obtinere per meritum huiusmodi prærogatiuas ac dotes, non derogat alicui maiori perfectioni Christi, vt constat: ergo.

Discrepant tamen Doctores, an hæc ipsa acceperit Christus solo titulo meritorum, an etiam connaturalis exigentiæ. Nam quòd ea acceperit titulo meritorum, propter *citat. authorit.* omnes conueniunt; quòd etiam titulo naturalis exigentiæ, aliqui negant, *vt suprà*: nam debent per aliquam mutationem esse data; quæ mutatio non fuisset, si eadem data non fuisset titulo naturalis exigentiæ, vti dari potuerunt: scilicet vt illa de facto hoc etiam titulo Christo data sint, non satis est, vt illi hoc etiam titulo debita fuerint: nam adhuc stante hoc debito, potuissent hæc ipsa Christo de facto non dari. Quòd autem talis mutatio necessaria sit, patet: quia non possunt eædem res omninò inuariatæ, & eodem modo stantes aliter, atque aliter denominare: ergo sine aliquâ mutatione fieri non potest vt eadem dona modò dicantur data Christo titulo naturalis exigentiæ, modò non data Christo titulo naturalis exigentiæ. Cùm igitur hæc mutatio nequeat esse in Deo, mutationis experte, debet esse in Christo; cumque in Christo nulla huius diuersæ denominationis mutatio assignari possit, dicendum Christum hæc dona non accepisse, nisi titulo dumtaxat meritorum, quo non existente, vi præsentis decreti illa accepturus non fuisset. Verùm non est à communi sentent. recedendum, quæ *in 3. dist.* 18. communiter docet, Christum hæc dona duplici titulo accepisse, & titulo meritorum, & titulo connaturalis exigentiæ, ratione vnionis hypost. ratione cuius independenter ab omni merito, illa debita erant Christo. Neque huiusmodi tituli inter se pugnant, vt *S. Thom. 3. p. quæst. 34. art. 3. ad 3. quæst. 59. art. 3.*

203.

Potissimum fund. negationis huiusmodi.

204. *Communis sent. Scholasticorum.*

205. *Ad propositum argum. Resp. 1.* Vnde ad argum. Resp. 1. Hoc ipsum esse ab omnibus ijs, qui docent, liberum actum Dei, in ratione liberi formaliter, compleri per connotationem alicuius termini extrinseci, soluendum. Nam esto de facto Christus hæc dona non acceperit titulo connaturalis exigentiæ, sed tantùm meritorum, adhuc non puto, eos negaturos, saltem potuisse hęc ipsa duplici titulo accepisse. Et tūc ab ipsis quæro, quænam mutatio facta fuisset in Christo, si hęc ipsa accepisset titulo etiam connaturalis exigentiæ? 2. Mutatio est;

206. *Resp. 2.* nam si eadem gloria corporis Christo data nō esset, etiam titulo naturalis exigentię, sed tantùm meritorum, deficientibus meritis, ea Christo data nō fuisset. Contra verò, si illa data est etiam titulo naturalis exigentiæ, adhuc non existentibus meritis, Christus illam habuisset. Quam dependentiam nonnulli explicant per physicā actionē diuersam, per quā eadem gloria producta est à Deo cum intrinseco ordine ad naturalem exigentiam, per quam producta non esset, si data ei non fuisset intuitu illius. Per quā actionum diuersitatem fateor huiusmodi mutationē melius explicari, adhuc tamen puto, illam saluari posse sine huiusmodi actionum diuersitate, per hoc tantùm, quòd si talis terminus, in ordine ad quem, & dependenter à quo res producitur, non existeret, nec resipsa existeret. Maior difficultas est, quando

Maior diffic. res producitur dependenter à duobus terminis adæquatis, vt est in casu proposito, in quo gloria corpo-

corporis data est Christo ex adæquato titulo meritorum, & ex adæquato titulo naturalis exigentiæ: siquidem alterutro titulo deficiente, eadem semper gloria corporis data fuisset Christo. Verùm licet tunc res fuisset eadem, non fuisset tamen eum eadem connotatione: nam deficiente vno termino, dependenter à quo res fuisset adæquatè producta, non connotaret ampliùs illum vt terminum suæ dependentiæ: eo modo quo dicunt illi, qui actionem à termino non distinguunt, cum idem terminus cessat dependere ab vnâ causâ cessat connotare illam, vt principium sui esse: *vt 1. tom. disputat. 14. sect. 3.*

SECTIO X.

An Christus meruerit, vt B. Virgo eligeretur in Matrem ipsius?

107. *Ratio dub.* AFfirmatiua pars videtur implicare: nam Christi merita supponunt Christum, cùm non moueant, nisi vt absolutè futura, atq; adeò vt præsupponentia Christum absolutè futurum: Christus autem supponit hanc numero humanitatem hypostaticè vnitam Verbo: Porrò hæc numero humanitas supponit hanc numero matrem, ex quâ per generationem communicatum sit hoc numero corpus, suis organis & sensibus perfectum. Ergo non potuit hæc numero fœmina eligi in matrem Christi dependenter à meritis Christi, cùm ante merita Christi supponatur hæc fæmina electa vt maternũ principium generatiuum huius humanitatis; alioqui daretur in præmium, quod est principium meriti.

108. *Pro negatiuâ sent. citatur Lorca, quem videre non potui.* Hâc ratione ducti aliqui Recen. negant, Christum meruisse diuinam maternitatem B. Virgini: citatur *Lorca*: sed cuiuscunque sit hæc opinio, reijcienda est vt contraria communi, quam *Schol. in 3. dist. 4. & S. Tho. 3. part. qu. 2. art. 11. ad 3.* vnanimi consensu docent; & passim tradunt Patres.

109. *Vera sent.* DICO, B. Virginem electam fuisse ad diuinam maternitatem dependenter à meritis Christi. Hanc assertionem non tam probant, quàm supponunt

Prob. 1. Schol. Prob. 1. Abraham propter suam obedientiã eligi meruit, vt esset mediatus progenitor Christi: sed non fuit electus ut mediatus progenitor Christi, nisi ex meritis Christi: ergo nec Virgo propter

A priori. suas virtutes eligi meruit, vt esset immediata progenitrix Christi, nisi propter merita Christi. nam si Abraham propter suam obedientiam meruit propter merita Christi, vt esset mediatus progenitor Christi; B. Virgo ob suas virtutes longè maiores atq; excellentiores meruit propter merita Christi, ut esset immediata progenitrix eiusdem. Maior insinuatur Gen. 22. *Et benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ.* Quod hoc semen, sit Christus, declarat Apost. *ad Gala. 3.* qui propterea, inquit, *Et semini eius, non in seminibus dicit, quasi in multis, sed in vno, & semini tuo, qui est Christus.* Minor prob. Abraham eligi meruit, vt esset mediatus progenitor Christi, propter actum obedientiæ profectum ex gratiâ profectum: nullum enim opus solius naturæ viribus elicitum, potuit esse tan-

Minor constat vnanimi consensu Schol. tæ dignitatis meritorium: sed omnis gratia tam Abrahamo, quàm cæteris Patribus antiquis, collata est meritis Christi: igitur electus fuit, vt esset mediatus progenitor Christi, propter merita Christi. nam qui est causa causæ, est etiam causa eorum, quæ per se ex causâ procedunt; vt quia gratia est per se causa gloriæ, qui est causa gratiæ, est etiam causa gloriæ: igitur si merita Christi fuerunt causa gratiæ collatæ Abrahamo, fuerunt etiam causa actûs obedientiæ profecti ex gratiâ, propter quem meruit eligi in progenitorem Christi. 2. idem dis- 110.

cursus applicatur B. Virgini; nam hanc dignitatem *Minor cum conseq. constat ex præced. discursu.*

diuinæ maternitatis consecuta est Maria, propter heroica sua opera ex gratiâ profecta: sed omnis gratia collata est Mariæ dependenter à meritis Christi: ergo etiam hæc dignitas diuinæ maternitatis collata est Mariæ dependenter à meritis Christi. Maior patet à fortiori: nam si opera, solius naturæ viribus elicita, non potuerunt esse meritoria, vt Abraham fieret mediatus progenitor Christi, neque eadem opera potuerunt esse proportionata, vt Maria eligeretur immediata progenitrix eiusdem Christi.

Probatur 3. omne donum speciale, indebitum naturæ, collatum est hominibus per merita Christi: 111. *Principium vniuers.*

etenim cùm tota natura humana propter peccatũ facta sit indigna omni dono sibi indebito, statuit Deus ad maiorem gloriam & dignitatem Christi, nullum donum indebitum naturæ conferre hominibus, nisi propter merita Christi, vt omnes illum agnoscerẽt perfectissimum caput & authorem omnis gratiæ, & donorum supernat. Cùm igitur maternitas diuina sit singulare donum Dei naturæ indebitum, propter quod *Angelicus 1. part. quæst. 25. ar. 6. ad 4.* docet, humanitate Christi vnitâ Verbo, visione beatificâ, & diuinâ maternitate, Deum melius facere non posse, dicendum est, illud non nisi per merita Christi concessum esse Virgini. Eandẽ sent. docet *Ambros. Epist. 82. colum. 5. Quid autem loquar, quanta sit virginitatis gloria, quæ meruit à Christo eligi, vt esset etiam corporale Dei templum, in qua corporaliter, vt legimus, habitauit plenitudo diuinitatis?* Vbi accipit virginitatem in abstracto pro Virgine in concreto. Est igitur hæc sent. vt certa 112.

sequenda. Tota difficultas est in soluendâ ratione dub. quo pacto potuerit Christus mereri, vt daretur sibi in matrem, quæ antequam Christus ipse præuideri potuisset per sua opera promeriturus supponi videbatur electa vt principium generatiuum huius humanitatis, per quam Christus debebat mereri.

PRIMA solutio est, Christum duplici fuisse actione totali productum, vnâ à solo Deo, alterâ dependente etiam à Virgine, vt à principio generatiuo eiusdem humanitatis. Vi prioris actionis potuit Christus præuideri priùs ratione vt promeriturus suis operibus, quàm præuideretur ex Virgine progenitus; & consequenter potuit propter ipsius merita præuisa vi prioris actionis futura, eligi B. Virgo, vt per actionem secundam mereretur esse ipsius mater. Sed contrà: secundùm probabiliorem 113. *Varia solutiones ad rationem dubitandi, Prima.*

Sent. implicat, eundem terminum produci, aut conseruari duplici actione totali: saltem hæc duplex productio totalis humanitatis non fuisset naturalis, cùm alterutra fuisset superuacanea, siquidem alterutrâ sublatâ, eadem humanitas naturaliter potuisset extra causas poni & conseruari. Hoc autem est contra Patres docentes, Christi humanitatem connaturali modo fuisse productam, si vnum excipias, quod non ex virili semine, sed ex Spiritûs S. virtute fuerit formata. Vnde Leo *Papa Epist. 11. ad Flauia. post init.* loquens de temporali generatione Christi; *Sed non ita,* inquit, *intelligenda est illa generatio singulariter mirabilis, & mirabiliter singularis, vt per nouitatem creationis proprietas remota sit generis.* August. *Epist. 99. ad Euodium circa finem: Ita sibi,* inquit, *creauit animam Dei filius, vt cæteris creat.* Idem docent passim reliqui Patres. Confirm. iuxta hanc responsionem debuisset Christi humanitas 114. *Reijcitur.*

 hic

tis sumus sanctificati: hæc autem fuit humana Christi: nam licet diuina fuerit causa 1. præcipiens ac decernens, humana tamen fuit meritoria exequens. Eodem modo *Lyranus, Chrysost. hom.* 18. *in Epist. ad Hebr. Ambrosius* qui interrogantes in quâ voluntate, & quo modo sanctificati simus: respondent, *Per oblationem corporis Iesu Christi.* & textus huic interpre. magis congruit, vt notat Benedictus Iustinianus: nam post verba, *In quâ voluntate sanctificati sumus,* subdit Apostolus, *Per oblationem corporis Iesu Christi*: quæ immediatè modificant præcedentia, vt stare debeant pro voluntate oblatiuâ corporis Christi, quæ fuit humana. 2. in hâc re-
226. *Displicet 2. in hâc resp. maximè.* sponsione displicet, quòd tempore passionis tollit à Virgine relationem maternitatis: quo fit, vt eo tempore Christus non fuerit filius Virginis: nam tempore passionis Christus fuit conseruatus omninò independenter à conceptione Virginis, eâ actione, quâ fuisset conseruatus vi prioris decreti, etiamsi à Virgine conceptus non fuisset; per aduers. ne cogantur admittere, Christum fuisse causam saltem mediatam sui, at Christus per illam actionem, non fuisset filius Virginis. sed talis, qualis si à Virgine conceptus non esset: ergo nec de facto tempore passionis fuit filius Virginis; si conseruatus est eâ actione, quâ productus fuisset vi prioris decreti, antequam præuisus fuisset vi posterioris decreti per actionem generatiuam dependens à Virgine.

227. *Instatur.* Vnum video effugium, (suppono enim non concessuros, B. Virginem tempore passionis desijsse esse matrem Christi) nempe ad esse matris actu, sufficere, vt aliquando verâ generatione filium genuerit: scilicet vt dicatur mater actu, necesse non est, vt actu gignat, sed sufficit, vt actu genuerit; ita vt dicatur mater actu, necesse non est, vt filius actu conseruetur actione dependente à principio generatiuo matris, sed sufficit, vt aliquando genitus & conseruatus actione dependente à principio gene-
228. *Confirm.* ratiuo matris. Confirm. generatio est sola ratio fundandi relationem parentis ad filium, quæ manet, etiam corruptâ generatione: alioqui omnis parens amitteret relationem genitoris ad filium, corruptâ
Exempla Lazari. generatione; & Lazarus miraculosè resuscitatus, & conseruatus in vitâ actione independente à principio generatiuo suorum parentum, non desijt esse filius eorundem, & consequenter nec desijt relatio paternitatis, & maternitatis in suis progenitoribus.

229. *Instantia soluitur.* Sed contrà; esse matrem actu, est effectus formalis prouemens ab aliquâ formâ reali, quæ vt denominet actu subiectum, debet actu inesse: ergo non sufficit, vt actu fuerit, vt nunc de præsenti denominet actu subiectum: nam potest quidem subiectum denominari, quod aliquando actu fuerit tale per formam præteritam, non quòd actu sit tale, nisi per formam præsentem. At iuxta hanc sent. tempore passionis Virgo actu non habebat
Hic nodus. maternitatis relationem: Hæc enim habet pro immediato fundamento rationem causæ, sicut filiatio rationem effectus: & per aduers. tempore passionis, tam à Virgine sublata fuit ratio causę, quàm ab humanitate Christi ratio effectûs: nec Christi humanitas habuit vllam dependentiam à Virgine, nec Virgo vllum influxum saltem mediatum in humanitatem Christi; omnis autem causa in ratione causæ formaliter constituitur per aliquem influxum, saltem mediatum in effectum: sicut omnis effectus in ratione effectus constituitur per aliquam dependentiam, saltem mediatam à causa.
Prob. Certè relatio maternitatis est relatio causæ; sicut relatio filiationis, (loquimur in creatis) est relatio effectûs: ergo illa poscit pro immediato fundamento rationem causę, hæc rationem effectûs; absque immediato enim fundamento implicat, relationem conseruari, cùm nil aliud sit relatio, quàm proximũ fundamentum seipso ad terminum relatum. Sed repugnat, manere formalem rationem causæ, absque vllo influxu saltem mediato in effectum, vti formalem rationem effectus, absque vllâ dependentiâ saltem mediatâ à causa. *Implicat in hâc sent. mansisse relationem Matris & Filij tempore passionis.*

230. *Dices.* Nec dici potest, proximum fundamentum maternitatis, & filiationis in creatis, esse ipsas entitates causæ & effectus, positâ semel tantùm generatione ex parte principij generantis, & termini ge-
Resp. niti. Quoniam, vt causa actu respiciat effectum sub ratione effectus, & effectus causam sub ratione causę; & per consequens vt mater actu respiciat filium sub ratione geniti, & filius matrem sub ratione generantis, non sat est nuda entitas causæ & effectus, sublato omni influxu à causâ, & dependentiâ ab effectu: nam relatio maternitatis est intrinsecus respectus realis matris ad genitum, sicut filiatio est intrinsecus respectus realis filij ad genitricem, *ex communi sententia.* Ad hunc autem non sat est nuda entitas causæ & effectus, positâ tantùm præteritâ generatione: Nam manere potest eadem nuda entitas causæ & effectus, cum præteritâ generatione corruptâ, absque huiusmodi intrinseco respectu reali in causâ & effectu; scilicet tempo- *Ad hominem demõstro* re passionis manserunt Virgo & Christus eo prorsus modo, quo mansissent, si Christus productus & cõseruatus fuisset vi prioris dumtaxat decreti, quo præuisus fuit existens tempore passionis à Virgine independens. At si Christus productus fuisset vi prioris dumtaxat decreti, nullum intrinsecum respectum realem habuisset ad Virginem, nec Virgo ad Christum: ergo nec de facto huiusmodi mutuos respectus reales habuerunt tempore passionis: nam quòd tempore præcedente passionem de facto habuerint mutuum respectum intrinsecum realem, non tollit, quin tempore passionis fuerint eodem modo, ac fuissent, si ante huiusmodi tempus nunquam se mutuò realiter respexissent. Nec dici potest, huiusmodi intrinsecum re- 231. *Dices.* spectum, tam Christum ad Virginem, quàm Virginem ad Christum tempore passionis habuisse per generationem præteritam: Quia generatio præter- *Contra.* ita non potest conferre intrinsecum respectum realem termino præsenti, sed solùm extrinsecam denominationem, quòd aliquando fuerit genitus. 2. si generatio præterita causaret intrinsecum respectum realem præsentem in termino, non potuisset Christus tempore passionis conseruari omninò independenter à Virgine, vt contendunt: nam saltem per istum respectum intrinsecum realem humanitas Christi dependisset à Virgine, à quâ mediâ generatione illum accepisset. Ergo nihil intrinsecum reale in hâc sent. tempore passionis esse debuit, vel in Virgine, vel in Christo, ratione cuius potuerit vel Virgo dici intrinsecè mater Christi, vel Christus intrinsecè filius Virginis.

Nisi dicant; Nihil aliud est esse matrem, quàm 232. *Instatur soluitur.* aliquando genuisse; nihil aliud esse filium, quàm aliquando genitum esse, absque vllo mutuo respectu intrinseco reali de præsenti; contra communem sent. quæ docet, præter generationem præteritam, esse intrinsecum respectum realem, quo filius & parens de præsenti mutuò sese realiter respiciunt, in ratione causę & effectus; exemplo filiationis, & paternitatis increatæ, quæ formaliter non consistunt in præcisis generationibus, passiuâ in filio, & actiuâ in Patre, sed etiam in respectibus ratione diuersis à genera-

generatione passiuâ Filij, & actiuâ Patris, *ex 1. tom. disp. 20. sect. 3.*

233. *Vera sent. de relatione.* Est autem hic respectus in Filio, realis actio, quâ hic homo Deus conseruatur à solo Deo depẽdenter à causâ 2. generatiuâ, à quâ per generationem accepit suum primum esse: quæ generatio cùm non possit continuari ab ipsâ causâ 2. quæ tantùm habet virtutem influendi in ipsum fieri termini, continuatur à Deo, vt à causâ 1. supplente vices causæ 2. Quo fit, vt huiusmodi actio continuata ad exigentiam causæ 2. tribuatur causæ 2. ac proinde quamdiu terminus conseruatur cum hâc dependentia à causâ 2. conseruatur cum intrinseco respectu dependentiæ à causâ 2. In parente autem, est potentia generatiua, quæ, posita in termino actione à se mediatè saltem dependente, respicit illum terminum vt proprium, mediâ actione reali mediatè à se dependente: Sublatâ verò huiusmodi actione, & aliâ omninò independente à potentiâ generatiuâ parentis positâ, tam terminus desinit respicere parentem, vt causam sui esse, quàm parens terminum, vt effectum suæ potentiæ generatiuæ: ac proinde sicut desinit in vno relatio filij, ita in alio relatio parentis. Confirm. quis dicat, si Eua priùs tempore fuisset seminali viâ ab Adamo progenita, & posteà mutatâ 1. actione & dependentiâ, conseruata fuisset eâ solâ quâ de facto producta fuit ex costâ ipsius, illam futuram fuisse Adæ filiam?

234. *Dissolu. argum. Aduersar.* Vnde concedo, actualem relationem maternitatis non exigere immediatam generationem, exigere tamen mediatam, quia nisi terminus conseruetur dependenter ab ipso principio generatiuo, à quo accepit primum esse per generationem, nec in termino manere poterit intrinsecus respectus realis effectus ad causam, nec in causâ intrinsecus respectus realis ad effectum; ac proinde relatio filij & matris, quæ in huiusmodi intrinsecis respectibus mutuis formaliter consistunt. Concedo etiam, vt sit actu mater, non requirere, vt actu & immediatè gignat, sed requirere, vt saltem virtute & mediatè conseruet genitum. Ad confirm. generatio imme-

235. *Ad confirm.* diata est sola conditio, à quâ in esse non pendet relatio maternitatis; generatio mediata non est tantùm conditio, sed proximum fundamentum parentis, quo sublato, necesse est tolli relationem maternitatis. Lazarus verò etiam miraculosè suscitatus, mansit verus filius suorum progenitorum; quia mansit conseruatus actione mediatè saltem dependente à primâ generatione, per quam accepit suum primum esse: quia nisi fuisset genitus, non fuisset mortuus: & nisi fuisset mortuus, non fuisset resuscitatus, ac proinde miraculosè in vitâ conseruatus. Contrà verò actio quâ tempore passionis Christus fuit in vitâ conseruatus, fuisset prorsus independens à primâ generatione, quâ suum primum esse hominis à Virgine accepit, nam etiamsi illa non præcessisset, adhuc vi prioris decreti Christus futurus fuisset.

Ad exemplũ de Lazaro: miraculosa actio fuit mediatè dependens à primâ generatione.

236. *Quarta solutio omniũ probabilissima.* QVARTA ex nostris principijs responsio est: Christum priùs ratione decretum fuisse exiturum cum hâc numero humanitate, constante ex hâc numero animâ rationali, & materiâ organizatâ, vt ex immediatis & proximis principijs existendi & merendi, quàm fuerit determinatè & in particulari decreta illi mater, à quâ esset gignendus. Sicut *sect. 7.* dixi, potuisse priùs ratione hanc humanitatem cum hâc gratiâ actuali & habituali decerni, quàm cum hâc determinatâ subsistentiâ Verbi; ita potuit Deus priùs ordine rationis decernere hanc numero humanitatem, ex hâc animâ rationali & materiâ organizatâ compositam, cum hâc personâ Verbi hypostaticè vnitam, quàm illi decernere maternum principium generatiuum, à quo esset reipsâ progignenda: quia nulla in hoc apparet implicãtia: licet enim nõ potuerit Deus in rerũ naturâ ponere hanc humanitatem, absque omnibus ijs conditionibus & circumstantijs, quas illa à parte rei supponit, potuit tamen eam in æterno suo decreto ponere præcisam ab aliquâ conditione & circumstantiâ, quam ea ipsa à parte rei vi posterioris decreti habitura erat: vt constat de conditionibus & circumstantijs loci, & temporis, à quibus eadem humanitas præscidit in decreto Dei, à quibus tamen non præscidit à parte rei, cùm multa possint mẽte & decreto præscindi, quæ à parte rei non possunt. Sed hoc posito potuit Deus propter merita Christi præuisa absolutè futura eligere hanc fæminam in præmium, quæ futura esset Christi mater: nam illæ tantùm sunt causæ per se alicuius effectus, quibus tantùm positis, & omnibus alijs semotis, sequitur idem effectus: at hâc humanitate hypostaticè vnitâ Verbo, cum adæquato principio productiuo sui positâ, sequuntur eadem merita: nam siue hæc humanitas cum suo adæquato principio productiuo poneretur in rerum naturâ dependenter à concursu generatiuo matris, siue ab eo concursu independenter, semper haberet eadem merita: ergo hæc tantùm sunt principia per se, reliqua tantùm cõcomitanter se habent ad Christi merita. Pro minoris 237.
prob. suppono cum *Philosopho li. 1. de Gener. Ani. c. 19. fine & li. 2. ca. 4. & Peripat. Schola, cum S. Th. 3. p. q. 32. art. 4.* matrem solùm passiuè concurrere ad generationem prolis, ministrando tantùm materiam & fœtum in vtero fouendo. Vnde totũ principium adæquatum actiuum humanitatis Christi fuit solus Deus, qui in eâ producendâ non solùm se gessit vt causa 1. vniuersalis, sed etiam vt secunda particularis, supplens actiuum influxum genitoris, & dico, cùm hæc humanitas actiuè pendeat à solo Deo, à Virgine tantùm in subministratione materiæ, per principium materiale coniunctum, potuit vi prioris decreti præscindere ab hâc dependentiâ materni concursûs, & nihilominus adhuc præuideri vt absolutè futura: cùm maternus concursus non sit actiuus: & ad præuidendum aliquid absolutè futurum, sufficiat præuidere illud cum suo adæquato principio actiuo, à quo tantùm per se pendet; & consequenter potuit ex meritis Christi, vi prioris decreti præuisis, hæc Virgo eligi in matrem Christi.

Sicut potuit hæc subsist. Verbi per merita congrua priùs ratione vt absolutè futura præuisa, in præmium huic humanitati decerni, ita &c.

Concursus maternus est tantùm passiuus, subministrans materiam ac fouens fœtum per principium nutritiuum coniunctũ.

Obijcies 1. Hæc numero humanitas pendet ex hâc numero materiâ: sed hanc numero materiam de facto Christi humanitas per generationem accepit ex vtero Virginis: ergo non potuit hæc numero humanitas præuideri independenter à concursu generatiuo Virginis. nam vt potuisset, debuisset hanc numero materiam ab alio, quàm à Virgine accipere posse: at hoc ipso quòd ab alio materiam accepisset, non accepisset hanc numero, quam de facto habuit, sed aliam: nam sicut vnusquisque suâ constat determinatâ materiâ, ita non potest alteri aliam materiam, quam in se habet, communicare. 238.

239. *Resp.* Nego conseq. Ad prob. nego Minor. etenim decreta hâc humanitate constante ex hâc numero materiâ potuerunt causæ 2. ita disponi, vt hanc eandem numero materiam, quam de facto Christi humanitas accepit à Virgine, acciperet ab aliâ fæminâ, vel à solo Deo; quia potuit hæc eadem materia, quæ de facto fuit Virginis, fuisse alterius fæminæ, vel etiam nullius, sed à solo Deo huic animæ rationali vnita.

Obijcies 2. priusquam anima Christi infunderetur corpori, 240.

corpori, debuit corpus præsupponi debitè organizatum, vt esset aptum ad recipiendam animam rationalem: inter alias autem conditiones, potissima est, vt sit connexum & coniunctũ matri, ex qua possit debitum alimentum sumere: igitur non potuit hæc humanitas vi prioris decreti præuideri, vt præcisa à concursu materno Virginis. 241. *Resp.* Nego, vi prioris decreti debuisse corpus Christi præuideri cum omnibus cōditionibus & principijs, quę reipsa in tempore erat præsuppositurum, sed cum ijs dumtaxat, à quibus per se in suo esse pendet. 242. *Quid sit in Deo decretum præcisiuum.* Est autem decretum præcisiuum in Deo, non tantùm scientia & cognitione præcisiuum, quasi ex ijs obiectis quæ vno indiuisibili actu voluntatis simul à Deo decreta sunt, posteà vnum præuidetur prius alio; hoc enim modo non posset vnum dari in præmium alterius, cùm hoc modo tam meritum, quàm præmium supponeretur eodem indiuisibili voluntatis actu, & in eodem rationis signo simul decreta: sed etiam debet esse præcisiuum voluntate & intentione, scilicet vt pro vno signum rationis vnum sit volitum & intentum, pro quo nondum sit volitum & intentum aliud, vt ex ipsius præuisione possit pro alio signo rationis intendi & decerni aliud.

243. *Quatuor conditiones ad illud requisita. Prima.* Porrò quatuor conditiones seruare debet: 1. vt illud, quod vi talis decreti intenditur, non dependeat per se & determinatè ab eo, quod decernendum est vi posterioris decreti, alioqui necessariò fuisset simul volitum cum eo, quod intentum est vi prioris decreti; cùm non possit aliquid vt determinatè futurum præuideri, nisi suppositis principijs, ex quibus per se determinatè pendeat in ratione futuri: sed sit tale, quod executioni mandari possit, absque illo determinatè & in particulari, etiamsi nequeat sine aliquo saltem vagè executioni mandari. Sicut potuit Incarnatio volita decreto præcisiuo à circumstantijs loci, & temporis, executioni mandari, absque hâc, vel illâ loci, aut temporis determinatâ circumstantiâ, non tamen sine aliquâ in
244. *2. Conditio ex 1. sequitur.* cōmuni. 2. vt quod priori decreto præcisiuo intenditur, sit ex naturâ rei separabile ab eo, quod posteriori decreto decernendum est; cùm debeat esse tale, sine quo possit res priori decreto volita, saltem quoad substantiam executioni mandari. Alioquin si solâ ratione esset ab illâ distinctum, non posset in præmium eius, quod vi prioris decreti præuisum est futurum, decerni: cùm non posset tunc merens recipere aliquid in præmium, quod sine illo non haberet: nam si quod datur in præmium, est identificatum cum eo, quod est principium meriti, necessariò supponitur simul datum cum illo, ac proinde non haberet posteà merens, propter suũ meritum aliquid quod non habuisset sine præmio. Ex quo fit vt nequeat huiusmodi decretum præcisiuum, esse de solis formalitatibus rei, quia hæ non sunt separabiles ab ipsâ entitate rei. 3. vt
245. *3. Conditio maximè notanda.* res ipsa, quæ præcisiuo decreto prædestinatur, sit vi eiusdem decreti eadem inuariata quoad substantiã, secundùm quã est vi talis decreti prædestinata, executioni mandanda. Nam licet vi posterioris decreti varietur quoad circumstantias, sine quibus interdum non potest reipsa executioni mandari, non tamen debet variari quoad substantiam, secundùm quam supponitur vi prioris decreti prędestinata.
Ratio. Ratio: quod Deus præcisiuo decreto prædestinat futurum, illud ipsum intrinsecè & quoad substantiam per subsequens decretum non mutat, sed tantũ addit illi nouas circumstantias, cum quibus nō fuit eadem res priori decreto volita:
246. *4. Conditio.* 4. vt decretum præcisiuum debeat, cum reipsâ decretâ, omnia ea principia simul decernere, à quibus reipsâ in ordine ad eum effectum, in ordine ad quẽ decernitur futura, per se dependet, non autem illa principia, à quibus reipsâ vel quoad suum esse per se non pendet, vel saltem non pendet quoad illud esse, quod tantùm per se supponitur ad effectum futurum. quia repugnat, rem in quouis statu, aut esse, aut videri absque principijs & causis, à quibus vt talis essentialiter & determinatè pendet: & quando principia non sunt per se requisita ad illud esse, quod in reipsâ decreta per se supponitur vt principiũ futuri effectûs potest totum id, quod ad huiusmodi futurum prærequiritur, absque talibus principijs videri: ergo nō necessariò illa debent cum tali re decreta decerni, cùm absque illis possit res vt principium talis effectus futuri præuideri. *Ratio.*

Iam hæc omnia seruata fuisse in hoc decreto præcisiuo, quod Deus de Christo, eiusq; meritis habuit 247.
in 1. signo rationis, antequam illi hanc Virginem, propter ipsius merita, in matrem prædestinaret, sic prob. hæc numero Christi humanitas, quæ fuit in 1. *Prima conditio seruata.* signo rationis, præcisiuo decreto, prædestinata, non dependebat quoad substantiam ab ipso concursu generatiuo matris, & multò minùs à cōcursu generatiuo huius matris; sed quoad totam substantiam, animæ, corporis, vnionis, esse potuisset à solo Deo, independenter à quocunque concursu materno, cũ concursus maternus non sit actiuè influens in humanitatis existentiam, sed tantùm passiuus materiã subministrans, fœtumque per intrinsecam coniunctionem fouens ac nutriens. 2. seruata pariter: siquidem 248. *Secunda pariter.*
potuisset Deus sine hac passiuâ dependentiâ & concursu generatiuo matris, hanc eandem numero humanitatem quoad substantiam executioni mandare: & consequenter potuisset hanc Virginẽ in progenitricem Christo, propter ipsius merita vi prioris decreti absolutè præuisa prædestinare, cùm hæ sint res distinctæ ac separabiles, ac proinde vna intendi possit independenter ab alia. 3. quoque: nam ex eo, 249. *Tertia etiam.*
quòd hæc humanitas à solo Deo producta fuisset, & absque generatiuo concursu matris executioni mãdata, non fuisset variata quoad substantiam, sed tantùm quoad circumstantiam generatiui concursûs materni à quo vi prioris decreti præscindebat, & cum eo tantùm prædestinata fuit vi posterioris decreti: cùm generatiuus concursus matris attingat tantum passiuè prolem, subministrando illi solâ materiam in vtero: Secus verò, si debuisset Virgo actiuè concurrere ad eandem humanitatem; nam tunc nō potuisset Deus illam posteà vi posterioris decreti dependenter ab actiuo cōcursu Virginis executioni mandare, absque mutatione prioris decreti: nam vi prioris decreti debuisset Deus hanc humanitatem præuidere existentem: non potuisset autẽ præuidere illam existentem, nisi ex vi principij productiui adæquati: ergo vi posterioris decreti, quo eandem humanitatem decreuisset executioni mandare dependenter à concursu generatiuo matris, debuisset priorem concursum adæquatum, quo eadẽ decreta fuit vi prioris decreti, mutare in alium cōcursum partialem & inadæquatum, cum quo simul producta fuisset dependenter à Virgine. Tandem 250. *Quarta demum seruata.*
seruata conditio 4. nã vi prioris decreti simul cum ipsâ humanitate decreta sunt omnia principia, à quibus hæc humanitas quoad substantiam per se pendet; scilicet hæc numero anima, hæc numero materia debitè organizata, hæc vnio substãtialis inter hoc corpus & animam, nec nō adæquatum principium actiuum horum omniũ, qui est solus Deus, cùm mater non nisi passiuè concurrat ad hæc omnia.

Objicies 3.

251. *Obijcies* 3. hæc humanitas supponebat hanc vnionem inter corpus & animam: sed ad hanc vnionem concurrit Virgo materno concursu generatiuo: ergo non poterat hæc humanitas præuideri ante maternum concursum generatiuum Virginis.
Resp. Distinguo minor. ad hanc vnionem concurrit Virgo, vt principium actiuum, nego, vt principiũ passiuum, concedo; non quidem inhæsiuum, cùm inhęsiuum subiectum vnionis sit ipsa anima & corpus, quę vnionem subiectando inter se connectuntur, sed materię subministratiuum.

252. *Obijcies* 4. merita Christi pręuisa in ęternitate futura, supponebant in eâdem æternitate efficaciter decreta omnia principia, à quibus futura erant in tempore dependentia; nõ alia: sed inter alia principia, à quibus merita Christi futura erant dependẽtia in tempore, erat mater: ergo non potuerunt merita Christi in æternitate præuideri ante maternum concursum generatiuum.

253. *Resp.* Distinguo maior. merita Christi præuisa in æternitate futura, supponebant in æternitate efficaciter decreta omnia principia, à quibus futura erant in tempore dependentia per se, concedo; concomitanter, nego. Cæterùm principium generatiuum maternum non fuit per se ad hanc humanitatem prærequisitum, sed tantùm concomitanter; adeoque potuit sine illo præuideri, & consequenter etiam merita ab eâdem humanitate futura. Et concedo, non alia fuisse Christi merita in æternitate præuisa, & in tempore existentia, quoad substantiã; aio, fuisse alia quoad circumstantias: nam vt præuisa in æternitate non supponebant, nisi principia per se; existentia in tempore supponebant principia etiam concomitantia.

254. *Obijcies* 5. Si posset principium concomitans meritum cadere sub meritum, posset primum auxilium gratiæ cadere sub meritum; contra *Augustinum, & Patres Africanos*, qui constanter contra *Pelag. & Semipelag.* docebant, primum auxilium gratiæ non posse sub meritum cadere. Sequela prob. posset aliquod primum auxilium gratiæ concomitanter tantùm se habere ad meritum: velut prima apprehensio de credibilitate mysteriorum fidei, ex quâ oritur iudicium de eâdem credibilitate; ex iudicio pia affectio credendi; ex hâc voluntas imperandi assensum fidei; ex imperio ipse assensus fidei elicitur: ergo posset prima apprehensio mysteriorum fidei, quâ incipit primum auxilium interioris gratiæ, dari in præmium ipsius assensûs fidei, ad quem illa comitanter tantùm præsupponitur.

255. DICO, primam apprehensionem mysteriorum fidei præsupponi ad assensum fidei, maximè per se; præsupponitur enim vt proponens obiectum credibile propter authoritatem Dei dicentis, quod formaliter & per se ad assensum fidei concurrit; licet, vt simpliciter apprehensum, remotè tantùm & mediatè concurrat ad assensum fidei, ad quem immediatè & proximè concurrit practicum iudicium de ipso fidei assensu eliciendo.

256. *Obijcies* 6. Dare Christo hanc matrem in præmium ipsius meritorum, non est dare illi aliquid, quod ex vi meritorum non haberet, sed est dare illi aliquid, quod saltem sub disiunctione ante præmiũ fuit Christus præuisus habiturus, quia fuit præuisus bene operaturus, siue genitus ab hac matre, siue ab aliâ.
257. Resp. Falsum est, datam fuisse Christo hanc matrem, quia dependenter ab illâ sub disiunctione præuisus fuerat rectè operaturus; cùm ad ipsius merita futura præuidenda, necesse non fuerit, ne quidem sub disiunctione videre Christi humanitatem à concursu generatiuo matris dependentem, cùm ille sit tantùm passiuus, materiæ subministratiuus. Sicilicet est duplex principium concomitans; 1. à quo potest res ipsa decreta, etiam à parte rei præscindere, & absque illo executioni mandari: 2. à quo nequit res decreta à parte rei præscindere & executioni mãdari, sine aliquo saltem huiusmodi principio indeterminatè: principium autem generatiuum maternum respectu humanitatis Christi, fuit concomitãs prioris generis; quia potuit hæc humanitas absque vllo principio generatiuo materno executioni mãdari, vi solius concursûs creatiui Dei, à quo totaliter pendet in suo esse effectiuè. Etenim posito semel cum Peripat. scholâ, quòd concursus maternus sit tantùm passiuus, solius matriæ subministratiuus, potuit hæc ipsa humanitas sine vllo concursu generatiuo matris à solo Deo produci vi eiusdem concursûs creatiui inuariati, quo fuit vi prioris decreti prædestinata: cũ eo casu nullus defuisset huic humanitati concursus, sine quo nõ potuisset à parte rei existere; eo prorsus modo, quo fuit vi prioris decreti prædestinata. Nam maternus concursus solùm subministrâsset huic humanitati hanc materiam debitè organizatam, per coniunctum principium materiale, sed hanc ipsam numero materiam cum suâ organizatione habuisset hæc humanitas vi soliùs concursus creatiui: ergo.

258. *Duplex disting. principium concomitans.*

Nihil eo casu humanitati defuisset sine quo non potuisset à parte rei existere.

Ex hoc fundam. sequitur, non ideò prædestinatam fuisse vi posterioris decreti hâc matrem Christo, quia vi prioris decreti pręuisus fuit Christus saltem sub disiunctione bene operaturus dependenter ab hâc, vel illâ matre, cùm nullo pacto maternus concursus fuerit prærequisitus, ne quidem vt conditio à parte rei præsupposita ad hæc Christi merita: sed ideo vi posterioris decreti prædestinatã fuisse hanc genitricem Christo, quia vi prioris decreti fuit Christus præuisus sanctè operaturus independenter ab omni concursu generatiuo matris. Quando verò principium concomitans est posterioris generis, sine quo nequit res decreta saltẽ sub disiunctione executioni mandari, vt subsistentia, præsentia ad locum, coexistentia ad tempus, &c. tunc verum est, in sensu saltem conditionali; ideò tale principium datur in præmium Christo, quia præuisus est saltem sub disiunctione cum quolibet bene operaturus. Adhuc tamen nego, eo casu dari aliquid humanitati Christi, quod humanitas habuisset vi suorum meritorum præcisè: nam vi horum si hæc præuisa fuisset cum solâ gratiâ habituali operatura, nõ exegisset subsistentiãm increatam: scilicet quotiescunque sunt plura principia comitantia, cum quorum singulis præuidetur natura bene operatura, tunc si ex eis datur præstantius ac nobilius, quod saltem determinatè vi meritorum præcisè non debetur, datûr aliquid, quod merens ipse vi suorum meritorum pręcisè non haberet. Vt si ciui, habenti ius ad bona Reip. detur aliquod bonum excellẽs, ad quod determinatè ius non habebat, datur aliquid, quod vi meritorum præcisè non habuisset; nam etiamsi fuisset illi minus bonum datum, adæquatè fuisset ipsius iuri satisfactum. 259.

260.

Ratio.

A pari.

DICES: ciuis supponitur cum iure tantùm confuso ad bona Reip. at humanitas Christi non potuit præuideri absolutè operatura cum iure tantùm confuso, & in communi ad subsistentiam, sed cum hâc, vel illâ determinatâ; cùm nihil præuideri possit determinatè existens, vti præuideri debet natura vt absolutè operatura, nisi cũ determinato principio existendi: Sed contrà; vt Christi humanitas pręuisa fuerit absolutè operatura, debuit pręuideri summum cum iure ad aliquam subsistentiam indeterminatè; quia est principium tantùm concomitãs respe-

261. *Arguis disparitatem.*

262. *Contrà.*

respectu operationis naturæ; & cum determinatâ tantùm existentiâ. Cæterùm diceretur eo casu illi communicata subsistentia increata propter merita, quia præuisa fuisset absolutè operatura sub quâuis subsistentiâ præuisâ tantùm sub conditione, non absolutè futurâ. Quare potuisset hæc humanitas vi prioris decreti præuideri absolutè existens, absolutèque promeritura, non tamen absolutè, sed sub conditione dumtaxat subsistens in hâc, vel illâ subsistentia. Ratio: licet implicet, videri meritum absolutè futurum, absque principio per se ad meritum requisito vt absolutè decreto, qualis est existentia præuia naturæ: non tamen implicat, videri meritum absolutè futurum, absque principio concomitanter tantùm ad meritum requisito, absolutè volito, sed tantùm sub conditione præuiso, vt *sect.* 7.

Ratio horum omnium.

263. *Dices.* At inquies, hoc ipsum dici posset de principio per se, quando saltem ab illo non pendet determinatè natura: vt quia hæc humanitas non pendet essentialiter determinatè à Deo, sed produci posset concurrente causâ 2. posset hæc humanitas præuideri absolutè existens, absolutèq; promeritura, absque determinato principio effectiuo absolutè volito, sed tantùm sub conditione præuiso: adeoque posset principium ipsum per se, saltem remotum merendi in præmium dari. Nego assump. quia cùm

264. *Resp.* principium per se, siue proximum, siue remotum, influat esse in effectum, & sine determinato esse nequeat effectus præuideri, non potest meritum sine principio per se, etiam remoto absolutè volito præuideri. Non enim præuideri potest meritum absolutè existens, nisi præuideatur ipsius principium, à quo accipit existere, etiam existens: sicut nec potest principium meriti videri absolutè existens, nisi ex vi principij actiui efficaciter decreti, à quo principium meriti accipit suum absolutum existere. Potest autem effectus absolutè existens absque principio comitante absolutè existente præuideri; quia cùm hoc non influat esse in effectum, sed tantùm requiratur vt præuia conditio ex parte principij ad illud, poterit aliunde effectus secundùm totum suũ esse præuideri. Confir. ex 3. conditione decreti præcisiui *suprà*, quod vi decreti præcisiui decernitur, debet posse executioni mandari absque mutatione sui esse substantialis: Nequit autem effectus variato principio effectiuo sui absque mutatione sui esse substantialis executioni mandari: quia nequit saltem sine mutatione alicuius actionis, sine quâ præuideri non potuit vt absolutè existens, executioni mandari. Vnde non per eandem actionem, quâ res decreta esset vi decreti præcisiui, sed per aliam executioni mandanda foret: & consequenter Deus mutasset in 2. decreto executiuo, quod in 1. præcisiuo definiuisset.

Principij per se ratio enucleatur.

265. *Obijcies* 7. præmium non solùm debet esse vltra id, quod merens confusè, & sub disiunctione cognoscitur habere, sed etiam vltra id, quod haberet, si distinctè & in particulari cognosceretur: sed si distinctè & in particulari fuissent Christi merita cognita, fuissent cognita dependenter à principio generatiuo matris, tanquam à principio mediato &

266. *Resp.* remoto. Nego minor. nam vi prioris decreti fuerunt Christi merita distinctè, & in particulari à Deo præcognita, absque vllâ dependentiâ à generatiuo concursu matris, sed cum solâ dependentiâ à concursu creatiuo Dei, à quo tantùm, vt à principio mediato per se, adæquatè pendent Christi merita: vi cuius prioris decreti humanitas præuisa absolutè operatura, meruit per talia opera, vt eandem humanitatem Christus acciperet passiuè ab hâc Virgine.

Obijcies 8. Eadem merita, quæ fuerunt causa electionis Virginis in genitricem, fuerunt etiam causa redemptionis eiusd. Virginis: sed merita, quæ fuerũt causa electionis Virginis, vt esset genitrix Christi, non fuerunt à Christo, vt à filio Virginis: ergo nec merita, quæ fuerunt causa redemptionis Virginis, fuerunt à Christo, vt à filio Virginis: & consequenter Virgo non fuit redempta à Christo, vt à filio formaliter, sed solùm materialiter & concomitanter. Minor patet; nam merita, quæ fuerunt causa electionis Virginis in matrem sicut in Virgine non supponebant maternitatem Christi, ita nec in Christo filiationem Virginis, alioqui supposuissent iam prædestinatum id, quod merita obtinere debuissẽt, 267.

vt prædestinaretur. Resp. 1. fortè aliquos non reputaturos absurdum, quòd Virgo nõ fuerit redempta à Christo, vt filio formaliter, sed vt filio specificatiuè & materialiter. 2. veriùs, Virginem fuisse redemptam à Christo, vt filio formaliter. Nec vrget argu. nam licet Deus, vt eligeret Virginem in matrem nõ potuerit respicere ad merita Christi, vt filij Virginis, quia secundùm hanc circumstantiam merita Christi supponebãt Virginem iam electam in genitricem Christi: potuit tamen respicere ad merita Christi, vt filij Virginis, vt eandem Virginem redimeret, quia secundùm hanc circumstantiam merita Christi non necessariò supponebant in decreto diuino Virginem redemptam: eò quòd decretum de maternitate non necessariò supponebat decretum de redẽptione. Ergo potuerunt merita Christi præuisa vi prioris decreti esse causa maternitatis Virginis, nondum autem redemptionis eiusdem; cuius tamen causa fuerunt vt præuisa vi posterioris decreti, vi cuius Christi merita fuerunt præuisa cum hâc peculiari circumstantiâ, vt dependentia à Virgine, vt à propriâ progenitrice. 268. *Resp.* 1. 269. *Resp.* 2.

SECTIO XI.

An B. Virgo suis operibus sibi promeruerit maternitatem Dei, & quomodo?

EX eo quòd Christus illam promeruit, non tollitur, quin eandem Virgo suis operibus sibi etiam promereri potuerit: sicut eãdem gloriam nobis à Christo promeritam, nostris etiã operibus nos ipsi promeremur. Est enim Christus causa meritoria vniuersalis prima, nos particularis secunda, quam non repugnat vnà cum primâ ad eundem effectum concurrere: etsi non ad omnes effectus supernat. nos vt causa 2. particularis meritoria concurramus, nam saltem ad primum auxilium gratiæ nullo modo nos meritoriè concurrimus, cùm illud omninò gratis ex solius Christi meritis nobis donetur. Ratio dub. pro negatiuâ parte est: si Virgo suis operibus diuinam maternitatem promeruisset, promeruisset ipsum Incarnationis opus: at hoc falsum est; nam constans Patrum, & Schol. sent. in sacris Oraculis fundata, opus Incarnationis appellat opus puræ misericordiæ, liberalitatis, & gratiæ; non retributionis, quale videretur si illud concessum fuisset ex meritis alicuius creaturæ. Sequela prob. mereri maternitatem Dei, est mereri, vt Deus ex suis visceribus carnem assumat; hoc est, mereri Incarnationem Dei. 270. *Ratio quæst.* 271. *Ratio dubij.*

Communis tamen sententia est, paucis exceptis, inter quos *Lorca*, Virginem suis operibus sibi meruisse maternitatem Dei: quam docent Patres, approbat Ecclesia in Antiphona; *Regina cæli lætare, quia quem meruisti portare* &c. quia, vt *præced. sect.* Abraham suis promeruit, vt ex semine ipsius nascetur 272. *Vera sent.* *Fundam. ex n. 208.*

Bb

retur

retur Christus; ergo à fortiori Virgo suis operibus longè dignioribus promeruit, vt idem Christus ex suis visceribus carnem sumeret.

273. *Ad rationẽ dubit.* Ad rationem dubitandi, negatur sequel. ad probationem respondeo, dupliciter potuisse Virginem suis operibus meruisse, vt Deus ex se carnem sumeret: 1. supposito Incarnationis mysterio, gratis quoad substantiam in Dei decreto prædestinato: 2. eo supposito, non gratis, sed primò à Deo & quoad circumstantias prædestinato propter opera Virginis præuisa: Primo, non 2. modo meruit Virgo, vt Deus ex ipsâ incarnaretur: quod non est mereri Incarnationis mysterium, quod iam supponitur gratis in diuinâ mente prædestinatum, sed circumstantiam dumtaxat Incarnationis: vt ex suppositione, quòd Christus esset vi gratuiti decreti in mundum venturus, potiùs ex hâc, quàm ex aliâ fœminâ carnem sumeret: ita posito, quòd Imperator esset Ingolstadium iturus, & vnus mereretur, vt ad suam domum potiùs, quàm ad aliam diuerteret, non diceretur talis mereri aduentum Imperatoris simpliciter, sed circumstantiam dumtaxat diuertendi in suam domum.

274. *Inferes.* DICES: vera mater est, quæ prolem quoad substantiam concipit: igitur si Virgo solùm quoad circumstantiam Christum concepit, non fuit vera mater ipsius. *Confirm.* Confirmatur, non diceretur vera mater, quæ prolem iam productam tantùm conseruaret: ergo multò minùs dicetur vera mater, quę filium præsuppositum iam exstiturum quoad substantiam conciperet.

275. *Resp.* Distinguo antecedens: vera mater tantùm est, quæ non modò in esse physico, sed etiam in esse morali prolem quoad substantiam concipit, nego; nam veræ matris munus non est, prolem causare in esse morali in mente prædestinantis, sed tantùm in esse physico à parte rei; quæ prolem quoad substantiam concipit in esse physico, concedo: nã hoc tantùm est necessarium, & sufficit ad veræ matris officium. *Ad confirm.* Ad confirm. ideò non foret vera mater, quæ prolem iam productam tantùm conseruaret, quia munus propriè matris est, primum esse physicum proli communicare: quæ autem productam tantùm conseruaret, non daret primum esse physicum proli, cùm iam illud ab alio datum supponeret. Vnde negatur conseq. nam potest esse vera mater, quæ prolem exstituram vi decreti diuini, producit secundùm esse physicum & à parte rei: alioqui illi saltem homines, qui per preces Sanctorum decreti fuerunt à Deo, quique vi causarum naturalium progignendi non fuissent, non potuissent esse veri filij suorum parentum: siquidem isti, antequã præuiderẽtur à suis parentibus progignẽdi, erãt vi decreti diuini, exstituri: nã non ideò fuerunt in mente diuinâ exstituri, quia præuisi fuerunt à suis parentibus progignendi: sed ideò erant à suis parentibus progignendi, quia exstituri erant vi decreti diuini, antecedenter ad præuisionem futuræ parentum prognationis.

276. *An B.V. meruerit sibi maternitatem diuinã etiam quoad prædestinationem.* Scholastici magis controuertunt: An Virgo non solùm sibi meruerit diuinam maternitatem quoad executionem, sed etiam quoad prædestinationem. *Suarez disput. 10. sect. 8. dicto 1.* affirmat, eam sibi tantùm meruisse quoad executionem: quam sent. ait esse certam, potiusque supponi, quàm discuti. Fundamentum;
277. quicquid meriti & gratię fuit in Virgine, originem habuit ex diuinâ eius maternitate: ergo hæc fuit prima gratia & dignitas, ad quam fuit electa: aliter daretur gratia prior illâ, ex quâ, & non ex hâc, reliquæ gratię & merita Virginis originem traxissent: igitur non potuit illam quoad primam electionem seu prædestinationem sibi promereri, quia non potuit illam promereri per opera solius naturæ viribus elicita. Antecedens probat: ideò tam excellens gratia, tamque opportuno tempore est collata Virgini, vt esset accommodata tantæ dignitati, ad quam erat electa: quin etiam ipsius electio ad gloriam facta est dependenter ab hâc dignitate: nam ideò electa est ad tantam gloriam, quia decebat, matrem Dei supra omnes puras creaturas in throno gloriæ collocari: ergo electio ad diuinam maternitatem præcessit ipsius electionem ad gloriam. Contrà *Vasquez disput. 23. cap. 4.* conten- 278. *Sentent. probabilior.*
dit, Virginem etiam quoad prædestinationem, diuinam maternitatem, operibus ex gratiâ profectis sibi promeruisse. Quæ sententia probabilior est, & conformior principijs, quibus *tom. 1. disput. 15. sect. 4.* docui, eundem modum seruare Deum in intẽtione, quem seruat in executione. At in executione diuina maternitas collata est Virgini dependenter ab ipsius meritis; ergo dependẽter ab eisdem decreta est in intentione. Quare priùs præuisa fuerunt merita Christi, propter quæ decreta fuit gratia Virgini, vt per opera ab ipsâ profecta liberè se ad Christi maternitatem disponeret: Tum ex ipsius operibus futuris præuisis illam prædestinatam fuisse ad diuinam maternitatem: Tandem propter omnia opera ipsius ad finem vsque vitæ præuisa electam fuisse ad insignem illum gradum gloriæ, quo omnes puras creaturas antecelleret.

Ad fundamentum *Suarez*, nego antecedens eiusque probatio. 279. *Ad fund. Suarez.* scilicet diuina maternitas non fuit prima gratia decreta Virgini, ex quâ reliquę omnes duxerint originem: quia cùm illa in executione data sit dependenter à meritis ipsius, & idem sit modus, quem Deus seruat in executione, & in intentione, non potuit hæc esse prima dignitas à Deo Virgini prædestinata. Ad id, quod sequitur, respon-
dendum eodem modo, quo *citat. 1. tom.* de gratia, 280.
quæ datur prædestinatis, vt gloriam consequantur; vt nimirum voluntas dandi gratiam prædestinatis non procedat ex voluntate formali, sed tantùm virtuali dandę gloriæ, inclusâ in medijs efficacibus. Nam hoc ipso, quòd Deus dat media efficacia ad finem, vult saltem virtualiter finem in ipsis medijs efficacibus. Pari modo voluntas Dei præparandi tã excellentem gratiam Virgini, non necessariò fuit ex antecedente voluntate formali electionis eiusdem ad diuinam maternitatem, sed tantùm ex virtuali inclusâ in ipsis medijs efficacibus, post quæ absolutè præuisa elegit illam voluntate formali, & expressâ ad diuinam maternitatem.

Vltima diffic. An diuinam maternitatem de cõ- 281. *An id B.V. promeruerit de condigno vel tantùm de congruo.*
digno, an tantùm de congruo Virgo sibi promeruerit. *Gabriel in 3. distinct. 4. qu. vn. art. 3. dub. 3. in 2. parte dubij* affirmat, illam sibi meruisse de condigno: cui consentit *Almai. quæst. 1. dub. 3.* qui licet principio neget meritum condignum Virgini, *in fine,* tamen *dubij, respondendo ad argum.* illud concedit. *Fundam.* Fundamentum: opera Virginis ex gratia facta non excedebantur in dignitate à maternitate Dei: nam maior perfectio Virginis est augmentum gratiæ & gloriæ, quàm ipsius diuina maternitas; ex *Matth. 12.* vbi Christus eum, qui facit voluntatem sui patris, præfert dignitati suæ matris; & Lucæ 11. cùm *Quædam mulier* diceret *illi*: *Beatus venter qui te portauit*: respondit: *Quin imò beati, qui audiunt Verbum Dei, & custodiunt illud.* Quem locum explicans Augustinus *tract. 10. in Ioannem*: *Hoc est dicere*, inquit; *& mater mea, quam appellatis felicem, inde felix, quia Verbum Dei custodit, non quia in illa Verbum caro factum est, & habitauit in nobis*:

in nobis: sed quia custodit ipsum Verbum Dei, per quod facta est, & quod in illa caro factum est.

282. 2. Sentent. communis. Communis tamen sententia *in 3. distinct. 4.* est, quam plerique *Thomistæ* cum *Angelico 3. parte qu. 2. articul. 11. ad 3.* docent, Virginem de congruo tantùm meruisse, vt fieret mater Dei. Doctores discrepant, an saltem de potentiâ absolutâ potuerit Virgo condignè mereri hanc dignitatem. Affirmat *Medina in citat. locum S. Thomæ*: vbi ideò negat, Virginem condignè meruisse diuinam maternitatem, quia de illâ nulla extabat lex seu promissio. Ex quo sequitur, quòd si de illa facta fuisset promissio, potuisset sub condignum meritum cadere. Eandem sequitur *Suarez disputat. 10. sect. 7.* contrà autem *Vasquez loco citat. & alij Recentiores* negant, potuisse Virginem etiam de possibili diuinam maternitatem sibi condignè promereri.

283. Solutio diffic. tota à nomine pendet. Solutio pendet, quid nomine meriti *congrui*, & *condigni* intelligant Doctores. Nam si meritum condignum non solùm dicat proportionem operis cum præmio, sed etiam præmij cum opere, vt *nonnulli ex citat.* explicant, vt nimirum illud tantùm meritum dicatur condignum, quod non solùm ipsum habet proportionem condignitatis cum præmio, sed eandem condignitatis proportionem habet præmium cum opere; vt sicut meritum non exceditur à præmio, ita nec præmium à merito: Tunc dico Virginem non meruisse de condigno Christi maternitatem, de facto; *Nec de facto.* quia de facto eius opera fuerunt condignè remunerata per augmentum gratiæ & gloriæ; & positâ condignâ remuneratione, omne aliud præmium fuisset supra condignitatem illorum: Nec de possibili: *Nec de possibili &c.* quia si de possibili potuisset illam cōdignè mereri, ideò esset, quia potuisset pro adæquato præmio suorum operum Virgo accipere solam maternitatem Dei, absque augmento gratiæ & gloriæ: at sola maternitas Dei non fuisset condigna remuneratio pro talibus operibus ex gratia profectis: nam hæc condignè postulant augmentum gratiæ & gloriæ, quæ saltem respectu merentis, est maior perfectio, quàm sit, esse matrem Dei. Si verò meritum de condigno solùm requirat, vt non excedatur à præmio, esto ipsum excedat præmium: tunc dico, de facto Virginem, *Non de facto.* suis operibus non meruisse de condigno diuinam maternitatem: quia de facto omnia ipsius opera habuerunt condignum præmium, ipsū nempe augmentum gratiæ & gloriæ, de possibili tamen potuisse illam condignè mereri, *Sed de possibili &c.* quia potuissent ipsius opera non remunerari debito præmio augmenti gratiæ & gloriæ, ad quod suâ naturâ ordinantur, sed præmio dumtaxat diuinæ maternitatis; quæ licet non sit præmium proportionatum meritis ex gratiâ profectis, non est tamen quoad dignitatem excedens illa, vt ex *cit. locis* colligitur. Iuxta hæc intelligendum, quod *sect. 8.* nempe antiquos PP. Incarnationis circumstantias de condigno non meruisse.

284. Ad Fund. 1. Sentent. Ad fundamentum prioris sententiæ concedo, opera Virginis ex gratiâ profecta non excedi in dignitate à diuinâ maternitate: nego tamen de facto per ea condignè illam sibi promeruisse: quia cùm de facto omnia opera Virginis fuerint condignè remunerata proportionato præmio augmenti gratiæ & gloriæ, tale præmium fuisset supra debitum & exigentiam talium operum.

SECTIO XII.

An Christus nobis promeruerit æternam prædestinationem ad gratiam & gloriam?

HÆc discussa *to. 1. disp. 15. sect. 3.* vbi quia nonnulla absque plenâ cognitione huius mysterij dignè disputari non poterant, huc remissa sunt. 285.

Prima sent. negat, Christum meruisse nobis æternam prædestinationem siue ad gratiam, siue ad gloriam, sed executionē dūtaxat illius; quia quicquid gratiæ & gloriæ nobis in executione donatum est, per Christum donatum est, tametsi eiusdem gratiæ & gloriæ quoad prædestinationem non fuerit nobis meritoria causa Christus, sed sola voluntas Dei. *Scoti in 3. dist. 19. q. vn. §. In ista q. & §. seq. Ad 2. Lychet. ibid. Basso. Palat. dist. 18. disp. 2. Fauen. disp. 48. cap. 2. Adam. in 1. c. ad Ephes.* quam sequi videtur *Bened. Iustinia. in 1. c. ad Ephes. in expli. verb. Qui prædestinauit nos.* 286. 1. Sentent.

Fundamentum: priùs ratione Deus prædestinauit homines ad gloriam æternam, quā prēuiderit Christi merita vt absolutè futura: ergo non potuerunt Christi merita esse causa nostræ prædestinationis: quia nullum prius pendet à suo posteriori: scilicet vt potuissent Christi merita hominū prædestinationem moraliter causare, debuissent vt absolutè futura in præscientiâ Dei ratione præcedere, vt potuisset diuina voluntas propter illa moueri ad hominū prædestinationē decernendā. Antec. prob. 1. Si Adā nō peccásset, Christus incarnatus nō fuisset: ergo hominum prædestinatio fuit ante præuisa Christi merita. Nam adhuc Christo non incarnato, homines electi fuissent ad gratiam & gloriam; & salui facti fuissent: ergo eorum ad salutem & gloriā electio facta non est dependenter à meritis Christi. 287. Fundam. potissimum. *Hic cardo diffic.*

2. Prædestinatio hominum fuit finis, propter quem Deus Christum prædestinauit; scilicet *propter nos homines & propter nostram salutem &c.* ergo prædestinatio hominum in æterno decreto Dei præcessit prædestinationem Christi: semper enim finis præcedit media in intentione agentis, cùm ex fine præintento agens moueatur ad media eligenda: consequenter non potuit hominum prædestinatio fieri dependenter à meritis Christi. nam merita Christi supponunt prędestinationem eiusdem Christi: ergo si prædestinatio Christi fuit post prædestinationem hominum, à fortiori etiam merita eiusdem fuerunt post prædestinationem hominum, ac proinde non potuerunt vt causa præcedere illam, & cōsequenter moraliter illam in mente diuinâ causare. 288. Prob. 2.

3. non dicitur causa prædestinationis, qui non est causa omnium effectuū prædestinationis: nos enim nō dicimur causa nostræ prædestinationis, esto multorum effectuum simus causa, quia non sumus causa primæ vocationis, in qua incepit prædestinatio. At Christus non est causa omnium effectuum nostræ prædestin. nam inter effectus nostræ prædestin. est ipsa prædestinatio Christi, cùm hæc facta sit dependenter à nostrâ vt causâ finali, à qua motus est Deus ad Christum prædestinandū. 289. Prob. 3.

4. Non potuissét Christi merita esse moralis causa hominū prædestinationis, nisi præuisa fuissent vt offerenda ab humanâ voluntate Christi pro eorundem hominū prædestinatione & salute: non potuissent autem præuideri vt à Christo offerenda pro hominum prędestinatione & salute, nisi suppositâ iam & decretâ hominum prædestinatione & salute: nam oblatio meritorum pro prædestinatis supponit prædestina- 290. Prob. 4.

tos vt obiectum: igitur debuit hominum prædestinatio in decreto Dei præcedere Christi merita. Maior prob. merita Christi mouent diuinam voluntatẽ per modum causæ impetratoriæ, quæ non mouet voluntatem eius, à quo debent impetrare, nisi applicando propria merita ei, cui vult impetrare. 5.
291. *Prob. 5.* Christus multos actus dilectionis elicuit erga prędestinatos; ergo saltem per illos non potuit illorum prædestinationem mereri. nam tales actus supponunt prædestinatos, circa quos versantur, vt obiectum: obiectum autem semper precedit actum, quem terminat: ergo saltem huiusmodi actus non potuerunt esse causa meritoria nostrę
Confirm. prędestinationis. Confirmatur: etiam in pręscientiâ Dei debuissent predestinati precedere dilectionem Christi erga prędestinatos elicitam: tum quia neque in diuina pręscientiâ videri potest actus absque suâ essentiâ: de essentiâ autẽ actûs est ordo ad obiectum præsuppositum: igitur de essentiâ dilectionis erga prædestinatos elicitæ, est ordo dilectionis ad eosdem prædestinatos iam præsuppositos. Tum quia eo modo hi actus præuisi sunt à Deo, quo futuri erant in tempore: sed in tempore supponebant prædestinatos, vt obiectum, ad quod terminandi erant: ergo etiam in æternitate præuisi sunt vt obiectum præsupponentes. 6. Multa Christi merita
292. *Prob. 6.* præsupponebant gratiam hominibus iam prædestinatam, cuiusmodi erant tum actus, quibus flebat peccata hominum: nam hæc peccata supponebantur vt obiecta doloris Christi: sed ad hæc peccata supponebatur præparata gratia sufficiens, per quam homines possent hæc peccata vitare: ergo dolor Christi de huiusmodi peccatis supponebat gratiam independenter ab hoc dolore hominibus præparatam: Tum actus illi, qui à Christo exerciti fuerunt ex occasione peccatorum crucifigentium: nam tales actus futuri non fuissent, nisi futura fuissent peccata crucifigentium: sed peccata crucifigentium supponebant gratiam sufficientem præparatam ipsis crucifigentibus ad huiusmodi peccata vitanda: ergo tales actus non potuerunt huiusmodi gratiam crucifixoribus promereri, quam præparatam supponebant. 7. Si nostra prædestinatio decreta
293. *Prob. 7.* fuisset ex meritis Christi, non fuisset opus misericordiæ & puræ liberalitatis, vt eam diuina oracula & Patres appellant, sed potiùs iustitiæ & remunerationis; quia fuisset nobis decreta & collata vt merces debita operibus Christi.

294. *2. Sentent. communis & vera.* SECVNDA communis & vera affirmat, Christum meruisse nobis prædestinationem ad gratiam & gloriam. *S. Thom. 3. p. q. 24. art. 4.* his verbis: *Dicendum, quòd si consideretur prædestinatio secundùm ipsum prædestinationis actum, prædestinatio Christi non est causa nostræ prædestinationis, cùm vno & eodem actu Deus prædestinauerit ipsum & nos: si autem consideretur prædestinatio secũdùm terminum prædestinationis,* (hoc est, secundùm obiectum) *sic prædestinatio Christi est causa nostræ prædestinationis. Sic enim Deus præordinauit nostram salutem, ab æterno prædestinando, vt per Iesum Christum compleretur.* reliquos Authores lege 1. *tom.*
295. *Fundam. maximum.* Fundam. est *ad Ephes. 1.* quo vtitur *cit. S. Doctor, &c. Prædestinauit nos in adoptionem filiorũ per Iesum Christum.* Quem locum de ęterna prædestinatione ad gratiam & gloriam intelligunt *Chrysost. homil. 1. in hunc locum, Cyrillus Alex. lib. 5. Thes. cap. 8. Hierony. Anselm. August. lib. de prædest. SS. c. 18. & 19.* Cæterum etsi plerique contrariæ sent. nobiscũ admittãt, hunc locum intelligi de æterna prædestinatione ad gratiam & gloriam, negant tamen illam factam esse per Christum hominem Deum meritoriè impetrãtem, sed per Christum Deum gratis decernentem. Cui expos. fauet *Chrysost. Vides,* inquit, *quomodo nihil sine Christo? quomodo nihil sine Patre? hic prædestinauit, ille adduxit.* Vbi prædestinationem nostram soli Patri non exclusis reliquis diuinis personis; Christo verò solam prædestinationis executionem, hanc enim importat τὸ *Adduxit,* tribuit. Præterea Anselm. post datam 1. interpre. huius loci de prædestinatione meritoriè per Christum mediatorem decreta, addit secundam: *Vel hanc prædestinationem fecit per Iesum Christum, id est, per virtutem & sapientiam suam, quia nihil fecit vnquam Pater, nisi per Filium, qui est virtus & sapientia eius.*

Sed præterquam quòd hæc interpretatio non est conformis reliquis PP. videtur repugnare textui, in 296.
quo paulò pòst subditur: *In quo habemus redemptionem per sanguinem eius:* Vbi *Paulus* loquitur de Christo vt Saluatore. Nam iuxta *Apost.* per illum nos Deus ante mundi constitutionem elegit, ac prædestinauit in adoptionem filiorum, per cuius sanguinem redemptionem habemus: at redemptionem habemus per sanguinem Christi hominis Dei: ergo per eundem Deus nos elegit ac prædestinauit. Fateor propter tot Authores, contrariam sent. non esse notã aliquã dignam, vt nonnulli putant; quod notauit P. *Suarez disp. 41. sect. 4.*

Probatur: si homines prędestinati fuissent ad 297. *Prob. 1. 2. Sentent. ab absurd.*
gratiam & gloriam independenter à meritis Christi, adhuc Christo vi præsentis decreti non incarnato, homines salui facti fuissent; hoc autem est contra Patres communiter asserentes, si Deus carnem non sumpsisset, homo saluus factus non fuisset. Leo 1. *Epist. 13. ad Pulcheriam*: *Nisi enim,* inquit, *nouus homo factus in similitudinem carnis peccati, nostram susciperet vetustatem, & consubstantialis Patri, consubstantialis esse dignaretur & matri, naturamq́; sibi nostram solus à peccato liber vniret, sub iugo diaboli generaliter teneretur humana captiuitas:* Idem docet *serm. 1. de Passione.* Augustinus *serm. 8. de* verbis Apost. *Ecce perit primus homo, & vbi esset, nisi venisset Deus secundus homo?* Fulgentius *de Incarn. cap. 7. Nisi enim Verbum Dei humanam sibi vniens singulariter naturam, ex Virgine homo verus nasceretur, & plenus, nunquam nobis carnaliter natis spiritualiter nascendi cõferretur exortus.* Ansel. *l. 1. Cur Deus homo, c. vlt. Si ponimus Christum nõ esse, nullo modo potest inueniri salus hominis.* Sequela prob. decretũ de prædestinatione hominum fuisset efficax; ergo mandatum fuisset executioni, etiamsi Christus non fuisset incarnatus: & consequenter vi præsentis decreti saluus factus fuisset homo, etiamsi Christus incarnatus non fuisset, contra *cit. Patres.*

Aduersarij 1. negant sequel. quia potuit Deus ho- 298. *Resp. 1.*
mines ad gratiam & gloriam prædestinare independẽter à meritis Christi, & simul prædefinire, hoc decretũ executioni non mandare, nisi dependenter à meritis eiusdem: sicut *præced. sect.* docui, Deum prædestinâsse Christum futurum hominem independenter à cõcursu generatiuo matris, & tamẽ hoc decretũ executioni non mandâsse, nisi dependenter à materno concursu Virginis. Ergo licet homines prędestinati fuerint indepẽdenter à meritis Christi, adhuc non sequitur, vi præsentis decreti illos saluari potuisse absque meritis Christi, quia præsens decretum nõ solùm includit voluntatẽ Dei de prędestinatione, sed etiã de executione. Sed contrà 1. sicut 299. *Contrà.*
vi præsentis decreti, etiamsi Christus non fuisset ex Virgine nasciturus, adhuc futurus fuisset homo vi prioris decreti, quo fuit indepẽdẽter ab omni concursu materno prędestinatus: ita etiãsi vi posterioris decreti nõ fuisset Christus prædestin. homo, adhuc homo saluus factus fuisset vi prioris decreti, quo independenter

dependẽter à Christo efficaciter prædestinatus fuit. 2. si gratia & gloria in executione nobis datur depẽdenter à meritis Christi, etiam in intentione illa nobis præparata fuit dependenter à meritis Christi, cùm idem modus sit prædestinationis, & executionis in Deo. Nec necesse est, duplex in Deo decretum ponere; alterum intentionis, quo gratiam & gloriam nobis prædestinârit independenter à meritis Christi; alterum executionis, quo eandem prędefinierit dependenter à meritis eiusdem, sed vnum & idem, quo eandem & prædestinauerit, & executioni mandauerit dependenter à meritis eiusdem, vt 1. *tom. disp.* 15. *sect.* 4.

300. *Contrà 2.*

301. *Respondent 2. Scotistæ.* Respondent 2. Scotistæ, vi prioris decreti fuisse homines prædestinatos vnà cũ Christo in carne impassibili, independenter à meritis eiusdem vẽturi in carne passibili; vi autem posterioris decreti, præuiso peccato Adæ & posterorum, eosdem prædestinatos fuisse saluandos per merita Christi venturi in carne passibili.

302. *Contrà 1.* Sed contrà 1. hæc resp. admittit de facto in Deo decretum, quod nunquã habuit effectũ ad extra, nẽpe decretũ de Incarn. Christi in carne impassibili: cũ tamẽ, vt *praeced. sect.* nullũ de facto debeat in Deo decretũ poni, quod aliquando nõ sit effectum habiturũ: nam quicquid Deus à se absolutè vult, necessariò aliquando executioni mandandum est. Nec dici potest, hoc decretum de Incarn. Christi in carne impassibili fuisse tantũ conditionatũ: nam decretum conditionatum non est in Deo formaliter & subiectiuè, vt volunt Scotistæ, sed tantùm obiectiuè, & ad summum virtualiter.

303. *Contrà 2.* 2. etiã vi huius prioris decreti de Christo incarnando in carne impassibili, homines saluati fuissent dependenter à meritis Christi: nam etiam vi huius decreti Christus futurus fuisset caput prædestinatorum, non minùs quàm de facto futurus fuit vi posterioris decreti: sed, *vt mox*, ratio, cur homines prædestinati sint dependẽter à meritis Christi, est, quia Christus prædestinatus est vt caput electorum.

304. *Contrà 3.* 3. Aut vi posterioris decreti prædestinata est gratia & gloria, vt danda hominibus dependenter à meritis Christi quoad executionem tantùm, aut etiam quoad intentionem. Si 1. redit eadem difficultas, cur non etiam quoad intentionẽ? Si 2. cur non etiam vi prioris decreti prędefinita illis est quoad intentionem, cùm etiam vi prioris decreti Christus futurus esset caput hominum?

305. *Probatur 2. hæc sen.* Prob. 2. ad perfectum caput mysticũ, quale Christus est, pertinet, omnem gratiam & donum supernat. in sua mystica membra meritoriè influere: ergo non solùm ad Christum mysticum hominum caput pertinet, illis omnem gratiam & gloriam in executione, sed etiam in intentione mereri, cùm hæc sit fons & radix reliquarum gratiarum, & donorum supernat. Confirm. 1. cùm hoc redundet in maiorem Christi gloriam & dignitatem, nec aliquid in contrarium obstet, *vt mox*, non est, cur Christo denegemus. Sic enim meliùs seruatur Christi primatus, quem vt *ad Coloss.* 1. in omnibus tenet. 2. Paulus *ad Ephes.* 1. testatur, omnem gratiam & benedictionem cælestem nobis datam, ac pręparatam esse per Christum.

306. *3. Prob. explicando modũ, quo id fieri potuit.* Prob. 3. posito, quòd Christus in 1. signo in nostrâ sent. prædestinatus fuerit vt redemptor hominum, dependenter à remedio peccati, præuisi tantùm scientiâ conditionatâ, potuit Deus priùs ratione præuidere merita Christi absolutè futura quoad substantiam, quàm Adamum reliquosque homines præuisos scientiâ conditionatâ in peccatum lapsuros, ad gratiam & gloriam, aut tãtùm sufficienter, vt reprobandos, aut efficaciter, vt prædestinandos, eligere: ergo potuerunt merita Christi esse meritoria causa nostræ prædestinationis; (& hoc redundat in maiorem Christi gloriam, quam Deus vi præsentis decreti maximè intendit, vt *disp.* 7. *sect.* 2.) nam si qua esset ratio, cur non potuerint, esset, quia vi præsentis decreti non potuerunt in diuinâ præscientia præcedere hominum prædestinationem. Antec. probatur: prædestinatio Christi, vt redemptoris, fuit dependens à salute & prædestinatione hominum solùm vt à fine proximo: *vt disp.* 7. *sect.* 2. finis autem, quando non solum pendet à voluntate conferentis media, sed etiam à voluntate alterius, per collata media cooperantis ad eiusdem finis consecutionem, non necessariò in voluntate agentis media conferentis præcedit vt formaliter & absolutè volitus, sed tantùm virtualiter & conditionatè, nempe si alter per talia media sit ad eiusdem finis consecutionẽ cooperaturus: ergo nõ necessariò salus & prædestinatio hominũ, dependẽter à quâ vt à proximo fine incarnatus fuit Christus, præcessit in voluntate Dei, vt formaliter & absolutè volita, sed tantùm virtualiter & conditionatè, si nimirum Christus, dependenter à cuius meritis vi præsentis decreti, Deus hominum salutem & prædestinationem decreuit, ad eiusdem salutis consecutionem cooperatus fuerit: & consequenter non antè formaliter & absolutè Deus decreuit hominum prædestinationem, quàm præuiderit merita Christi absolutè futura. Minor constat ex 1. *tom. disp.* 15. *sect.* 4. vbi docui, Deum non priùs formaliter & absolutè elegisse nos ad gloriam, quã præuiderit nostra merita absolutè futura, dependẽter à quibus illã nobis ab æterno prædestinauit. Cũ igitur Deus æternam salutẽ & prædestinationem hominũ voluerit dependenter à meritis Christi, vt cõstat ex ipsâ temporali retributione, quã illa nobis in tempore dependenter à Christi meritis retribuitur, cùm idẽ sit temporalis retributionis & æternæ prædestinationis modus in Deo, sequitur illam non ante formali & absolutâ voluntate prædefiniuisse, quàm præuiderit merita Christi vt absolutè futura.

Eadem est causa electionis nostræ ad gloriam &c.

Ex his constat, quo pacto per hunc modum non solùm saluetur dependentia nostræ prædestinationis à meritis Christi in genere causę meritorię, sed etiã prædestinationis Christi à nostrâ prædestinatione & salute in genere causæ finalis proximæ: nam vi præsentis decreti, vt *citat. disp.* ex Scripturis & PP. demonstraui, non fuisset prædestinatus Christus homo, nisi vt redemptor hominum: ad hanc autem dependentiam prędestinationis Christi à prædestinatione nostrâ saluandam, necesse nõ fuit prædestinationem nostram, vt absolutè futuram in diuinâ scientiâ præcedere prædestinationem Christi, sed sat fuit, illam tantùm præcessisse in scientiâ conditionatâ: nam vt finis causet, non necessariò supponitur existens, sed sufficit vt tantùm cognoscatur possibilis, aut sub conditione futurus. Fuit autem necessarium ad saluandam dependentiam nostræ prædestinationis à meritis Christi, vt merita Christi pręcederent in diuinâ pręscientiâ, vt absolutè futura, quia merita non causant, nisi præuisa vt absolutè futura. 307. *Mutua prædestinationis dependentia.*

Etiam constat, quo pacto potuerit eadem Christi prædestinatio decerni dependenter ab exaltatione Christi, vt à fine remoto, non quidem totali, sed partiali: quia si scientiâ conditionatâ præuisa non fuisset hominum redemptio futura honorifica & gloriosa Christo, non fuisset vi præsentis decreti Christus prędestinatus hominum redemptor. Quare hunc etiam finem virtualiter tantùm intendit Deus in decreto de Christo redemptore, post cuius merita præuisa absolutè futura, eandem Christi exaltationẽ, simul cũ nostrâ salute & prædestinatione, 308. *Christi prædestinatio dependens ab exaltatione eiusdem.*

tione, & non ante, intendit formaliter & expressè. Ratio; hæc eadem Christi exaltatio prædestinanda erat Christo dependenter ab ipsius meritis: nã propter ipsius obedientiam datum est *Illi nomen, quod est super omne nomen*, ad Philip. 2. & *propter passionem mortis gloriã & honore coronatus est Iesus*. Hebr. 2. Cæterùm hoc interest inter exaltationem Christi, & redemptionem nostram, quod redẽptio nostra fuit finis proximior respectu prædestinationis Christi, exaltatio verò Christi fuit finis remotior: nã Christi prædestinatio & Incarnatio vi præsentis decreti, vt *cit. disp.* proximè ordinata fuit ad redemptionem nostram; vtraque verò tam Incarnatio, quàm redẽptio nostra ad Christi exaltationẽ, quorũ alterutro deficiente, decreta non fuisset Incarnatio Christi.

309. *Coroll. 1.* Deducitur 1. Voluntatem illam, quam Deus ex amore nostræ salutis nondum formaliter, sed tantùm virtualiter volitæ, habuit, non fuisse ex meritis Christi: quia illa aut præcessit prædestinationem Christi, aut, vt verius censeo, fuit inclusa in prædestinatione Christi, tanquam in medio efficaci ad finem consequendum præparato. Vti dixi, virtualem illã voluntatem, quam Deus habuit de nostrâ æternâ gloriâ, antequam illam ex nostris futuris meritis formaliter decerneret, non necessariò antecessisse ipsam præfinitionem mediorum efficacium, sed fuisse in ipsa mediorum voluntate inclusam. *Vide t. 10. disput. 15. sect. 4.* Ratio: nullam debemus in Deo voluntatem assignare, absque aliquâ mutatione respondente ex parte obiecti: cùm igitur ante præparationem mediorum nulla possit mutatio ex parte obiecti, huiusmodi virtuali voluntati respondens assignari, dicenda est illa non præcessisse, sed inclusa fuisse in voluntate mediorum efficacium: nam qui dat media efficacia ad finem, necessariò virtualiter saltem vult finem, qui in ipsis medijs inadæquatè saltem continetur. Quòd illa voluntas non potuerit esse ex meritis Christi, patet: nam vt esset ex meritis Christi, debuissent merita Christi præcedere vt absolutè futura: vt autẽ sic potuissent præcedere, debuissent supponere Christum vt principium meritorum iam prædestinatum: implicat igitur, vt voluntas prædestinandi Christum dependeat à meritis Christi; alioqui idem mereretur seipsum. Eadem est ratio de voluntate virtuali, quâ Deus voluit exaltationem Christi in decreto de Christo redemptore: non enim hæc potuit esse ex meritis Christi, quippe cùm præcesserit omnia merita Christi, nam fuit inclusa in primâ voluntate decernendi Christum vt redemptorem: quamuis enim formalis voluntas de exaltatione Christi fuerit ex meritis eiusdem, nam hæc posita est post prȩuisa merita Christi, virtualis tamen voluntas de eâdem Christi exaltatione fuit ante præuisa merita Christi, inclusa in voluntate prædestinandi Christum vt redemptorem. Sicut virtualis voluntas quâ Deus voluit prædestinatis gloriam in voluntate mediorum efficacium, non fuit ex meritis nostris, sed ex mero beneplacito Dei, quia illa antecessit omnia nostra merita vt absolutè futura.

310. *Dices.* DICES: eo modo Deus vult finem, quo vult media ad finem: sed Christum vt redemptorem, tanquam medium ad nostram salutem Deus in 1. signo voluit formaliter: ergo etiam in eodem signo voluit formaliter, & non tantùm virtualiter nostrã salutem. *Resp.* Cõcedo, eodem modo Deum velle finem, quo vult media quando vtrumque vult à se independenter à cooperatione creaturæ: secus quando vult finem dependenter à cooperatione creaturȩ, vti voluit nostram salutẽ, & prædestinationem dependenter à meritis Christi. Instas 1. Deus voluit 311. *Instas 1*
Christum in remedium peccati: ergo supponebat peccatum. 2. Deus decreuit Christum propter nostram prædestinationem & salutem: ergo voluntas prædestinãdi Christum vt redemptorem supponebat Deo voluntatem nostræ redemptionis & salutis. Ad 1. Supponebat peccatum absolutè futurũ, nego; conditionatè futurum, concedo. Deus enim vt 312. *Resp. ad*
sapiens medicus prȩuidens ex illo ordine rerum, quẽ inter infinitos sub cõditione præuisos, liberâ suâ voluntate electurus erat, futurum peccatum, antequã illud præuideret scientiã absolutã post suum absolutum decretum, præparauit in decreto de condendo eo ordine rerum, in quo sub conditione præuiderat futurum morbum, remedium morbi, non expectãs, sed præueniens morbum absolutè futurum: vt, sicut docet *Cyrillus Alex. lib. 5. Thesau. c. 8. Benedictio maledictionem antecederet, & damnationem in mortem vitæ pollicitatio, & seruitutem diaboli adoptionis libertas*, etiam in ipsa præscientia Dei, vt ibidem testatur. Ad 313. *Ad 2.*
2. Decreuit Deus Christum propter nostram prædestinationem & salutem formaliter intentam & prædefiniram, nego; virtualiter tantùm volitam, concedo, seu vt illam per Christi merita prædefiniret: sicut non præparauit prædestinatis media efficacia propter gloriam iam prædefinitam, sed vt per illa præuisa absolutè futura eam formaliter prædefiniret.

314. *Coroll. 2.* Deducitur 2. Christum non solùm meruisse nostram prædestinationem quoad obiectum, sed etiã quoad actum diuinæ voluntatis, non quidem subiectiuè, nam vt sic necessariò est, & consequenter sub meritum cadere nõ potest; sed terminatiuè, sub quâ ratione potuit non esse, quia liberè terminatus est ad obiectum nostræ prædestinationis. 3. Non mo- 315. *Tertium.*
dò gratia & gloria decreta prædestinatis fuit ex meritis Christi, sed etiam omnia auxilia sufficientia præparata reprobis, vt possent, si vellent, æternam salutem consequi. Ratio; merita Christi non solùm in diuinâ scientiâ præcesserunt decretum de dandâ gratiâ & gloriâ electis, sed etiam decretum de præparandis auxilijs sufficientibus reprobis: ergo non solùm illud, sed etiam hoc fuit ex meritis Christi, cùm etiam reproborum fuerit Christus caput. 4. contra *Capreolum in 3. dist. 19. quæst. vn. art. 3. ad argu. con. 4. concl.* & *Ferrar. 4. con. Gen. cap. 55.* 316. *Quartum*
§. *Sed tunc*, non solùm gratia & gloria, sed omnis præuia dispositio, siue proxima, siue remota, siue ordinis supernaturalis, siue naturalis, fuit ex meritis Christi: nam omnia hæc complectitur diuina prædestinatio, quæ est præparatio omnium auxiliorum, quæ ad salutem consequendam aliquo modo concurrunt. Vnde meruit omnem gratiam præuenientem & disponentem ad remissionem peccatorum, infusionem iustitiæ habitualis cum omnibus habitibus infusis, auxilia omnia tam ordinaria debita iustis iure filiationis adoptiuȩ, quàm extraordinaria, quȩ subinde elargitur, omnes effectus Sacramentorum, & speciales gratias singulis Sacramẽtis attributas, remissionem peccatorum & pœnarũ, quȩ tam per indulgentias à Vicario Christi applicatas, quàm per bona nostra opera nobis conferuntur; donum perseuerantiȩ, quicquid per se ad gloriȩ consecutionem conducit: demum, vt monet Bernardus *Serm. 13. in Can. Quidquid sapientiæ, quicquid te virtutis habere confidis, Dei virtuti, & Dei sapientiæ, deputa Christo.* Ratio: Christus fuit perfectus *Ratio omnium.*
reparator & redemptor: ergo nõ plus nobis abstulit Adam suo demerito, quàm contulit Christus suo merito: sed Adam suo demerito cum primâ gratiâ iustificante nobis abstulit omnia auxilia supernat. omnem-

omnemque bonum motum voluntatis ad æternam vitam nos promouentem, vt testatur *Fulgent. lib. 1. de Incarn. cap. 12. & Bernard. lib. de grat. & lib. arb.* ergo Christus suo merito hæc omnia nobis restituit. *Leg. Concilium, Mileuitanum*, & *Arausicanum II. & Trident. totâ sess. 6.*

317. *Quintum.* Deducitur 5. Quomodo merita Christi fuerint causa, vt aliqui ex massâ perditionis, in quam propter commune peccatum Protoparentis fuerunt præuisi sub conditione casuri, secernerentur ab alijs, qui in eâdem massâ relicti sunt. Non enim merita Christi fuerunt causa, vt hi potiùs præ alijs secernerentur; hoc enim refertur ad merum beneplacitum Dei, qui inscrutabili consilio voluntatis suæ, potiùs hos, quàm illos ex massâ peccati sibi complacuit extrahere, quamuis eadem merita Christi fuerint causa ipsorum prædestinationis absolutæ, quod est fuisse quidem causam quoad dilectionem illorum, non autem quoad electionem, quæ importat respectiuam vnius præ alio dilectionem. *Ratio.* Ratio, Christus non obtulit sua merita pro his potiùs, quàm pro illis, sed pro omnibus: quòd autem Deus voluerit illa applicare his potiùs, quàm illis, fuit ex mero suo beneplacito.

318. *Regula vniuersalis colligitur.* Regula: Quicquid antecessit, vel comitatum est voluntatem prædestinandi Christum vt redemptorem hominum, non fuisse ex meritis Christi; contrà verò quicquid hanc voluntatem subsecutum est, datum ac preparatum nobis esse ex meritis Christi. Ratio: quicquid antecessit, vel comitatum est voluntatem prædestinandi Christum, non potuit supponere merita Christi vt absolutè futura; & consequenter non potuit decerni ex meritis ipsius. Quicquid autem subsecutum est voluntatem prædestinandi Christum, potuit supponere merita Christi absolutè futura: nam hæc præuisa sunt absolutè futura statim post decretum de Christo redemptore, quod decretum in Deo fuit primum omnium: igitur quicquid subsecutum est hoc decretū, potuit decerni ex meritis Christi, atque adeò ita de facto decretum est. Confirm. eadem merita

319. *Confirm.* Christi sub conditione præuisa, statim posito decreto transierunt in absoluta: ergo statim potuit Deus propter illa, vi decreti absolutè præuisa, decernere, quicquid decreturus erat post decretum de prædestinando Christo: & consequenter potuit omnia propter merita Christi decernere, preter Christum, qui fuit primus in decreto Dei præfinitus, vt etiam in decreto Dei, iuxta Apostolum, esset *primatum tenens*: nam ipse à nullo quoad substantiam prædestinationis in genere causæ meritoriæ dependit, sed tantùm in genere causæ finalis, quæ vt agens moueat ad causandum, non necessariò supponitur existens, vel extitura. Dixi, *Quoad substantiam*, nam quoad circumstantias temporis, loci, & personarum dependit Christi prædestinatio à meritis antiquorum PP. verùm sicut hæc dependentia quoad circumstantias non tollit ab eisdem meritis prioritatem quoad substantiam; ita nec, quin eadem antiquorum PP. merita, quæ Christi prædestinationem meruerunt quoad circumstantias, fuerint moraliter causata ex meritis Christi præuisis tantùm quoad substantiam.

320. *Ad fund. 1. Sentent. 1. probat.* Ad fundament. primæ falsum est anteced. Ad 1. prob. neg. conseq. nam stant simul, homines ad gratiam & gloriam electos fuisse dependenter à meritis Christi, & tamen Christum non venturum peccato non existente: nam tunc aliâ viâ, & per alia media prædestinata fuisset hominum salus; vt *S. Thom. 3. part. quæst. 24. ar. 4. ad 3. Si Christus*, inquit, *non fuisset incarnandus, Deus prædestinasset hominem saluari per aliam viam.* Ex quo sequitur, vt si vi præsentis decreti Christus incarnatus non fuisset, neque hominum salus executioni mandata fuisset eo modo, quo de facto prædestinata est, nam de facto prædestinata est dependenter à meritis Christi.

Ad 2. probat. præcessit in Decreto Dei nostra prædestinatio prædestinationem Christi, vt finis formaliter volitus, nego, vt virtualiter tantùm volitus in voluntate prædestinandi Christum, concedo. Nam etsi eodem indiuisibili actu Deus voluerit & Christi incarnationem, vt medium ad nostram salutem formaliter, & simul salutem nostram virtualiter; quia tamen in obiecto huius actûs nostra salus fuit volita vt finis, quamuis virtualiter volitus, Christus verò vt medium, ideò nostra salus, etiam virtualiter volita, in eodem decreto ratione præcedit Incarnationem Christi, vt medium formaliter prædestinatum. Hoc sensu intelligitur vulgata propos. finis semper præcedit media, siue formaliter, siue virtualiter volitus. Cum hâc tamen prioritate finis stat posterioritas nostræ redemptionis ab exaltatione Christi; quia nisi nostra salus præuisa esset gloriosa Christo, non fuisset vi præsentis decreti prædestinata: ac proinde vi præsentis decreti omnia hæc fuerunt volita cum mutuâ dependentiâ, & obiectiuâ connexione ad inuicem, vt *disp. 7. sect. 2.* Cæterùm sicut bifariam potest finis formaliter intendi, efficaciter seu absolutè, & sufficienter seu conditionatè; ita & virtualiter: etenim voluntas, quâ Deus præparat prædestinatis media efficacia, dependenter à nostrâ cooperatione, est voluntas virtualis efficax finis: voluntas verò, quâ reprobis præparat media tantùm sufficientia ad finem, est voluntas virtualis sufficiens finis, licet vtraque sit voluntas formalis efficax mediorum. 321. *Ad 2. prob.* *Finis semper præcedit media.*

Ad 3. prob. ideò Christus non dicitur effectus nostræ prædestin. etiamsi prædestinatus sit ex affectu saltem virtuali nostræ prædestin. vt finis; tum quia ita Christus est effectus, vt simul sit principalis causa meritoria nostræ prædestin. nam propter merita ipsius nobis præparata sunt omnia dona & beneficia spiritualia in cœlestibus, *ad Ephes. 1.* præter ipsum, qui propter ipsius merita nobis præparari non potuit. Cùm igitur denominatio simpliciter fieri soleat à principaliori formâ, dici non potest simpliciter Christus effectus nostræ prædestin. sed potiùs causa. Tum quia prædestinatio ex communi conceptu importat præparationem eorum dumtaxat auxiliorum, quibus prædestinatus intrinsecè quasi impulsus transmittitur in finem vitæ æternæ: sicut sagitta per virtutem à sagittante intrinsecè sibi impressam transmittitur in scopum, vt docet *S. Thom. 1. part. quæst. 23. art. 1.* Cùm igitur Christi merita sint extrinseca tantùm causa internæ nostræ motionis, quâ intrinsecè mouemur ad finem supernat. gloriæ, propriè non numerantur inter effectus nostræ prædestinat. vt neque diuina voluntas, quæ concipitur ex nostrâ salute, vt ex fine: quia illa est prima causa, non intrinseca, sed extrinseca nostræ prædestinationis, quæ incipit à primo auxilio gratiæ, nobis per Christi merita à diuina voluntate præparato. Nec refert, quòd eadem diuina voluntas vt terminata ad obiectum nostræ prædestinationis sit effectus meritorum Christi: quia cùm à meritis Christi non incipiat nostra prædestinatio, etiamsi voluntas Dei sit effectus meritorum Christi, non est tamen effectus nostræ prædestini. quæ à meritis Christi non incipit, sed à primo auxilio nobis inhærente. 322. *Ad 3. prob.* *Prædestinatio quid?*

Dices: Ergo neque externæ protectiones Dei, & impedimenta extrinsecus à prædestinatis sublata, erunt 323. *Dices.*

Resp. ta, erunt effectus nostræ prædestinationis. Nego sequelam: nam hæc omnia ordinantur vt dispositiones ad subiectum præparandum, vt vel simpliciter, vel meliùs ac perfectius possit suum finem consequi.

324. *Ad 4. prob.* AD 4. prob. Nego, vniuersaliter, ideò Deum hos præ illis prædestinâsse, quia Christus sua merita pro his potiùs, quàm pro illis oblaturus erat: cùm in negotio nostræ prædestinationis potiùs humana voluntas Christi se conformauerit diuinæ, offerendo sua merita pro ijs, quos diuina voluntas elegerit, quàm diuina humanæ, eligendo eos, pro quibus humana sua merita oblatura erat: *Ioan. 17. Non pro mundo rogo.* (intellige efficaciter) *sed pro his, quos dedisti mihi.* Et infrà: *Quos dedisti mihi custodiui.* Vbi orationem suam dirigit Christus ad eos, quos à Patre prædestinatos acceperat, non quos ipse elegerat, vt Pater prædestinaret.

325. *Dices.* DICES: Si Christus sua merita obtulit pro ijs, quos Deus iam prædestinauerat, non potuerunt Christi merita esse causa nostræ prædestinat. quia supponebant illam per modum obiecti iam decretam: nequit autem actus esse meritoria causa sui obiecti, quod præsupponit. Resp. potuisse Christum sua merita pro prædestinatis offerre immediatè Deo, vt propter ea prædestinaret quoscumque ipse vellet; vel immediatè pro prædestinatis, non ad omnia, sed ad aliqua dona supernat. neuter modus offerendi merita supponebat prædestinatos vt obiectum meritorum. Non prior; quia non versabatur circa prædestinatos, sed circa Deum immediatè. Non posterior; quia etsi supponebat prædestinatos ad aliqua dona supernaturalia propter alia Christi merita in communi à Christo oblata, non tamen supponebat prædestinatos ad omnia dona supernat. quæ complectitur tota series prædestinationis: & consequenter potuerunt huiusmodi merita, oblata à Christo specialiter pro prædestinatis ad aliqua dona, promereri illis alia, ad quæ nondum præsupponebantur prædestinati. Vnde hæc meritorum oblatio specialiter à Christo facta pro prædestinatis, ad minimum supponebat illos electos ad primam gratiam efficacem, à quâ incipit prædestinatio, ad quam prædestinati supponebantur electi propter alia Christi merita in communi oblata.

326. *Resp.* *Duplex modus offerendi sua merita.*

326. *Hactenus dicta vera vniuersaliter.* Cæterùm etsi hæc vniuersaliter vera sint, adhuc negari non potest, quin aliquos Deus prædestinauerit, propter merita Christi specialiter pro ijs à Christo oblata, quos alioqui Deus non prædestinâsset. Nam si aliquos Deus ad gratiam & gloriam prædestinauit, propter preces Sanctorum, specialiter pro ijs oblatas, quos alioqui non prædestinâsset; multo fortiori ratione id credendum est de Christo: quod verosimile est de bono latrone: & quidem de recuperato dono gratiæ concesso Petro, testatur ipse *Lucæ 22. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.* Quibus docet Christus, restitutum fuisse donum gratiæ Petro propter orationem Christi, eadem ratio est de aliquibus ad primam vocationem electis, propter eadem merita Christi specialiter pro illis oblata.

327. *Assertio.* Quapropter dico, huiusmodi merita non fuisse à Christo specialiter pro ijs oblata, quatenus prædestinatis formaliter, sed quatenus prædestinandis; & sub hâc ratione eos præsupposuisse in diuinâ præscientiâ, vt prædestinatos materialiter, prædestinandos formaliter ex meritis Christi, quæ debuerunt in diuinâ præscientiâ præcedere cum suo obiecto essentiali, quod erant ipsi prædestinati materialiter: propter quæ merita potuit Deus decernere primum auxilium vocationis efficacis: & cum illo reliqua dona supernat. quæ non supponebantur à Christi meritis specialiter oblatis. Nec refert, 328 quòd in tempore Christi merita supponebant hæc dona ab æterno prædestinata huiusmodi hominibus: quia supponebant illa ab æterno prædestinata dependenter ab ijsdem meritis specialiter pro illis *Hæc dona æternitate præcedunt merita Christi, causaliter subsequuntur.* in tempore offerendis; seu ideò ab æterno præparata, quia Christus specialiter pro illis oblaturus erat sua merita in tempore. Vnde quando in tempore pro illis orabat, quos iam videbat ab æterno prædestinatos ad ea dona, pro quibus orabat, non orabat, vt eos in tempore prædestinaret, in quo iam supponebantur prædestinati, sed vt eos ab æterno prædestinauerit. Itaque oratio Christi facta in tempore se extendebat ab æternitatem, vt propter illam Deus voluerit ab æterno eos prædestinare, pro quibus Christus in tempore erat oraturus. Quo fit vt illa æterna prædestinatio specialiter decreta pro aliquibus, causaliter dependerit à temporali oratione Christi, pro illis specialiter factâ; quâ oratione in tempore à Christo non positâ, nec posita ab æterno fuisset talium hominum prædestinatio.

DICES: non potest oratio esse de ijs, quæ sunt 329. *Dices.* certa oranti: at omnia dona, pro quibus impetrandis Christus orare poterat, erant certa Christo: nam ea omnia scientiâ beatâ intuebatur prædestinata in diuinâ voluntate; quæ sunt certa, cùm non possint aliter euenire, ac prædestinata sunt. Maior probat. *Prob.* oratio est ad impetrandum aliquid, quod potest aliter euenire: nemo enim orat, vt sol crastinâ die sit supra nostrum horizontem, cùm sit naturaliter certum. Confirm. alioqui potuisset Christus orare pro *Confirm.* donis hominibus actu collatis: cùm æquè certum Christo fuerit, ea fuisse ab æterno prædestinata, & suo tempore executioni mandanda, atque actu collata esse hominibus & executioni mandata. Nego 330. maior. quando ea, pro quibus obtinendis oratur, *Resp.* sunt certa dependenter ab ipsius orantis prece; sicut autem ea dona erant ab æterno prædestinata dependenter ab oratione Christi, ita certa erant dependenter ab oratione eiusdem: nam nisi Christus pro illis in tempore orâsset, non fuissent ab æterno prædestinata. Confirm. alioqui omnis Christi ora- *Confirm.* tio fuisset inanis & frustanea, cùm omnia dona, pro quibus impetrandis Christus orabat, fuerint ab æterno prædestinata, & Christo beatificâ visione in Verbo nota. Ad prob. negatur paritas: nam vt sol *Ad prob.* crastinâ die futurus sit supra nostrum horizontem, non pendet ab hodiernâ oratione nostrâ, vti dona, pro quibus impetrandis Christus orabat, & vt ab æterno prædestinarentur, & vt in tempore hominibus conferrentur, pendebant à temporali oratione Christi. Ad confirm. quamdiu donum non 331. est actu collatum ei, pro quo oratur, semper pen- *Ad confirm* det ab oratione eius dependenter à quo conferen- *Ratio discriminis.* dum est; cùm non solùm illud pendeat quoad æternam prædestinationem, sed etiam quoad temporalem executionem à merito & prece orantis: quando est actu collatum & executioni mandatum, non ampliùs pendet à merito & prece orantis, vt conferatur, sed tantùm vt conseruetur; adeoque non poterat Christus ampliùs Deum orare, vt dona actu collata conferrentur, sed solùm vt in futurum conseruarentur. Sed de his *disp. seq.* *Patet ad cætera.*

332. *Ad 5. prob* AD 5. resp. vel tales actus dilectionis Christum elicuisse erga prædestinandos, & tunc nego, huiusmodi actus supponere pro obiecto prædestinatos formaliter, sed tantùm materialiter; ac proinde potuisse per huiusmodi actus prædestinatos eligi ad prædestinationem ex meritis Christi, supponentibus

bus tantùm pro obiecto prædestinatos materialiter & specificatiuè: vel tales actus dilectionis Christum elicuisse erga prædestinatos formaliter; & tunc non potuerunt per tales actus prędestinati eligi ad prædestinat. cùm iam ex parte obiecti ad eam supponerentur electi: obiectum autem, cùm debeat præcedere actum, non potest cadere sub meritum sui actûs. Quia verò prædestinatio complectitur præparationem omnium donorum, & auxiliorum à primâ vocatione vsque ad glorificationem inclusiuè, potuerunt aliqui actus Christi versari circa prædestinatos ad certa quædam dona, & nihilominus esse meritorij reliquorum donorum, ad quæ ijdem prædestinati nondum supponebantur vi talium actuum electi. Vnde quia gloria est vltimum donum, ad quod in meâ sententiâ eliguntur prædestinati, quia ad illam eliguntur post omnia eorum præuisa merita, ad eam promerendam potuerunt multò plures actus Christi conducere, quàm ad reliqua dona, quæ præcedunt electionem ad gloriam. Cæterùm necessarium non est, vt singuli actus Christi fuerint meritorij totius nostræ prædestinat. nam qui per modum obiecti supponebant certam aliquam seriem donorum, illam mereri non poterant; illam tamen promerebantur alij actus Christi, qui prædictam seriem non præsupponebant.

333. *Ex his patet ad sextam.* Ad 6. esto, gratia illa sufficiens, quæ præsupponebatur cum permissione illius peccati, circa quod Christi dolor versabatur, non potuerit decerni dependenter ab eodem dolore qui talem gratiam per modum obiecti præsupponebat cum permissione diuinâ, potuit tamen decerni dependenter ab alijs actibus Christi, qui eam non præsupponebant. Pari modo multos actus virtutum tempore passionis Christus exercuit occasione multarum actionum sacrilegarum à Deo permissarum, quæ, quia supponebant paratam gratiam sufficientem sacrilegis ministris ad eas vitandas, talis gratia non poterat cadere sub meritum eorum actuum, quos occasione talium peccatorum exercebat: potuit tamen sub meritum eorumdem actuum alia gratia cadere, nempe pœnitentiæ & iustificationis, vt possent sacrilegi de peccato pœnitere. *Notandum.* Cæterùm nota, multos actus meritorios Christi ad impias actiones se habuisse tantùm concomitanter; nam eosdem Christus exercuisset, etiam sine tali occasione; & per huiusmodi potuit Christus mereri etiam auxilium sufficiens ad impias actiones vitandas præparatum.

334. *Ad 7.* Ad 7. concedo, nostram prædestinationem non esse opus misericordiæ, & puræ liberalitatis, sed remunerationis & iustitiæ respectu Christi, qui suo merito eam sibi debitam fecit: fuisse tamen opus misericordiæ & puræ liberalitatis respectu nostri, quibus omninò gratis decreta, & collata est: ita Scripturæ & Patres, idipsum dicere tenentur Aduersarij, saltem prædestinationem quoad executionem esse ex Christi meritis: & hanc ipsam respectu Christi non esse opus misericordiæ & liberalitatis, sed iustificationis & remunerationis.

SECTIO XIII.

Quid Christus meruerit Angelis?

335. *1. Sentent.* Prima sentent. docet, illis solùm meruisse influxum internæ illuminationis, gloriæ, gaudij accidentalis, quod conceperunt de restauratione suarũ sedium, per Christi merita; quo interiore influxu & non tantùm externâ gubernatione, dicitur Christus verum & proprium caput angelorum, non influxu alicuius gratiæ, aut gloriæ essentialis; *Alens. 3. parte quæst. 12. memb. 2. artic. 3. S. Thom. de veritate qu. 29. artic. 7. ad 5. & in 3. dist. 13. qu. 2. art. 2. ad qu. 1. Bonauent. articul. 2. qu. 3. Durand. quæst. 2. numer. 7. Palud. qu. 1. artic. 3. Maior. distinct. 19. quæst. vnica ad 1. argument. Almai. eâdem distinctione 19. quæstione vnic. post 1. conclus. Medin. 3. part. quæst. 8. articul. 4. Nazar. ibid. controu. 2. Vasquez disput. 49. à cap. 2. Asturicens. relect. de Gratia Christi quæstione 6. dub. 3. conclusione 3. Fauent. in 3. distinct. 19. disputat. 48. cap. 1.* sequitur ex doctrinâ *Scoti in 3. distinct. 19. quæstione vnic. §. Sed hic sunt*, vbi docet, merita Christi non fuisse causam summi præmij, qualis est gloria, antequam essent actu exhibita, sed tantùm gratiæ reconciliatiuæ & remissionis peccatorum: ideò ait, nulli hominum ante passionem Christi actu exhibitam, fuisse concessum ingressum in cœlestem patriam: sed angeli ante passionem Christi consecuti sunt præmium æternæ beatitudinis: ergo. *Negat Scot. angelis datam gloriam propter merita Christi præuisa.*

Probat. *Matth. 18. & Lucæ 15.* dicitur Christus, relictis nonaginta nouem ouibus, hoc est angelis, vt Patres communiter interpretantur, in deserto paradisi, venisse in mundum ad quærendam centesimam ouem naturæ humanæ, quæ per peccatum à caulâ aberrauerat. Si autem Christus incarnatus fuisset etiam propter angelos, non diceretur, relictis angelis in deserto paradisi, venisse in terram ad quærendum tantùm homines, sed etiam angelos, non quidem vt eos errantes ad ouile reduceret, sed vt eos proprijs meritis sibi acquireret, & suas oues faceret. Nec obstat, quòd multò ante angeli fuissent beatitudine donati, nam etiam antiqui Patres multò ante aduentum Christi fuerunt iustificati, & tamen etiam ad eos quærendos venit Christus, quia venit pro omnibus, quibus vitam supernaturalem gratiæ & gloriæ promeruerit. 336. *Probatur hæc sententia primò ex varijs scripturæ oraculis.*

Hebræorum 2. *Qui sanctificat, & sanctificantur, ex vno omnes. Propter quam causam non confunditur fratres eos vocare, dicens: nuntiabo nomen tuum fratribus meis* &c. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus.* Ex quo arguo: Omnes sanctificati per Christum vocantur pueri & fratres Christi: sed Angeli non vocantur pueri & fratres Christi; nam ex textu ipso, pueri Christi communicârunt carni & sanguini: angeli non communicarunt carni & sanguini: igitur angeli non sunt pueri Christi. Confirmatur ex eodem capite, Christus *debuit per omnia*, in passionibus scilicet & ærumnis, *fratribus assimilari, vt misericors fieret & fidelis pontifex apud Deum*: At non est assimilatus angelis: ergo angeli non sunt Christi fratres; ac proinde nec per Christum sanctificati. 337. *Secundum oraculum.*

Ex 2. *Epistol. ad Corinth. cap. 5. Si vnus pro omnibus mortuus est: ergo omnes mortui sunt.* Sensus est, pro ijs mortuus est Christus, qui peccato mortui fuerant: *Neque enim*, inquit in hunc *locum Chrysost. hom. 11. pro omnibus Christus mortem oppetijsset, nisi omnes mortem obijssent.* Sed angeli sancti nunquam fuerunt mortui peccato: ergo pro illis non est mortuus Christus. 338. *Tertium.*

Apocal. 7. describuntur angeli & homines laudantes Deum; hoc discrimine, quòd homines gratias agunt Deo simul & Agno: *Et clamabant*, inquit, *voce magnâ dicentes: salus Deo nostro, qui sedet super thronum, & Agno*: Angeli soli Dei: *Et omnes Angeli stabant in circuitu throni, & se-* 339. *Quartum.*

& seniorum, & quatuor animalium, & ceciderunt in conspectu throni in facies suas, & adorauerunt Deum, dicentes: Amen Benedictio & claritas & sapientia & gratiarum actio, honor, & virtus, & fortitudo Deo nostro in sæcula sæculorum amen. Porrò huiusmodi discrimen denotat, angelos à solo Deo agnoscere essentiale præmium beatitudinis, propter quod soli Deo gratias agunt: homines verò illud agnoscere etiam à Christo homine, propterea etiam Christo
340. *Quintum.* homini gratias agunt. Ex Luc. 2. vbi Angelus annuntians pastoribus natiuitatem Christi, non dixit *Nobis*, sed *Vobis natus est hodie saluator*, ad significandum, Christum non pro angelis, sed pro hominibus natum fuisse: ex Symbolo, *Propter nos homines & propter nostram salutem descendit de cœlis.*

341. *2. Probatur authoritate.* Prob. 2. authoritate PP. qui nullam causam aduentûs Christi agnoscunt, quàm peccatum hominum, quos *citatos* habes *disp. 7. sect. 1.* scilicet, Sola & vnica causa aduentus Christi fuit remedium peccati hominum: Ergo nulla alia causa mouit Deum ad prædestinandum Christum: ergo non fuit angelorum prædestinatio decreta ex meritis Christi: alioqui etiam angelorum prædestinatio fuisset Deo motiuum ad prædestinandum Christum, ac proinde motiuum prædestinandi Christum non fuisset solum remedium peccati generis humani.

342. *3. Ratione Prima.* Ratio 1. Si Christus merito suæ passionis & mortis gratiam & gloriam promeruisset Angelis, diceretur pro illis mortuus: nam ex communi sentent. omne Christi meritum ipsius morte consummatum est. Consequens est contra *August. in Enchir. cap. 61. Gregor. lib. 28. Moral. cap. 6. Bed. in 1. ad Ephes. Anselm. ibid. Bernard. in serm. fer. 4. Hebdom. sanctæ: Sicut*, inquit, *Passio Domini data est, quia alteri dari non potuit; nunquid Angelo? sed ille non eguit. Nunquid diabolo? sed ille non resurgit. Denique non in similitudinem Angelorum, sed in similitudinem hominum.*
343. *Secunda ratio affinis.* 2. Si Christus promeruisset angelis essentiale præmium gratiæ & gloriæ, dici posset illorum redemptor, contra Patres, nam vt Christus dici possit redemptor angelorum, necesse non est, vt illi aliquando fuerint sub captiuitate, sed sufficit vt propter merita Christi acceperint gratiam, per quam fuerint à captiuitate præseruati. Sicut B. Virgo dicitur verè & propriè redempta, esto nunquam fuerit sub captiuitate peccati originalis, vel actualis; sed solùm quia per merita Christi accepit gratiam, per quam fuit à pec-
344. *Tertia ratio.* cato præseruata. 3. Si Angeli fuissent iustificati ex meritis Christi, non fuissent beatitudinem adepti ante mortem Christi; cōtra Matth. 18. *Angeli eorum in cœlis semper vident faciem Patris mei, qui in cœlis est.* Sequela probat. non decebat, vt priùs membrum quàm caput, miles quàm dux gloriâ coronaretur.
Confirm. Confirm. propterea antiqui Patres non fuerunt ante Christi mortem beatitudine donati; quia non decebat, vt in gloriam, quam per Christi merita erant accepturi, introirent, priusquam in eam introiret Christus, qui suâ morte & passione ad æternam glo-
345. *Quarta ratio.* riam eos adduxerat. 4. Angeli per se primò & directè creati sunt propter Deum, vt ipsius serui & ministri essent in ijs, quæ sunt propria Dei, vt sunt internæ illuminationes, mysteriorum reuelationes, & similia; non nisi autem secundariò & indirectè propter Christum hominem: ergo congruum fuit, vt ab eo tantùm essentiale præmium acciperent, cui per se primò sua omnia obsequia dicata & obstricta habebant, à Christo autem non nisi accidentale præmium, ad cui famulandum secundariò tantùm & indirectè fuerunt à Deo ordinati: nam quia homines per se primò conditi sunt, vt serui & fratres Christi, essentiale præmium, & omnia supernaturalia dona meritoriè consequuntur per Christum: ita quia Angeli per se primò creati sunt serui & ministri Dei, suam gratiam & gloriam essentialem accipiunt à solo Deo. Antecedens probat. vbicumque in Scriptura mentio fit de Angelis, semper mentio fit de illis vt de ministris & seruis Dei: Iob 4. *Ecce qui seruiunt ei:* Psalmo 103. *Qui facis Angelos tuos spiritus & ministros tuos.* 5. Si Chri- 346. *Quinta ratio.*
stus fuisset meritoria causa angelorum quoad gratiam & gloriam essentialem, futurus esset ipsorum Iudex in die iudicij: nam ideo est futurus Iudex hominum, quia est causa meritoria ipsorum: ad eumdem quippe spectat iudicare, quo pacto sint donis & gratijs vsi, ad quem spectat dona & gratias conferre. At non est futurus iudex angelorum, ex S. *Thom. 3. part. quæst. 49. art. 6.* vbi docet, Angelos quoad præmia, & pœnas essentiales non esse iudicandos à Christo vt homine, sed eos iudicatos fuisse à principio mundi à Christo vt Deo. Si Angeli 347. *Sexta ratio.*
prædestinati fuissent ad gratiam & gloriam essentialem ex meritis Christi, adhuc peccato hominum non existente, venturus fuisset Christus, saltem in carne impassibili propter iustificationem & glorificationem angelorum: tum quia prædestinatio angelorum decreta fuisset ante præuisum hominum peccatum, cùm nullam dependentiam ab hominum peccato habuerit angelorum prædestinatio: tum quia, adhuc peccato non existente, futura fuisset sufficiens causa aduentus Christi, ipsa sanctificatio & glorificatio angelorum. 7. Incarnatio Chri- 348. *Septima ratio.*
sti decreta fuit ex occasione peccati Adæ; nam peccato non existente Christus non fuisset incarnatus, sed peccatum Adæ in diuinâ scientiâ præcessit prædestinatio angelorum ad gratiam & gloriam essentialem: ergo prædestinatio Angelorum non potuit esse ex meritis Christi. Minor probat. peccatum Adæ causatum fuit ex suggestione dæmonis, *Genes. 3.* & consequenter peccatum dæmonis præcessit peccatum Adæ; & fuit post communicatam sibi à Deo gratiam: ergo illa non potuit prædestinari ex meritis Christi, qui in diuina scientia præuisus est post peccatum Adæ.

Secunda affirmat, duplici titulo fuisse Ange- 349. *2. Sentent. Recent. quorum suppresso nomine citat Asturi.*
lis collatam gratiam & gloriam essentialem, titulo misericordiæ, & liberalitatis, ratione prioris decreti, quo fuerunt ante vlla præuisa Christi merita prædestinati: & titulo iustitiæ & remunerationis, ratione posterioris decreti, post præuisa Christi merita: quia cùm priùs ratione fuerint ad gratiam & glo- *Fundam.*
riam prædestinati, quàm potuerint Christi merita vt absolutè futura præuideri; siquidem Christus prædestinatus est post præuisum peccatum Adæ absolutè futurum, quod supponebat peccatum angelorum, ex quorum suggestione fuit originatum; peccatum autem supponebat gratiam & gloriam iam prædestinatam; non potuerunt ad illam vi prioris decreti prædestinari propter merita Christi: potuerunt vi posterioris, quod Deus circa eandem prædestin. condere potuit post præuisa Christi merita absolutè futura.

Tertia est quorumdam recent. affirmantium, 350. *3. Sentent.*
saltem donum perseuerantiæ, quo angeli sancti, dum essent in viâ, perseuerarunt in bono, constanter resistendo suggestionibus & insultibus Luciferi; aut certè augmentum illud gratiæ, quod post patratum peccatum Luciferi per multa bona opera sancti angeli consecuti sunt, fuisse ex meritis Christi: quia statim præuiso peccato Luciferi, eiusque *Fundam.*
occasione peccato Adæ, prædestinatus est Christus, ex cuius meritis præuisis vt absolutè futuris potuit bonis angelis decerni donum perseuerantiæ,

ſtiæ, quo in incæpto bono opere perſeuerarent, conſtanter reſiſtendo Luciferi ſuggeſtionibus.

351. *4. Sentent.* QVARTA abſolutè docet, Chriſtum fuiſſe cauſam meritoriam totius gratiæ & gloriæ, omniumque donorum ſupernaturalium angelis collatorum: *Albert, in 3. distinct. 13. art. 2.* vbi propoſitâ quæſt. *Qualiter Chriſtus dicatur caput noſtrum*: triplex diſtinguit capitis munus, 1. effectiuè tantùm influendi virtutem ſensûs & motûs in membra: 2. aſſimilandi ſibi membra in virtute, quam in illa influit: 3. in ſimilitudine eiuſdem naturæ cum membris. 1. modo, inquit, eſt caput ſecundùm Deitatem: tertiò eſt tantùm caput hominum, cum quibus ſolùm habet naturæ conformitatem: ſecundo, *Eſt*, inquit, *caput beatorum, & exiſtentium in gratia, quibus influit quaſi ſimilitudinem ſuæ vitæ, & ſui motus & ſui ſenſus in donis perficientibus intellectum & affectum.* Quod autem in hoc modo comprehendat etiam angelos, patet; nam ratione tertij, *Eſt*, inquit, *caput hominum tantùm*: ergo ratione ſecundi extendit caput etiam ad Angelos, cùm non limitet ad ſolam influentiam accidentalem. Eſt autem Chriſtus caput hominum & angelorum, non per phyſicam, ſed per moralem influentiam: ergo ſi eſt caput angelorum quoad gratiam & gloriam, totamque vitam ſupernaturalem, eſt

352. *Eandem expreſſè docuit S. Tho.* caput non phyſicum, ſed meritorium. Idem docuit *S. Thom. in 1. cap. Ioan. lect. 10.* vbi explicans illa verba, *De plenitudine eius omnes accepimus*, ita ſcribit: *Omnes Apoſtoli Patriarchæ, & Prophetæ, & iuſti, qui fuerunt, ſunt, & erunt, & etiam omnes Angeli*, intellige, *de plenitudine eius acceperunt.* Et paulò pòſt: *plenitudo*, inquit, *gratiæ, quæ eſt in Chriſto, eſt cauſa omnium gratiarum, quæ ſunt in omnibus intellectualibus creaturis.* Cui accōmodat illud Eccleſiaſtici 24. *Tranſite*, ſiue vt legit, *venite ad me omnes, qui concupiſcitis me, & à generationibus meis (quæ ſcilicet*, vt interpretatur, *de me procedunt) adimplemini, participatione ſufficientis plenitudinis.*

Sub terminis generalibus. Hanc ſententiam indicat *3. parte quæſt. 7. art. 9. & 11.* in 1. ait, collatam eſſe Chriſto gratiam, *Tanquam cuidam vniuerſali principio in genere habentium gratiam. Virtus autem*, inquit, *primi principij alicuius generis vniuerſaliter ſe extendit ad omnes effectus illius generis: ſicut ſol, qui eſt vniuerſalis cauſa generationis, ſe extendit ad omnia.* Vi cuius rationis gratia capitalis Chriſti ſe extendit etiam ad gratiam angelorum: alioqui non ſe extenderet ad omnes effectus contentos intra genus gratiæ: ac proinde non eſſet Chriſtus vniuerſale principium in genere gratiæ. In 2. docet, collatam eſſe gratiam, *Animæ Chriſti, ſicut cuidam vniuerſali principio gratificationis in humana natura.* Vbi τὸ *In humanâ natura*, non limitat, vt optimè notat *Caiet.* ſubiectum extenſionis, ſed neceſſitatis: *Quia licet*, inquit Caiet. *neceſſitas ex humana occaſionem ſumpſerit natura, extenditur tamen hoc principium non ſolùm ad homines, ſed ad Angelos. Ita quod Chriſtus eſt vniuerſale principium gratificationis etiam Angelorum; extenſâ iam ſua capitali gratia etiam ad Angelos.* Hæc Caietan. qui, vt apparet, manifeſtè eſt pro hac ſententia, quicquid alij dicant. Præterea idem *S. Thom. eâd. 3. part. quæſt. 8. articul. 4.* æquè docet, Chriſtum eſſe caput hominum & angelorum, nullo alio aſſignato diſcrimine, niſi quòd cum hominibus magis conueniant in conformitate naturæ: quoad influentiam verò eodem modo, ait, Chriſtum influere in homines, ac

Locus vnus videtur aduerſari. in angelos. Vnus locus eſt in *3. part. q. 59. artic. 6.* qui videtur aduerſari: vbi docet, Angelos, quantum ad præmium & pœnam eſſentialem iudicatos fuiſſe à Chriſto, in quantum eſt Verbum Dei, à principio mundi. In quo virtute negare videtur, Chriſtum, vt hominem fuiſſe cauſam meritoriam præmij eſſentialis angelorum; alioqui debuiſſet illos quoad præmium eſſentiale iudicare. Sed nego, hunc locum aduerſari; quippe cùm potuerit Chriſtus vt Deus à principio mundi quoad præmium & pœnam eſſentialem, angelos iudicare, & nihilominus vt Deus homo fuiſſe meritoria cauſa tam gratiæ efficacis præmij eſſentialis bonorum, quàm gratiæ ſufficientis & auxiliorum malorum, vt *infrà ad 5.*

Hanc ſequuntur multi graues Theologi; *Viguerius in ſuis inſtitutionibus Theologicis cap. 20. ver. 4.* 353. *Hanc tenet multi graues Theol.*
numer. 264. Catharinus de Angelorum bonorum gloriâ; Iacobus Naclan. in 1. caput ad Epheſ. titul. An prædeſtinati agnoſcant aliquando eſſe ſe de numero prædeſt. fine; & libr. cuius titul. eſt, *Scriptura medulla, in 3. ætate mundi cap. 2. poſt initium. Valentia 3. part. diſputat. 1. quæſt. 8. puncto 3. Suarez diſputat. 42. & alij.* Quæ ſententia eſt noſtris conformior principijs: 354. *Hæc ſent. probabilior.*
aliqui probant ex *Ioan. 14. Nemo venit ad Patrem, niſi per me*: doctrinâ abſolutâ & vniuerſali, quæ intelligi debeat etiam de angelis; & 17. *Hæc* *Probari poteſt 1.*
eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti IESVM *Chriſtum.* Quo ſignificatur, in obiecto vitæ æternæ includi Chriſtum, ac proinde vt cauſam meritoriam eiuſdem vitæ æternæ. Ad Epheſ. 1. *Omnia* dicuntur, *ſiue quæ in cælis, ſiue quæ in terrâ, per Chriſtum reſtaurata.* Apocal. 12. narratur *Michaël cum Dracone & angelis eius pugnâſſe*, eoſque viciſſe, *propter ſanguinem agni*: &c. At prima duo nō *Non ſolidè;*
neceſſariò intelligenda ſunt de angelis, ſed de hominibus, de quibus tantùm Chriſtus loquebatur. Tertium, præterquam quod Hieron. pro *reſtaurare*, legit cum Græco textu, *recapitulare*; quia nimirum Chriſtus ſua morte & paſſione omnia cæleſtia & terreſtria, quæ antea erant disiuncta, collegit vt mēbra ſub vno capite. Sequendo verò aliorum PP. interpretationem, dicitur Chriſtus reſtauràſſe omnia, cæleſtia, & terreſtria, reparando vacuas ſedes malorum angelorum, per homines ab ipſo redemptos. Quartum apertè loquitur de hominibus, qui dæmones inſtigantes ſuperant, *propter ſanguinem agni*: ſtatim enim ſubdit: *Et propter verbum teſtimonij ſui, & non dilexerunt animas ſuas vſque ad mortem*: iuxta illud Chriſti dictum *Matth. 16. Qui voluerit animā ſuam ſaluam facere, perdet eam*: quia ſcilicet qui cum dæmone pugnat, vt illum expugnet, non debet ſequi inferioris animæ deſideria, quæ vt inſtrumenta dæmonis ipſum ad ruinam trahunt.

Ex Patribus tres præcipui hanc ſententiam mi- 355. *Probatur 2. teſtimonio Patrum. Cyril. Alex.*
rificè illuſtrant. Cyrillus Alexand. *lib. 5. in Iſai. c. 54. Lauda ſterilis quæ non paris*, hæc habet, *Per ipſum enim*, nempe Chriſtum, *omnis fructificatio ſpiritualis tum in ſanctis Angelis, tum in nobis ipſis inſita eſt.* Vbi per τὸ *omnis* nullam excludit, neque accidentalem, neque eſſentialem fructificationem. Nec niſi violenter explicatur de Chriſto, vt Deo, cùm ibi loquatur de Seruatore, ex quo tam ad Angelos, quàm ad homines deriuari ait omnem ſpiritualem fructificationem. Gregorius *in 1. lib. Reg. cap. 2.* expo- 356. *Gregorius Magnus.*
nens illa *eiuſd. cap. Neque enim eſt alius extra te*, ſcribit: *Extra eum ſanctus aliquis eſſet, ſi abſque dono Vnigeniti ſanctificationis ſpiritum habere potuiſſet*: ſubdit: *ſi ergo etiam Angeli ſanctificati creduntur in filio, multò magis de hominibus creditur, quia extra eum ſanctificationis gratiam inuenire non poſſunt*: rurſus: *Extra eum non eſt aliquis, quia nemo electorum, niſi in ipſo eſt.* Et vt omnem aditum præcluderet interpretandi hæc de Chriſto vt Deo, ſtatim pòſt ſubdit: *Quod ſic refertur ad diuinitatem eius, vt nequaquam intelle-*

Quid pro hac sent. clarius?

intellectum humanitatis euacuet: quia iustus esse non potest, qui fidem non habeat diuinæ Incarnationis, id confirmat modus argum. à fortiori: *Si etiam Angelis, iustificati creduntur in filio, multò magis de hominibus creditur:* cùm oppositum potiùs dicere debuisset, si putâsset, Angelos iustificatos esse in Christo vt Deo: cùm facilius sit in contrariã sentent. credere, Angelos iustificatos esse in Christo vt Deo, à quo omnem suam gratiam & gloriam immediatè habuerunt. Cùm igitur potiùs ab Angelis arguat ad homines, intelligi debet de sanctificatione in Christo homine Deo: nam difficilius creditu est, Angelos iustificatos esse à Christo homine Deo, quàm homines,

357. *Rupertus Abbas.* Rupertus *Abbas lib. vlt. de gloria Filij homin. fine*, æquè testatur, Christum esse regem & caput electorum angelorum, ac hominum: & *infrà* docet, tam homines, quàm angelos fuisse propter exaltationem Christi: demum indiscriminatim quicquid de hominibus propter Christum dicitur, dici etiam putat de angelis: & *lib. 3. de process. Spiritus S. cap. 21. Igitur probabilius*, inquit, *hoc dicimus, quod non tam homo propter supplendum Angelorum numerum, quàm Angeli & homines propter vnum hominem Iesum Christum facti sunt, vt quoniam vnus idemq; & Deus ex Deo natus erat, & homo nasciturus erat, haberet preparatam ex vtroque latere familiam, hinc Angelorum, hinc hominum, & ipse Deus & homo Dominus & creator Angelorum, Dominus & creator atque saluator emineret hominum sanctorum.*

358. *3. Probatur ratione. Prima.* Prob. ratione: 1. Hæc prærogatiua facit ad maiorem Christi dignitatem, & meliùs saluat quæ de Christo fides docet: nam maior dignitas Christi est, habere angelos sibi subiectos, non solùm per influxum interioris illuminationis, & gaudij accidentalis, sed etiam gratiæ sanctificantis, & præmij essentialis: & Christus dicitur in omnibus primatum tenere, *ad Coloss.* 1. primogenitus omnis creaturæ, *ibid.* caput Ecclesiæ, & caput omnis principatus, & potestatis, *ad Ephes. 5. ad Coloss.* 2. At hæc meliùs saluantur, si ponatur Christus non tantùm causa meritoria interioris illuminationis, & gaudij accidentalis, sed etiam gratiæ & præmij essentialis. Sic enim Christus primatum teneret inter omnes electos, essetque primus omnis creaturæ in genere gratiæ & sanctitatis substantialis, perfectiusque caput omnium, in quos non solùm influeret vitam accidentalem, sed etiam essentialem gratiæ & gloriæ.

359. *2. Ratio Ex definitione primi vniuersalis principij.* 2. *S. Thom. 3. p. q. 7. art. 9. & 11.* docet, Christum prædestinatum esse à Deo vt primũ & vniuersale principium omnis sanctitatis: de cuius ratione est, vt eius virtus se extendat ad omnes effectus intra tale genus contentos: cùm igitur ad illos non se extendat effectiuè; nam primum & vniuersale principium effectiuum sanctitatis est Deus; extendit se moraliter: ergo ipsius virtus meritoria extendit se etiam ad angelos: alioqui non esset primum & vniuersale principium in genere sanctitatis: sicut non esset sol primum & vniuersale principium generationis, siqua esset, ad quam eius virtus nõ se extenderet. Maior prob. maximè decebat, vt qui futurus erat substantialiter sanctus sanctitate increatâ diuinæ hypostasis, esset primum & vniuersale principium omnis sanctitatis accidentalis. Nam sicut nullum est accidens, quod originem non ducat à substantia: ita nulla est gratia accidentalis communicata, aut communicabilis creaturæ, quæ originem non ducat à substantiali gratia Christi, iuxta illud Ioan. 1. *De plenitudine eius omnes accepimus.* Confirm. sicut nullum ens physicum fit, ad quod vt primum & vniuersale principium non concurrat Deus: ita nullum ens morale supernaturale progignitur, ad quod vt primum & vniuersale principium non concurrat Christus. Decebat enim, vt sicut datur vnum primum principium in genere entis simpliciter, ita daretur alterum primum principium in genere entis supernat. moralis simpliciter.

3. Ratio deducitur ex ordine, quo *disputat. 7. sect. 2.* vi præsentis decreti prædestinata fuit Incarnatio Christi, dependenter à peccato Adæ, præuiso tantùm futuro sub conditione. Quo posito, potuit Deus omnium primum decernere Christum, dependenter à cuius meritis, præuisis vt absolutè futuris, eligere homines, & angelos ad omnem gratiam & gloriam etiam essentialem. Nec obstat, quòd gratia & gloria essentialis priùs tempore collata fuerit angelis, quàm commissum sit peccatum Adæ, quod occasionatum fuit ex peccato malorum angelorum: nam prædestinatio Christi non fuit decreta ex occasione peccati Adę præuisi scientiâ absolutâ, sed tantùm conditionatâ, quæ præcessit omne decretum liberum in Deo. 360. *3. Ratio.*

Quartò arguo contra Aduers. quorum plerique concedunt in angelis fidem Incarnationis, antequam illi fuerint per gratiam habitualem sanctificati, & per gloriam beatificati, cùm per fidem Christi, non quidem vt principij meritorij, sed tantùm vt obiecti, sicut & reliquorum mysteriorum, putant eos fuisse à principio iustificatos; hoc non esse cohærenter dictum: Christus non fuit prædestinatus, nisi post peccatum Adæ præuisum vt absolutè futurum: ergo non potuit Christus neque vt obiectum fidei angelicæ, eorũm gratiam & gloriam præcedere. quia peccatum Adæ supponebat gratiam collatam ipsi Adæ; ergo multò magis gratiam collatam angelis, qui in diuino decreto fuerunt priùs ordine rationis in eâ sententia ad gratiam & gloriam prædestinati, quàm Adam & reliqui homines: ergo Incarnatio Christi, ne quidem vt obiectum fidei angelicæ, præcedere potuit gratiam & gloriam Angelorum: quia non potuit præcedere vt obiectum fidei, nisi absolutè futura, quia actus fidei non fertur in obiectum, nisi credendum vt aliquando futurum. Maximè verò quia Incarnatio Christi, in eâ sent. decreta est post peccatũ Adæ, vt præuisum absolutè futurum: sed peccatum Adæ fuit præuisum absolutè futurum post peccatum angelorum, ex quo fuit originatũ: & hoc supponebat gratiam collatam angelis, non secus ac peccatum Adæ supponebat gratiam collatam Adæ. Ergo non potuit Christi Incarnatio supponi absolutè futura, vti supponi debebat vt obiectum fidei, ante gratiam prædestinatam angelis. Ergo contraria sent. non cohærenter admittit fidem Christi, ante gratiam prædestinatam angelis, esto illam solùm admittat per modum obiecti. 361. *Ad hominem.* 362. *Ratio potissima.*

2. Si conceditur angelis fides Christi vt obiecti, cõcedi etiam ijsdem debet vt principij meritorij: Nam si potuit Incarnatio Christi in diuinâ scientiâ præcedere gratiam & gloriam angelorum, vt obiectum absolutè futurum, potuit etiam præcedere vt principium meritorium eiusdem gratiæ & gloriæ: vti nec aduersarij negant, cùm non sit necessaria alia præscientia vt principij meritorij, quàm vt obiecti absolutè futuri: scilicet hoc ipso quòd præuideretur Christus vt absolutè futurus, præuidetur cum omnibus ijs meritis, saltem quoad substantiam, cum quibus præuisus fuit sub conditione futurus: ergo de facto præcessit: tum quia hoc redundâsset ad maiorem Christi dignitatem & gloriam, quam Deus in opere Incarn. æquè intendit, ac remedium peccati, vt *disput. 7. sect. 2.* Confirm. contra feruentissimum amorem Patris, quo Vnigenitum prosequitur, quoue illum propter eximiam ipsius obe- 363.

obedientiam summè honorat, & vt *Chrysostom.* ait, *veneratur*, fuisset, denegare illi hanc prærogatiuam. Vnde si *ad Hebr.* 1. Deus statim vnigenitum incarnatum adorari præcepit ab angelis, putandum etiam est, illis propositum fuisse adorandum vt caput & principium meritorium ipsorum. Tum quia hoc magis redolet suauem modum diuinæ prouidentiæ, quæ quantum fieri potest, eligit media ad finem consequendum magis suauia. Cùm igitur finis, quem Deus intenderit in proponendo Christum angelis credendum & adorandum in principio eorum creationis fuerit, vt ipsum acceptarent in suum caput & regem, cumque ad hoc maximè conducebat, vt illis propositus fuerit, vt principium meritorium omnium gratiarum & donorum, quæ ipsi essent à Deo obtenturi & speraturi; sic enim spe proprij boni magis affecti erga Christum, faciliùs ac libentiùs illum in proprium caput ac principem acceptâssent, ita dicendum est, de facto in æterno diuinæ prædestinationis consilio decretum fuisse.

364. *Respondet Vasquez.* Respondet *Vasquez*, ideo non fuisse ex meritis Christi angelis bonis collatam gratiam, quia illi non egebant gratiâ redemptionis, propter quam tantùm venit Christus. Vnde, quia neque prima gratia collata Adæ in statu innocentiæ fuit gratia redemptionis, neque illam putat collatam fuisse ex meritis Christi: quia nullum donum concessum est ex meritis Christi, quod non pertineat ad gratiam redemptionis.

365. *Reijcitur Vasquez obiectio.* Sed contrà; licet Christus primariò & per se venerit vt redemptor hominum, aliàs non venturus: nihil tamen obstat, quo minùs hac primariâ intentione semel positâ, meruerit angelis, & nostris protoparentibus etiam gratiam non redemptiuam, quam alioqui si occasione peccati non venisset, non meruisset. Sicut de facto, in omnium sententia sibi meruit gloriam corporis, & nominis exaltationem, & angelis gratiam supernaturalis illuminationis, & accidentalis gaudij, quæ omnia non pertinent ad donum redemptionis, alioqui Christus fuisset sui redemptor.

366. *Respōdetur ad opposita sent.* Ex dictis constat, quid ad singulas sententias: prima falsò supponit, Incarnationem Christi decretam fuisse post præuisum peccatum Adæ scientiâ visionis, eâque suppositâ, non cohærenter concedit fidem Incarnationis, etiam vt obiecti tantùm, præcessisse in angelis eorum ad gratiam & gloriam prædestinationem.

367. *Secunda.* 2. Admittit duos titulos inter se pugnantes, cuiusmodi sunt titulus puræ misericordiæ, & retributionis seu iustitiæ: nam hoc ipso quòd Deus vi posterioris decreti statuit dare angelis gratiam & gloriam propter merita Christi, non potuit retinere primum decretum de dandâ eâdem titulo puræ misericordiæ & liberalitatis; nam hic titulus excludit omnem alium titulum remuneratorium.

368. *Tertia.* 3. Multa docet contraria nostræ doctrinæ, scilicet quòd gloria fuerit sanctis angelis prædestinata ante eorum præuisa merita, & finalem perseuerantiam. Difficile etiam est, quòd statim post peccatum Luciferi, potuerit in hac sententia præuideri peccatum Adæ: nam non statim ac Lucifer peccauit, nostros parentes ad peccandum in-

Hoc longè probabilius. stigauit, sed post absolutam & completam totum viam malorum angelorum, & post acceptam vltimam sententiam de æternâ damnatione. Alioqui debuisset ad tentandos homines, vel ipse per se, vel per suos asseclas, relinquere prælium cœptum cum Michaële, & angelis eius in cœlo, cuius victoriæ magis erat sollicitus, quàm cuiuscumque alterius de homine reportandæ; præsertim cùm illum potuisset, quandocumque voluisset, post absolutum prælium cum angelis in cœlo, inuadere ac tentare. Si ergo peccatum Adæ secutum est post absolutam & completam viam malorum Angelorum, & consequenter etiam bonorum, cùm eadem fuerit via vtrisque proposita, non potuit præuideri vt absolutè futurum ante glorificationem beatorum angelorum: & consequenter non potuit occasione peccati Adæ præuisi absolutè futuri prædestinari Christus, & propter eius merita conferri angelis bonis, vel donum perseuerantiæ, vel augmentum gratiæ, quod in viâ ante glorificationem per bona opera sibi compararunt. Adde quod, non est maior ratio, cur per merita Christi collatum fuerit vel congruum auxilium perseuerandi, vel augmentum gratiæ sanctis angelis, & non etiam auxilium illud sufficiens, quod habuerunt mali ad perseuerandum, & resistendum importunis suggestionibus Luciferi, si voluissent.

Ad 1. ductum ex parabola centum ouium, Resp. litteralem sensum huius loci esse, ostendere pharisæis, Christum potiùs peccatores, quàm iustos ad se recipere: murmurantibus enim scribis, quòd Christus peccatores reciperet, & manducaret cum illis: *Ait ad illos parabolam istam, dicens; quis ex vobis homo, qui habet centum oues.* &c. Cæterùm etiamsi per hanc parabolam fateatur Christus, se pro hominibus venisse, non propterea angelos excludit absolutè, sed tantùm pro eis non venisse, vt illos quæreret vt oues aberrantes, vti venit ad quærendos homines. Sicut cùm *Matth.* 9. *Marci* 2. *& Lucæ* 5. ait, se non venisse vocare iustos, sed peccatores, non excludit iustos absolutè, sed tantùm ad hunc effectum vocandi illos ad pœnitentiam, quâ iusti non indigent, teste Christo. *Matth.* 9. *Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus.* 369. *Explicatur parabola de centum ouibus.*

Ad 2. triplex est huius loci interpretatio. 370. *Explicatur Paulus.* Prima *Dionysij* 4. *cap. de Eccles. Hierar. fine*, qui in singulari legit, *Qui sanctificat & sanctificatur: sanctificat*, inquit, *pro nobis semetipsum totius sanctitatis apex Iesus, omniáque nos sanctificatione replet.* Et infrà: *Nostri gratiâ sanctificatur in carne, & diuina operando cuncta sanctificat.* Quâ expositione positâ, nullum argumentum elici potest. Secunda est *Chrysost. Theodor. Ambros.* &c. *apud Bened. Iustin.* qui hunc locum explicant de Deo Patre, à quo tam Christus secundùm humanitatem, quàm cæteri homines creati & sanctificati sunt, iuxta illud *Ioan.* 10. *Quem Pater sanctificauit & misit in mundum.* Iuxta quam includuntur angeli, cùm sint conditi & sanctificati ex vno Patre Deo. Tertia, quæ communior est inter Recent. & conformior textui, explicat ex vno Adam, ex quo mortales originem ducunt; licet Christus secundùm solam humanitatis substantiam, reliqui homines etiam secundùm seminalem viam generationis. Iuxta quam interpretat. dico, hîc tantùm sermonem esse de sanctificatione hominum, quæ fit per peccati destructionem, vt constat ex textu: *Vt per mortem*, inquit, *destrueret eum, qui habebat mortis imperium, id est, diabolum, & liberaret eos, qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant seruituti.*

Nec obstat 1. vniuersalis terminus *Omnis*: nam ille solùm cadit in eos, de quibus ibi loquitur Apostolus, loquitur ibi solùm de ijs, qui sanctificantur per gratiam peccati remissiuam. 371. *Non obstat* 1. Confirm. eodem modo aduersarij explicant locutiones vniuersales, de tractione ad Patrem per Christum, de cognitione Iesv Christi, & similes, vt non intelliguntur, nisi de ijs, de quibus Christus prædictis locis loquebatur. Nec obstāt 2. verba eiusd. cap. *Nusquam* 372. *Nec obstant* 2.

Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit: nam per hæc non affirmat Apostolus; omne beneficium Incarnationis negatum esse angelis, sed solum beneficium vnionis hypostaticæ, & redemptionis ac remissionis à peccato. Sic enim hæc verba interpretatur *Rupert. Abb. cit. lib. 3. de processione S. Spiritus cap. 19.* *Quorum istud?* inquit, *diximus enim longè superiùs, quia nobis hominibus duobus modis datur Spiritus sanctus, altero quod est in remissionem peccatorum, altero quod est in diuisiones gratiarum. In sanctos autem Angelos vno modo scilicet in diuisiones gratiarum larga dignatione effusus est. Nam vt in remissionem peccatorum nunquam detur apostaticis spiritibus, iudicium verum fuit, & est eiusdem Spiritus sancti, vt ergo quantum creatori debeas, homo perpendas, & causam tuam meliùs ipse discernas, audi quod nusquam Angelos apprehendit, sed humanam de semine Abrahæ naturam apprehendit, tali apprehensione, vt auctor salutis tuæ dignaretur per passionem mortis consummari. Quota in hoc est portio debiti tui debita gratiarum actionis? Angelos & creauit, & eos qui non peccauerunt, magnificauit, te autem & creauit, & cùm vniuersus in Adam peccauisses, iustificauit, & insuper magnificauit. Iustificauit (inquam) dato illo S. Spiritus, quod est remissio peccatorum, quo electio creaturæ Angelicæ, quia non petierat, non indiguit, magnificauit alio dato eiusdem S. Spiritus, quod est diuisio gratiarum, quorum in primis illos calestes spiritus ornauit sine magnificauit. Angelorum itaque Deus est, tibi autem Deus est, & Pontifex, simul verè & Angelorum, & hominum rex, vnus idemque Dei filius est.* Eandem resp. confirmat Chrysostomus: *Quid est, quod dicit, non Angeli apprehendit naturam, sed hominis; quid est autem apprehendit? non enim apprehendit, inquit Angelorum naturam, sed nostram. Cur autem, non dixit*, suscepit, *sed vsus est hac dictione*, apprehendit, *à metaphora eorum qui persequuntur auersos & omnia faciunt, vt fugientes comprehendant, & resilientes apprehendant. Ab ipso enim fugientem humanam naturam, & procul fugientem, longè enim eramus, persecutus apprehendit.* Igitur neg. maior scilicet: *Omnes iustificatos per Christum vocari pueros & fratres*; aio, ita vocari tantùm eos, qui iustificati sunt per gratiam peccatorum remissiuam, de quâ tantùm loquitur *cit.* Apostolus. Pari modo explicanda est confirm. vt nimirum debuerit Christus per omnia fratribus assimilari, quos iustificaturus erat gratiâ redemptionis peccatorum remissiuâ, per suam mortem & passionem.

Rupertus Abbas.

Hæc Rupert.

373.

374. *Tertium testimon.* 3. Testimonium loquitur de gratiâ tantùm redemptionis, cùm loquatur tantùm de ijs, pro quibus Christus est mortuus; est autem Christus mortuus solùm scilicet pro hominibus, non pro angelis, ex resp. ad 1. rationem. Alioqui ex eodem colligi posset; neque Christum per suam mortem aliquid sibi promeruisse, cùm neque Christus pro seipso mortuus sit. Vnde aduersarij fatentur, nihil ex hoc testimonio cõtra nostram sententiam concludi. Ad 4. *ex Apocal.* nimis leuis coniectura inde

375. *Explicatur locus Apoc.* sumitur ad negandum, quòd Christus essentiale præmium meruerit angelis. Cùm neque aduersarij inficiari possunt, teneri angelos ad gratias Christo agendas, saltem propter multa dona supernaturalia, quæ propter eius merita adepti sunt. Quòd ergo in laudibus & gratijs, quas agunt angeli Deo, non fiat expressa mentio agni, fiat autem in laudibus & gratijs, quas eidem Deo agunt homines, non est signum, quod angeli à solo Deo agnoscant suum præmium essentiale, de quo ipsi tantùm soli Deo gratias agunt: nam, vt dixi, deberent saltem de præmio accidentali etiam agno gratias agere; sed quia semel Agni mentione factâ, non fuit necessarium, iterùm illam repetere, sed breuitatis causâ omissa fuit, & subintellecta eadem, quæ paulò antè fuit in laudibus & gratiarum actione hominum. Ad 5. cùm angelus annuntiat Christum Pastoribus, non quomodocumque, sed vt saluatorem, non potuit dicere *Nobis*, sed, *Vobis natus est hodie saluator*: quia licet fuerit natus & incarnatus etiam pro angelis, non fuit tamen pro illis natus & incarnatus vt saluator sed vt glorificator & sanctificator; neque ex primariâ, sed ex secundariâ dumtaxat intentione. Significârunt autem ijdem angeli ad se quoque fructum Incarnationis deriuatum fuisse, cùm *ibidem* cecinerunt: *Gloria in altissimis Deo.* Ad auctoritatem Patrum Resp. Eo argum. tantùm probari, primariam rationem aduentûs Christi, fuisse solùm ad afferendum remedium peccati, quo non existente, incarnatus non fuisset Christus: ideoque rectè docent Patres, vnicam causam Incarnationis fuisse remedium peccati; quia loquuntur de causâ tantùm motiuâ & primariâ, non de impulsiuâ & secundariâ, quæ decreta est ex occasione causæ primariæ. 376. *Explicatur testimonii Angel.* 377. *Explicantur Patres*

Ad 1. rationem, neg. sequela. Et 1. affertur Instantia: nam etiam Christus meruit sibi gloriam corporis, & nominis exaltationem, nec non angelis internas supernarum veritatum illuminationes, & gaudium saltem accidentale; cùm tamen nec pro se, nec pro angelis in eâ sentẽtiâ dicatur mortuus. 2. Ideò non dici pro angelis Christum mortuum, etiamsi illis essentiale præmium meruerit: quia merita Christi, prout fuerunt morte consummata, ex primariâ intentione Dei ordinata tantùm sunt ad redemptionem hominum, non ad sanctificationem & glorificationem angelorum. 378. *Soluuntur rationes.*

Ad 2. neg. sequela: affertur Instantia: quia nec Christus fuit redemptor sui, & angelorum saltem quoad dona accidentalia, quæ illis promeruit. Ratio: gratia Redemptionis, est gratia liberans à captiuitate: cùm igitur angeli non habuerint gratiam à peccato liberantem, quia post peccatum nullum fuit illis auxilium, ne sufficiens quidem, vt 2. *tom.* ad pœnitendum præparatum, non possunt dici à Christo redempti: quia nec vllus fuit à peccati captiuitate redemptus, nec auxilium habuit à peccato semel commisso resurgendi. Ad prob. esto ad propriam redemptionem non requiratur, vt redemptus aliquando fuerit sub captiuitate, requiritur tamen, vt saltem sub illâ aliquando esse debuerit: Angeli autem sancti nec aliquando sub peccati captiuitate fuerunt, nec vllum debitum habuerunt aliquando sub illo esse. Quia cùm esse sub peccato personali pendeat ex liberâ voluntate creaturæ, in cuius potestate positum est, velle peccare, aut non velle peccare, non dicitur, antequam peccet, habere debitum incurrendi peccatum: quia debitum importat aliquam necessitatem antecedentem, à voluntate operantis independentem: vt dicuntur posteri habere debitum incurrendi originale, non personale: quia ad illud habent necessitatem antecedentem, à propriâ voluntate personali independentem, non ad istud. Cæterùm dicitur B. Virgo propriè redempta, quia habuit necessitatem, à propriâ voluntate personali independentem, incurrendi originale, à quo per Christi merita liberata fuit. 379. *Ad secundam.* *Ad prob. sequela.*

Dices. Homo habet debitum incurrendi aliquod veniale: vnde si quis speciali priuilegio liberetur ab omnibus venialibus, vti liberata fuit Virgo, verè & propriè diceretur ab illorum captiuitate 380. *Dices.*

tate

tate liberatus, cùm tamen liberè vnusquisque in tale peccatum incurrat: Ergo etiamsi angeli liberè peccauerint, potuerunt tamen speciali gratiâ per Christum ab illis præseruati, verè & propriè dici ab illorum captiuitate per Christi merita liberati ac redempti. Nego conseq. nam homo habet ante-
381. *Resp.* cedentem necessitatem, independentem à propriâ voluntate, fundatam in propriæ naturæ instabilitate & inconstantiâ incurrendi aliquod veniale saltem vagè: cum quâ stat perfecta libertas ad singula in particulari, vt 3. *tom.* Quo fit, vt si quis speciali priuilegio liberaretur ab omnibus venialibus, liberaretur ab aliquâ captiuitate, ad quam antecedente necessitate, independenter à propriâ voluntate, ex ipsâ humanæ naturæ conditione debebat incurrere. At verò angeli nullam habuerunt antecedentem necessitatem, ab ipsorum voluntate independentem, incurrendi aliquod peccatum. Nam vel peccatum, in quod incurrere poterant, erat contra præceptum naturale; & ad seruanda præcepta naturalia Angelus ex suis naturalibus est perfectè instructus, adeò vt multi graues Scholastici putent, Angelos esse impeccabiles contra legem & præcepta naturalia, vt 2. *tom.* Vel erat contra præceptum supernaturale, & cùm ad illud seruandum sufficientem acceperit gratiam, alioqui non fuisset ad illud seruandum liber, non poterat habere debitam transgressionem illius incurrendi, propter aliquam antecedentem necessitatem, ob naturæ instabilitatem, & operandi inconstantiam, quæ imperfectio à naturâ angelica procul abest.

382. *Ad tertiam.* Ad 3. neg. sequela. Nec est par ratio de angelis & hominibus: nam homines in pœnam originalis omnes fuerunt digni, vt adhuc à peccato per Christi merita præuisa iustificati, ad tempus vsque ad resurrectionem Christi priuarentur supernaturali beatitudine: sicuti peccator etiam perfectè iustificatus, in pœnam præteriti peccati, ad tempus meretur priuari æterna felicitate. Angeli autem beati, cùm nunquam fuerint in peccato, non est cur debuerint absolutâ viâ merendi, eâ priuari vsque ad Christi aduentum. Nec vlla est indecentia, imò maior gloria Ducis & capitis, vt quando nondum caput & Dux est capax coronationis, saltem coronentur ipsius milites & membra; nam gloria militum & membrorum redundat in gloriam Ducis & capitis. Quia igitur Christus vt homo non erat tempore coronationis angelorum capax beatitudinis, quia nondum erat factus homo, nulla fuit indecentia, imò specialis ipsius gloria, quòd angeli ex meritis ipsius præuisis coronarentur gloriâ supernaturali antequam defectu humanitatis assumptæ coronaretur ipsorum Dux & caput Christus.
383. *Ad quartam.* Ad 4. Si arguens intelligat de fine vltimo, neg. anteced. nam æquè primò homines, ac angeli conditi sunt propter Deum vltimum finem, siquidem, *Vniuersa propter semetipsum operatus est Dominus*, *Prouerb.* 16. Si verò intelligat de fine proximo, 1. neg. anteced. nam, vt *suprà*, ex *Rupert.* vi præsentis decreti tam homines, quàm angeli, conditi sunt propter gloriam & exaltationem Christi: sic enim decebat filium hominis exaltari. 2. neg. conseq. nam esto angeli primariò creati sint ad exequenda ministeria propria Dei, contrà verò homines ad exequenda ministeria propria Christi, adhuc non sequitur, angelos suum præmium essentiale habuisse à solo Deo independenter à meritis Christi. Cùm nulla sit huius rei connexio: quippe qui potuerunt illud à solo Deo habere efficiéter, à Christo verò meritoriè, ad seruandam maiorem subordinationem membrorum cum capite, vti fuit Christus etiam respectu angelorum.

384. *Ad quintam.* Ad 5. neg. minor. Etenim ex illo 1. *Corinth.* 6. *nescitis quoniam angelos iudicabimus*; Colligit *ibid.* S. Doctor, Christum etiam angelos iudicaturum, non quidem quoad præmium & pœnam essentialem, secúdùm quas sunt iudicati à principio mundi ab eodem Christo vt Deo, sed quoad præmium & pœnam accidentales. Ratio verò, cur non sint iterum iudicandi quoad pœnam & præmium essentiale, sicut homines, qui semel iudicati iudicio particulari post mortem, iterum iudicandi sunt iudicio vniuersali in fine mundi, non est, quia angeli gratiam & gloriam essentialem non acceperunt ex meritis Christi; sed quia cùm supponantur omnes à principio mundi quoad præmium & pœnam essentialem non solùm particulari, sed etiam vniuersali iudicio, publicè ad omnes spectante, iudicati, non fuit conueniens, iterum illos quoad præmium & pœnam essentialem publicè in fine mundi simul cum hominibus iudicari: cùm non soleat Deus bis idem peccatum punire: cumque hoc publicum iudicium de peccatis sit in pœnam peccatorum, non decuit iuxta misericordiam diuinam, angelos semel publicè iudicatos, iterum illos iudicare. Contrà verò homines, qui ante finem mundi non supponuntur omnes publicè coram omnibus iudicati, iudicandi sunt à Christo in extremo die iudicij. Cur autem publicum iudicium angelorum de præmio & pœna essentiali fieri debuit à principio, hominum verò in fine mundi, ea assignari potest: quia tunc debet vniuersale iudicium fieri quoad præmium & pœnam essentialem, quando completur via merendi & demerendi ipsum præmium & pœnam essentialem in omnibus viatoribus: at via merendi & demerendi præmium & pœnam essentialem in omnibus angelis completa fuit à principio mundi, in hominibus verò non nisi in fine mundi: ergo decuit, angelos quoad præmium & pœnam essentialem iudicari in principio mundi, homines in fine. Ad 6. neg. sequela. Ad 1. 385.
Ad sextam. prob. concedo, prædestinationem angelorum decretam esse ante præuisum peccatum hominum scientiâ visionis, sicut & hominum prædestinationem: non tamen ante præuisum peccatum hominum scientiâ conditionatâ, vi cuius si hominum peccatum præuisum non fuisset, nec hominum, nec angelorum prędestinatio futura fuisset vi præsentis decreti ex meritis Christi. Ad 2. nego, ad- *Ad post. prob.*
huc peccato non existente, vi præsentis decreti futuram fuisse sufficientem causam aduentûs Christi: nam hic vi præsentis decreti connexus fuit cum remedio peccati, quo non existente, nulla alia causa ex vi præsentis ordinationis diuinæ futura fuisset sufficiens. Ad 7. concedo, Incarnationem Christi 386.
prædestinatam fuisse dependenter à peccato Adæ, *Ad septimam.*
sed præuiso sub conditione tantùm futuro. Vltrò etiam admitto, peccatum Adæ originatum fuisse suggestu dæmonis, ac proinde peccatum dæmonis fuisse priùs à Deo præuisum, tam scientiâ visionis absolutè futurum, quàm conditionatâ sub conditione futurum: nego tamen, prædestinationem angelorum, non potuisse, mediatè saltem decerni dependenter à peccato Adæ præuiso scientiâ conditionatâ. Nam licet simul comparando peccatum Adæ cum peccato angelorum in vtráque scientiâ, tam conditionatâ, quàm absolutâ, semper peccatum Adæ præsupponat peccatum angelorum, vt causam siue occasionem, ex quâ fuit originatum: comparando tamen peccatum Adæ & Angelorum sub conditione tantùm præuisum cum absoluto decreto Dei de prędestinatione ange- lorum,

lorum, tam peccatum Adæ, quàm angelorum sub conditione futurum præcessit decretum absolutum Dei de prædestinatione angelorum: & consequenter potuit prædestinatio angelorum decerni dependenter à peccato Adæ, non absolutè, sed sub conditione futuro; quo non præuiso, nec Angelorum, nec hominum prædestinatio decreta fuisset, vti de facto decreta est, dependenter à meritis & gloria Christi.

DISPVTATIO XXVII.

De Oratione Christi.

SECTIO PRIMA.

An Christus verè & propriè in hâc vitâ orauerit?

1. NON est quæstio de Christo vt Deo, sed de Christo vt homine. Cùm enim oratio sit petitio inferioris à superiore, & Christus vt Deus superiorem se non habeat, non poterit vt Deus orare. Præterea oratio, cùm sit explicatio affectûs & voluntatis vnius erga alium, vt ab eo de optatâ re exaudiatur, supponit distinctionem voluntatum inter orantem, & eum, qui oratur; vnde ex oratione Christi ad Deum colligunt PP. in Christo, præter voluntatem increatam, esse etiam creatam: cùm igitur Christus vt Deus non habeat distinctam voluntatem à Patre, non poterit vt Deus Patrem orare. De Christo igitur vt homine.

2. *1. Ratio dubitandi.* PRIMA ratio dubit. pro parte negante sumitur ex naturâ orationis, quæ teste *S.Thom.2.2.q.83.art.1.* est actus intellectûs practici, quo affectum seu desiderium nostrum de re aliquâ obtinendâ alteri repræsentamus, ac exprimimus. Christus autem omnia habebat in suâ potestate: igitur non poterat verè & propriè orare: nam quæ sunt in nostrâ potestate, non egent ope & auxilio alterius, quod per orationem implorare debeamus: ita licet omnia creata pendeant saltem ex generali concursu Dei; quia tamen ille ex decreto Dei est omnibus causis secundis præparatus, nemo ad illum obtinendum orat Deum. 2. Oratio non est de rebus certò & in-

3. *2. Ratio dubitandi.* fallibiliter futuris: nemo enim orat, vt aliquando futurum sit extremum iudicium: quia oratio est de rebus, quæ aliter esse possunt; nam quæ aliter esse non possunt, non pendent ab oratione nostra, vt aliter sint. Sed quidquid Christus orabat, erat certò & infallibiliter futurum, ipsique notum, qui antequam illud peteret, videbat, vt certò futurum in Verbo & decreto Dei: igitur non poterat verè & propriè orare. Propter has rationes non desunt PP.

4. *1. Opinio.* inter quos *Damasc.l.3. fidei cap.24. & l.4.c.19.* qui doceant, Christum non verè & propriè in hâc vitâ oràsse, sed tantùm simulationis specie, non secus ac cùm *Luca vlt. finxit se longiùs ire*; cùm *Ioan.11.* interrogauit, vbi Lazarus positus esset; cùm post resurrectionem ad manducandum petijt; cùm *Matth.21. Videns fici arborem secus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in eâ, nisi folia tantùm*; cùm *Ioan. 8.fine*, IESVS *abscondit se. Humanè tamen*, inquit Damasc. *decenter figurabat ad id quod necessitas, vtilitasque flagitabat: vt orationem propter id, vt ostenderet, quòd non esset Deo contrarius, & quod vt causam sui honoraret Patrem. Interrogat autem non ignorans, sed vt ostendat, quòd secundum veritatem est homo, cum eo quod & Deus. Secedit autem, vt doceat, non proteruiendum esse, neque nos ipsos prodere oportere.*

5. *2. Opinio communis.* Verùm constans Schol. sententia *cum Magist. in 3.dist.17. & Angelico 3.p.q.21.* est Christum in hâc vitâ verè & propriè, æternum Patrem oràsse. *Matth. 14. Ascendit in montem solus orare:* & *26. orauit dicens: Pater mi* &c. *Luc.6. Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Quæ, & multa alia cùm possint propriè, non est cur metaphoricè tantùm intelligamus. Ratio: Christus vt homo non omnia in suâ potestate habebat: ergo multa petere debebat per orationem à Deo. 2. esto talem potestatem haberet, cùm illam habere non posset vi suæ humanitatis, sed ex concessione & voluntate Dei, illam habere potuisset limitatam cùm hâc conditione, vt si illa habere vellet, deberet per orationem à Deo petere. Quod autem conueniens fuerit, Christum in hâc vitâ orare, apertè colligitur ex officio Mediatoris & Pontificis, quo inter Deum & homines fungebatur; & proprium munus est, pro ijs, pro quibus constitutus est Mediator & Pontifex orare, *ad Hebr.5.* Ex his patet ad primam rationem dubitandi.

6. *Ad 2. Rationem dub.* Ad 2. nego, orationem esse non posse de rebus certò & infallibiliter futuris, & vt talibus oranti notis: quia possunt futura decerni dependenter ab ipsâ oratione priuisâ peccantis: & tunc licèt sint certò & infallibiliter futura, & vt talia nota precanti, potest & sæpè debet precans pro ijs orare, etiamsi sciat ea certò & infallibiliter futura; cùm causa infallibilis futuritionis huiusmodi rerum sit ipsa oratio deprecantis. Cæterùm ideò non possumus vtiliter orare, vt aliquando futurum sit extremum iudicium: quia illud definitum non est dependenter à nostris precibus. Contrà verò orare possumus pro nostrâ salute, etiamsi certò sciamus, nos esse aliquando infallibiliter saluandos: vti certò sciebant per diuinam reuelationem B. Virgo & Apostoli; qui tamen nunquam ab oratione cessabant: quoniam salus nostra prædefinita est dependenter à nostris precibus, bonisque operibus. *Certò & infallibiliter futura dependent ab oratione.*

7. *Dices.* DICES: sequitur, potuisse Christum orare etiam pro bonis præteritis collatis hominibus, velut pro gratiâ, quæ collata fuit antiquis Patribus ante aduentum ipsius: nam perinde est, orare pro rebus infallibiliter futuris, ac pro præteritis iam collatis: cùm eandem certitudinem habeant res ex diuino decreto Dei infallibiliter futuræ, ac præteritæ iam collatæ. Distinguo consequens: potuisset Christus

8. *Resp.* orare pro præteritis collatis donis per modum gratiarum actionis, quæ est etiam orationis pars, vt docet *S.Thom. cit. 2.2. art. vlt.* concedo, per modum petitionis, nego; quia quod est præteritum, non est ampliùs materia & obiectum petitionis, per quam postulamus, vt per illam aliquid à Deo fiat: frustra autem & inutiliter postulamus, vt per nostram orationem fiat, quod iam factum est. Vnde Christus non petiuit à Deo, vt gratiam conferret seu contulerit antiquis Patribus, quæ iam supponebatur collata, sed tantùm gratias egit pro illa, intuitu suorum meritorum collatâ. Quæ gratiarum actio non fuit meritoria causa prædestinationis gratiæ collatæ Patribus, sed alia merita Christi; quia gratia vt prædestinata Patribus fuit obiectum gratiarum actionis Christi: quæ supponit collatum beneficium vt obiectum circa quod versatur: ergo non potuit propter illam, ne quidem vt præuisam, Deus prædestinare gratiam antiquis Patribus: nam obiectū essentialiter præsupponitur ad actum, cuius est obiectum: ergo in præscientiâ Dei debuit supponi gratia prædestinata Patribus ad *Ratio.* *Ratio.*

gratia-

gratiarum actionem Christi præuisam: ergo non potuit propter gratiarum actionem præuisam prædestinari gratia conferenda Patribus, cùm ante ipsam gratiarum actionem præuisam supponeretur gratia ijs prædestinata vt obiectum, circa quod præuisa fuit versari gratiarum actio futura Christi.

9. *Dubium.* Cæterùm, An saltem potuerit Deus prædestinare gratiam antiquis Patribus sub spe tantùm futuræ gratiarum actionis Christi, vt solent Principes terreni, qui sub spe futuræ gratiarum actionis multa beneficia conferunt subditis. *Affirmatiua pars probabilior.* Affirmo: nam posità scientià conditionatà, per quam Deus certò prænouerat Christum sub conditione gratias acturum de tali beneficio Patribus collato, certum erat Deo, nulloque pacto dubium, Christum absolutè gratias acturum pro tali beneficio prædestinato Patribus.

10. Instabis: sequitur, non potuisse Christum suà oratione in tẽpore factà obtinere, vt Deus aliquod donum ab æterno hominibus prædestinaret: quia omnis Christi oratio in tempore supponebat prædestinationem talis doni ab æterno decretam. *Resp.* Nego sequel. nam etsi oratio Christi in tempore facta supponebat actum diuinæ prædestinationis ab æterno positum, nondum tamen supponebat effectum executioni mandatum: & consequenter poterat Christus orare, vt talis effectus executioni mandaretur, & per consequens, vt illum ab æterno Deus prædestinauerit. Non enim Christus in tempore directè orabat, vt Deus tale donum ab æterno prædestinàrit, sed immediatè & directè, vt illud in tempore conferret, indirectè verò, vt illud idem ab æterno prædestinauerit. *Dupliciter potuit pro aliquo dono orare.* Christus enim pro dono iam collato non potuit orare petendo, sed gratias agendo, *vt suprà*; pro conferendo potuit orare, etiã petendo: nam tunc petitio habuisset suum obiectum, quod est, vt aliquid per illam obtineatur: obtentum autem per illam fuisset temporalis collatio doni; & per consequens indirectè etiam æterna prædestinatio doni. Nam, vt potuerit Deus tale donum intuitu talis petitionis ab æterno prædestinare, sat fuerit, præuidere petitionem Christi tale donum postulantem, illudque nondum supponentem actu collatum.

11. *Vrgebis.* Saltem petitio Christi ab æterno præuisa supponebat ęternam prędestinationem rei petitæ: igitur non potuit propter talem petitionem Christi præuisam, Deus tale donum prædestinare, cùm ad talem petitionem præsupponeretur donum prædestinatum, vt obiectum ipsius. *Resp.* Distinguo antec. Petitio Christi ab æterno præuisa supponebat prædestinationem doni in priori signo naturæ & causalitatis, nego; nam priùs naturà ab æterno præuisa fuit, vt causa mouens Deum petitio Christi, quàm fuerit decreta prædestinatio doni à Christo petiti: fuit præuisa in 2. signo supponens prædestinationem doni, prioritate tantùm durationis, concedo. Quare priùs prioritate causalitatis præuidit Deus petitionem Christi futuram de obtinendo tali dono, quã ipse tale donum ab æterno prędestinàrit; & consequenter quã præuiderit eandem petitionem Christi æternitate supponentem prædestinationem eiusdem doni: nam hoc præuidit in 2. signo post prædestinatum donum propter petitionem Christi præuisam in 1. signo, vt causam meritoriam illius. Quo fit, vt si petitio Christi consideretur vt causa impetratoria doni petiti, nõ supponit prædestinationẽ doni, sed supponitur à prædestinatione doni; si verò consideretur in ratione durationis & existẽtiæ, supponit prædestinationem doni æternitate. Nec implicat, vt quod est posterius duratione, sit prius causalitate in genere causæ moralis: quia potest, quod prius mouit moraliter voluntatem agentis, posteriùs tempore executioni mandari, vt patet in fine & medijs. Sed instabis; sequitur, posse Christum directè petere prædestinationem æternam alicuius rei, etiamsi illam videat in diuino cõsilio decretam. 12. *Instan.* Nego sequel. *Resp.* nam aliud est, Christum suà petitione temporali obtinere æternam prædestinationem rei; ad hoc enim sufficit, petitionem Christi fuisse causam moralem meritoriam, propter quam motus sit Deus ad rem prædestinandam: Aliud posse directè talem prædestinationem petere, postquam decreta est, cùm non petamus ea, quæ sunt posita, sed quæ sunt ponẽda. Esto igitur prædestinatio rei sit posita dependenter à petitione Christi præuisà, ac proinde obtentà per petitionem Christi; non potuit tamen Christus suà oratione illam directè petere; quia non possumus veraciter petere, quæ sunt iam posita in esse, etiamsi sint posita in esse dependenter à nostrà petitione; sed quæ tantùm sunt ponenda, alioqui inutilis & ficta esset oratio. Hinc sequitur, prædestinationem earum rerum, quas Deus prædestinauit dependenter ab oratione Christi, non fuisse ab æterno pòsitam propter petitionem Christi illam directè postulantem, sed propter eandem petitionem Christi indirectè tantùm illam flagitantem, per directam nimirum postulationem collationis ipsius rei ac doni temporalis.

13. *Ad Patres in contrarium citatos num. 4.* Ad Patres Resp. Illos explicãdos esse de Christo non secundùm naturã humanam, secundùm quam, vt inferior Deo, & de se impotens ad multa, veraciter & vtiliter orare poterat non modò pro alijs, sed etiam pro se; sed secundùm naturam & personam diuinam, secundùm quam Christus oratione non egebat. Relata igitur Christi oratio ad ipsius humanitatẽ, erat verax, vtilis, & propria oratio: relata verò ad eius personam & naturam diuinam, secundùm quam erat æqualis Patri, non erat verax & propria oratio, sed aliquid habebat de simulatione, vt *Damasc.* docet, quatenus nimirum per illam se ostendebat impotentem & inferiorem Patre; *Explicatio est Damasc.* ita *lib. 3. fidei c. 24.* postquam definiuit, orationem esse *Ascensum mentis in Deum, aut decentium à Deo petitionem*; rationem reddit, cur Christus eà non egeret, quia scilicet ipsius mens erat hypostaticè vnita Deo: *Non enim,* inquit, *ascensione ad Deum sancta eius mens indigebat, semel secundum hypostasin Deo verbo vnita: neque petitione à Deo, nam vnus est Christus*: hoc est, idem homo Deus.

14. *Coroll.* Deducitur, in Christo vt homine, vel fuisse, vel esse potuisse orationis partes 4. quas enumerat *S. Thom. cit. loco 2. 2. art. 17.* nempe ascensus in Deum, *Orationis partes 4.* petitio, seu postulatio, gratiarũ actio, & obsecratio. Qui enim debet aliquid à Deo obtinere, 1. debet ad ipsum accedere; acceditur autẽ ad Deum per mentis ascensum in Deum. 2. Debet petere aliquid à Deo. 3. Additur ad efficaciùs impetrandum ratio aliqua, quæ vel se tenet ex parte Dei, estque eius sanctitas, vel aliquid ad eius sanctitatem pertinens, propter quam petimus ab ipso exaudiri, vt cùm exaudiri petimus propter eius filium: atque hæc obsecratio dicitur, quasi per sacra contestatio, vt *ibid. S. Thom.* Vel se tenet ex parte ipsius petentis: & est gratiarum actio, per quam orans disponitur ad maiora impetrãda. Fuit igitur in Christo ascensus ipsius humanæ mentis in Deum, non transiens & interpolatus, vt in nobis, sed permanens & continuatus, per visionem beatificam, per quam perenniter eius mens inhærebat Deo. Fuit petitio *Lucæ 22. Ego rogaui pro te.* Fuit gratiarum actio *Ioan. 11. Pater, gratias ago tibi, quoniã audisti me. Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22.* vbi Christus Deo gratias egit, quando Eucharistiã condidit.

Obsecratio nulla à Christo. Obsecratione nusquam legitur Christus vsus, eo quòd non egebat signatâ contestatione increatæ sanctitatis, vt à Deo exaudiretur: sed oratio à personâ, increatâ oblata erat exercita contestatio increatæ sanctitatis, ac proindede se dignissima, vt absque vllâ interpositâ ratione impetrandi statim exaudiretur à Deo. Vnde Christus *cit. loc. Ioan.* fatetur. *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Et Paulus *ad Hebr.* 5. testatur Christum in suis precibus & supplicationibus exauditum fuisse, *pro suâ reuerentia.* In quem locum *Chrysost. homil.* 8. *Tanta*, inquit, *fuit eius reuerentia ac pietas, vt ideo eum revereretur Deus.*

15. *Superest dubium. Luca 23.* An omnis oratio Christi fuerit in hâc vitâ exaudita? Ratio dub. sumitur ex Matt. 25. *Pater mi, si possibile est, transeat à me calix iste:* ex Luc. 23. *Pater, dimitte illis, non enim sciunt quid faciunt.* Ibi enim Patrem orauit pro imminentis mortis calice vitãdo; hîc pro suis crucifixoribus: cùm tamen nec pro se, nec pro suis saltẽ omnibus crucifixoribus fuerit exauditus.

16. *Duplex oratio in Christo, Absoluta.* Verùm oratio in Christo, vna absoluta, quâ absolutè, & absque vllâ subintellectâ conditione, à Deo aliquid fieri petebat: quâ vt *Ioan.* 17. *Pater quos dedisti mihi, volo vt vbi sum ego, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi:* hæc semper fuit exaudita, vtpote ad impetrandum efficacissima quippe quæ habebat omnes conditiones ad impetrandum requisitas, eratque conformis diuinæ voluntati, à quâ per huiusmodi orationem non petebat, nisi quæ sciebat, diuinam voluntatem velle: *Conditionata.* altera conditionata, quâ non absolutè, sed sub conditione, si vel aliquid non obstaret, vt cùm petijt à se mortis calicem transferri, sub expressâ conditione, si voluntas Patris præcipientis non obstaret: vel positâ liberâ cooperatione creaturæ rationalis, sine quâ Deus nullum adultum saluare decreuit, vt cùm pro suis crucifixoribus orauit: hæc oratio non semper fuit exaudita, non defectu efficacitatis orantis, sed defectu purificationis conditionis appositæ, sub quâ oratio fiebat, cùm neque Christus à Patre exaudiri vellet, nisi iuxta appositas conditiones tacitas vel expressas.

SECTIO II.

An Christus nunc oret pro nobis in cœlo?

17. *1. Sentent.* PRIMA sententia affirmat: *S. Thom. in 4. dist.* 15. *quæst.* 4. *art.* 6. *quæst.* 2. *ad* 1. vbi ad argum. oppositæ, si Christus oraret pro nobis in cœlo, dicere possemus; *Christe ora pro nobis*; respondet: *Quòd Christus in quantum homo orat pro nobis: sed ideo non dicimus: Christe ora pro nobis: quia Christus supponit suppositum æternum, cuius non est orare, sed adiuuare.* Eandem sequitur *Abul. in cap.* 14. *Matth. quæst.* 142. *Tolet. in cap.* 16. *Ioan. annot.* 35. *Suar. disp.* 45. *sect.* 2.

18. *Prob. 1. Scriptur.* *Valen. disp.* 1. *q.* 21. *pun.* 1. quæ prob. *Ioan.* 14. *Ego rogabo Patrem*, scilicet in cœlo, *& alium paracletum dabit vobis.* 1. Ioan. 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Iesum Christum*, scilicet pro nobis oratorem & intercessorem. *Aduocatus, orator, intercessor idem.* Rom. 8. *Christus Iesus, qui mortuus est, imò qui resurrexit, qui est ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis:* licèt verbum *Interpello* ex primæuâ significatione importet, *loquentem interrumpere*, interdum tamen *rogare*, vt apud *Valeri. Maxim.* lib. 3. *Cato rogatus, vt socios apud auunculum adiuuaret, constanti vultu non facturum se respondit. Iterum deinde ac sæpius interpellatus, in proposito perstitit.*

19. *2. Probatur testimonio Patrum. Cyprian.* Testimonia Patrum illustriora sunt hæc: Cypria. *lib.* 4. *Epist. ep.* 4. *Habemus aduocatum & deprecatorem pro peccatis nostris Iesum Christum Dominum nostrum, si modò nos in præteritum peccasse pœniteat.* August. *præf. in Psal.* 85. de Christo in cœlo existente; *Orat*, inquit, *pro nobis, vt sacerdos noster: Orat in nobis vt caput nostrum, oratur à nobis vt Deus noster.* *August.* Et infrà: *Oratur ergo in forma Dei, orat in forma serui: ibi creator, hic creatus.* Et paulò pòst: *Oramus ergo ad illum, per illum, in illo, & dicimus cum illo, & dicit nobiscum.* Ac si diceret, non solùm oramus ad illum vt Deum, & per illum ad Patrem, sed simul cum illo oramus ad Deum, & vicissim ille nobiscum orat eumdem Deum. Ambros. *in cap.* 8. *ad Rom. Semper* Christus *causas nostras agit apud Patrem. Cuius postulatio contemni non potest, quia in dextra Dei est.* *Ambros.* Et quòd loquatur de propriâ & rigorosâ oratione, patet, ex eo, quòd eo modo dicit, nunc Christum pro nobis Patrem rogare, quo pro Petro in hâc vitâ mortali rogauit, ne ipsius fides deficeret; nam subdit: *Hoc ergo modo interpellat pro nobis Saluator.* Bernard. *serm. de Natiu. Mariæ ante med.* de oratione Christi nunc in cœlo existentis hæc habet: *Bernard.* *Ad Patrem verebaris accedere: solo auditu territus ad folia fugiebas, Iesum tibi dedit mediatorem. Quid non apud talem Patrem filius talis obtineat? exaudietur vtique pro reuerentia suâ: Pater enim diligit Filium.* Et paulò pòst: *Ad Mariam recurre:* Et paucis interiectis: *Exaudietur & ipsa pro reuerentia sua. Exaudiet vtique matrem filius, & exaudiet filium Pater.* Vbi concludit: *Potestne filius aut repellere, aut sustinere repulsam? non audire, aut non audiri filius potest? Neutrum planè.* Ratio 1. non decet, Christum orare, neque ex eo, quòd Deus est, alioqui neque in hâc mortali vitâ decuisset illum orare: neque ex eo quod beatus est, alioqui nullus Beatus posset pro Viatoribus orare, quod falsũ est: 10. *3. Rationibus. Prima.* 2. oratio est actus Religionis Deo maximè debitus: Christus autem Deum in cœlo adorat, laudat, eique gratias agit pro collatis beneficijs, tam sibi, quàm hominibus: ergo etiam postulat pro alijs beneficijs nobis conferendis. *Secunda.* 3. Christus propter feruentissimum amorem sui erga nos, in omni statu nostram salutem operatur: ergo etiam in cœlo existens. *Tertia.* 4. non solùm per Christũ petimus nostras necessitates à Patre, sed etiam per ipsum postulamus, vt nostræ preces à Patre exaudiãtur: ergo ipse suâ oratione obtinet, vt preces nostræ à Patre exaudiantur. *Quarta.*

21. *2. Sentent.* SECVNDA negat: *Ruperti Abba. lib.* 9. *de diuin. offic. c.* 3. qui etiam explicat loca scripturæ, pro primâ sententia vt locus *Ioan.* 14. intelligendus non sit de rogatione factâ in cœlo, sed in cruce: *Non enim*, inquit, *postquam ascendit in cœlum, clamat vt saluetur à morte, ergo nec rogat, vt paracletus nobis detur, sed dat iam ex tunc vtens data sibi potestate in cœlo & in terra. Sed in cruce rogauit, vtpote paulò minor ab Angelis: ascendens autem in cœlum, ego mittam promissum Patris mei in vos, ait:* præterea cit. testimouinm *ad Rom.* 8. interpretatur non de interpellatione per modũ postulationis, sed per modum commemorationis & repræsentationis eiusdem passionis semel oblatæ: *Illa namque interpellatio Doctorum omnium vera assertione, non submissa est postulatio, sed eius passionis, quæ semel suscepta, semel pro nobis in sacrificium oblata est, æterna commemoratio, semel in conspectu sanctæ Trinitatis admissa sanguinis eius innocentis exclamatio, homicidas qui fuderunt, conuincens: nos autem qui bibimus in ministerio Altaris, non indiga, sed potenti interpellatione defendens:* concludit: *Vnde sicut resurgens ex mortuis, iam non moritur, sic illum ad hoc, vt roget Patrem iam nemo inuocat Catholicus.* Eandem sequitur *Medina* 3. *p. quæst.* 21. *art.* 1. *Vasquez disp.* 82. *à cap.* 2. pro quâ Patrum testimonia tria *Probatur auctoritate Patrum.*

sunt

Nazianz. sunt expressiora; 1. Nazianz. in *orat.* 36. quæ est 4. *de Theol.* vbi explicans locum ad Hebr. 7. *Semper viuens ad interpellandũ pro nobis*, hæc habet: *Intercessionis nomen vt apud multos in more positum est, vltionis deprecationem habet, hoc enim humilitatis quodammodo esset, sed idem significat, quod pro nobis mediationis ratione supplicare.* 2. Chrysost. *Homil.* 15. *in* 8. *cap. ad Rom.* vbi explicans illud *Interpellat*, seu vt ipsius interpres vertit *Intercedit*, sic ait: *Hoc enim solùm per id verbi*, Intercedit, *demonstrare voluit, more hominum loquens, ac nostræ sese imbecillitati attemperans, vt charitatem declaret:* Et subdit: *Atque vt intelligas, hoc esse quod adstruere vult, priùs vbi dixit illũ esse ad dexteram, tum addidit, illum pro nobis intercedere: quod æqualitatem ac paritatem declarauit, vt iam ipsa intercessio non imminutionis, sed charitatis solius esse videatur*, & paulò pòst: *Is quo tandem modo post omnia à se perfecta, post naturam nostram in throno regio ostensam & collocatam, ad ea, quæ faciliora sunt, intercessionis indigeat?* Vnde concludit: *Vides vt vndique ostendat, se alia nulla de causa verbi id*, intercedit, *dixisse, quàm vt feruorem ac vigorem illius erga nos charitatis declaret?* 3. Gregor. *lib.* 22. *Moral. cap.* 18. qui explicans eund. locum: *Vnigenito enim filio pro homine interpellare, est*, inquit, *apud coæternum Patrem seipsum hominem demonstrare: eiq; pro humana natura rogasse, est, eandem naturam in diuinitatis suæ celsitudine suscepisse. Interpellat igitur pro nobis Dominus, non voce, sed miseratione: quia quod damnari in electis noluit, suscipiendo liberauit.*

Gregor.

22. 2. *Probatur rationibus. Prima ratio.* PRIMA ratio: Christus per merita huius vitæ obtinuit, quicquid Deus erat hominibus concessurus: ergo non est noua oratio necessaria ad aliquid pro hominibus impetrandum. Antec. constat ex Matth. vlt. *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: Nõ enim hoc*, inquit Raba. apud *S. Thom.* in suâ catenâ, *de coæterna Patri diuinitate, sed de assumpta loquitur humanitate. Quia tunc moriens*, vt hunc locum *cit. Rupert.* explicat, *paulò minùs ab Angelis imminutus rogauit per humanitatem, nunc autem gloriâ & honore coronatus, & constitutus super omnia opera Patris dat per diuinitatem, omnem habens potestatem, vtpote à dextris Dei sedens.* Conseq. prob. qui habet omnia in suâ potestate, non est illi ad ea obtinenda necessaria oratio: hæc enim necessaria tantùm est ad impetranda ea, quæ in nostrâ non sunt potestate: frustra igitur & fictè Christus à Deo peteret, quæ in suâ habet potestate.

23. *Confirm.* Confir. Christus ita totum negotium nostræ salutis in hâc vitâ cum Patre composuit, vt non esset ampliùs opus pro illa apud Patrem agere aut supplicare: *Vna enim oblatione*, Hebr. 10. *consummauit in sempiternum sanctificatos, æterna redemptione inuenta.* Si igitur inuenta est, non est ampliùs opus per iteratas preces supplicationesque illam à Patre petere ac postulare, alioqui diffideret promissioni Patris.

24. *Secunda ratio.* 2. Vel Christi oratio nunc in cœlo existentis aliquid nobis impetrat, vel non. Si nihil impetrat; frustrà à Christo funditur, quippè qui optimè nouit, sicut & cætera futura, se nihil per illam impetraturũ: si aliquid; ergo est nobis meritoria; nam quod propter illam datur, datur vt præmium & retributio, quæ respondet merito: ergo adhuc Christus in celo existens pro nobis meretur: quod nemo cõcedit; alioqui ipsius meritũ non fuisset in hâc vitâ perfectũ & consummatũ.

25. *Tertia ratio.* 3. Si de facto Christus nunc in cœlo existens oraret pro nobis, licitè possemus ipsum rogare, vt pro nobis apud Patrem oraret: hoc autem est contra communem & vniuersalem totius Ecclesiæ consuetudinem, quæ nunquam Christum deprecatur, vt pro nobis oret, sed vt nobis misereatur & parcat.

Sententiæ ambæ in eo conuenire debent, vt præter merita præterita Christi, necessarius sit nouus actus humanæ voluntatis Christi, quo sua præterita merita Deo proponat, vt propter illa hîc & nunc gratiam infundat ei, cui Christus præterita sua merita præsenti actu voluntatis applicat: nec sufficere nudam Christi humanitatem per sua vulnera & cicatrices exercitè ostendentem ac proponentem præterita sua merita, per eaque quasi continuò pro mortalibus ad Patrem clamantem. 26. *In quo conueniunt ambæ sent.*

Nam licet Deus contulerit omnem potestatem Christo disponendi de quibuscumque donis ac beneficijs pro hominibus, hanc tamen contulit dependenter à liberâ voluntate ipsius vt quando voluerit, concedatur gratia huic, vel illi; in his vel illis circumstantijs, in quibus Christus iudicauerit, esse concedendam. Ergo vt Deus, propter præterita merita Christi, physicè producat hîc & nunc gratiam Petro, exempl. gr. necessarius est nouus actus humanæ voluntatis Christi, quo hîc & nunc præterita sua merita applicet Petro, eaque ostendat Patri, vt propter illa gratiam physicè producat in Petro: nam si Deus hîc & nunc physicè infundit gratiam Petro dependenter à liberâ voluntate Christi, hîc & nunc sua merita applicantis pro Petro, necessariò requiritur præsens actus voluntatis, quo Christus præterita sua merita hîc & nunc applicet pro Petro. Cùm nõ possit Deus certò & infallibiliter absolutâ scientiâ scire, quando Christus liberè esset sua merita pro Petro applicaturus, nisi ex ipso actu libero Christi. Et quamuis posset Deus ex præscientia eiusdem actus, quem ab æterno præuidit futurum, conferre gratiam Petro, antequam actu Christus sua merita applicaret Petro, hic tamen modus connaturalis non est, vt priùs gratiam conferat, quàm Christus actu velit, vt illa conferatur, posito quòd Deus decreuit, illam conferre dependenter à liberâ voluntate Christi. *Demonstr.*

Anteced. prob. hic est connaturalior & suauior modus, magisque ad Christi dignitatem & potestatem conducens, vt quoties cõferenda sit gratia hominibus, ipse libero actu humanæ suæ voluntatis moraliter determinet Deum ad illam physicè producendam: quàm si Christus & Pater à principio conuenerint, vt omnis gratia conferenda hominibus, producenda sit physicè à Deo, nullo nouo actu humanæ voluntatis Christi requisito. Hic enim modus, vt patet, impedit multos actus in Christo, quos tum erga homines, tum erga Deum eliceret, occasione applicandi, proponendique sua merita, quoties conferenda esset gratia hominibus. Minuit etiam moralem potestatem in Christo: nam tota potestas dandi gratiam hominibus resideret in solâ potentiâ physicâ Dei moraliter determinatâ à præteritis meritis Christi: Cæterùm Christus nullum de facto potestatis actũm exerceret in huiusmodi supernaturalibus donis conferendis. *Prob.*

Controuersia; An iste actus, quo hîc & nunc Christus præterita sua merita applicat Petro, eaque præsentat Patri, vt propter illa physicè gratiam infundat Petro, habeat rationem orationis. 27. *Superest controu.*

Vt autem habeat rationem orationis, duo includere debet; vnum, vt actus humanæ voluntatis Christi præterita sua merita proponentis, sit realis causa moraliter mouens vnà cum præteritis meritis voluntatem Dei ad physicè causandam gratiam hîc & nunc in Petro, & non tantùm mera conditio, vti esset scriptura respectu Regis, conferentis beneficium filijs, propter merita parentum, in huiusmodi scripturâ contenta. Cùm enim oratio essentialiter sit impetratoria alicuius gratiæ, & nequeat esse im- *Ad orationem hoc nõ sufficit.*

petratoria, nisi moraliter mouendo voluntatem orati ad gratiam concedendam, non poterit esse vera oratio, nisi sit vera & realis causa moraliter mouens Deum ad gratiam conferendam. Alterum est, vt sit petitio eiusdem gratiæ, ad quam concedendam moraliter Deum mouet. Etenim ad orationem non sat est, vt propter actum voluntatis Christi moraliter Deus moueatur ad gratiam physicè conferendam; nam etiam mouetur propter passionem Christi, quæ tamen oratio non est.

Vera & propria oratio hoc requirit maximè.

28. *Vlterior quæstio.* Ergo supposito, quòd Deus moraliter moueatur non solùm propter præterita merita, sed etiam propter præsētem actum humanæ voluntatis Christi, præterita merita repræsentantem, ad gratiam physicè conferendam, quod valde congruum est, magisque cōducens ad capitalem dignitatem Christi, vlteriùs quærimus, an hic actus humanæ voluntatis Christi sit vera petitio, ac proinde vera ac propria oratio. Et quidem certum est, non posse hunc actum esse petitionem gratiæ, quoad primam ipsius gratiæ concessionem; nam hæc supponitur collata Christo cum potestate moraliter disponendi de quocumque dono supernaturali propter ipsius præterita merita; & consequenter non est necessaria oratio ad impetrandam illam, quoad primam concessionem, cùm semper oratio tendat ad impetrandum aliquid, quod non supponitur concessum.

29. Dices: Etiamsi Deus ab æterno decreuit conferre donum pœnitentiæ Petro, adhuc oratio Christi quoad primam concessionem impetrauit tale donum Petro: ergo etiamsi Deus decreuerit conferre omnia dona supernaturalia hominibus propter præterita merita Christi, adhuc præsens oratio Christi impetrare posset gratiam Petro quoad primam concessionem ipsius. Nego conseq. nam donum pœnitentiæ conferendum Petro, fuit ab æterno decretum dependenter ab oratione Christi præuisâ: vnde æterna prædestinatio pœnitentiæ fuit ab æterno decreta, propter orationem Christi in tempore præuisam. At verò dona supernaturalia, physicè cōferenda hominibus, non sunt quoad substantiam & primam concessionem à Deo decreta dependenter ab actu præsentis voluntatis Christi, sed à præteritis meritis per talem actum repræsentatis: igitur præsens actus humanæ voluntatis Christi supponit huiusmodi dona quoad substantiam & primam donationem moraliter concessa Christo, propter præterita ipsius merita. Ergo superest videre, An saltem possit hic actus humanæ voluntatis Christi sub alio titulo habere rationem petitionis, & consequenter orationis. Duplex autem superest titulus, sub quo posset hic præsens actus Christi eandem gratiam quoad substantiam & primam donationem moraliter concessam Christo, petere: 1. sub nouo titulo præsentis actûs, vt quod est concessum vi præteritorum meritorum, idem concedatur vi præsentis actûs: 2. sub titulo actualis productionis hîc & nunc exequendæ.

Resp.

30. *Status quæst.*

31. *Assertio 1.* Dico 1. probabilius est, Christum eandem gratiam, vi præteritorum meritorum quoad substantiam & primam donationem sibi à Deo concessam, non iterum petere nouo titulo præsentis actûs, quo eadem præterita sua merita Deo proponit: quia videtur superflua hæc petitio, cùm eadem gratia supponatur adæquatè & totaliter concessa, vi præteritorum meritorum, cùm semper petitio tendat ad aliquid, quod nondum est sub plenâ potestate petentis: ergo si omnia dona supernaturalia quoad substantiam sunt sub plenâ potestate Christi, vi præteritorum meritorum, frustranea est petitio, nouo duntaxat titulo.

Fundam.

Dico 2. longè probabilius est, per hunc actum Christum à Deo petere actualem executionem physicam omnium eorum donorum pro quibus conferendis præterita sua merita applicat, & consequenter illum habere veram rationem orationis: nam posito, quòd Deus ob præterita merita contulit Christo potestatem disponendi de huiusmodi donis, dependenter in executione à liberâ voluntate Christi, necessarius est nouus actus, quo physicam productionem gratiæ à Deo petat, pro hoc, vel illo, pro quo præterita sua merita liberè applicat. Etenim cùm gratia debeat physicè produci à Deo; cùmque vt illam physicè producat, expectet liberum actum Christi, dependenter à quo illam hîc & nunc physicè producat, talis actus habebit veram rationem orationis, cùm sit formalis & expressa petitio physicæ productionis gratiæ hîc & nunc executioni mandandæ. Confir. 1. adhuc concessâ Christo plenâ potestate de omnibus supernaturalibus donis liberè disponendi, manet Deus indifferens ad hæc ipsa dona producenda, & executioni mandanda, hoc vel illo tempore, in his vel illis circumstantijs: ergo determinari debet per liberum actum Christi, quo illa petat produci, hoc vel illo tempore, in his vel illis circumstantijs: quia cùm Deus decreuerit, physicè se illa executioni mandaturum dependenter à liberâ voluntate Christi, necessarius est nouus actus Christi, quo illius physicam productionem, hîc & nunc à Deo petat. Antec. constat: quia cùm hic modus sit perfectior, & magis cedens ad Christi dignitatem, & libertatem, vt quoties ipse voluerit, liberè disponat de donis, angelis, vel hominibus conferendis, concedendus est Christo. 2. Vt oratio non sit frustranea & inutilis, sufficit, vt obtineat aliquid, quod non supponitur obtentum: sed physica productio gratiæ, hîc & nūc executioni mandanda, non supponitur vi præteritorum meritorum obtenta: pendet enim à libero actu humanæ voluntatis Christi, quo illam desiderat, hîc & nunc executioni mandari: cùm per præterita merita solùm sit concessa Christo plena potestas disponendi in actu primo. 32. *Iuxta sententiam 2.* *Fundam.* 33. *Confirm. 1.* 34. *Confirm. 2.*

Obijcies 1. physicam productionem gratiæ posset Deus executioni mandare, non propter præsentem actum humanæ voluntatis Christi, sed propter præterita ipsius merita, ita vt præsens actus solùm se habeat vt conditio proponens merita, propter quæ tantùm moueatur Deus ad gratiam concedendam; vti se habet scriptura respectu regis concedentis beneficium filijs, propter merita parentum, per scripturam proposita. Resp. Esto, posset Deus physicam productionem gratiæ hîc & nunc executioni mandare, propter sola merita præterita Christi: quia tamen præsens actus humanæ voluntatis Christi facit vnum cum præteritis meritis, vt cum obiecto; & ex aliâ parte actus ipse est petitio actualis productionis gratiæ hîc & nunc executioni mandandæ, dignusque vt vnà cum præteritis meritis exaudiatur, non est, cur illi denegetur vera & propria ratio orationis. 35. *Dices.* 36. *Resp.*

Obijcies 2. Deus vi antecedentis concessionis non solùm dedit facultatem Christo disponendi de omnibus donis supernaturalibus, sed etiam illam suo tempore exequendi: ergo etiam actualis executio talium donorum fit intuitu præteritorum meritorum. Anteced. prob. qui dat absolutam facultatem disponendi de re aliqua, simul dat facultatem circa executionem & vsum talis rei. Distinguo anteced. Vi antecedentis concessionis dedit Deus Christo facultatem dispensandi de donis supernaturalibus, physicè nego; nam physicè solus Deus illa producit, 37. *Dices.* 38. *Resp.*

ducit, ipso *Vasquez* fatente; moraliter, concedo. Etenim si Christus haberet facultatem physicè hæc dona producendi, posset absque nouâ petitione ea ad libitum producere; quia tamen cum morali potestate non accepit physicam etiam facultatem ea suo tempore producendi, vt physicè ea suo tempore à Deo producantur, debet nouo actu suæ voluntatis petere, vt illa Deus physicè producat. Ad prob. qui dat absolutam potestatem & physicè, & moraliter disponendi de re aliquâ, dat etiam facultatem circa executionem & vsum eiusdem rei independenter à quocumque alio; non qui solùm dat potestatem moraliter disponendi.

39. *Ad argumenta 2. Sententiæ. Ad PP.* Ad argu. 2. ad 1. ductum ab author. Patrum resp. cùm illi negant, Christum nunc in cœlo pro nobis orare, explicandos esse de eo modo orandi & supplicandi, quo orabat & supplicabat in terris, per genuflexionem, vel consimili alio modo corporis submissionem exprimente, vt Nazianz. & alij PP. indicant: nam hoc modo orandi non ampliùs vtitur Christus in dexterâ Dei sedens.

40. *Ad rationes Ad primã.* Ad 1. Rationem: distinguo anteced. Christus per merita huius vitæ obtinuit quicquid Deus concessurus erat, physicè & moraliter de illis disponendi, nego, moraliter tantùm, concedo. Igitur non est ampliùs necessaria oratio, nego cònseq. nam licet non sit necessaria ad ea moraliter impetranda, est tamen necessaria ad eorum physicam executionem obtinendam. nam licet Christus plenam potestatem moralem habeat in omnia dona supernaturalia conferenda hominibus, vt quotiescumque, & quibuscumque velit, possit illa liberè donare; quia tamen non habet in se physicam potentiam illa producendi, quotiescumque de illis liberè disponere voluerit, debet à Deo petere, vt illa physicè producat.

41. Ad confirm. concedo, totum negotium nostræ salutis fuisse inter Christum & Patrem compositum, & peractum quoad intentionem & in actu 1. non quoad executionem & in actu 2. nam adhuc illud manet executioni mandandum vsque ad finem mundi. Fuit igitur Christo data plena potestas in actu 1. in ordine ad omnia dona supernaturalia dispensanda hominibus, dependenter tamen in actu 2. quoad physicam executionem actualem à Deo.

42. *Ad secundam.* Ad 2. concedo, Christum etiam in cœlo existentem aliquid nobis impetrare, ipsam nempe physicæ productionis gratiæ executionem: adhuc tamen nego, huiusmodi impetrationem esse nobis meritoriam, defectu promissionis, quæ ad meritum essentialiter requiritur. Nam per meritum creatura acquirit certum ius ad rem promissam, cui iuri respondet debitum in promittente: sublatâ autem promissione nec creatura acquirit certum ius in id, quod postulat, nec Deus habet debitum illud retribuendi. Cùm igitur oratio Christi in cœlo existentis non habeat certam promissionem in ea, quæ de nouo petit, non habebit rationem meriti, sed puræ impetrationis; quia non tenetur Deus illam ex debito remunerare, sed tantùm ex liberalitate.

43. *Dices.* Dices: Atqui ex vi præcedentis promissionis, & potestatis collatæ Christo in ordine ad omnia dona supernaturalia tenetur Deus, physicæ productionis gratiæ executionem ex debito retribuere: ergo oratio Christi, qua talis productionis gratiæ executio petitur, est meritoria. Distinguo anteced.

Resp. tenetur Deus vi antecedentis promissionis, & potestatis collatæ Christo retribuere physicè productionis gratiæ executionem, propter præterita merita, per præsentem actum voluntatis Christi proposita, concedo; propter actum præsentis voluntatis Christi, nego. Vnde ex debito tenetur Deus conferre physicam productionem gratiæ, propter præterita merita, liberaliter autem propter præsentem actum petitionis: quia promissio non fuit facta præsenti actui voluntatis Christi, sed præteritis meritis præsenti actu propositis: & consequenter quòd Deus physicam productionem gratiæ tribuat non solùm propter merita præterita, sed etiam propter præsentem actum Christi, id non ex debito, sed ex mera liberalitate præstat.

Ad 3. respondet S. *Tho.* pro 1. Sententia *cit.* ideò Ecclesiam huiusmodi modo orandi non vti, ne occasionem præbeat errandi cum Arianis, vel Nestorianis. Nam cùm Christus sit nomen suppositi, dicendo, *Christe ora pro nobis*, significare videremur, Christum esse suppositum creatum. Cæterùm monet *Suarez*, si quis sciat distinguere inter suppositum diuinum, & naturam humanam Christi, posse priuatâ oratione Christum deprecari, vt pro se Deum oret secundùm naturam humanam: non secus ac potest quis distinguens suppositum increatum à naturâ creatâ in eodem Christo, adorare suppositum adoratione Latriæ, naturam verò humanam adoratione hyperduliæ, vt *infrà*. 44. *Ad tertiam.*

DISPVTATIO XXVIII.

De Christi seruitute.

An Christus vt homo dici possit propriè seruus?

PRIMA Sententia negat: *Vasq. disp.* 80. *à c.* 3. ex Conc. Francofor. celebrato *an.* 794. sub *Adria. Papa, & Carolo Magno, contra Elipand. Tolet. Antistitem,* qui asserebat, Christum, vt hominē non solùm esse filium Dei adoptiuum, sed etiam seruum, & ex *Epist.* eiusd. Pontificis, quæ habetur in eodem Concilio, in qua cum ipso Concilio vtrumque damnat, vt errorem in fide: verba Pontificis sunt: *Adoptiuum eum filium quasi purum hominem, calamitati humanæ subiectum, & (quod pudet dicere) seruum eum impij & ingrati tantis beneficijs, liberatorem nostrum non pertimescitis venenosâ fauce susurrare. Cur non veremini queruli obtrectatores Deo odibiles, illum seruum nuncupare, qui vos de seruitute diaboli liberauit?* Quibus Pontifex non solùm damnat, Christum dicendum esse seruum, sicut & adoptiuum, sed magis, quàm adoptiuum, vt constat ex verbis: *Quod pudet dicere.* At certum est, ab eodem Pontifice simul cum Concilio hîc damnari vt errorem in fide, Christum esse adoptiuum: *vt infrà*: ergo multò magis ab eodem damnari, Christum esse seruum. Primum argumentum Pontificis est, quòd in toto testamento nouo nunquam Christus vel à seipso, vel ab Apostolis appelletur seruus, sed semper vel filius Patris, vel Dominus. Quod licet sit ab authoritate negatâ, in præsenti tamen materiâ magnum habet pondus: nam si reuerà Christus retineret secundùm humanitatem conditionem & statum seruitutis, fuisset aliquando in scripturâ expressum: sicut quia Christus secundùm eandem humanitatem, est inferior & minor Deo, idipsum Christus expressit 14. *Ioan. Vado ad Patrem, quia Pater maior me est.* Addit Pontifex, quòd neque in ipso passionis, mortisque articulo, *Vbi*, inquit, *omnis humanæ conditionis infirmitas monstrabatur,* Christus appellauerit Deum Domi-

1. *1. Sentent. Potissimum fund.*

2. *1. Argum. ab author. negatâ.*

Dominum suum, sed Patrem, Matth. 26. *Pater mi, si possibile est transeat à me calix iste:* Lucæ 23. *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

3. 2. Argum. SECVNDVM: quod Pater numquam seruum, sed filium Christum appellet, *Matth. 3. & 17. Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Quòd verò his in locis cum appellet filium, etiam secundùm humanitatem, confirmat Pontifex hoc argum. Illum dilectum filium suum Pater appellat supra quem ait descendere Spiritum sanctum in specie columbæ: at Spiritus sanctus in specie columbæ non descendit supra Christum vt Deum, sed vt hominem: tum quia Spiritus sanctus cùm sit inseparabilis nexus Patris, & Filij, non potuit supra filium secundùm naturam diuinam, à qua numquam recesserat, descendere. Tum quia ipse Baptista testatur *Ioan.* 1. se nesciuisse eum, sed qui misit ipsum ad baptizandum, sibi dixisse: *Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu Sancto.* Vnde subiungit: *Et ego vidi: & testimonium perhibui, quia hic est Filius Dei.* Quæ omnia Pontifex interpretatur de filio Dei, quatenus homine; nam quatenus hominem Ioannes ignorabat, & quatenus in hominem Spiritus Sanctus in specie columbæ descendit.

4. 3. Argum. Pontificis. TERTIVM, quòd omnia veteris testamenti oracula, quibus videtur Christus vt homo seruus appellatus, vt Isa. 42. *Ecce seruus meus, suscipiam eum* & 49. *Seruus meus es tu Israel, quia in te gloriabor,* & Psal. 115. *O Domine, ego seruus tuus, ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ,* & alia huiusmodi intelligenda esse definit tropicè, & per metaphoram; eo quòd nondum eo tempore propalata erat hæc veritas.

5. 4. Argum. ex Concil. & Pontif. definitione. QVARTVM: ille propriè & in rigore seruus dicitur, qui in eâdem sede Maiestatis, & honoris titulo cum domino non participat: Christus autem, etiam vt homo, ratione hypostaticæ vnionis in eâdem sede Maiestatis, & honoris cultu cum Deo participat: ergo Christus neque vt homo est propriè & in rigore seruus. Maior constat; nam propterea in humanis serua nubens cum ingenuo & libero, non manet ampliùs serua, quia participat in eâdem sede tori, & honoris titulo cum viro. Propterea seruus in filium adoptatus à libero, non retinet ampliùs statum & conditionem serui, quia participat in iisdem bonis, & honoris titulis cum adoptante. Minor prob. Christus vt homo ratione hypostasis diuinæ, quam substantialiter includit, participat in eâdem sede Maiestatis, & honoris cultu cum Deo. Nam Christus vt homo sedere dicitur à dextris Dei, adorari eodem adorationis cultu cum Deo, participare eadem attributa cum Deo: verè enim & propriè hic homo dicitur æternus, immensus, omnipotens, per se beatus, & naturalis filius Dei: nam quamuis hæc attributa non prædicentur de humanitate in abstracto, sufficit, vt de eâ prædicentur in concreto, quatenus includit diuinam hypostasin, per vnionem, per quam exempta est à conditione & statu seruitutis. Ita Damasc. *l. 3. fidei cap. 21. Sciendum autem, quòd neque seruum ipsum dicere debeamus. Nam seruitutis & dominij nomina, non naturæ sunt nomenclaturæ, cognitionisque signa, sed ad aliquid, quemadmodum paternitatis & filialitatis nomina. Hæc enim non substantiæ, sed habitudinis sunt indicatiua. Quemadmodum igitur de ignorantia dicimus, quod si tenuibus cogitationibus, id est minutis phantasijs creatum ab increato diuidas, serua est caro, nisi vnita esset Deo Verbo. Semel autem vnita secundùm hypostasin, quomodo serua erit?*

6. Damascen. hanc rationem exprimit. Quibus ostendit, vnionem hypostaticam abstulisse à Christi humanitate propriam seruitutis conditionem, ratione parcipationis eorumdem bonorum cum Deo, quam talis vnió per se humanitati affert; ita enim subdit: *Cuius igitur erit seruus? Patris: ergo non omnia, quacumque habet Pater, & Filij sunt.* Vbi vt proximam rationem, propter quam Christus vt homo dici non possit seruus Patris, est, quia participat omnia bona Patris: cùm de ratione serui sit, non participare omnia bona sui domini. Confirm. si nexus matrimonialis, qui longè inferior est ac minor nexu hypost. 7. Confirm. vnionis cum Verbo, vim habet statim tollendi omnem conditionem seruitutis à sponsâ, quantò magis hanc vim habebit substantialis nexus & copula humanitatis cum personâ increatâ Verbi? Ex 8. dictis sequitur, ad propriam seruitutem non sufficere, esse alteri subiectum: nam etiam filius in humanis est naturaliter subiectus Patri, cuius tamen seruus non est, eo quòd, ratione eiusdem naturæ, vi generationis sibi à patre communicatæ, participat eadem bona, eosdemque honoris titulos cum patre. Ergo neque vt Christus sit seruus Dei, sufficit, vt secundùm naturam humanam sit illi subiectus; eo quòd ratione diuinæ personalitatis, quam substantialiter includit, participat eosdem Maiestatis & honoris titulos cum Deo. Confirm. sicut ad filiationem adoptiuam non sufficit, 9. Confirm. habere positiuam formam adoptionis, sed prætereà requiritur negatio naturalis filiationis in eodem subiecto, defectu cuius negationis, *vt infrà,* non potest Christus vt homo dici adoptiuus filius Dei: ita ad propriam seruitutem non sufficit, habere tantùm formam positiuam serui, sed prætereà requiritur negatio participationis eiusdem dignitatis & honoris cum domino, defectu cuius negationis nequit Christus vt homo propriè dici seruus Dei. Quod si quando dicitur, non veritate, sed appellatione tantùm, vt *ibidem* Damascenus.

SECVNDA affirmat, Christum ratione humanitatis verè & propriè esse, & dici seruum Dei: *S.* 10. 2. Sentent. *Thom. 3. p. quæst. 20. art. 1. ad 2. Palud. in 3. dist. 12. q. 2. in 1. dicto 3. opin. Caiet. Medin. cit. loco 3. p. Valent. quæst. 20.* &c. sed omnium maximè hanc propugnat *Suarez disp.* 44. qui non dubitat asserere, hanc fore de fide, nisi citata definitio Concilij ac Pontificis obstaret: quam variè explicare conatur, *vt infrà.* Probat 1. testimonijs veteris scripturæ citatis, quibus Christus, iuxta communem expos. seruus appellatur. Et Matth. 11. *Confiteor tibi Pater, Domine cœli* 11. Probatur hæc sententia authoritate scripturæ. *& terræ:* sed sub nomine cœli & terræ comprehenditur etiam Christus secundùm humanitatem: ergo Christus secundùm humanitatem comprehenditur sub dominio Dei, Ioan. 20. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum:* idem autem est esse Deum, & esse Dominum: nam idem est, esse Deum, ac esse primum principium creatiuum omnium rerum, ratione cuius habet, vt sit Dominus omnium. Matth. 4. Christus dixit diabolo: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli serues:* quibus comprehendi etiam Christum vt hominem, sic probat. Christus vt homo tenebatur Deum adorare: agnoscit enim Deum vt primum principium suæ creationis, cui adorationis cultus debetur: ergo sub ijs verbis comprehenditur, vt seruus cultum exhibiturus Deo vt domino: quia qui tenetur præceptum seruare, comprehenditur sub verbis præcepti. At adorationis cultus non tribuitur Deo, nisi quatenus Domino, vt ipsis verbis exprimitur: & ratione constat, quia tribuitur illi vt primo principio. 2. *ad Corinth. 3. fine; Omnia vestra sunt; vos au-*

vos autem Christi, Christus autem Dei. Sed nos Dei sumus per seruitutem; ergo etiam Christus. Ad Philip. 2. *Formam serui accipiens:* scilicet Christus formam serui seu naturam humanam accepit: at qui habet formam, habet formalem effectum formæ; igitur Christus habens naturam humanam, habet formalem effectum seruitutis.

12. *Probatur authoritate Patrum, tam Græcorum, quàm Latinorum Athanas.* Athanasius *lib. 3. cont. Arian. Colum. 6.* sic scribit: *Quatenus enim in confesso est, eum hominem esse factum, nihil discriminis attulerit, vt superius dictum est, siue genitus, siue factus, siue conditus, siue fictus appelletur, siue item seruus, siue filius ancillæ, siue filius hominis, siue constitutus, siue peregrinus, siue sponsus, siue patruelis, siue frater nuncupetur. Omnes enim istiusmodi voculæ in rationem humanitatis bene & propriè competunt, illaque omnia non substantiam Verbi, sed hominem eum fuisse demonstrant.* Vbi notanda sunt illa verba, *Bene*, hoc est aptè, & *Propriè*, quæ omnem metaphoricam & impropriam excludunt significationem. Nazianzenus Oratione 3. *de*

13. *Nazianz.* *Theolog. fine.* postquam enumerauit nomina, quæ ostendunt, Christum esse verum Deum, ita sibi ex persona Arian. obijcit; *Tu mihi contra voces illas ingratitudinis tuæ, animiq; peruersitatis indices, enumera, has videlicet, Deus meus, & Deus vester, Maior, creauit, fecit, sanctificauit, seruum etiam, si ita lubet, & obedientem adiunge.* Quæ tamen omnia admittit, dici de Christo vt homine: sic enim concludit: *Hoc tibi faciendum est, vt excelsiores voces diuinitati, ac præstantiori illi atque incorporeæ naturæ, passionibusq; sublimiori attribuas; humiliores autem composito, & tua causa inanito, atque incarnato, & si ita dicere licet, humanato.* Cyrillus *Alexand. lib. 12. Thes.*

14. *Cyrill. Alexand.* *cap. 15. fine: serui nos*, inquit, *Dei sumus secundùm naturam, ipse Dominus quidem secundùm naturam, quia Deus: sed seruus factus est, quia verè homo.* Quibus non solùm affirmat, Christum esse seruum, sed causam etiam ipsius seruitutis assignat, *Quia verè est homo.* Ergo quâ ratione Christus est verus homo, est etiam verus seruus: nam ratio, cur sit

15. *Chrysost.* seruus, est, quia est homo. Chrysost. *Homil. 7 in 2. cap. ad Phil.* vbi contra eos, qui negabant, Verbum assumpsisse animam rationalem, sic arguit: *si forma Dei perfectus Deus est: certè & forma serui perfectus*

16. *Hilar.* *est seruus.* Hilarius 11. *de Trinit. colu. 4. fine.* de Christo, *cùm nos*, inquit, *simus & creatio ex origine, & ex natura serui, tamen dum & Pater nobis communis & Deus est, fit et nobiscum & creatio, & natura communis & seruitus.* Quibus docet, Christum non solùm naturâ, sed etiam seruitute esse nobiscum

17. *Hieronym.* communem: idem confirmat *infrà* Hieronymus *in 1. cap. ad Titum*, exponens illa, *Paulus seruus Dei*, ita scribit: *Hæc autem seruitus non est illa, de qua ipse Apostolus ait:* nec enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore &c. *Verùm nobilis seruitus, de qua & Dauid ad Deum loquitur:* Ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ, *Et B. Maria ad Angelum:* Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. *Hanc seruitutem habuit & Moyses, de quo Dominus ad Iesum filium Naue:* Moyses, *inquit*, famulus meus mortuus est. *Nec mirum quamuis sanctos homines, tamen Dei seruos nobiliter appellari, cùm per Isaiam prophetam Pater loquatur ad filium:* Magnum tibi est vocari te puerum meum, (Hebraicè; vt *ibidem* Hieronym.) *seruum meum.* Quamuis eandem significationem habere possit vox ip-

18. *Ambros.* sa, *Puer.* Ambros. *libr. 5. de fide cap. 4.* explicans illa: *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terra*, sic ratiocinatur: *Formam serui accipiens eo vtique Dominum vocat, quo seruitutem suscepit, æqualis in Dei forma, seruus in corporis. Seruitus autem carnis, dominatus autem diuinitatis est.* Et lib. Epistolarum *Epist. 47.* ex professo contra quendam Apollin. probat, Christum dici & esse seruum; idque confirmat ex varijs veteris testamenti oraculis, quibus ostendit, Christum secundùm formam serui seipsum seruum vocâsse: *Etenim secundùm formam serui*, inquit, *locutus, Dominum vocauit, quem Patrem nouerat æqualis in Dei forma, seruum secundùm carnis substantiam se prædicans: seruitus enim carnis, dominatus autem diuinitatis est. Quia legitur factus ex Virgine, & creatus in carne: omnis enim creatura seruit, dicente Propheta:* Quia vniuersa seruiunt tibi. Augustin. *Epist. 178. fine;* 19. *Augustin.*

Nam subiectionem filij Patri debitam, ex carnis infirmitate susceptam, etiam nos (quia iustum est) verissimè confitemur, in qua cum infirmitate non solùm subditum, sed & seruum euidentissimè confitemur, ipso dicente in Prophetia ad Patrem: O Domine, quia ego seruus tuus; ego seruus tuus, & filius ancillæ tuæ, *id est Mariæ. Patet ergo, in quo sit æqualis Patri Filius, in quo sit non solùm subditus aut inferior, sed etiam humillimus seruus.* Fulgentius *libr. de Fide ad Petr. Diacon. cap. 2. fine: In* 20. *Fulgent.*

illâ, inquit, *plenitudine Deus est, in formâ Dei æqualis Deo. In ista plenitudine seruus in forma serui:* subdit. *Exinaniuit ergo semetipsum, formam serui accepit, vt fieret seruus;* concludit: *Factus secundùm formam serui homo verus, eiusdem naturæ, cuius est ancilla mater; & manens in forma Dei Deus verus, eiusdem naturæ, cuius est etiam Dominus Pater.* Si ergo Dominus Pater, ergo seruus Filius.

Isidor. *lib. 1. de summo bono cap. 14. Christus & in forma serui seruus, & in formâ serui non seruus. In* 21. *Isidor.*

forma quippe serui Domini seruus: in formâ serui hominum Dominus. Christus in forma serui propter conceptionis excellentiam Dominus est omnium. Rupertus *in 3. cap. Zach.* explicans verba illa eiusdem 22. *Rupert. Abb.*

cap. Ecce enim ego adduco seruum meum orientem: ita scribit; *Itaque Iesus ille, quem vel citius speciem, siue imaginem videbat in nocte, stantem coram Angelo Domino, portentum fuit serui Dei, serui, inquam, illius nomine orientis, qui cùm in forma Dei esset; propter nos semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens: vnde & rectè dicitur seruus Domini.* Qui non contentus vocare Christum seruum Domini, sed addit, *Et rectè*: quod idem sonat quod *Aptè*.

Ratio. Seruitus est quædam relatio vnius ad alterum: sed in Christo vt homine sunt omnia requisita ad fundandam hanc relationem seruitutis in 23. *Probatur ratione.*

Deum: igitur est in Christo vt homine relatio seruitutis in Deum, à quâ denominari possit seruus Dei. Maior constat ex Damasceno *cit.* qui relationem seruitutis collocat inter ea, quæ sunt ad alterum, sicut filiationem & paternitatem: nam ex Arist. in Prædic. cap. *Ad aliquid: seruus*, inquit, *domini seruus: & dominus, serui dominus esse dicitur.* Tum ratione; seruitus non est ad se; nemo enim seruus sui est, sed alterius: sicut nemo est sui dominus, sed alterius dominus. Minor prob. Christus vt homo habet essentialem dependentiam à Deo: at hæc est sufficiens fundamentum seruitutis: nam ratione huius essentialis dependentiæ potest Deus disponere de humanitate Christi ad omnem vsum, eique præcipere quicquid ipse voluerit: contrà verò, ratione eiusdem dependentiæ, tenetur eadem humanitas obedire, Deo in omnibus, quæ sibi præceperit: ergo est in eâ vera & propria seruitus in Deum. Confirm. 1. In 24. *Confirm. 1.*

Deo est verum & proprium dominium in Christi humanitatem: ergo è conuerso, in Christi humani-

manitate est vera & propria seruitus ad Deum: nam vero & proprio dominio respondet vera & propria seruitus: alioqui quantum tolleretur de verâ & propriâ seruitute, tantundem demeretur de vero & proprio dominio. Antecedens prob. non minùs Deus disponere potest de humanitate Christi, quàm de quâcumque aliâ re creatâ: ergo si propter huiusmodi disponendi potestatem, habet plenum & perfectum dominium in quamcumque rem creatam, idem dominium habebit in humanitatem Christi.

25. *Confirm. 2.* 2. Hæc relatio seruitutis in Deum, est intrinseca & positiua habitudo creaturæ ad Deum, quæ vt consurgat à nullâ potest superueniente ratione extrinsecâ impediri: ergo nec vnio hypostatica, poterit eam impedire: nam sicut non impedit essentialem dependentiam & subiectionem ipsius in Deum; ita nec intrinsecam & realem seruitutem, quæ proximè fundatur in illâ.

26. *Quæstio tota de nomine.* Controuersia tandem reducitur ad quæstionem de modo loquendi, vt Suarez *citat. loco* fatetur. Nam certum est, vtriusque sententiæ authores in reipsâ conuenire, nempe Christum ratione humanitatis esse à Deo essentialiter dependentem, eique subiectum: ratione cuius dependentiæ & subiectionis potest Deus ad libitum de illâ disponere, eique præcipere & imperare quidquid voluerit: nec non Christum, ratione talis dependentiæ & subiectionis, teneri ad patendum & obediendum Deo in omnibus, quæ sibi præceperit & impetrauerit: contrà verò, ratione personalis vnionis & nexûs cum hypostasi diuinâ, eamdem humanitatem euectam esse ad participandum eundem cultum adorationis, & sedem maiestatis cum Deo. *Superest.* An ratione talis dependentiæ & subiectionis, quam adhuc humanitas cum participatione huiusmodi diuinorum titulorum retinet, in aliquo sensu proprio dici possit serua, & ratione illius Christus denominari seruus?

27. Non videtur in sensu proprio; cùm absolutè hunc modum loquendi Concilium damnet; & si quando in veteri scripturâ reperiatur, non nisi metaphoricè intelligendum esse definiat. Quæ definitio à fortiori etiam cadit in testimonia Patrum, vt illi metaphoricè tantùm intelligendi sint, cùm Christum seruum appellant.

28. Sed nec videtur probabile, Concilium ac Pontificem suâ definitione voluisse tot Patres damnare, vt semper sint impropriè ac tropicè locuti. Adde quòd nunquam soleant Pontifices rem aliquam ad fidem spectantem definire, quæ aduersetur communi sensui Patrum, ex quorum præuiâ consultatione ad definitiones condendas procedere solent. *Confirm.* Confirm. si Pontifex suâ definitione voluisset omnem modum propriæ seruitutis in Christo damnare, à nullo catholico posset opposita, vtpotè contraria definitioni Pontificis, doceri. Vnde decisio tota pendet ex declaratione Concilij.

29. *Explicatur Concilium pro primâ sententia citatum. Prima explicatio.* PRIMA explicatio est, Concilium ac Pontificem obiter tantùm & indirectè, non ex professo & per se de hoc egisse: siquidem principalis scopus ipsius solùm fuit, refutare, quòd Christus non sit filius adoptiuus. Verùm æquè vtrumque in eâ epistol. damnatur, cùm æquale studium ac labor Pontificis sit, varia scripturæ testimonia ac rationes congerere ad vtrumque refutandum.

30. *2. Explicat.* SECVNDA Pontificem Elipandũ damnâsse, quod dixerit, Christum non sponte, & timore filiali, sed coactè, & timore seruili obedisse ac seruisse Deo. Sed contrà; præterquam quòd nullum est ibi de huiusmodi timore seruili indicium, improbabile etiam est, Elipandum sensisse, Christum in hâc parte imperfectiorem fuisse multis iustis viatoribus, ac beatis omnibus, qui Deo seruiunt non timore seruili pœnæ, sed filiali amoris: præsertim cùm Christus nullam pœnam, quæ soli peccato, quod committere non poterat, debita est, timere potuerit.

TERTIA Pontificem non damnasse in Christo seruitutem naturalem fundatam in conditione naturæ, sed pœnalem contractam ex peccato, quam ex primâ significatione importare videtur hoc nomen *seruitus*. Idque colligitur ex verbis Concilij: *Sed & hoc volumus à vobis audire, An Adam primus humani generis pater, qui de terrâ virgine creatus est, liber est conditus siue seruus? Si seruus, quomodo tunc imago Dei? si liber, quare & Christus quoque non ingenuus de virgine?* Certum autem est, Adamum etiam ante peccatum fuisse seruum seruitute fundatâ in conditione naturæ; ergo hanc non negauit Concilium in Christo, sed eam tantùm, quam Adam ex peccato contraxit. 31. *3. Explicat.*

Sed contrà: Concilium & Pontifex negat in Christo omnem seruitutis speciem, ex quâcumque radice ortam, inter quas etiam negat eam, quæ ex peccato contrahitur. Tum quia non est verosimile, hanc seruitutem Elipandum Christo impegisse. Tum demum, quia si solam seruitutem ex peccato contractam Pontifex à Christo exclusisset, non definiuisset, omnia veteris testamenti oracula, in quibus Christus dicitur seruus, intelligenda esse tropicè; nam illa saltem fuissent propria de seruitute fundatâ in conditione naturæ humanæ Christi. 32. *Impugnantur.*

QVARTA Pontificem & Concilium solùm damnare, Christum absolutè appellandum esse seruum, non autem cum addito, *Secundùm humanitatem:* Sed contrà; eo sensu damnat, in quo ab Elipando asserebatur, scilicet solùm secundùm humanitatem, quo asserebat, esse adoptiuum; ex ipsius confessione, quam Vasquez citat *disput.* 89. *cap.* 2. *Per istum*, inquit, *Dei simul & hominis filium, adoptiuum humanitate, & non adoptiuum diuinitate, mundum redemit.* Et Pontifex ipse hanc propositionem etiam vt limitatam, *secundùm humanitatem*, damnat; *Nam Deus*, inquit, *& homo erat, qui secundùm Deum dicebat:* Ego & Pater vnum sumus: *& secundùm hominem:* Pater maior me est: *& tamen non ait: Pater Dominus meus est.* Sentit ergo Pontifex, neque secundùm hominem dixisse Christum: *Pater Dominus meus est:* ac proinde nec secundùm hominem dici posse seruum Patris. 33. *4. Explicat.* *Confutatur.*

QVINTA Pontificem hanc propositionem: *Christus est seruus*, tantùm damnasse in sensu Nestor. nempe quòd sit purus tantùm seruus: ita *Suarez* putans, Elipandum fuisse in eâdem hæresi. 34. *5. Explicat.* *Probabilis.* Hæc explicatio probabilis est, tum propter Elipandi verba; *homo interior in vna eademque Dei, & hominis persona agglomeratus, atque carnis vestimento indutus* &c. Porrò quid est, *Homo in vnâ eâdemque Dei & hominis personâ agglomeratus*, quàm in eâdem personâ Deus & homo accidentaliter tantùm copulati? Tum quia Concilium hunc eundem errorem tribuit Elipando his verbis: *Nónne olim eadem heresis vestra in Nestorio ab vniuersali sancta Ecclesia refutata est etiam & damnata? quapropter fortè illum anathematizare noluistis, dum alios, Bonosum scilicet, Arium, & Sabellium, Manichæumque, qui praua de Dei Filio senserunt, in epistolâ vestrâ anathematizâstis. Nunquid non ideo,* *Non admittitur à Vasquez.*

pergit

pergit Concilium; *quia B. Mariam semper Virginem, non Dei, sed hominis tantummodo credidit esse genitricem?* & infrà ostendit, hanc Elipandi hæresim solo nomine à Nestorianâ differre; *Videtur enim Nestorius dicere Copulationem, quod vos dicitis Adoptionem. Quid est Adoptio, nisi charitatis copulatio, quâ Pater adoptione sibi copulat filium, quem proprium non habet?*

35. *6. Omnium probabilissima explicatio.* SEXTA: eam tantùm in Christo seruitutem voluisse suâ definitione Concilium & Pontificem damnare, quæ ab eodem subiecto excludit participationem eiusdem honoris & excellentiæ cum Deo: cum quâ participatione non stat propria & rigorosa seruitus in Christo; esto cum tali participatione maneat essentialis subiectio & dependentia eiusdem Christi vt hominis à Deo, in quâ fundari possit aliqua lata seruitus.

36. *Hæc mens Concilij.* Quod hæc sit mens Pontificis colligitur ex errore *Elipandi*, qui ideò Christum vt hominem seruum asserebat, quia putabat, illum non naturâ, sed adoptione esse filium Dei: Vnde in modo saltem loquendi negabat Christo vt homini participationem eiusdem dignitatis & excellentiæ cum Deo. Dixi, *In modo saltem loquendi*: quia si reuerà cum Nestorio non sensit, non potuit reipsa talem participationem negare, quæ ad personalem vnionem cum Deo necessariò consequitur, sed tantùm in modo loquendi, dum illum simul adoptiuum pronuntiabat.

37. *Confirm.* Confirm. tota ratio tam Concilij, quàm Pontificis, cur Christus, neque vt homo dicendus sit seruus, est, quia eadem est persona Dei & hominis: quæ *Personæ vnitas*, inquit Concilium, *quæ est in Dei filio, & filio Virginis, adoptionis*, & consequenter etiam seruitutis, *tollit iniuriam. Nam si Deus verus est*, subdit, *qui de Virgine natus est, quomodo tunc potest adoptiuus esse, vel seruus?* Sentit igitur seruitutem, vti adoptionem ab humanitate Christi tolli per personalem vnionem cum Filio Dei, quæ illam euehit ad eandem maiestatis sedem cum Deo.

38. *Quà corpus nequit in eâdem sede conuenire cum domino.* Quod autem participatio in eâdem Maiestatis sede, & honoris excellentia excludat conditionem propriæ seruitutis, patet ex terminis: quia seruus, quà seruus, debet in Maiestatis sede, & honoris excellentiâ esse inferior domino: ideò multi PP. maximè qui contra Nestorium disputabant, abstinuerunt ab hoc nomine, *seruus*: Aliqui verò id expresse negârunt; vt *Damascenus*, & alij antiquiores. Quòd si alij hanc denominationem *serui* in Christo admiserunt; non in proprio, & rigoroso à Concilio damnato: Sed vel quoad solam appellationem, vt *Athanas. Nazian. Cyrillus, Hieronymus, Damascenus*, vel eam denominationem serui admiserunt quæ desumitur non à seruitute ipsâ, sed ab operibus serui, quæ Christus voluntariè pro nobis dignatus est in hâc vitâ exercere, iuxta *Matth.* 20. *Filius hominis non venit ministrare*: ita idem *Cyrillus, Chrysostomus, Rupertus*, imò *Concilium* in hoc sensu docet, fuisse à Prophetis Christum *seruum* appellatum: *Etsi eum*, inquit, *Propheta seruum nominasset, non tamen ex conditione seruitutis, sed ex humilitatis obedientiâ, quâ factus est Patri obediens vsque ad mortem.* Demum alij contra Apollinaristas disputantes admiserunt denominationem serui in Christo, vt in eo integram perfectamque humanitatem, quam ij hæretici negabant, ostenderent, vt *Ambrosius, Augustinus, Fulgentius*, &c.

39. DICES: Vel hoc nomen *seruus* admissum est à Pontifice, & Concilio in aliquâ propriâ significatione, vel non: Si primum; ergo non rectè Concilium & Pontifex vniuersaliter definiunt, denominationem serui esse impropriam & metaphoricam in Christo. Si secundum, vix excusari possunt tot Patres de impropriâ locutione; præsertim contra Hæreticos disputantes, contra quos maximè cauendum est, ne improprijs ac metaphoricis vtamur nominibus, ne ansa illis detur calumniandi mysteria nostræ fidei. Resp. Hanc obiectionem solùm procedere de ijs dumtaxat PP. qui absolutè vsi sunt hoc nomine *seruus* in Christo, non de ijs, qui eo vsi sunt cum addito limitante, vel ad solam appellationem, vel ad denominationem desumptam ex operibus serui: nam per huiusmodi limitationes manifestè declararunt, se tantùm loqui in sensu improprio. De ijs verò, qui absolutè hoc nomine vsi sunt, dico, eo quidem vsos esse in significatione impropriâ, receptâ tamen inter disputantes; quia in eâ significatione, licet impropriâ, quia per hoc meliùs ac faciliùs ostendebant integritatem naturæ humanæ in Christo. 40. *Resp. Nomen seruus maximè fauebat intentio PP.*

Deducitur 1. hunc modum loquendi in sensu à Concilio & Pontifice damnatum, quatenus videlicet à Christo excludit eiusdem sedis, Maiestatis, & honoris excellentiæ participationem cum Deo, esse contra fidem: licet non sit contra fidem, illum absolutè asserere, quia potest habere alium sensum communiter permissum, licet improprium à Concilio non damnatum. 41. *Coroll. 1.*

2. Neque cum addito *Vt hominem*, Christum dici posse propriè seruum: quia etiam vt homo participat in eâdem sede Maiestatis & honoris cum Deo: nam etiam vt homo est filius Dei naturalis; quia licet vt homo formaliter reduplicet humanitatem, non tamen excludit personalitatem, ratione cuius factus est particeps eiusdem honoris & dignitatis cum Deo. 42. *Coroll. 2.*

DICES: Saltem humanitas considerata vt præcisa à personâ Verbi, non participat eandem dignitatem & excellentiam cum Deo: ergo saltem vt sic erit serua. Nego conseq. sicut nec per aduersarios humanitas vt præcisa à Verbo dici potest adoptata; quia licet vt sic præcisa non includat positiuè participationem eiusdem honoris & Maiestatis cum Deo, non tamen includit positiuè negationem eiusdem participationis, quâ negatione formaliter completur ratio seruitutis: Sed præscindit tam à participatione eiusdem honoris & dignitatis cum Deo, quàm à negatione eiusdem participationis, & solùm dicit intrinseca ac physica prædicata humanitatis, quæ si contrahitur ad personalem vnionem cum Deo, fit particeps eiusdem dignitatis cum Deo, si ad negationem personalis vnionis cum eodem Deo, fit formaliter serua. 43. *Dices. Resp. Ratio.*

3. Non per quamlibet participationem bonorum cum domino excludi seruitutem, sed per eam dumtaxat, quæ illos reddit vel in sede Maiestatis, & honoris cultu atque excellentia, vel in alijs titulis ipsius Domini proprijs, æquales: quia non repugnat, esse & manere seruum cum aliquâ participatione bonorum Domini, modò in alijs titulis honoris & excellentiæ maneat inferior Domino. Ita omnes beati communicant cum Deo in gloriâ & beatitudine, cùm tamen etiam in eo statu maneant serui Dei: Nempe seruus maximè discriminatur à domino, per exclusionem ab illis bonis domini, quæ illum efficiunt æqualem in titulis Maiestatis & honoris cum domino. Quo fit, vt Christus quatenus homo non excludatur à conditione seruitutis per hoc formaliter, 44. *Non quauis participatio bonorum domini excludit conditionem seruitutis à seruo.* 45. *Prob. pars 2.*

quòd participet eandem gloriam & beatitudinem cum Deo, vt reliqui beati; sed per hoc, quòd ratione personæ diuinæ participet eosdem titulos, quos Deus habet: nam hic homo dicitur immensus, omnipotens &c. Nec refert, quòd huiusmodi tituli conueniant huic homini tantùm in concreto: quia sufficit, vt eo modo illi conueniant, quo factus est illorum particeps, scilicet inclusâ vnione ad Verbum, & in concreto. Item ratione eiusdem vnionis cum Verbo debita est huic homini eadem adoratio & honor Latriæ, quæ debita est ipsi Deo.

Christus est particeps bonorum Dei, sed non præcisâ vnione hypost. nec in abstracto.

46. DICES. Altiori iure hi tituli conueniunt Christo vt Deo, scilicet per se & essentialiter quàm Christo vt homini, scilicet aut tantùm per communicationem idiomatum & denominatiuè, vt esse immensum, omnipotentem &c. aut secundariò & propter alium, vt esse obiectum seu terminum adorationis, quod Christo vt Deo conuenit immediatè & propter se; vt homini, mediatè, & propter aliud, nempe propter Deitatem: igitur non possunt in hâc bonorum participatione Deus, & hic homo esse æquales; & consequenter à Christo vt homine excludi nequit seruitutis conditio.

47. *Resp.* Nego consequent. Etenim ad excludendam conditionem seruitutis in Christo, necessarium non est, vt eodem modo honoris & Maiestatis tituli conueniant Christo vt Deo, atque vt homini: sed sufficit, si ijdem tituli debeantur Christo secundùm vtramque naturam, licet secundùm diuinam debeantur essentialiter & propter se, secundùm humanam solùm propter coniunctionem cum diuina. Vti non eodem modo titulus regiæ Maiestatis debetur Regi, ac Reginæ: nam Regi per se & vt capiti regni, Reginæ propter Regem, & vt sociæ regiæ Maiestatis. Ergo licet diuerso modo conueniat titulus Maiestatis Christo vt Deo, & Christo vt homini, idem tamen titulus est, qui conuenit Christo Deo & homini. Nam ex quo communicata est huic humanitati substantialiter diuina hypostasis, statim cum illâ communicati sunt ijdem tituli, qui eidem diuinæ hypostasi debiti sunt. Sicut ex quo per coniugalem nexum Rex copulatus est huic fœminæ, statim communicati sunt ei ijdem regij tituli. Etenim si hoc præstat accidentalis copula coniugalis, quantò magis id præstabit substantialis copula personalis, quæ arctiùs hanc humanitatem cum Verbo, quàm matrimonium hanc fœminam cum Rege coniungit?

Solutio argum. sent. 2.

48. *Ad testimonia sacræ Scripturæ.* Ad testimonia veteris Scripturæ non est opus nostra responsione, cùm ad illa expressè respondeat Adrianus Pontifex cum toto Concilio Francofordiensi, nempe illa intelligenda esse tantùm tropicè.

49. AD 1. nouæ, Resp. non dixit Christus: *Confiteor tibi Domine Pater*: sed, *Domine cœli & terræ*: cùm illum retulit ad se, *Patrem* vocauit; vocauit *Dominum*, cùm illum retulit ad reliquas creaturas, *Ita*, inquit, *Pater, quoniam sic fuit placitum ante te.* Vnde Hieronym. *Audiant*, inquit, *qui Saluatorem non natum, sed creatum calumniantur, quòd Patrem suum vocet cœli & terræ Dominum. Si enim & ipse creatura est, & creatura Conditorem suum Patrem appellare potest; stultum fuit, non & sui & cœli ac terræ Dominum, vel Patrem similiter appellare.* Sentit igitur Hieronym. cùm Christus Deum cœli & terræ Dominum appellauit, seipsum non comprehendisse, quia non simul appellauit *Dominum suum*, sicut appellauit *Cœli & terræ Dominum.*

50. *Ad argum.* AD argument. ex *cit. testim.* deductum, distinguo minor. sub nomine cœli & terræ comprehenditur Christus vt homo, sub ratione creaturæ, concedo; sub ratione serui, nego. Non enim est necesse, sub eodem titulo & iure comprehẽdi omnia, sed vnumquodque iuxta modum suæ naturæ. Sicut nec bestiæ, ac reliquæ creaturæ ab intellectuali distinctæ, comprehenduntur sub nomine serui, quia relatio seruitutis non reperitur, nisi in sola natura intellectuali creata.

ex citatò testimonio script. deductas.

AD 2. nego, quòd idem sit formaliter, esse Deum; & esse dominum: nam dominus formaliter exprimit relationem dominij, quam formaliter non exprimit Deus. Vnde rectè dicimus, filius est de Deo, Spiritus Sanctus procedit de Deo: haud tamen dicere possumus, filius, aut Spiritus Sanctus est de Domino. Vnde concedit hanc propositionem *Hilarius lib. 11. de Trinit. colum. 5. fine: Deus & Pater natiuitatis est vnigeniti Dei:* negat tamen, eundem dici posse, Dominum Vnigeniti Dei: quia domino respondet seruus; non Deo. Quin ex verbis Christi colligitur, aliter esse Deum Christi, aliter Deum nostri; nam vt *in hunc locum tract. 121. in Ioan.* notat August. non dixit Christus, *Deum nostrum, sed Deum meum, & Deum vestrum*, indicans, aliter esse Deum suum, ac Deum nostrum: nam Christi ita est Deus, vt non sit simul dominus; nostri ita est Deus, vt sit etiam Dominus. 51. *Ad 2.*

Non me latet, aliter hunc locum interpretari *Hilar. citat. lib. 11. de Trinitate*, vt velit, æquè dictum esse à Christo, secundùm quod erat homo, Deum, & Dominum suum, ac Deum & Dominum nostri: *Pater igitur sibi, ita vt hominibus Pater est: & Deus sibi, vt seruis Deus est. Et cùm hæc ad homines seruos homo in serui forma Iesus Christus loquatur, non ambigitur, quin Pater sibi vt cæteris sit ex ea parte, qua homo est: & Deus sibi, vt cunctis sit, ex ea natura, quâ seruus est.* Verùm sicut non potest ab aduersarijs *Hilarius* admitti, quòd Christus vt homo dixerit, Deum æquè esse Patrem suum, ac nostrum; alioqui sicut est Pater noster per adoptionem, ita esset Pater Christi vt hominis per adoptionem, quod, vt *sequenti disputat.* damnatum est in *Concilio Francofordiensi*, ita neque admitti debet, quòd idem Christus vt homo dixerit, Deum, æquè esse Deum ac Dominum suum, ac est Deus ac Dominus noster. 52.

Vnde falsum est, Deum formaliter & explicitè importare principium creationis: alioqui non posset cum *Hilario* dici, *Deus & Pater est natiuitatis Vnigeniti Dei*: neque cum reliquis PP. filius, vel Spiritus Sanctus procedit de Deo: alioqui idem esset, procedere de Deo, ac de Domino. 2. esto Deus in suo conceptu explicito importet principium creationis, adhuc nego, idem esse principium creationis, & Dominum; licet relatio dominij in Deo fundetur in principio creationis: quia ad relationem dominij, præter principium creationis, requiritur negatio participationis eiusdem tituli honoris & Maiestatis cum eo, cuius dicitur dominus: Sicut ad relationem seruitutis, præter dependentiam creationis, requiritur negatio participationis tituli eiusdem Maiestatis & honoris cum eo, cuius seruus dicitur. 53. *Deus formaliter non importat principium creationis.* *Ratio.*

AD 3. concedo, sub illis verbis, *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, comprehendi Christum vt hominem quoad substantiam præcepti adorandi Deum; non comprehenditur quoad modum adorandi illum, vt seruus Dominum: Velut si paterfamilias præciperet omnibus, qui in domo eius sunt, vt omnes ipsum agnoscerent vt superiorem, eique obedirent: omnes sub hoc præce- 54. *Ad 3.*

præcepto comprehenderentur, eique obedire tenerentur, singuli tamen iuxta modum suæ subiectionis, quam haberent ad Patremfamilias; seruus agnosceret illum vt dominum, eique obedire teneretur vt domino; filius vt parentem, eique vt parenti parere teneretur; vxor vt maritum, eique vt marito obedire: Ita sub hoc præcepto, quo Deus omnibus præcepit, vt ipsum adorarent & agnoscerent vt Deum ac Dominum, comprehenduntur omnes creaturæ intellectuales, sed singulæ iuxta proprium modum subiectionis, quam habent ad Deum: nam reliquæ omnes creaturæ intellectuales Deum agnoscunt & adorant vt Dominum, Christus vt Patrem.

55. Ad 4. Ad 4. negat. consequent. Etenim ex verbis Pauli tantùm sequitur, *Christum esse Dei*: non est autem necesse, vt eodem modo Christus sit Dei, sicut nos sumus Christi: vti nec est necesse, vt eodem modo nos simus Christi, sicut cætera sunt nostra: nam nos sumus Christi, vt creaturæ creatoris, serui domini, & captiui Redemptoris, quo pacto non sunt cætera nostra.

56. Ad 5. Ad 5. negat. consequent. nam licet Christus acceperit formam serui, seu naturam seruam, non tamen illam post assumptionem retinet cum conditione seruitutis, quæ extincta est per assumptionem ad propriam personam. Sicut Rex dicitur accepisse seruam in coniugem, quæ fuit, vel debebat esse serua, non tamen post coniugium retinere illam vt seruam; eo quòd conditio seruitutis sublata sit per copulam matrimonialem. Pari modo dicitur Christus serui formam accepisse, quia accepit naturam, quæ ex propria conditione debebat esse serua, eius tamen seruitus extincta est per assumptionem ad personam diuinam: vnde manet natura absque conditione seruitutis. Ad Patres resp. *suprà*.

57. Ad rationẽ. Ad rationem, & probationem, negatur minor: non enim ad relationem seruitutis sufficit physica ac positiua tantùm dependentia, & subiectio creaturæ ad Deum, sed requiritur præterea negatio participationis in eisdem bonis & titulis cum Deo, quam negationem cùm non habeat Christus vt homo, non potest neque vt homo seruus propriè nuncupari. Sicut, ad relationem adoptiui non sufficit positiua forma adoptionis, sed requiritur præterea negatio naturalis filiationis in eodem subiecto, quam quia non habet Christus, etiam vt homo, nequit etiam vt homo adoptiuus appellari.

58. Ad 1. Confirm. Resp. 1. Ad 1. Confirm. nego conseq. nam Deus est verus & proprius Dominus omnium creaturarum, cùm tamen non omnes creaturæ sint veræ & propriæ seruæ Dei: nam præter intellectuales, reliquæ non dicuntur seruæ; quia relatio seruitutis pro fundamento essentialiter requirit naturam intellectualem. Quo fit, vt non semper relationi dominij respondeat relatio seruitutis. Quia tamen humanitas Christi est creatura intellectualis, ideo.

59. Resp. 2. 2. distinguo anteced. si per verum & proprium dominium intelligatur plena & perfecta potestas disponendi de humanitate ad omnem vsum, ad quem Deus voluerit; nec non suprema authoritas præcipiendi illi, quicquid Deo placuerit, concedo, iuxta hunc sensum esse in Deo verum & proprium dominium in Christi humanitatem, cui ex parte humanitatis respondet propria & perfecta subiectio. Si verò per proprium dominium intelligatur, vt in illam ius habeat tanquam in veram & propriam seruam, nego, in hoc sensu, in Deo esse verum & proprium dominium in Christi humanitatem: nam ex quo habet illam sibi hypostaticè coniunctam, non potest illam respicere vt seruam. Sicut ex quo habet illam personaliter sibi vnitam, non potest respicere illam vt adoptiuam: & consequenter nec Deus dici potest verè & propriè adoptiuus pater illius. Cæterùm etiamsi Deus auferret à Christi humanitate omnia dona supernaturalia, retentâ tantùm vnione hypostaticâ, adhuc non posset illam respicere ac tractare vt seruam: cùm non possit facere Deus, vt stante tali vnione, non sint huic humanitati debiti ijdem honoris & excellentiæ tituli, qui debentur personæ Verbi. Sicut licet in humanis Pater exhæredaret filium, non tamen posset illum facere proprium seruum. *Perseuerante vnione hypost. hæc humanitas nequit non esse libera à conditione serui.*

60. *Quid de modo loquendi.* An autem simpliciter dicendum sit; Deum habere verum ac proprium dominium in humanitatem Christi, seu in Christum vt hominem, quæstio est de modo loquendi, in quo tamen, ne simpliciter negando, Deum habere verum & proprium dominium, negare videamur, etiam physicum dominium & potestatem in illam, cautè vtendum censeo prædictâ distinctione. Quanquam iuxta Concilij definitionem, sicut potest simpliciter negari, quòd Deus sit Dominus Christi, etiam vt hominis: ita & quòd in illum proprium habeat dominium, cùm idem sit, esse Dominum alicuius rei, & habere dominium in illam.

61. Ad 2. Ad 2. nego, relationem seruitutis, integrè & completè consistere in solâ beatitudine positiuâ creaturæ ad Deum, sed requirere præterea, vt essentiale complementum, negationem participationis in eisdem bonis & titulis cum Deo. Sicut relatio adoptionis non consistit in solâ formâ positiuâ, sed requirit præterea, vt essentiale complementum, sine quo non potest denominare subiectum adoptiuum, negationem naturalis filiationis.

DISPVTATIO XXIX.

De Filiatione Christi quà homo est.

SECTIO I.

An Christus in quantum homò sit filius adoptiuus Dei.

1. *Status controu.* Christus in quantum Deus, iure generationis æternæ est filius naturalis Dei, cui repugnat adoptio, quæ requirit personam extraneam ab adoptante, fundaturque in solâ gratiâ adoptantis, nullumque ante adoptionem supponit in adoptando ius ad bona adoptantis; ideò Christus absolutè pronuntiatus non est filius adoptiuus Dei; quia includit suppositum diuinum, ratione cuius est naturalis filius Dei, habetque naturale ius ad bona æterna Patris. Controuersia est, an Christus, in quantum homo, sit filius adoptiuus Dei.

2. *1. Sentent.* Prima Sentent. affirmat: *Durandi in 3. distinct. 4. quæst. 1. Bassoli distinct. 10. §. Videtur, Rubionis quæstion. 2. articul. 2. Palatij distinct. 4. disputat. 1.* quam etiam vt probabilem defendit *Richardus distinct. 10. articul. 2. quæstion. 1.* Probat. 1. Christus in quantum homo reduplicat humanitatem: at ratione humanitatis Christus non est filius Dei naturalis; sed extraneæ naturæ à Deo: filius autem

autem naturalis habet eandem naturam cum Patre. 2. Quod conuenit humanitati, conuenit etiam Christo vt homini: quia cui conuenit natura, conuenit proprietas naturæ; at humanitati conuenit adoptio, vt proprietas: humanitas enim est adoptata ad filiationem naturalem Dei, per gratiam hypost. vnionis, non per naturalem generationem: ergo adoptio conuenit Christo vt homini. 3. Humanitas Christi priùs natura fuit producta cum gratiâ habituali, quàm fuerit vnita Verbo: ergo priùs natura fuit per gratiam accidentalem adoptata ad gloriam, quàm fuerit substantialiter vnita Deo. Anteced. prob. priùs natura fuit disposita per gratiam habitualem, nam hæc est omnium proportionata dispositio ad filiationem naturalem. 4. Non magis repugnat Christo, esse filium adoptiuum, quàm esse creaturam, & subiectum Deo: sed non repugnat de Christo vt homine affirmari, esse creaturam & subiectum Deo: ergo nec repugnabit de eodem affirmari, quòd sit filius adoptiuus Dei. 5. Christus prædestinatus est filius Dei. *Rom.* 1. ergo est filius adoptiuus Dei: quia prædestinatio, est ordinatio ad gloriam: sed vi prædestinationis prædestinatus non manet intrinsecè, sed solùm extrinsecè ordinatus ad gloriam, quia prædestinatio non est actus prædestinati, sed prædestinantis: igitur Christus vi prædestinationis est filius adoptiuus, quia vi prædestinationis non nisi extrinseco affectu prædestinantis ordinatur ad gloriam. 6. Repugnat, esse formam in subiecto, & non conferre illi suum effectum formalem: sed gratia habitualis essentialiter est adoptio; ergo repugnat, esse in subiecto, & non conferre illi effectum formalem adoptionis.

3. *Prob.* 2. 4. *Prob.* 3. 5. *Prob.* 4. 6. *Prob.* 5. 7. *Prob.* 6.

8. *2. Sentent.* Secunda affirmat, saltem humanitatem esse adoptatam, idque potissimùm ob 2. & 3. argum. *Gabr. in 3. distinct.* 10. *quæst. vnic. art.* 2. *post conclus.* 3. *Maior. qu. vnic. concl.* 3. etsi isti authores non concedant, humanitatem esse filiam adoptiuam, quia hoc est proprium suppositi, non naturæ. Confirm. ex *Hilario 2. de Trinit. post medium*, qui docet, Christi carnem fuisse adoptatam: quod etiam docent alij PP.

9. *3. Sentent.* Tertia omninò negat, Christum, aut eius humanitatem fuisse adoptatam: *Magist. in 3. distinct.* 10. *cap.* 4. *& 5. Alens. 3. part. quæst.* 8. *memb.* 3. *articul.* 4. *ad argum. & quæst.* 10. *memb.* 4. *S. Thom. 3. p. quæst.* 23. *artic.* 4. *& 4. cont. gent. cap.* 4. *& in 3. distinct.* 10. *q.* 2. *art.* 2. *ad 3. quæst. Albert. art.* 3. *Bonauen. artic.* 2. *qu.* 1. *Scoti qu. vnic. Lyche. ibid. Argent. artic.* 3. *Caiet. Ferrar. Medin. cit. Asturicens. relect. de Christi grat. qu.* 1. *diffic. vlt. concl.* 3. *& 4. Suarez 3. part. disp.* 49. *sect.* 2. *Vasquez disp.* 89. *à cap.* 6. *Valent. disp.* 1. *quæst.* 23. *punct.* 1. & reliquorum Recent.

10. Dico 1. Christus neque cum reduplicatione, quà homo, est adoptiuus, sed naturalis filius Dei. Hæc veritas definita est contra *Felicem Episcop. Vrgelitanum & Elipandum Archiepiscopum Toletanum in Concilio Francofordiensi anno 794. tempore Adriani I.* qui definitionem approbauit, vt constat ex eius *Epistola ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ*, quæ habetur in eodem Concilio, vnà cum libello Sacrosyllabo, in quo hic error damnatur, & cum duabus Epistol. vnâ Concilij, alterâ Caroli Magni Francorum Regis, qui in eo Concilio fuit, missis ad Hispaniæ Præsules: omnia *in 3. tom. Conciliorum par. 1. posteriori sect.* Eandem veritatem ex varijs scripturæ & PP. testimonijs deducit in *cit. Epistol.* Pontifex, ad Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ex quo infert Christum, etiam vt hominem, esse proprium & naturalem filium Dei: si quidem vt homo pro nobis traditus est: sed idem ipse, qui pro nobis traditus est, appellatur ab Apostolo filius Dei: ergo Christus vt homo est filius Dei. Ex Patribus Hilarius 3. *de Trinit. ante medium*, in illa *Ioan.* 17. Pater clarifica filium tuum, ita scribit: *Non solum nomine contestatus est, esse se filium, sed & proprietate, quâ dicitur* tuum. *Multi enim nos filij Dei, sed non talis hic filius est. Hic enim & verus & proprius est filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; natiuitate, non creatione.* Hieronymus in 1. *cap. ad Ephes. tom.* 6. super illa, *In charitate prædestinauit nos*, de Christo; *Et ille quidem naturâ*, inquit, *filius est, nos verò adoptione. Ille nunquam filius non fuit, nos antequam essemus, prædestinati sumus, & tunc spiritum adoptionis accepimus, quando credidimus in filium Dei.* Augustinus *tract.* 82. *in Ioan. fine, Nos*, inquit, *filij gratiâ, non naturâ: Vnigenitus autem naturâ, non gratiâ*, subdit, *An hoc etiam in ipso filio ad hominem referendum est?* respondet: *Ita sane: nam dicendo, sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos, gratiam Mediatoris ostendit. Mediator autem Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est Christus Iesus.* Gregorius *lib.* 1. *Moral. cap.* 19. de Christo, *Omnes*, inquit, *qui in fide Deo nascuntur, superat, quia non vt cæteros adoptio, sed natura illum diuinitatis exaltat.*

11. *Ex Script.* 12. *Ex Patrib.* 13. 14. 15.

16. *Ratio fundamentalis vnica à Concilio assignata. Definitio Adoptionis.* Ratio assignatur in *citat. lib. sacrosyllabo*: Adoptiuus dicitur, qui extraneus est ab adoptante, à quo gratis, non iure & ex debito ad hæreditatem admittitur. Porrò Christus neque vt homo extraneus est à Deo: igitur neque vt homo est adoptiuus, sed naturalis filius Dei. Maior est ipsa adoptionis definitio, quam tradunt leges digestor. *De Adoptionibus*, & institut. *De Adoptionibus.* Minor constat; Christus vt homo, est ipsa persona Verbi in naturâ humanâ subsistens, siquidem vt homo non dicit solam humanitatem, sed includit etiam suppositum, quo subsistit. Consequentia probatur, implicat, vt simul quis sit naturalis, & adoptiuus filius: nam vt naturalis non debet esse persona extranea à Patre; vt adoptiuus debet esse extranea ab adoptante: vt naturalis debet ex se habere ius ad hæreditatem Patris: vt adoptiuus non debet ex se habere ius ad hæreditatem adoptantis. Et licet sit extraneus à Deo Christus secundùm humanitatem præcisè sumptam, non tamen vt substantialiter subsistentem in personâ Verbi, quo pacto tantùm est naturalis filius Dei.

17. *Assertio 2. Fundam.* Dico 2. Neque humanitas Christi dici potest adoptata. Fundamentum: adoptio non vnit intrinsecè, & substantialiter, sed tantùm extrinsecè & accidentaliter adoptatum cum adoptante: humanitas autem Christi intrinsecè & substantialiter vnitur cum personâ Verbi, constituendo vnum substantiale cum illo: ergo nequit propriè dici adoptata. Maior constat ex naturâ adoptionis, quæ vt *citat. Sacrosyllabus* docet. *Ex affectione ducit vocabuli sui originem: nam ex affectu dilectionis pars subrepit parti, vt in vtraque conueniat dilectionis affectus. Habet namque ex vtraque parte*, Vtinam, *aduerbium eleganter insitum, vt si dicas*, pergit Concilium, *Vtinam sis mihi in filium adoptiuum: & econtrà, vtinam merear à te in filium adoptari.* Est igitur, de ratione adoptionis, vt non modò illa terminetur ad personam extraneam, sed vt etiam post adoptionem maneat extranea adoptanti, solo affectu, & accidentaliter illi coniuncta. Vnde si quis posset substantialiter communicare proprium suppositum alienæ naturæ,

Adoptionis definitio ex Concilio.

naturæ, non diceretur, vi talis communicationis, alienam naturam sibi adoptare, sed potiùs illam suam facere. Sicut non dicitur corpus adoptare sibi materiam cibi, quam sibi substantialiter vnit, vel anima rationalis adoptare sibi corpus, sed potiùs, illud sibi substantialiter vniendo, facere suum.

18. *Dices.* *Contrà.* Nec dici potest Christi humanitas adoptata saltem ratione gratiæ & gloriæ, ratione cuius tantùm extrinsecè & accidentaliter vnitur Deo: nam ad hæc ipsa dona Christi humanitas ordinatur vt ad proprietates iure hypostaticæ vnionis sibi debitas. Nemo autem adoptari potest ad id, quod sibi naturali iure debetur: quia quod nobis naturali iure debetur, est nostrum: nemo autem adoptatur ad id, quod suum est. Maior probat. humanitas Christi priùs naturâ fuit vnita personaliter Verbo, quàm gratiæ & gloriæ; ergo priùs naturâ ratione personalis vnionis cum Verbo acquisiuit naturale ius ad gratiam & gloriam, quàm illas in se reciperet. Antecedens probatur, priùs naturâ humanitas postulabat compleri substantialiter, quàm accidentaliter; igitur priùs naturâ vnita est substantialiter personæ Verbi, quàm gratiæ & gloriæ: nam Deus compleuit illam supernaturaliter eo ordine, quo eandem compleuisset naturaliter: nam etiam in operibus supernaturalibus, quoad fieri potest, Deus seruat connaturales leges naturæ, solumque dispensat in ijs, quarum dispensationem per se postulat opus supernaturale.

19. *Coroll. 1.* Infertur 1. Verbum non solùm vt subsistens in naturâ diuinâ & ratione generationis æternæ, sed etiam vt subsistens in humanâ & ratione generationis temporalis habere intrinsecum & naturale ius ad gloriam: nam vt subsistens in vtraque natura, & ratione vtriusque generationis est naturalis filius Dei.

20. *Coroll. 2.* 2. Ius, quod ratione generationis æternæ, & naturæ diuinæ Verbum habet ad gloriam esse infinitum & illimitatum: ius, quod habet ratione generationis temporalis, & naturæ humanæ, esse finitum & limitatum. *Ratio.* Ratio: hoc ius, quod filius Dei ratione vtriusque naturæ ad gloriam habet, immediatè capitur per naturas, in quibus subsistit, quia capitur & possidetur intellectu & voluntate, quæ sunt proprietates naturæ: sed natura diuina est capax infinitæ illimitatæque gloriæ; humana finitæ ac limitatæ; ergo. Cæterùm si hoc ius ad gloriam in Christo consideretur non ex parte naturæ, illud proximè & immediatè capientis per actus intellectûs & voluntatis, sed ex parte personæ ius conferentis, est æquè infinitum & illimitatum; quia vt sic fundatur in hypostasi diuinâ, quæ respectu vtriusque naturæ est infinitæ ac illimitatæ perfectionis ac dignitatis, ac proinde infinitum ac illimitatum ius habet ad gloriam Dei. Quòd autem de facto non conferat naturæ humanæ infinitum ius ad gloriam, est ex defectu capacitatis naturæ, quæ infinitæ gloriæ capax non est: vnde eo modo, quo illa capax est infinitæ gloriæ syncategorematicè, tribuit illi ius ad gloriam syncategorematicè infinitam. *Ratio.* Ratio: communicando se naturæ humanæ formaliter, communicat illi totum ius, quod habet ad gloriam. Est autem notandum discrimen, quòd hoc ius ad gloriam per se primò conuenit naturæ diuinæ, eâque mediante personæ Verbi: contrà verò respectu naturæ humanæ, per se primò hoc ius conuenit personæ Verbi, eâque mediante naturæ assumptæ.

21. *Censura contra sententiarum.* Quoad censuram oppositarum Sententiarum, *Vasquez citat. disputat. cap. 6.* absolutè pronuntiat illas vt hæreticas, eo quòd sint contra expressam definitionem Concilij Francofordiensis, quæ est, Christum vt hominem non esse filium Dei adoptiuum, sed naturalem. *Medina 3. parte quæst. 24. articul. 1. §. De proposita, conclus. 3. Suarez disputat. 49. section. 3. dicto 3. & 6.* censent hanc propositionem, *Christus in quantum homo est filius adoptiuus*, si taxatiua *In quantum* reduplicet tantùm naturam, non suppositum, ad summum esse falsam & improbabilem: Asturicensis *relect. de Gratia Christi quæst. 1. difficult. vltim. conclus. 4.* putat esse temerariam & periculosam.

22. *Assertio 3.* Dico 3. Hæc propositio: *Humanitas Christi est adoptata*, non est contra fidem, sed falsa & improbabilis: quia eius oppositum nullibi est definitum: nec est contra fidem asserere, vel quòd priùs naturâ humanitas habuerit gratiam habitualem, per quam priùs etiam naturâ fuerit adoptata ad gloriam, quàm fuerit hypostaticè vnita Verbo: vel quòd ipsa euectio humanitatis ad vnionem hypostaticam cum Deo fuerit adoptio cùm sit gratia facta naturæ extraneæ: vel quòd sit contra rationem adoptionis, vt adoptatus substantialiter vniatur cum adoptante.

23. *4. Assertio.* Dico 4. Hæc propositio: *Christus in quantum homo est filius adoptiuus*: etiam præsciudendo à definitione Concilij, est ad minimum periculosa, etiamsi particula *In quantum* reduplicet humanitatem. Ratio: facilè declinare potest in errorem *Nestorij*, admittentis in Christo duo supposita, vnum creatum, alterum increatum. *Error Nestorij.* Etenim dicendo, *In quantum homo est filius adoptiuus*, ex modo ipso loquendi intelligi potest, quòd sit filius adoptiuus secundùm suppositum creatum, quod etiam secundùm appositam reduplicatiuam consignificat *Homo*. An autem secundùm hanc reduplicatiuam formaliter, sit hæc propositio damnata à Concilio Francofordiensi, affirmant aliqui; negant alij: quibus magis assentior: cùm scopus & finis Concilij sit, tantùm definire, quòd eadem hypostasis filij Dei sit in naturâ humanâ, ac in diuinâ: ita enim concludit: *Et verum Deum, verumq́, Dei filium confiteamur in vtrâque naturâ, diuina scilicet & humana.* Quod si quando apud idem Concilium reperiatur hæc: *Christus etiam secundùm humanitatem est filius Dei naturalis*, intelligenda est in eodem sensu specificatiuo, in quo sensu negabatur ab hæreticis.

24. *Ad rationes 1. Sentent.* Ad 1. primæ; falsum est, Christum in quantum hominem reduplicare solam humanitatem: quia cùm reduplicet humanitatem subsistentem simul cum humanitate consignificat suppositum, in quo natura subsistit. *Reduplicationis vis examinatur.* Ad minor. concedo, Christum non esse naturalem filium Dei ratione humanitatis: nego, ratione humanitatis esse filium adoptiuum, quia esse filium Dei adoptiuum, non est prædicatum per se consequens humanitatem, cùm etiam in puro homine possit esse absque adoptione Dei. Ad probat. consequent. Christus non ratione humanitatis, sed ratione naturalis filiationis Dei est ad gloriam, vt ad hæreditatem ordinatus. Nam licet Christus etiam secundùm naturam humanam sit ordinatus ad gloriam, vt ad hæreditatem, non est tamen huius ordinationis per se & formalis causa humanitas, sed persona Verbi in humanitate subsistens: sola autem humanitas est subiectum huius ordinationis. Vnde nego, ratione humanitatis Christum necessariò debere esse, vel filium naturalem, vel adoptiuum Dei; quia cùm

hæc non opponantur per modum affirmationis & negationis, non necessariò si humanitati non competit vnum, necessariò ei competet alterum; nam potest ab vtroque præscindere, cùm vtrumque illi competat per formam positiuam, licet esse filium adoptiuum, præter formam positiuam, includat negationem filiationis naturalis in eodem subiecto.

25. *Ad 2.* Ad 2. neg. minor. Ad probat. patet ex *assert.* 2. non enim quæuis gratia est adoptiua, sed quæ tantùm affectu & accidentaliter coniungit adoptatum cum adoptante.

26. *Ad 3.* Ad 3. neg. anteced. vt ex eâdem assertione 2. constat. Ad probat. nego, vllam dispositionem, siue physicam, siue moralem præcessisse vnionem hypostat. in humanitate Christi, vt *disp.* 12.

27. *Ad 4.* Ad 4. neg. maior. nam ratio creationis, & subiectionis ad Deum per se sequitur ad humanitatem: scilicet quâ ratione humanitas est creatura, creatione est creatura, ac proinde titulo eiusdem creationis est subiecta Deo. Ratio verò adoptionis non per se sequitur ad humanitatem, cùm possit esse humanitas non adoptata Deo.

28. *Ad 5. Prædestinatio altera actiua in prædestinante, altera passiua in prædestinato.* Ad 5. neg. consequent. Ad probat. Concedo, Christum vt hominem vi prædestinationis actiuæ, extrinsecè tantùm manere ordinatum ad gloriam: nego, extrinsecè tantùm, & solo affectu & accidentaliter, sed intrinsecè & substantialiter manere ad gloriam ordinatum, vi prædestinationis passiuæ, quæ est ipsa substantialis ac personalis vnio humanitatis cum Verbo, ratione cuius ordinatur ad gloriam, vt naturalis filius Dei ad propriam hæreditatem. Nec potest Christus vt homo, ratione prædestinationis actiuæ, denominari filius adoptiuus; quia hæc denominatio includit vt complementum sui negationem filiationis naturalis. Sicut nequit filius naturalis creatus ex affectu, quo parens naturalis generat illum similem sibi, denominari adoptiuus, ob eandem rationem; quia nimirum adoptiuus includit negationem filij naturalis.

29. *Ad 6. Gratia est adoptio respectu subiecti extranei.* Ad 6. resp. quia Christus vt homo non est suppositum extraneum à Deo, non potest in ipso gratia habitualis habere formalem effectum adoptionis. Quo fit, vt filius adoptiuus non solùm includat negationem filij naturalis, sed cuiuscumque suppositi non extranei adoptanti.

30. *Ad argum. secunda.* Ad argum. secundæ, patet ex dictis in 2. assert. Ad Hilarium respondet *S. Thom.* 3. *parte quæst.* 23. *articul.* 4. *ad* 1. & reliqui, illum impropriè fuisse locutum, & carnem adoptatam accepisse pro vnitâ hypostaticè Deo. *Vasquez cit. disp. cap. vlt.* contendit pro *Adoptatur*, legendum esse, *Adoratur*.

SECTIO II.

An Christus vt homo sit filius naturalis solius æterni Patris, an totius Trinitatis?

31. *1. Sentent.* PRIMA Sentent. affirmat, esse filium totius Trinitatis: *Suarez* 3. *p. tom.* 1. *disp.* 49. *sect.* 2. *Vasquez disp.* 89. *cap.* 14. qui docent, in Christo esse tres filiationes naturales; vnam ad Patrem, ratione generationis æternæ; alteram ad matrem, ratione generationis temporalis; postremam ad totam augustissimam Trinitatem, ratione vnionis hypost. & quidem primas duas fundari in proprijs generationibus, quæ est *origo viuentis à viuente à principio coniuncto in similitudinem naturæ*, nam ratione primæ accipit eandem numero naturam per principium coniunctum à Patre: ratione secundæ eandem specie naturam per principium coniunctum à matre: tertiam verò fundari in gratia vnionis hypostat. ratione cuius hic homo Christus sanctificatus Deitate, sibi substantialiter vnitâ, constituitur naturalis filius Dei, & hæres vitæ æternæ, fundatque respectum ad totam Trinitatem.

32. *Prob. 1.* Prob. 1. Filiatio, quam Christus vt homo habet ad Deum, fundatur in vnione hypostat. sed hæc procedit effectiuè à totâ Trinitate: ergo filiatio, quam Christus vt homo ad Deum habet, est ad totam Trinitatem. Maior constat, quia Christus vt homo non dicitur naturalis filius Dei ratione generationis æternæ, ratione cuius non generatur vt homo, sed vt Deus; sed ratione vnionis hypost. ratione cuius generatur vt homo Deitate sanctificatus, & filius naturalis Dei secundùm humanitatem. Conseq. probat. ad illum terminatur respectus, à quo procedit fundamentum, ex quo resultat respectus: sed vnio hypostatica, quæ est fundamentum huius filiationis, procedit à totâ Trinitate: ergo respectus, quæ est naturalis filiatio Christi vt hominis ex eâ resultans terminatur ad totam Trinitatem.

33. *Prob. 2.* 2. Si incarnaretur Pater, aut Spiritus S. tam Pater, quàm Spiritus S. vt homo esset naturalis filius Dei, non minùs quàm de facto sit naturalis filius Dei Christus vt homo: at non posset eo casu Pater, & Spiritus Sanctus esse filius naturalis, nisi totius Trinitatis: quia cùm nec Pater, nec Spiritus Sanctus sit filius ratione generationis æternæ, si eo casu esset filius naturalis Dei, non posset esse nisi totius Trinitatis. Sequela probat. si Pater, aut Spiritus Sanctus incarnaretur, vterque vt homo haberet naturale ius ad hæreditatem Dei, non minùs, quàm ad illam de facto habet Christus vt homo: igitur esset naturalis filius Dei: nam ius naturale ad hæreditatem essentialiter fundatur in iure naturalis filiationis.

34. *Confirm.* Confirm. Pater, vel Spiritus S. tali euentu non esset, quâ homo filius adoptiuus; nam eadem ratio, quæ demonstrat, de facto Christum vt hominem non esse filium adoptiuum Dei, simul demonstrat de reliquis diuinis personis, si incarnarentur: non enim est præcisè, quia est filius naturalis Dei; sed quia non est persona extranea à Deo: at neque reliquæ diuinæ personæ sunt extraneæ à Deo: ergo nec essent filij adoptiui, sed naturales Dei, non ratione generationis æternæ, sed ratione vnionis hypostat. per quam in tempore generarentur homines.

35. *Prob. 3.* 3. Non posset Pater quâ homo eo casu esse Pater æterni Verbi, denominatione deriuatâ ab ipsâ paternitate; quia Pater vt homo non esset principium æternæ generationis Verbi: ergo neque Christus vt homo dici potest filius naturalis solius æterni Patris, denominatione desumptâ ab ipsâ filiatione Verbi.

36. 4. Filiatio æterna Verbi non informat humanitatem; ergo non potest illam ad Patrem referre; ergo nec potest illam denominare æterni Patris filium. *Confirm.* Confirmat. sicut Christus vt homo non denominatur ab ipsâ Deitate Deus; ita nec vt homo denominabitur ab æternâ filiatione filius: alioqui solâ extrinsecâ denominatione diceretur filius, non secus ac columna dicitur dextra vel sinistra ab extrinsecâ denominatione animalis.

37. *2. Sentent. longè probabilior.* SECVNDA Sentent. docet, Christum vt hominem esse filium naturalem solius æterni Patris: *Alens.* 3. *part. quæst.* 8. *memb.* 3. *artic.* 4. *S. Tho.* 3. *parte quæst.* 32. *articul.* 3. *fine corp. Caietan. Medin. ibid. & in* 3. *distinct.* 4. *quæst.* 1. *artic.* 2. *Albert. ibid. artic.* 4. *Bonauent. art.* 1. *quæst.* 3. *Richard. art.* 1. *quæst.* 2. *Argent. quæst. vnic. art.* 4. *Capreol. qu. vnic. art.* 1. *conclus.* 3.

Maior.

Maior. quæst. 4. Gabr. quæst. vn. articul. 3. dub. 2. Bacho. in 3. dist. 8. qu. vn. articul. 2. §. 3. Grana. 1. p. tom. 3. tract. 1. disp. 5. sect. 5. fine, Ioan. de Lugo de mysterio Incarn. disputat. 31. sect. 3. &c. Recentiorum.

38. *Prob. 1.* Hæc longè probabilior est. Probatur 1. authoritate Patrum, qui non nisi duas in Christo agnoscunt filiationes, alteram ad Patrem, fundatam in æternâ generatione; alteram ad matrem, fundatam in generatione temporali. Vnde nullus vel ex antiquis Schol. vel Patribus hoc tertium filiationis genus agnouit in Christo. Neque illud necessarium est ad saluandam definitionem Concilij Francof. quæ docet contra Felicem & Elipan. Christum etiam vt hominem esse filium naturalem Dei: nam per eam definitionem statuitur, Christum, in vtrâque naturâ, esse eundem filium naturalem Dei, eo quòd vna eademque sit vtriusque naturæ persona: ad quod saluandum, nihil conducit, vt per se patet, hoc tertium filiationis genus, ab aduers. excogitatum.

39. *Probatur ex Patribus.* 2. ex August. qui 2. *de Trinitate cap. 10.* illa *Matth. 3. & 17.* non à totâ Trinitate, sed *cogimur*, inquit, *non nisi Patris accipere, vbi dictum est*: Hic est filius meus dilectus. *Neque enim Iesus etiam Spiritus S. filius, aut etiam suus filius credi, aut intelligi potest.* De solo etiam Patre eundem locum interpretatur Hierony. & alij PP. Idem August. *in Enchir. cap. 38. 39. & 40.* expressè negat, Christum vt hominem dici posse Spiritûs S. filium. Nec rectè *Vasquez* Augustinum explicat de filiatione secundùm humanitatem, non secundùm gratiam Vnionis: nā expressè *cap. 40.* mentionem facit de gratiâ Vnionis, secundùm quam negat, Christum dici filium Spiritûs S. *Modus iste, quo natus est Christus de Spiritu S. nō sicut filius, & de Maria Virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, quâ homo nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur, in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei: ac sic in natura humana susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere.* Vbi apertè loquitur de gratiâ Vnionis hypost. secundùm quam negat, Christum esse filium Spiritus S. atque adeò totius Trinitatis, sed tantùm Patris secundùm diuinam, & hominis secundùm humanam naturam.

40. 3. Ex Fulgen. *de Fide ad Petrum cap. 2. init.* vbi docet, si Pater incarnaretur, non futurum Dei, hominis dumtaxat filium: *Si secundùm diuinam quidem naturam Deus Pater de nullo nasceretur Deo, secundùm carnem tamen ipse nasceretur ex Virgine, vna persona esset Pater & Filius: ipsa autem vna persona pro eo quia non de Deo, sed tantùm de Virgine nasceretur, non Dei filius, sed tantùm hominis filius veraciter diceretur.* Et paulò pòst: *Ipse, qui filius dicitur, fisdem esset & Pater, non veraciter Dei filius diceretur, quia non de Deo, sed de solâ Virgine nasceretur.*

41. *Probatur ex Concil. Tolet. XI.* 4. ex Concilio *Tolet. XI. in ipsâ professione fidei circa med.* vbi expressè negat, Spiritum S. esse Patrem Christi: *Nec tamen Spiritus sanctus Pater esse credendus est filij, pro eo quod Maria eodem Spiritu sancto obumbrante concepit, ne duos Patres filij videamur asserere, quod vtique nefas est dici.*

42. *Probatur ratione.* Vltimò: Christus vt homo non est naturalis filius Dei, nisi ratione hypostasis Verbi, quam includit: ergo non est filius naturalis totius Trinitatis, sed solius æterni Patris, à quo tantùm hypostasis Verbi gignitur. nam illius tantùm est naturalis filius, quem respicit vt naturalem parentem; cùm filius dicatur correlatiuè ad Patrem, naturalis ad naturalem: illum autem respicit vt naturalem parentem, quem vt talem respicit forma ipsa, qua Christus vt homo formaliter constituitur naturalis filius Dei: at forma, qua Christus vt homo formaliter constituitur naturalis filius Dei, non respicit vt naturalem parentem ac progenitorem, nisi solū æternum Patrem; scilicet per id debet naturalis filius formaliter respicere suum naturalem parentē, quo formaliter constituitur in esse naturalis filij; eadem quippe forma, quæ constituit filium in esse filij; simul refert filium ad parentem: sed Christus vt homo non constituitur naturalis filius Dei humanitate, quia hæc est extranea & dissimilis Deo: neque vnione hypost. quatenus modus creatus est, cùm nequeat modus creatus constituere naturalem filium Dei. Superest igitur, vt formaliter constituatur naturalis filius Dei hypostasi Verbi à Patre genitâ: hæc autem, vt patet, non nisi æternum Patrem vt naturalem parentem ac progenitorem respicit: *Ergo Christus vt homo non est naturalis filius totius Trinitatis; Sed solius æterni Patris.*

43. scilicet cùm nequeat Christus vt homo constitui naturalis filius Dei, neque humanitate, neque vnione hypost. vt modus creatus est humanitati inhærens, hypostasis Verbi à Patre genita, vt substantialiter vnita cum naturâ humanâ, constituit cum illâ vnam personam, quæ dicitur & est naturalis filius Dei: nam sicut hypostasis Verbi per vnionē personalem communicat se formaliter naturæ humanæ, ita communicat illi esse naturalis filij Dei. Vnde non accipit à naturâ humanâ esse naturale filij Dei, sed potiùs ipsum esse naturale filij Dei, quod supponitur accepisse per communicationem naturæ diuinæ, communicat naturæ humanæ per solam idiomatum communicationem, quatenus de hoc homine, vt includente hypostasin filij Dei, dicitur & prædicatur ipsum esse naturale filij Dei.

44. *Confirm.* Confirm. quando aliquis non constituitur naturalis filius per generationem, sed per substantialem vnionem cum personâ, vt cum formâ formaliter conferente effectum naturalis filiationis, nisi persona cum quâ vnitur, sit naturalis filius, non potest aliunde constitui filius naturalis. Vnde si Paulus vniret hypostaticè suum fratrem, aut nepotem cum homine extraneo, talis homo non diceretur filius, sed frater, aut nepos Pauli: contrà verò si idem Paulus vniret hypostaticè Petrum filium suum naturalem cum aliquo homine extraneo, talis homo diceretur naturalis filius Pauli: quia hoc ipso, quòd esset vna persona cum Petro filio, esset idem naturalis filius Pauli, non per generationem, sed per formalem idiomatum communicationem: quia quicquid diceretur de Petro Pauli filio, diceretur de tali homine includente suppositum Petri Pauli filij.

45. *Soluitur potissimum fundam. aduers.* Neque obstat potissimum fundamentum aduers. asserentium, Christum vt hominem non constitui naturalem filium Dei formaliter per hypostasin Verbi, sed per sanctificationem moralem moraliter deriuatam ab ipsâ Deitate, vt à formâ formaliter sanctificante Christi humanitatem, & quia hic effectus moralis sanctificationis est à totâ Trinitate, Christus vt homo est naturalis filius, non solius æterni Patris, sed totius Trinitatis: tum quia Christus vt homo non tantùm moraliter, sed etiam physicè & naturaliter est filius Dei: ergo non tantùm per moralem sanctificationem moraliter deriuatam à Deitate, sed per physicam & naturalem hypostasin Verbi substantialiter sibi vnitam est naturalis filius Dei. nam moralis sanctificatio non est forma physica, sed moralis; est enim extrinseca denominatio ab ipsa Deitate, vt à formâ moraliter sanctificante: igitur si Christus vt homo esset naturalis filius Dei per moralem dumtaxat sanctificationem humanitatis moraliter deriuatam à Deitate, non

te, non esset physicè & naturaliter, sed solùm moraliter filius Dei: nam talis est effectus formalis, qualis est forma: igitur si forma constituens Christum, vt hominem filium Dei, est moralis, ipsum etiam esse filij Dei, qui est effectus formalis huius formæ, erit morale. Tum quia falsum est, moralem sanctificationem humanitatis à Deitate deriuatam, esse à totâ Trinitate; licet enim vnio sit à totâ Trinitate, ipsa tamen moralis sanctificatio deriuata in humanitatem à Deitate vnitâ, est à solâ personâ Verbi: ab eâ scilicet quæ illi hypostaticè vnita. 1. Confirm. alioqui omnes tres diuinæ personæ humanitatem sanctificarent, quod falsum est.

Moralis sanctificatio est à solâ personâ Verbi.

46. *Ad Fund. Suarez.* Neque obstat ratio *Suarez* contendentis, personam filij Dei, non vt personalis filij Dei est formaliter, sed vt persona Dei præcisè, constituere Christum vt hominem naturalem filium Dei: proinde etiam Patrem, aut Spiritum sanctum, si humanitatem assumerent, constituturos assumptum hominem naturalem filium Dei. Falsum quippe id est: 1. quia, vt diuina oracula testantur, persona filij Dei incarnata est: ergo vt persona filij Dei est formaliter, constituit Christum hominem naturalem filium Dei. 2. quia, qui constituitur naturalis filius per vnionem cum personâ, vt cum formâ formaliter conferente ipsum esse filij, nisi persona ipsa sit naturalis filius, & vt sic vniatur, non poterit homo, cui talis persona vnitur, esse naturalis filius; quia hunc effectum non habet, nisi ab ipsâ forma, cum quâ substantialiter vnitur. Hinc si Pater, aut Spiritus sanctus incarnaretur, neutrum quatenus hominem fore naturalem filium Dei, sed Patrem etiam vt hominem fore Patrem, & Spiritum sanctum etiam quà hominem fore Spiritum sanctum, nam talis esset homo assumptus, qualis esset hypostasis assumens, cùm non aliam denominationem haberet homo assumptus, quàm ab ipsa hypostasi assumente, à quâ per communicationem idiomatum participaret eadem prædicata, quæ essentialiter includeret ipsa hypostasis assumens.

Deducitur oppositum eius quod Suarez inferebat.

47. *Dices.* *Obijcies*; Concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi non est secundùm naturam simile Deo: constituitur enim ex naturâ humanâ & præcisâ subsistentiâ Verbi, quod totum non est secundùm naturam simile Deo: ergo non est naturalis filius Dei: nam filius, vt ex eius definitione constat, est, qui vi suæ productionis procedit similis in naturâ cum principio producente: Christus autem non est similis in naturâ Deo ratione humanitatis, sed ratione diuinitatis, quam non includit concretum ex humanitate, & solâ præcisâ subsistentiâ Verbi. Confirmatur, nequit filiatio diuina denominare filium Dei quodcunque subiectum, sed proportionatum, qualis est sola natura diuina, cum quâ tantùm constituit simile cum Deo producente. quia si filius Dei assumeret naturam lapidis, vel equi, non denominaret lapidem, vel equum filium Dei, ex defectu similitudinis in naturâ cum Deo: ergo nec denominabit naturalem filium Dei hominem assumptum. Nam tam dissimilis est Deo natura humana, quàm natura lapidis, vel equi.

48. *Confirm.*

49. *1. Resp. Suarez & Vasquez.* Responsio 1. *Suarez & Vasquez*. neg. conseq. nam ad filiationem naturalem per ipsos sufficit, habere ius ad Patris hæreditatem; idque habet etiam constitutum ex humanitate & solâ vnione ad Verbû.

50. *Reijcitur.* Sed contrà: filius etiam adoptiuus vi adoptionis habet ius ad hæreditatem Dei: & quod discriminat filium naturalem ab adoptiuo, est similitudo in naturâ cum parente. Cùm igitur nec concretum ex humanitate & præuisa subsistentiâ Verbi, & multò minùs concretum ex humanitate & solâ vnione ad Verbum, habeat similitudinem in naturâ cum Deo, neutrum constitutum dici poterit naturalis filius Dei. Nec sufficit discrimen filij naturalis ab adoptiuo, quod adoptiuus tantùm extrinsecè, & accidentaliter, naturalis verò substantialiter vniatur cum Deo: nam nisi hæc substantialis vnio ponat similitudinem in naturâ inter vnitum & vnientem, non est sufficiens ad veram filiationem naturalem, quæ ex suo formali conceptu importat similitudinem in naturâ cum principio producente.

51. *2. Resp. negantium simpliciter antec.* SECVNDA Resp. est negantium antecedens: putant enim concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi, etiam à naturâ diuinâ præcisâ, habere sufficientem similitudinem in naturâ ad fundandam veram & propriam filiationem naturalem inter Christum vt hominem, & Deum: quod sic probant: Huic concreto ex humanitate & præcisâ subsistentiâ Verbi conuenit tota generationis definitio; ergo & propria ratio filij. nam cui conuenit generatio, conuenit & terminus generationis. Antecedens ostend. Christus vt homo, ratione naturæ humanæ, procedit vt viuens à Deo viuente in similitudinem naturæ intellectualis, etsi non eiusdem speciei, sufficientis tamen, vt dicatur etiam vt homo in similitudinem & imaginem Dei: cùm ad veram filiationem non requiratur similitudo in naturâ specificâ, vt patet in mulo, qui est verus filius equi & asinæ, esto non procedat similis in naturâ specificâ cum illis. Est etiam à principio coniuncto, ratione subsistentiæ diuinæ, quæ communicatâ humanitati intrinsecè constituit cum illâ hoc concretum *Christus*.

52. *Impugnatur.* Sed contrà: Ariani iuxta hanc responsionem cōcederent, Verbum esse filium Dei naturalem, alterius tamen naturæ à Deo: nec rectè Patres vnitatem naturæ Verbi cum Deo probarent ex naturali generatione ipsius. 2. falsum est, ad veram & propriam generationem sufficere quamcunque producti cum producente similitudinem, sed ad minimum necessariam esse specificam, vt cum *Philosopho 7. Metaph. cap.* 8. docent Theologi: defectu cuius, vt 1. *tomo disput.* 18. *sect.* 7. vermes ab homine geniti non dicuntur hominis filij. quia cùm finis generationis sit, vt in filio exprimatur parens, in eoque propagetur, debet tota specifica natura parentis communicari filio. Nec est eadem ratio de generatione muli, quæ per se quidem ex parte principij tendit ad perfectè simile in naturâ, per accidens autem, ratione commistionis variarum specierum hæc similitudo impeditur: propter quod Arist. *citat. loc.* generationem muli appellat *præternaturalem*.

Ratio à priori.

53. *3. Resp.* TERTIA aliorum est, concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi præcisè esse simile Deo, ex diuersis tamen capitibus: nam ratione naturæ humanæ procedit vt viuens à Deo viuente, ratione naturæ diuinæ inclusæ in subsistentiâ Verbi, habet similitudinem eiusdem naturæ cum Deo: ac proinde habet totum: quod ad perfectam generationem requiritur, licet non ex vno, sed ex diuersis capitibus. 54. *Confirm.* Confirmatur, Christus dicitur duplici generatione genitus, æternâ & temporali: & vtraque tam æterna, quàm temporalis est generatio filij Dei; nam per vtramque denominatur genitus & filius Dei naturalis: ergo non solùm per generationem æternam, sed etiam per temporalem est verus & proprius naturalis filius Dei.

55. *Refutatur.* Sed contrà: ad veram generationem requiritur, vt vi eiusdem productionis formaliter terminus procedat

procedat vt viuens à viuente, & simul illi in naturâ similis, vt in omni verâ generatione constat: alioqui etiam Spiritus S. esset filius Dei, quia licet vi productionis præcisè, quâ procedit à principio spirante, non procedat adæquatè similis in naturâ, tamen ratione illius procedit vt viuens à viuente coniuncto, ratione verò naturæ identicè coniunctæ cum termino amoris, quem vi suæ processionis formaliter accipit, procedit adæquatè similis cum principio producente. Confirmatur, 56. Confirm. productio, quâ genitus procedit à principio producente, debet per se, & non merè concomitanter connecti cum similitudine naturæ, quam genitus vi suæ processionis à generante accipit, cùm sit ipsa similitudo naturæ in fieri. Productio autem, quâ Christus vt homo procedit vt viuens à viuente Deo, merè concomitanter se habet ad similitudinem naturæ, quam idem Christus vt homo vi vnionis cum diuinâ hypostasi accipit, vt per se patet: siquidem actio productiua humanitatis per se tantùm tendit ad humanitatem, vt ad proprium & intrinsecum terminum, non autem ad vnionem hypost. cum personâ Verbi, vi cuius Christus vt homo accipit similitudinem cum Deo, vt *disput.8.sect.1.*

57. Ad confir. Ad confirmationem, distinguo minor. vtraque generatio in Christo, est generatio filij Dei essentialiter, nego; vna essentialiter, altera denominatiuè, & per solam idiomatum communicationem, concedo. Sicut idem Christus est filius Dei, vt Deus, & vt homo; vt Deus essentialiter, vt homo denominatiuè, & per idiomatum communicationem ab ipsâ hypostasi filij Dei substantialiter vnitâ. Talis autem gemina filij Dei generatio non arguit geminam formam diuinæ generationis, sed vnam & eandem, quæ in seipsâ essentialiter talis per substantialem coniunctionem denominat aliam similiter talem, quæ tamen ex se non est essentialiter & intrinsecè talis. Velut tam voluntas, quàm actus ipsius dicuntur liberi, cùm tamen non gemina, sed vna sit libertatis forma, quæ essentialiter & intrinsecè voluntatem, denominatiuè & extrinsecè liberos denominat ipsius actus. Productio igitur humanitatis in Christo dicitur generatio filij Dei, non essentialiter & intrinsecè, sed denominatiuè & extrinsecè à generatione æternâ diuinæ hypostasis sibi substãtialiter vnitæ. Vnde sicut temporalis productio humanitatis per denominationem ab æternâ generatione Verbi non fit intrinsecè & essentialiter generatio filij Dei, sed tantùm denominatiuè & per communicationem idiomatum: ita nec infert nouam filiationem Dei essentialem & intrinsecam in Christo.

58. 4. Resp. aliorum. QVARTA: concretum ex humanitate & subsistentiâ præcisâ Verbi includere naturalem filiationem Dei, non in facto esse, quo pacto includeret etiam naturam diuinam, sed tantùm in fieri, & fundamentaliter, prout idem est quod genitus ab actione generatiuâ, quæ est tantùm via ad communicandam naturam. Sicut igitur, filius Dei denominatur genitus, non à naturâ diuinâ, sed à generatione æternâ; ita ab eâdem etiam dici potest filius in fieri & fundamentaliter. Eodem modo denominare potest concretum ex humanitate & subsistentiâ præcisâ Verbi, genitum & filium in fieri, quod sufficit, vt aliquo modo hoc concretum dici possit filius Dei. Sed contrà: hæc responsio ponit concre- 59. Reijcitur. tum ex humanitate & subsistentiâ Verbi non esse perfectè, integrè, formaliterque filium Dei, sed tantùm incompletè, fundamentaliter, & exigitiuè, quod videtur contra modum loquendi Patrum, Concil. & Scholast. qui docent, æquè verum, proprium, ac perfectum esse filium Dei, vt subsistentem in humanâ, ac in diuinâ naturâ, ex *cit.* Concil. Francofor. *verum Deum, verumq; Dei filium confiteamur in vtrâque naturâ, diuinâ scilicet & humanâ:* cùm tamen iuxta hanc responsionem non æquè verus ac perfectus filius Dei esset in humanâ ac in diuinâ naturâ: nam in humanâ non esset completè, formaliter, & integrè filius Dei, sicut est in diuinâ, sed tantùm incompletè, fundamentaliter, & in viâ dumtaxat ad esse filij Dei. 2. non euitat difficul. nam etiam filius in fieri includit naturã in fieri, sicut generatio actualem communicationem naturæ, & quæuis actio includit entitatem termini in fieri; nam hoc est discrimen inter fieri, & factum esse rei, quod factum esse includit rem in esse quieto, fieri verò eandem rem importat in motu, & in viâ ad esse quietum. Ergo si concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi includit filium Dei in fieri, includit etiam naturam diuinam in communicari, esto illam non includat in esse communicato.

QVINTA nostra est, negando simpliciter, concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi reipsâ non esse perfectè simile Deo, ac proinde completè ac formaliter naturalem filium Dei: cùm in eo reipsa non solùm includatur præcisa proprietas relatiua filij; sed etiam natura diuina vt propria filij; idque per se, licet mediatè, nam immediatè solùm cum humanitate vnitur personalitas relatiua Verbi, mediatè tamen & per se vnitur etiam natura diuina, non vt communis omnibus, sed vt propria Verbi, in eoque essentialiter inclusa: ac proinde totum concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi reipsâ constituitur ex naturâ humanâ, & integrâ ac completâ formalique persona filij Dei. 60. 5. Resp. Authoris ad arg. num. 47.

Quòd reipsa tota formalis persona filij Dei in tali concreto per se includatur, sic probatur: totum illud per se in tali cõcreto includitur, quod per se fuit in mysterio Incarnationis à Deo intentum: sed quod in hoc per se fuit à Deo intentum, non fuit vt sola proprietas relatiua, sed tota, integra, & completa, ac formalis persona filij Incarnaretur: igitur tota, integra, completa, ac formalis persona filij Dei per se in hoc concreto ex humanitate, & subsistentia Verbi includitur. Maior patet; nam Deus rem exequitur, vti decernit: ergo si decreuit, per se incarnari totam ac formalem personam filij, ita reipsa illam exequitur. Minor colligitur ex Scripturis, quibus absolutè dicitur Deus misisse filium suum: *Ioan.* 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Vnigenitum suum daret:* ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Quod etiam Pater testatus est *Matth.* 3. & 17. & 2. *Petri* 1. *Hic est filius meus dilectus.* Porrò filius non potest præscindere à naturâ parentis, per quam formaliter constituitur in esse filij: vnde tantum quis deficit à ratione filij, quantum deficit à naturâ sui parentis. Igitur si Christus vt homo reipsa non includeret per se personam filij, etiam vt includentem naturam diuinam vt sibi propriam, non includeret formaliter & completè, sed tantùm incompletè, exigitiuè & fundamentaliter filium Dei: consequenter non posset de hoc concreto formaliter sumpto absolutè dici, quod sit filius naturalis Dei, nam filius naturalis Dei formaliter includit naturam diuinam. Neque dici potest naturalis filius Dei, vel ratione solius proprietatis relatiuæ; nam illa præcisè & formaliter sumpta non est filius Dei, sed vt formaliter includens naturam Dei: sicut subsistentia creata, vt præcisa à naturâ 61. Prob. Oracula Scrip. Reduplicatiua vis.

non

non est filius, sed vt formaliter includens naturam parentis: vel ratione naturæ diuinæ concomitanter tantùm,& per accidens in eodem concreto inclusæ: nam ea tantùm in recto,& substantiuè prædicantur; quæ per se vniuntur.

62. *Tota Verbi persona est per se vnita.* Quòd autem hoc sufficiat, vt tota persona filij Dei dicatur per se vnita, esto immediata ratio sit sola proprietas relatiua, prob. totum illud dicitur per se vnitum, quod per se terminat vnionem, esto non omnis ratio identificata cum re vnitâ æquè immediatè vnitur; sed tota persona filij Dei per se terminat vnionem naturæ humanæ, esto non omnis ratio identificata cum personâ Verbi æquè immediatè vniatur: ergo tota persona filij Dei est per se vnita cũ naturâ humanâ: ac proinde tota persona filij Dei per se prædicatur de Christo vt homine. Maior patet, nam neque generatio humana æquè immediatè terminatur ad esse hominis, ac ad esse animalis, viuentis &c. nam ad esse hominis terminatur immediatè vt ad esse specificum, quod per se primò intendit generatio humana; ad esse animalis, viuentis &c. mediatè, vt ad esse genericum essentialiter inclusum in ipso esse specifico hominis. Minor probatur: hæc vnio hypost. essentialiter respicit vt terminum sui, non solùm proprietatem relatiuam, sed etiam absolutam naturam Verbi, adeò vt implicet conseruari hanc numero vnionem, natura diuina non terminante. *Ratio.* Ratio: natura diuina non vnitur cum humanâ, vt ratio diuersa à personalitate Verbi, sed vt essentialiter eadem cum ipsâ: proinde vnio terminatur ad illam, vt ad quid vnum cum personâ, quamuis immediata ratio terminandi sit personalitas Verbi. Sicut generatio humana non terminatur ad rationem genericam hominis, vt ad rationem diuersam, sed vt ad eandem essentialiter cum specificâ, etsi immediata ratio terminandi sit specifica, non generica.

63. *Ad confir. num. 48.* Ad confirmationem, respondeo 1. negando suppositum Verbi per communicationem idiomatum non denominaturum substantialiter quamcunque naturam completam, quam hypostaticè assumeret, naturalem filium Dei: quia cùm hæc substantialis denominatio fit per solam idiomatum communicationem, cuicumque Verbum suam hypostasin substantialiter communicaret, simul illi communicaret esse naturale filij Dei. 2. negari posset conseq. quia cùm ratio filij Dei, sit ratio filij intellectualis, per se requirit naturam intellectualem, cui possit communicare ius ad hæreditatem Dei, quod per se affert filiatio intellectualis. Sicut quia denominatio personæ essentialiter requirit naturam intellectualem, non posset hypostasis Verbi substantialiter vnita equo, vel lapidi, denominare illum personam, sed suppositum.

64. *Contra hãc nostram resp. dices 1.* Obijci potest 1. Id tantùm per se cum naturâ humanâ vnitur, quo natura humana per se indiget; sed per se non indiget, nisi solâ ac præcisâ subsistentiâ Verbi: nam eâ tantùm perfectione natura humana per se à Verbo indiget, quam accepisset à proprio supposito: sed à proprio supposito non accepisset, nisi puram ac præcisam subsistentiam: ergo eam tantùm accipit à Verbo, succedente loco proprij suppositi. Maior probatur. Illud tantùm per se cum naturâ humanâ vnitur, quod cum illâ constituit vnum per se: hoc autem est sola & præcisa subsistentia Verbi. nam quicquid vltra illam cum naturâ humanâ vnitur, aduenit illi vt enti vltimò completo in esse substantiali; vnde nõ posset constituere vnum per se cum illa. Negо maior.

65. *Resp.* Etenim cum natura humana non tantùm per se vnitur, quod necessarium est ex parte ipsius, sed etiam quod necessarium est ex parte assumentis, scilicet vt non modò personalitas, sed etiam natura in personalitate essentialiter inclusa vniatur, ex ordinatione diuinâ, quâ decreuit, filium suum incarnari: cùm igitur in filio per se includatur natura genitoris, per se cum filio vnitur natura diuina. Ad probationem, negatur minor. Ad probationem, nego naturam diuinam aduenire humanę, vt enti substantialiter completo, quia non aduenit illi vt ratio diuersa à personalitate Verbi, sed vt essentialiter inclusa in illâ, & per modum vnius termini adæquatè terminantis vnionem ad se: ita vt vi præsentis Incarnationis non sufficiat ad substantiale complementum assumptæ humanitatis sola ac præcisa terminatio personalitatis, sed necessaria etiam sit terminatio naturæ diuinæ, vt inclusæ in personalitate Verbi, cum quâ constituit vnum terminum adæquatum.

Obijcs. 2. Si in hoc cõcreto ex humanitate & subsistentiâ Verbi per se formaliter includeretur natura diuina, posset de eo etiam cũ reduplicatione in concreto prædicari natura diuina: *Christus vt homo est Deus:* sicut, quia in eo per se formaliter includitur personalitas Verbi, valet hæc propositio: *Christus vt homo est persona Verbi: Christus vt homo est filius Dei:* Consequens non admittitur à *S. Tho. 3. p. q. 16. a.* 11. & reliquis, à quibus tamen admittitur posterior. 67. *Resp. 1.* Nego sequel. quia, vt *ibid. S. Tho.* concretum naturę in propositione cum reduplicatione positum, præsertim quando se tenet ex parte prædicati, potiùs supponit pro naturâ, quàm pro supposito; at natura humana non est natura diuina. 2. ideò prior propositio admittenda non est, vt posterior; quia concretum naturæ diuinæ cum reduplicatione positum, reduplicat immediatam terminationem naturæ diuinæ: at immediatus terminus terminans vnionem hypostaticam, non est natura, sed personalitas: & propter hoc potest concretum personæ, non naturæ diuinæ cum reduplicatione de Christo vt homine prædicari. *2. Fortè verius.*

Obijcs. 3. Propter solam concomitantiam naturæ diuinæ cum spiratione, non potest dici Spiritus S. vi spirationis habere naturam diuinam: ergo propter solam concomitantiam eiusdem naturæ diuinæ cũ vnione personalitatis Verbi cum naturâ humanâ, non potest Christus vt homo dici vi vnionis hypost. habere naturam diuinam. 69. *Resp.* Nego conseq. nam spiratio præcisè sumpta, in eâ sentent. non terminatur per se ad naturam, sed ad amorem dumtaxat diuinum: at vnio hypost. non solùm per se terminatur ad personalitatem, sed ad naturam ipsam vt propriam Verbi, vt terminum per se terminantem, sine quo non saluaretur hæc specificâ & indiuidualis vnio. Dixi *In ea sentent.* nam in meâ, natura diuina non merè concomitanter, sed per se communicatur cum spiratione passiuâ Spiritui sancto: vt 1. *tom. disput.* 18. *sect.* 7.

Ad 1. argument. primæ: disting. maior: filiatio, quam Christus vt homo habet ad Deum, fundatur in vnione hypostatica, vt in viâ ad filiationem habendam, concedo; vt in formâ conferente effectum formalem filiationis, nego; nam hæc est ipsa hypostasis Verbi à solo Patre genita. 70. *Ad primum 1. Sentent.* Ad probat. Christus vt homo generatur naturalis filius Dei per vnionem hypostaticam, quâ est effectus totius Trinitatis, nego; quâ est via seu nexus copulans Verbum cum humanitate, concedo: vti sub hâc formalitate vnio respicit solam hypostasin Verbi, eiusque diuinam generationẽ, ita sub hac formalitate est generatio hominis, vt naturalis filij solius æterni Patris: nam vt sic est generatio naturalis filij Dei per denominationem,

Ad minor. probationis conseq. minationem, & idiomatum communicationem ab ipsâ æterna generatione Verbi. Pari modo vnio hypost. vt effectus respicit totam Trinitatem, concedo; vt via & nexus ad hypostasin Verbi, respicit totam Trinitatem, nego: & quia sub hoc respectu est fundamentum filiationis diuinæ in Christo vt homine, non sequitur, quod vt est fundamentum id respiciat totam Trinitatem.

71. Dices. Neque sub hoc respectu vnio hypost. respicit æternum Patrem, sed solùm æternum Filium: ergo neque sub hoc respectu est via ad naturalem filiationem æterni Patris. quia generatio non solùm debet respicere terminum, ad quem est via, sed etiam principium, à quo est origo. *Resp.* Resp. Respicit solùm æternum Filium immediatè & formaliter, concedo; mediatè & denominatiuè, nego: nam licet immediatè respiciat solam hypostasin, & generationem æternam Verbi, cum quâ tantùm vnitur; mediatè tamen & denominatiuè, quatenus per communicationem idiomatum includit æternam generationem Verbi, respicit etiam æternum Patrem: quod sufficit ad filiationem naturalem per communicationem idiomatum. Nam sicut hęc non est intrinsecè & essentialiter generatio, sed tantùm extrinsecè & denominatiuè à formâ, cum quâ vnitur; ita non debet seipsa intrinsecè & formaliter, sed mediante formâ, cum quâ substantialiter vnitur, respicere principium generatiuum.

72. *Ad secundum.* Ad 2. nego sequel. Ad probationem concedo, eo casu Patrem, & Spiritum sanctum vt homines habituros naturale ius ad gloriam & beatitudinem: nego tamen ad illam habituros ius vt ad hæreditatem, sed vt ad proprietatem sibi debitam, eo modo, quo æternus Pater, & Spiritus sanctus habent naturale ius ad beatitudinem, non vt ad hæreditatem, sed vt ad proprietatem, ratione naturæ diuinæ sibi debitam: solus autem filius habet naturale ius ad illam vt ad hæreditatem; quia solus procedit vi suæ productionis vt filius, & quidem vt Deus essentialiter, vt homo per communicationem idiomatum.

73. *Ad confirm.* Ad confirm. nego conseq. Etenim si Pater, aut Spiritus S. incarnaretur, neuter esset vel filius adoptiuus, vel naturalis, sed Pater quà homo, esset tàtùm Pater; Spiritus S. quà homo, esset tantùm Spiritus S. vterque cum iure naturali ad gloriam vt ad proprietatem sibi debitã. Non enim sequitur, quòd si aliquis non sit filius naturalis, eo ipso debeat esse filius adoptiuus; vti neque in humanis; quia cũ forma adoptionis, & filiationis naturalis, vtraq; sit positiua, potest subiectũ ab vtràq; reipsà præscindere.

74. *Ad tertiũ.* Ad 3. nego antec. nam Pater vt homo, reduplicando suppositum, esset æterni Verbi Pater: vti per aduers. Christus vt homo, reduplicando suppositum, est Pater sui ipsius: quia per aduers. Christus vt homo est naturalis Filius totius Trinitatis, & consequenter etiam sui ipsius, vt importat suppositum.

75. *Ad quartũ.* Ad 4. vt Christus vt homo sit naturalis Filius solius æterni Patris, necesse non est, vt ipsa humanitas referatur ad Patrem, sed satis est, si compositum ex humanitate & supposito, quod significatur per τὸ *Homo*, referatur ad æternum Patrem: nam sic non humanitas, sed constitutum ex humanitate & supposito est naturalis Filius Dei, ita vt Christus vt homo sit naturalis Filius solius æterni Patris, necesse non est, vt humanitas referatur ad Patrem, sed sufficit, si compositum referatur ad Patrem. Vnde licet Verbum non informet humanitatem, intrinsecè tamen illam suppositando, constituit cum illâ vnum; ac proinde totum ex eâ, & Verbo constitutum intrinsecè refertur ad Patrem.

Ad confirm. nego Christum vt hominem non denominari Deum à Deitate sibi hypostaticè vnita. Nec est eadem ratio de columnâ, quæ denominatur dextera, vel sinistra à dextrâ vel sinistrâ animalis; quia hæc est omninò extrinseca columnæ, Deitas autem est substantialiter & intrinsecè vnita huic humanitati; proinde non extrinsecè, sed intrinsecè constituens vnum per se cum illâ, denominat constitutum substantialiter Deum. 76. *Ad confirm.*

SECTIO III.

An Christus sit filius Virginis filiatione reali creatâ in ipso existente.

PRIMA sententia negat, Christum esse realiter filium Virginis per filiationem creatam in ipso existentem, sed per solam relationem realem maternitatis ad ipsum terminatam, eo modo, quo Deus dicitur realiter dominus, non per realem relationem domini in ipso existentem, sed per realem subiectionem & dependentiam creaturæ ad ipsum: *Alensis 3. p. quæst. 10. mem. 3. Henric. quodlib. 4. quæst. 3. S. Thom. 3. part. qu. 35. art. 5. Caiet. & Medin. ibid. Albert. in 3. dist. 8. art. 2. Heruæi q. vn. art. 5. Capreol. q. vn. a. 1. concl. 1. Bonauen. art. 2. q. 2. Bacho. a. 2. §. vlt. Maior. q. vn. concl. 3. Valen. 3. p. disp. 2. q. 2. punct. vlt.* 77. 1. *Sentent.* *Henricus.*

Fundamentum: filiationis subiectum non est natura, sed suppositum: in Christo autem non est suppositum creatum, sed increatum: suppositum autem increatum non est capax noui respectus realis: igitur in Christo non est filiatio creata realis ad matrem, distincta ab ipsa filiatione increata ad Patrem. Minor prob. non natura, sed suppositũ denominatur filius: ergo non natura, sed suppositum est subiectum filiationis. quia forma denominat subiectũ, cui inhæret; ergo si filiatio inhæreret naturę, denominaret illam filiam. 2. illud est filiationis subiectum, quod est adæquatus & completus terminus generationis: hic autem non est natura, sed suppositum; nam completus terminus generationis est subsistens: igitur suppositum, non natura est subiectum filiationis. Confirm. Filiationis increatæ subiectum non est natura diuina, sed suppositum: ergo nec filiationis creatæ subiectum erit natura, sed suppositum. 78. *Fundam.* *Confirm.*

SECVNDA affirmat, Christũ reali filiatione creatâ, in ipso existente esse filium Virginis: *Scoti in 3. dist. 8. q. vn. §. Ad q. Richar. a. 2. q. 2. Duran. q. 3. nu. 17. Argent. a. 2. Gabr. q. vn. a. 2. concl. 3. & 4. Marsi. q. 7. ar. 2. Pala. disp. 2. Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 12. sect. 2.* Quæ *probabilior est.* 79. 2. *Sentent. probabilior.*

Fundam. Christus vt homo habet omnia requisita, vt sit realis filius Virginis filiatione, distinctâ à filiatione æternâ ad Patrem: scilicet habet naturã humanam verã generatione à matre acceptam: vt concedunt aduersarij, qui cũ *Damasc. 3. Fidei c. 12.* duas natiuitates, duasque generationes, alteram æternam ratione naturæ diuinæ, alteram temporalem ratione naturæ humanæ, admittunt in Christo. at immediatum subiectũ filiationis est illud idem, quod est immediatum subiectum generationis, scilicet non suppositum, sed natura: nam filiatio est relatio immediatè consequens generationem; ergo in eo subiecto immediatè recipitur, in quo recipitur generatio ipsa, vt inductione constat in omnibus alijs relationibus consequẽtibus actionem producti ad producentem: relatio enim effectus, quam dicit calor productus ab igne in aquâ, nõ recipitur immediatè in aquâ, sed in calore. Quod inde constat, quia etiam 80. *Fundam.* *Damascen.*

iam destructa aquâ, si solus calor conseruaretur, maneret cum eâdem relatione effectûs ad causam. Nec refert, quòd filiatio non denominet naturam filiam, sed suppositum: nam nec natura, sed suppositum dicitur generare, cùm tamen immediatū generationis in creatis sit natura, non suppositū. Etenim illud est immediatum subiectum generationis, quod immediatè producitur à generante; cùm generatio sit actio, quâ agens communicat esse termino; at non suppositum, sed natura, seu vnio nectens partes subsistentes immediatè, producitur à generante, scilicet tam subsistentia materiæ, quàm animæ rationalis supponuntur productæ & concretæ per actionem creatiuam Dei ante generationem, quæ immediatè tātùm versatur circa vnionem nectentem partes iam subsistentes: Confirm. 1.

81. *Confirm.* 1. Illud est immediatum subiectum relationis, quod est immediatus terminus oppositæ correlationis: sed immediatus terminus oppositæ correlationis maternitatis, non est in Christo suppositum increatum, sed natura creata; nam immediatus terminus maternitatis, scilicet ille, qui immediatè à Virgine generatione communicatur: nam ad naturam tantùm immediatè terminatur generatio, quæ formaliter est vnitio partium substantialium inter se. 2. Nō

82. *Confirm.* 2. plus à Virgine acciperet Christus, si esset purus homo, quàm de facto accepit vt homo Deus: sed si esset purus homo, esset filius Virginis filiatione reali creatā in ipso existente; seu suppositum creatum, proinde per aduers. immediatum subiectū filiationis: ergo etiam vt homo Deus est filius Virginis filiatione reali creata in ipso existēte. Maior prob. si esset purus homo, à Virgine non acciperet, nisi vnionē nectentē corpus & animam naturā priùs subsistentes subsistētiā creatâ: sed eâdem vnionē accipit nunc vt homo Deus: ergo nō plus à Virgine acciperet vt purus homo, quàm de facto accipit vt homo Deus. Vnde sicut ex eo, quòd vt purus homo à Virgine non causaretur secundùm subsistentiā creatā, non tolleretur,

Vide disp. 26. sect. 10. quin esset filius filiatione reali creatā in ipso existēte: ita neque ex eo, quòd nunc à Virgine non causetur secundùm subsistentiam increatam, tollitur, quin sit filius filiatione reali creatā in ipso existente.

83. *Dices.* DICES: esto neutrum suppositum neque creatū, neque increatum immediatè causetur à Virgine, tamen suppositum creatum est capax realis filiationis, quæ in eo resultat ex communicatione naturæ; increatum non est capax. Sed contrà: relatio filiatio-

Resp. nis non debet inhæsiuè resultare in supposito, sed in naturâ, mediante quâ denominat suppositū. quia si natura humana dimitteretur à Verbo, fieretque subsistens in proprio supposito, adhuc maneret filius Virginis: quia maneret eadē filiatio creata immediatè recepta in naturâ humanâ, quæ sicut dum erat vnita supposito increato, denominabat illud filium Virginis; ita dū esset vnita supposito proprio,

84. *Probatur 2. ead. sent.* denominaret illud filium eiusdem. Prob. 2. Nō minùs relatio maternitatis, quàm filiationis requirit immediatum subiectum, cui inhæreat: sed immediatum subiectū relationis maternitatis est natura, nō suppositum: nam si Virgo hypostaticè vnita Verbo genuisset Christum, fuisset realis mater ipsius, non minùs quàm nunc; non per realem relationē maternitatis increatæ, sed creatæ: ergo etiam nunc Christus realis filius Virginis, non per realem filiationis increatæ, nisi denominatiuè, & per communicationem idiomatum, vt *praced. sect.* sed per realem relationē filiationis creatæ, ergo immediatum subiectū relationis filiationis erit natura, non suppositum:

A pari. quia si suppositum increatum nō impediret in matre, quo minus in eâ resultaret realis relatio maternitatis creatæ: nec idem suppositum increatum impediet, quo minus in filio resultet realis relatio filiationis creatæ. alioqui eo casu nec Virgo esset realis mater Christi, nec Christus realis filius Virginis: quia cùm nec in Virgine esset realis relatio maternitatis, nec in Christo realis relatio filiationis creatæ, nec Virgo esset realis mater Christi, nec Christus realis filius Virginis. Confirm. nunc per 85. *Confirm.*
aduersarios, Christus est realis filius Virginis solâ reali relatione maternitatis existente in Virgine: sed eo casu nulla foret realis relatio maternitatis in Virgine, nam nec illa in tali euentu resultaret, impediretur à supposito diuino, in quo deberet recipi: ergo si neque in Christo esset realis relatio filiationis creatæ, nec Virgo foret realis mater Christi, nec Christus realis filius Virginis. Idem arg. fieri potest de Christo, si genuisset filium hypostaticè vnitum eidem personæ Verbi: nam tunc nec Christus fuisset realis pater, nec genitus realis filius Christi, cùm nec in Christo gignente resultaret relatio paternitatis, nec in genito relatio filiationis creatæ:
3. Si Pater fuisset incarnatus ex Virgine, sicut incarnatum est Verbum, fuisset realis filius Virginis, ex 86. *Probatur* 3.
Fulgen. lib. de Fide ad Petr. Diacon. cap. 2. at non potuisset tunc esse realis filius Virginis per relationem filiationis increatæ, quam non haberet; ergo per realem relationem filiationis creatæ, quæ in eo resultaret, non obstante supposito increato Patris, suppositante naturam humanam, maternâ generatione sibi à Virgine communicatam. Nec potuisset tunc Pater nuncupari filius Virginis solâ reali relatione maternitatis existente in Virgine, quia non potest filius denominari realiter filius relatione maternitatis, sicut nec mater realis mater relatione filiationis: cùm nequeat forma conferre subiecto oppositam denominationem.

Deducitur, quòd licet in Christo sint duæ filiationes, creata & increata, dici tamen non potest duo filij, rectè tamen duas filiationes. Ratio: nomen *Filius* 87. *Coroll.*
est concretum, quod in recto importat subiectū seu suppositum: vnde non multiplicatur, nisi ad multiplicationem subiecti seu suppositi: non enim Petrus dicitur duo artifices propter duas artes, sed vnus artifex duas habens artes.

DICES 1. Si Verbum haberet duas humanitates, 88. *Dices.*
diceretur duo homines, *ex disp. 14. sect. 9.* ergo cùm habeat duas filiationes, dici debet duo filij. Sed negatur paritas: *Homo* enim est concretum substan- *Resp.*
tiale, quod multiplicatur, multiplicatâ formâ substantiali humanitatis: *Filius* est concretum ex supposito substantiali increato, & filiatione accidentali creatâ; est enim filiatio creata relatio prædicamentalis addita substantiæ: multiplicatâ autem formâ accidentali, non multiplicatur concretum substantiale: igitur multiplicatâ filiatione creatâ in Christo, non multiplicatur concretum substantiale, quod est filius: multiplicaretur autem, si filiatio creata esset forma substantialis personalis, vt est filiatio increata. Confirm. *Filius* in concreto, sicut & *Pater* importat suppositum: vnde sicut non dicitur duo Patres, qui duas habet paternitates; ita nec duo filij, qui duas habet filiationes.

DICES 2. Christus dicitur bis genitus, bis natus: 89.
per *Scholast. in 3. dist. 8. cum Fulgent. de Fide ad Petr. cap. 2. post init.* ergo bis filius; quia genitus & filius sunt idem: ergo si licet nuncupare Christum bis genitum, eundem nuncupare licebit bis filium: ergo duo filij; nam qui est bis filius, est semel & iterum filius, proinde non vnus, sed duo filij. Resp. potest 90. *Resp. neg. vlt. conse.*
Christus dici bis natus, bis genitus, bis filius, quia hæc solùm important duplicem natiuitatē, generationem,

nem, filiationem: non potest autem dici duo filij, duo geniti, duo nati; quia hoc importat duplex suppositum. Sicut dici potest Petrus bis genitus, semel per naturam, iterum per gratiam; nequit autem dici duo geniti, quia in priori propos. geminatur tantùm forma in subiecto; in posteriori geminatur subiectum. Vnde prior denominatio, nati, geniti, filij stat adiectiuè; posterior substantiuè.

91. *Dices.* Dices 3. per generationem humanam dicitur Christus in tempore genitus filius Dei, etiamsi generatio humana non contulerit Christo esse filij Dei, sed solùm esse filij hominis: ergo è conuerso, poterit Christus dici genitus & filius Virginis per generationem & filiationem diuinam, etiamsi generatio & filiatio diuina non conferant Christo esse filij Virginis, sed esse filij Dei.

92. *Resp.* Resp. Nego conseq. nam potest generatio humana Christi substantialiter coniuncta cum generatione diuinâ, per idiomatum communicationem ab ipsâ generatione diuinâ denominari generatio filij Dei, ac proinde denominare Christum in tempore genitum filium Dei. Non potest autem generatio seu filiatio diuina denominari generatio seu filiatio Virginis, & consequenter denominare Christum in tempore genitum & filium Virginis, nisi ipsa generatio & filiatio diuina sit à Virgine, cùm nequeat aliquis denominari filius & genitus alicuius, nisi ab illo sit vt à principio gignente. *Generatio diuina vt sic non est à Virgine.* Quamuis igitur idem filius Dei dicatur etiam filius Virginis per communicationem idiomatum quia idem homo, qui secundùm humanitatem est filius Virginis, secundùm diuinitatem filius Dei; non dicitur tamen filius Virginis secundum filiationem diuinam, sed secundum filiationem humanam, quæ substantialiter coniuncta cum filiatione diuinâ denominat Christum Deum, genitum & filium Virginis. Vnde vti si generatio humana Christi non esset à Virgine, non posset denominare Christum Deum genitum Virginis: ita si filiatio humana non esset in Christo à Virgine, non posset denominare Christum Deum filium Virginis.

93. *Ad fund. opposita sententia.* Ad fundam. oppositæ, conced. maior de subiecto denominationis, neganda de subiecto inhæsionis: Sicut subiectum denominationis producentis est totum suppositum, licet inhæsionis sit tantùm natura. Vnde vtraque probatio tantùm concludit de subiecto denominationis, non inhæsionis. Ad instantiam resp. non semper formam denominare subiectum inhæsionis, sed denominationis: vti ex Arist. non dicitur anima, quæ est subiectum inhæsionis, sed homo, qui est subiectum denominationis, intelligere: quia sunt quædam formæ, quæ licet habeant subiectum inhæsionis distinctum, in eo tamen non recipiuntur, nisi quatenus supponitur completum vltimo complemento; proinde non denominant proximum subiectum inhæsionis, nisi vt iam completum vltimo complemento.

94. *Ad confirmationem.* Ad confirm. resp. 1. nego antec. nam etiam filiatio increata immediatè recipitur in naturâ diuinâ, vt hypostasis in in propriâ naturâ. 2. neg. conseq tum quia filiatio immediatè sequitur generationem: in diuinis autem solum suppositum, in humanis verò non solum suppositum, sed etiam natura generatur: igitur potior est ratio, cur in diuinis filiatio in solo supposito, in humanis in solâ naturâ immediatè recipiatur. Tum quia filiatio increata constituit formaliter suppositum: constitutiuum autem debet esse in ipso constituto: filiatio verò creata, cùm non constituat formaliter suppositum, non est ratio, cur debeat in illo immediatè recipi.

DISPVTATIO XXX.

De potestate spirituali Christi.

SECTIO PRIMA.

An, quotuplex, & qualis fuerit in Christo spiritualis potestas?

Dico 1. Fuit in Christo spiritualis potestas: est de fide, *Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra* Ioan. 13. *Sciēs, quia omnia dedit ei Pater in manus* &c. Inter alia autem fuit hæc spiritualis potestas, promerendi, intercedendi, regendi, ac dirigendi homines per congrua media ad finem supernaturalis beatitudinis, ad quam nobis recuperandam incarnatus, passus, & mortuus est. Tum quia tam potestas Sacerdotalis, quàm legislatiua ac redemptiua, in quas hæc spiritualis potestas Christi diuiditur, expresè à Concilijs definitur, fuisse in Christo, vt mox. Vnde hæc potestas est connexa cum potestate mystici capitis, cuius non solùm est, vitalem gratiæ motum in membra influere, eaque perenni spiritualis vitæ motu vegetare, sed etiam certâ legum normâ dirigere, vt salubria recipiant, noxia respuant. Ad quam spiritualem potestatem allusit Christus *Ioan.* 18. *Regnum meum non est de hoc mundo: Hoc dicit*, inquit Chrysost. *quoniam non tenet regnum, vt hic Reges terreni tenent, sed quoniam desuper habet principatum, qui non est humanus, sed multò maior & clarior.* 1. *Conclusio 1.*

Dico 2. Hæc spiritualis potestas in Christo diuiditur in Sacerdotalem, Legislatiuam, & Redemptiuam: quas omnes fuisse in Christo expresè definit *Trident. sess.* 22. *c.* 1. & 2. & *sess.* 6. *can.* 6. & quoad Sacerdotalem definitur etiam in *Concilio Ephes.* eamque probat *Epist. ad Rom. à cap.* 5. Legislatiua colligitur ex *cit. Matth.* quibus Christus testatur, sibi datam esse omnem potestatem; *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. *docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Quæ potestas est necessariò coniuncta cum potestate instituendi Sacramenta: cùm Sacramenta instituere, non sit aliud, quàm leges condere, homines ad Sacramenta cum certa subiecti dispositione, & externo ritu suscipienda obligantes. At de fide est, vt *Trident* definit *sess.* 7. *can.* 1. Christum fuisse nouæ legis Sacramentorum institutorem. Confirm. hanc eandem potestatem leges ferendi, licet non cum eadem amplitudine & excellentiâ reliquit suo Vicario supra totam Christianam Remp. Demum potestas redemptiua in Christo definitur ab *eod. Can.* 21. ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* 1. ad Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ratio: hic fuit potissimus Incarnationis finis, vt homines à peccati captiuitate redemptos ad finem supernaturalis beatitatis perduceret. 2. *Conclusio 2.* *Confirm.* *Ratio demonstrat.*

3. *Fundamentum Assertionis.* Fundam. omnis hæc triplex potestas fuit in Christo necessaria ad perfectum munus Mediatoris. Nam munus perfecti Mediatoris exigebat, vt pro nobis Christus apud Deum intercederet, quod præstitit vt Sacerdos; vt condignum pretium ac satisfactionem pro nostris culpis offerret, quod præstitit vt redemptor; vt omnibus certas leges ac media præscriberet ad æternam salutem consequendam, quod præstitit vt summus legislator ac spiritualis animarum pastor: hoc enim triplici munere Christus

autem naturalis habet eandem naturam cum Pa-
3. *Prob. 2.* tre. 2. Quod conuenit humanitati, conuenit etiam Christo vt homini: quia cui conuenit natura, conuenit proprietas naturæ: at humanitati conuenit adoptio, vt proprietas: humanitas enim est adoptata ad filiationem naturalem Dei, per gratiam hypost. vnionis, non per naturalem generationem:
4. *Prob. 3.* ergo adoptio conuenit Christo vt homini. 3. Humanitas Christi priùs natura fuit producta cum gratiâ habituali, quàm fuerit vnita Verbo: ergo priùs natura fuit per gratiam accidentalem adoptata ad gloriam, quàm fuerit substantialiter vnita Deo. Anteced. prob. priùs natura fuit disposita per gratiam habitualem, nam hæc est omnium pro-
5. *Prob. 4.* portionata dispositio ad filiationem naturalem. 4. Non magis repugnat Christo, esse filium adoptiuum, quàm esse creaturam, & subiectum Deo: sed non repugnat de Christo vt homine affirmari, esse creaturam & subiectum Deo: ergo nec repugnabit de eodem affirmari, quòd sit filius adoptiuus Dei.
6. *Prob. 5.* 5. Christus prædestinatus est filius Dei. *Rom.* 1. ergo est filius adoptiuus Dei: quia prædestinatio, est ordinatio ad gloriam: sed vi prædestinationis prædestinatus non manet intrinsecè, sed solùm extrinsecè ordinatus ad gloriam, quia prædestinatio non est actus prædestinati, sed prædestinantis: igitur Christus vi prædestinationis est filius adoptiuus, quia vi prædestinationis non nisi extrinseco affe-
7. *Prob. 6.* ctu prædestinantis ordinatur ad gloriam. 6. Repugnat, esse formam in subiecto, & non conferre illi suum effectum formalem: sed gratia habitualis essentialiter est adoptio; ergo repugnat, esse in subiecto, & non conferre illi effectum formalem adoptionis.

8. *2. Sentent.* SECVNDA affirmat, saltem humanitatem esse adoptatam, idque potissimùm ob 2. & 3. argum. *Gabr. in 3. distinct. 10. quæst. vnic. art. 2. post conclus. 3. Maior. qu. vnic. concl. 3.* etsi isti authores non concedant, humanitatem esse filiam adoptiuam, quia hoc est proprium suppositi, non naturæ. Confirm. ex *Hilario 2. de Trinit. post medium*, qui docet, Christi carnem fuisse adoptatam: quod etiam docent alij PP.

9. *3. Sentent.* TERTIA omninò negat, Christum, aut eius humanitatem fuisse adoptatam: *Magist. in 3. distinct. 10. cap. 4. & 5. Alens. 3. part. quæst. 8. memb. 3. articul. 4. ad argum. & quæst. 10. memb. 4. S. Thom. 3. p. quæst. 23. artic. 4. & 4. cont. gent. cap. 4. & in 3. distinct. 10. q. 2. art. 2. ad 3. quæst. Albert. art. 3. Bonauen. artic. 2. qu. 1. Scoti qu. vnic. Lyche. ibid. Argent. artic. 3. Caiet. Ferrar. Medin. cit. Asturicens. relect. de Christi grat. qu. 1. diffic. vlt. concl. 3. & 4. Suarez 3. part. disp. 49. sect. 2. Vasquez disp. 89. a cap. 6. Valent. disp. 1. quæst. 23. punct. 1.* & reliquorum Recent.

10. DICO 1. Christus neque cum reduplicatione, quà homo, est adoptiuus, sed naturalis filius Dei. Hæc veritas definita est contra *Felicem Episcop. Vrgelitanum & Elipandum Archiepiscopum Toletanum in Concilio Francofordiensi anno 794. tempore Adriani I.* qui definitionem approbauit, vt constat ex eius *Epistola ad Episcopos Galliæ & Hispaniæ*, quæ habetur in eodem Concilio, vnà cum libello Sacrosyllabo, in quo hic error damnatur, & cum duabus Epistol. vnâ Concilij, alterâ Caroli Magni Francorum Regis, qui in eo Concilio fuit, missis ad Hispaniæ Præsules: omnia *in 3. tom. Conciliorum*
11. *Ex Script.* *par. 1. posteriori sect.* Eandem veritatem ex varijs scripturæ, & PP. testimonijs deducit in *cit. Epistol.* Pontifex, ad Rom. 8. *Qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ex quo infert Christum, etiam vt hominem, esse proprium & naturalem filium Dei: si quidem vt homo pro nobis traditus est: sed idem ipse, qui pro nobis traditus est, appellatur ab Apostolo filius Dei: ergo Christus vt homo est filius Dei. Ex Patribus Hilarius 3. *de* 12. *Ex Patrib.*
Trinit. ante medium, in illa *Ioan.* 17. Pater clarifica filium tuum, ita scribit: *Non solum nomine contestatus est, esse se filium, sed & proprietate, quâ dicitur* tuum. *Multi enim nos filij Dei, sed non talis hic filius est. Hic enim & verus & proprius est filius, origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; natiuitate, non creatione.* Hieronymus in 1. *cap. ad Ephes. tom.* 13.
6. super illa, *In charitate prædestinans nos*, de Christo; *Et ille quidem naturâ*, inquit, *filius est, nos verò adoptione. Ille nunquam filius non fuit, nos antequam essemus, prædestinati sumus, & tunc spiritum adoptionis accepimus, quando credidimus in filium Dei.* Au- 14.
gustinus *tract. 82. in Ioan. fine, Nos*, inquit, *filij gratiâ, non naturâ: Vnigenitus autem naturâ, non gratiâ*, subdit, *An hoc etiam in ipso filio ad hominem referendum est?* respondet: *Ita sanè: nam dicendo, sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos, gratiam Mediatoris ostendit. Mediator autem Dei & hominum, non in quantum Deus, sed in quantum homo est Christus Iesus.* Gregorius *lib. 1. Moral. cap. 19.* de Christo, 15.
Omnes, inquit, *qui in fide Deo nascuntur, superat, quia non vt cæteros adoptio, sed natura illum diuinitatis exaltat.*

Ratio assignatur in *citat. lib. Sacrosyllabo*: Ad- 16. *Ratio fundamentalis vnica à Concilio assignata. Definitio Adoptionis.*
optiuus dicitur, qui extraneus est ab adoptante, à quo gratis, non iure & ex debito ad hæreditatem admittitur. Porrò Christus neque vt homo extraneus est à Deo: igitur neque vt homo est adoptiuus, sed naturalis filius Dei. Maior est ipsa adoptionis definitio, quam tradunt leges digestor. *De Adoptionibus*, & institut. *De Adoptionibus.* Minor constat; Christus vt homo, est ipsa persona Verbi in naturâ humanâ subsistens, siquidem vt homo non dicit solam humanitatem, sed includit etiam suppositum, quo subsistit. Consequentia probatur, implicat, vt simul quis sit naturalis, & adoptiuus filius: nam vt naturalis non debet esse persona extranea à Patre; vt adoptiuus debet esse extranea ab adoptante: vt naturalis debet ex se habere ius ad hæreditatem Patris: vt adoptiuus non debet ex se habere ius ad hæreditatem adoptantis. Et licet sit extraneus à Deo Christus secundùm humanitatem præcisè sumptam, non tamen vt substantialiter subsistentem in personâ Verbi, quo pacto tantùm est naturalis filius Dei.

DICO 2. Neque humanitas Christi dici potest 17. *Assertio 2. Fundam.*
adoptata. Fundamentum: adoptio non vnit intrinsecè, & substantialiter, sed tantùm extrinsecè & accidentaliter adoptatum cum adoptante: humanitas autem Christi intrinsecè & substantialiter vnitur cum personâ Verbi, constituendo vnum substantiale cum illo: ergo nequit propriè dici adoptata. Maior constat ex naturâ adoptionis, quæ vt *citat. Sacrosyllabus* docet. *Ex affectione ducit vocabuli sui originem: nam ex affectu dilectionis pars subrepit parti, vt in vtraque conueniat dilectionis affectus. Habet namque ex vtraque parte,* Vtinam, *aduerbium eleganter insitum, vt si dicas*, pergit Concilium, *Vtinam sis mihi in filium adoptiuum: & econtrà, vtinam merear à te in filium adoptari.* Est igitur, de ratione adoptionis, vt non modò illa terminetur ad personam extraneam, sed vt etiam post adoptionem maneat extranea adoptanti, solo affectu, & accidentaliter illi coniuncta. Vnde si quis posset substantialiter communicare proprium suppositum alienæ naturæ, *Adoptionis definitio ex Concilio.*

naturæ, non diceretur, vi talis communicationis, alienam naturam sibi adoptare, sed potiùs illam suam facere. Sicut non dicitur corpus adoptare sibi materiam cibi, quam sibi substantialiter vnit, vel anima rationalis adoptare sibi corpus, sed potiùs, illud sibi substantialiter vniendo, facere suum.

18. *Dices. Contrà.* Nec dici potest Christi humanitas adoptata saltem ratione gratiæ & gloriæ, ratione cuius tantùm extrinsecè & accidentaliter vnitur Deo: nam ad hæc ipsa dona Christi humanitas ordinatur vt ad proprietates iure hypostaticæ vnionis sibi debitas. Nemo autem adoptari potest ad id, quod sibi naturali iure debetur: quia quod nobis naturali iure debetur, est nostrum: nemo autem adoptatur ad id, quod suum est. Maior probat. humanitas Christi priùs naturâ fuit vnita personaliter Verbo, quàm gratiæ & gloriæ; ergo priùs naturâ ratione personalis vnionis cum Verbo acquisiuit naturale ius ad gratiam & gloriam, quàm illas in se reciperet. Antecedens probatur, priùs naturâ humanitas postulabat compleri substantialiter, quàm accidentaliter; igitur priùs naturâ vnita est substantialiter personæ Verbi, quàm gratiæ & gloriæ: nam Deus compleuit illam supernaturaliter eo ordine, quo eandem compleuisset naturaliter: nam etiam in operibus supernaturalibus, quoad fieri potest, Deus seruat connaturales leges naturæ, solumque dispensat in ijs, quarum dispensationem per se postulat opus supernaturale.

19. *Coroll. 1.* Infertur 1. Verbum non solùm vt subsistens in naturâ diuinâ & ratione generationis æternæ, sed etiam vt subsistens in humanâ & ratione generationis temporalis habere intrinsecum & naturale ius ad gloriam: nam vt subsistens in vtraque natura, & ratione vtriusque generationis est naturalis filius Dei.

20. *Coroll. 2.* 2. Ius, quod ratione generationis æternæ, & naturæ diuinæ Verbum habet ad gloriam esse infinitum & illimitatum: ius, quod habet ratione generationis temporalis, & naturæ humanæ, esse finitum & limitatum. *Ratio.* Ratio: hoc ius, quod filius Dei ratione vtriusque naturæ ad gloriam habet, immediatè capitur per naturas, in quibus subsistit, quia capitur & possidetur intellectu & voluntate, quæ sunt proprietates naturæ: sed natura diuina est capax infinitæ illimitatæque gloriæ; humana finitæ ac limitatæ; ergo. Cæterùm si hoc ius ad gloriam in Christo consideretur non ex parte naturæ, illud proximè & immediatè capientis per actus intellectûs & voluntatis, sed ex parte personæ ius conferentis, est æquè infinitum & illimitatum; quia vt sic fundatur in hypostasi diuinâ, quæ respectu vtriusque naturæ est infinitæ ac illimitatæ perfectionis ac dignitatis, ac proinde infinitum ac illimitatum ius habet ad gloriam Dei. Quòd autem de facto non conferat naturæ humanæ infinitum ius ad gloriam, est ex defectu capacitatis naturæ, quæ infinitæ gloriæ capax non est: vnde eo modo, quo illa capax est infinitæ gloriæ syncategorematicè, tribuit illi ius ad gloriam syncategorematicè infinitam. *Ratio.* Ratio: communicando se naturæ humanæ formaliter, communicat illi totum ius, quod habet ad gloriam. Est autem notandum discrimen, quòd hoc ius ad gloriam per se primò conuenit naturæ diuinæ, eâque mediante personæ Verbi: contrà verò respectu naturæ humanæ, per se primò hoc ius conuenit personæ Verbi, eâque mediante naturæ assumptæ.

21. *Censura contra sententiarum.* Quoad censuram oppositarum Sententiarum, *Vasquez citat. disputat. cap. 6.* absolutè pronuntiat illas vt hæreticas, eo quòd sint contra expressam definitionem Concilij Francofordiensis, quæ est, Christum vt hominem non esse filium Dei adoptiuum, sed naturalem. *Medina 3. parte quæst. 24. articul. 1. §. De proposita, conclus. 3. Suarez disputat. 49. section. 3. dicto 3. & 6.* censent hanc propositionem, *Christus in quantum homo est filius adoptiuus*, si taxatiua *In quantum* reduplicet tantùm naturam, non suppositum, ad summum esse falsam & improbabilem: Asturicensis *relect. de Gratia Christi quæst. 1. difficult. vltim. conclus. 4.* putat esse temerariam & periculosam.

Dico 3. Hæc propositio: *Humanitas Christi est adoptata*, non est contra fidem, sed falsa & improbabilis: quia eius oppositum nullibi est definitum: nec est contra fidem asserere, vel quòd priùs naturâ humanitas habuerit gratiam habitualem, per quam priùs etiam naturâ fuerit adoptata ad gloriam, quàm fuerit hypostaticè vnita Verbo: vel quòd ipsa euectio humanitatis ad vnionem hypostaticam cum Deo fuerit adoptio, cùm sit gratia facta naturæ extraneæ: vel quòd sit contra rationem adoptionis, vt adoptatus substantialiter vniatur cum adoptante. 22. *Assertio 3.*

Dico 4. Hæc propositio: *Christus in quantum homo est filius adoptiuus*: etiam præscindendo à definitione Concilij, est ad minimum periculosa, etiamsi particula *In quantum* reduplicet humanitatem. Ratio: facilè declinare potest in errorem *Nestorij*, admittentis in Christo duo supposita, vnum creatum, alterum increatum. Etenim dicendo, *In quantum homo est filius adoptiuus*, ex modo ipso loquendi intelligi potest, quòd sit filius adoptiuus secundùm suppositum creatum, quod etiam secundùm appositam reduplicatiuam consignificat *Homo*. An autem secundùm hanc reduplicatiuam formaliter, sit hæc propositio damnata à Concilio Francofordiensi, affirmant aliqui; negant alij: quibus magis assentior: cùm scopus & finis Concilij sit, tantùm definire, quòd eadem hypostasis filij Dei sit in naturâ humanâ, ac in diuinâ: ita enim concludit: *Et verum Deum, verumq; Dei filium confiteamur in vtraque naturâ, diuina scilicet & humana.* Quod si quando apud idem Concilium reperiatur hæc: *Christus etiam secundùm humanitatem est filius Dei naturalis*, intelligenda est in eodem sensu specificatiuo, in quo sensu negabatur ab hæreticis. 23. *4. Assertio. Error Nestorij.*

Ad 1. primæ; falsum est, Christum in quantum hominem reduplicare solam humanitatem: quia cùm reduplicet humanitatem subsistentem simul cum humanitate consignificat suppositum, in quo natura subsistit. Ad minor. concedo, Christum non esse naturalem filium Dei ratione humanitatis: nego, ratione humanitatis esse filium adoptiuum, quia esse filium Dei adoptiuum, non est prædicatum per se consequens humanitatem, cùm etiam in puro homine possit esse absque adoptione Dei. Ad probat. consequent. Christus non ratione humanitatis, sed ratione naturalis filiationis Dei est ad gloriam, vt ad hæreditatem ordinatus. Nam licet Christus etiam secundùm naturam humanam sit ordinatus ad gloriam, vt ad hæreditatem, non est tamen huius ordinationis per se & formalis causa humanitas, sed persona Verbi in humanitate subsistens: sola autem humanitas est subiectum huius ordinationis. Vnde nego, ratione humanitatis Christum necessariò debere esse, vel filium naturalem, vel adoptiuum Dei: quia cùm 24. *Ad rationes 1. Sentent. Reduplicationis vis examinatur.*

hæc non opponantur per modum affirmationis & negationis, non necessariò si humanitati non competit vnum, necessariò ei competet alterum; nam potest ab vtroque præscindere, cùm vtrumque illi competat per formam positiuam, licet esse filium adoptiuum, præter formam positiuam, includat negationem filiationis naturalis in eodem subiecto.

25. *Ad 2.* Ad 2. neg. minor. Ad probat. patet ex *assert.* 2. non enim quæuis gratia est adoptiua, sed quæ tantùm affectu & accidentaliter coniungit adoptatum cum adoptante.

26. *Ad 3.* Ad 3. neg. anteced. vt ex eâdem assertione 2. constat. Ad probat. nego, vllam dispositionem, siue physicam, siue moralem præcessisse vnionem hypostat. in humanitate Christi, vt *disp.* 12.

27. *Ad 4.* Ad 4. neg. maior. nam ratio creationis, & subiectionis ad Deum per se sequitur ad humanitatem: scilicet quâ ratione humanitas est creatura, creatione est creatura, ac proinde titulo eiusdem creationis est subiecta Deo. Ratio verò adoptionis non per se sequitur ad humanitatem, cùm possit esse humanitas non adoptata Deo.

28. *Ad 5. Prædestinatio altera actiua in prædestinante, altera passiua in prædestinato.* Ad 5. neg. consequent. Ad probat. Concedo, Christum vt hominem vi prædestinationis actiuæ, extrinsecè tantùm manere ordinatum ad gloriam: nego, extrinsecè tantùm, & solo affectu & accidentaliter, sed intrinsecè & substantialiter manere ad gloriam ordinatum, vi prædestinationis passiuæ, quæ est ipsa substantialis ac personalis vnio humanitatis cum Verbo, ratione cuius ordinatur ad glòriam, vt naturalis filius Dei ad propriam hæreditatem. Nec potest Christus vt homo ratione prædestinationis actiuæ, denominari filius adoptiuus; quia hæc denominatio includit vt complementum sui negationem filiationis naturalis. Sicut nequit filius naturalis creatus ex affectu, quo parens naturalis generat illum similem sibi, denominari adoptiuus, ob eandem rationem; quia nimirum adoptiuus includit negationem filij naturalis.

29. *Ad 6. Gratia est adoptio respectu subiecti extranei.* Ad 6. resp. quia Christus vt homo non est suppositum extraneum à Deo, non potest in ipso gratia habitualis habere formalem effectum adoptionis. Quo fit, vt filius adoptiuus non solùm includat negationem filij naturalis, sed cuiuscumque suppositi non extranei adoptanti.

30. *Ad argum. Secunda.* Ad argum. secundæ, patet ex dictis in 2. assert. Ad Hilarium respondet *S. Thom. 3. parte quæst.* 23. *articul.* 4. *ad* 1. & reliqui, illum impropriè fuisse locutum, & carnem adoptatam accepisse pro vnitâ hypostaticè Deo. *Vasquez cit. disp. cap. vlt.* contendit pro *Adoptatur*, legendum esse, *Adoratur*.

SECTIO II.

An Christus vt homo sit filius naturalis solius æterni Patris, an totius Trinitatis?

31. *1. Sentent.* PRIMA Sentent. affirmat, esse filium totius Trinitatis: *Suarez 3. p. tom. 1. disp.* 49. *sect.* 2. *Vasquez disp.* 89. *cap.* 14. qui docent, in Christo esse tres filiationes naturales; vnam ad Patrem, ratione generationis æternæ; alteram ad matrem, ratione generationis temporalis; postremam ad totam augustissimam Trinitatem, ratione vnionis hypost. & quidem primas duas fundari in proprijs generationibus, quæ est *origo viuentis à viuente à principio coniuncto in similitudinem naturæ*, nam ratione primæ accipit eandem numero naturam per principium coniunctum à Patre: ratione secundæ eandem specie naturam per principium coniunctum à matre: tertiam verò fundari in gratia vnionis hypostat. ratione cuius hic homo Christus sanctificatus Deitate, sibi substantialiter vnitâ, constituitur naturalis filius Dei, & hæres vitæ æternæ, fundatque respectum ad totam Trinitatem.

32. *Prob. 1.* Prob. 1. Filiatio, quam Christus vt homo habet ad Deum, fundatur in vnione hypostat. sed hæc procedit effectiuè à totâ Trinitate: ergo filiatio, quam Christus vt homo ad Deum habet, est ad totam Trinitatem. Maior constat, quia Christus vt homo non dicitur naturalis filius Dei ratione generationis æternæ, ratione cuius non generatur vt homo, sed vt Deus; sed ratione vnionis hypost. ratione cuius generatur vt homo Deitate sanctificatus, & filius naturalis Dei secundùm humanitatem. Conseq. probat. ad illum terminatur respectus, à quo procedit fundamentum, ex quo resultat respectus: sed vnio hypostatica, quæ est fundamentum huius filiationis, procedit à totâ Trinitate: ergo respectus, quæ est naturalis filiatio Christi vt hominis ex eâ resultans terminatur ad totam Trinitatem.

33. *Prob. 2.* 2. Si incarnaretur Pater, aut Spiritus S. tam Pater, quàm Spiritus S. vt homo esset naturalis filius Dei, non minùs quàm de facto sit naturalis filius Dei Christus vt homo: at non posset eo casu Pater, & Spiritus Sanctus esse filius naturalis, nisi totius Trinitatis: quia cùm nec Pater, nec Spiritus Sanctus sit filius ratione generationis æternæ, si eo casu esset filius naturalis Dei, non posset esse nisi totius Trinitatis. Sequela probat. si Pater, aut Spiritus Sanctus incarnaretur, vterque vt homo haberet naturale ius ad hæreditatem Dei, non minùs, quàm ad illam de facto habet Christus vt homo: igitur esset naturalis filius Dei: nam ius naturale ad hæreditatem essentialiter fundatur in iure naturalis filiationis.

34. *Confirm.* Confirm. Pater, vel Spiritus S. tali euentu non esset, quà homo filius adoptiuus; nam eadem ratio, quæ demonstrat, de facto Christum vt hominem non esse filium adoptiuum Dei, simul demonstrat de reliquis diuinis personis, si incarnarentur: non enim est præcisè, quia est filius naturalis Dei, sed quia non est persona extranea à Deo: at neque reliquæ diuinæ personæ sunt extraneæ à Deo: ergo nec essent filij adoptiui, sed naturales Dei, non ratione generationis æternæ, sed ratione vnionis hypostat. per quam in tempore generarentur homines.

35. *Prob. 3.* 3. Non posset Pater quà homo eo casu esse Pater æterni Verbi, denominatione deriuatâ ab ipsâ paternitate; quia Pater vt homo non esset principium æternæ generationis Verbi: ergo neque Christus vt homo dici potest filius naturalis solius æterni Patris, denominatione desumptâ ab ipsâ filiatione Verbi.

36. 4. Filiatio æterna Verbi non informat humanitatem; ergo non potest illam ad Patrem referre; ergo nec potest illam denominare æterni Patris filium.

Confirm. Confirmat. sicut Christus vt homo non denominatur ab ipsâ Deitate Deus; ita nec vt homo denominabitur ab æternâ filiatione filius: alioqui solâ extrinsecâ denominatione diceretur filius, non secus ac columna dicitur dextra vel sinistra ab extrinsecâ denominatione animalis.

37. *2. Sentent. longè probabilior.* SECVNDA Sentent. docet, Christum vt hominem esse filium naturalem solius æterni Patris: *Alens. 3. part. quæst. 8. memb. 3. artic. 4. S. Tho. 3. parte quæst. 32. articul. 3. fine corp. Caietan. Medin. ibid. & in 3. distinct. 4. quæst. 1. artic. 2. Albert. ibid. artic. 4. Bonauent. art. 1. quæst. 3. Richard. art. 1. quæst. 2. Argent. quæst. vnic. art. 4. Capreol. qu. vnic. art. 1. conclus. 3.*

Maior.

Maior. quæst. 4. Gabr. quæst. vn. articul. 3. dub. 2. Bacho. in 3. dist. 8. qu. vn. articul. 2. §. 3. Grana. 1. p. tom. 3. tract. 1. disp. 5. sect. 5. fine, Ioan. de Lugo de mysterio Incarn. disputat. 31. sect. 3. &c. Recentiorum.

38. *Prob. 1.* Hæc longè probabilior est. Probatur 1. authoritate Patrum, qui non nisi duas in Christo agnoscunt filiationes, alteram ad Patrem, fundatam in æternâ generatione; alteram ad matrem, fundatam in generatione temporali. Vnde nullus vel ex antiquis Schol. vel Patribus hoc tertium filiationis genus agnouit in Christo. Neque illud necessarium est ad saluandam definitionem Concilij Francof. quæ docet contra Felicem & Elipan. Christum etiam vt hominem esse filium naturalem Dei: nam per eam definitionem statuitur, Christum, in vtrâque naturâ, esse eundem filium naturalem Dei, eo quòd vna eademque sit vtriusque naturæ persona: ad quod saluandum, nihil conducit, vt per se patet, hoc tertium filiationis genus, ab aduers. excogitatum. 2. ex August. qui 2. *de Trinitate cap.* 10. illa

39. *Probatur ex Patribus.* *Matth.* 3. *&* 17. non à totâ Trinitate, sed *cogimur*, inquit, *non nisi Patris accipere, vbi dictum est*: Hic est filius meus dilectus. *Neque enim Iesus etiam Spiritus S. filius, aut etiam suus filius credi, aut intelligi potest*. De solo etiam Patre eundem locum interpretatur Hierony. & alij PP. Idem August. *in Enchir. cap.* 38. 39. *&* 40. expressè negat, Christum vt hominem dici posse Spiritûs S. filium. Nec rectè *Vasquez* Augustinum explicat de filiatione secundùm humanitatem, non secundùm gratiam Vnionis: nã expressè *cap.* 40. mentionem facit de gratiâ Vnionis, secundùm quam negat, Christum dici filium Spiritûs S. *Modus iste, quo natus est Christus de Spiritu S. nõ sicut filius, & de Maria Virgine sicut filius, insinuat nobis gratiam Dei, quâ homo nullis præcedentibus meritis, in ipso exordio naturæ suæ, quo esse cœpit, Verbo Dei copularetur, in tantam personæ vnitatem, vt idem ipse esset filius Dei, qui filius hominis, & filius hominis, qui filius Dei: ac sic in natura humana susceptione fieret quodammodo ipsa gratia illi homini naturalis, quæ nullum peccatum possit admittere.* Vbi apertè loquitur de gratiâ Vnionis hypost. secundùm quam negat, Christum esse filium Spiritus S. atque adeò totius Trinitatis, sed tantùm Patris secundùm diuinam, & hominis secundùm humanam naturam.

40. 3. Ex Fulgen. *de Fide ad Petrum cap.* 2. *init.* vbi docet, si Pater incarnaretur, non futurum Dei, hominis dumtaxat filium: *Si secundùm diuinam quidem naturam Deus Pater de nullo nasceretur Deo, secundùm carnem tamen ipse nasceretur ex Virgine, vna persona esset Pater & Filius: ipsa autem vna persona pro eo quia non de Deo, sed tantùm de Virgine nasceretur, non Dei filius, sed tantùm hominis filius veraciter diceretur.* Et paulò pòst: *Ipse, qui filius dicitur, si idem esset & Pater, non veraciter Dei filius diceretur, quia non de Deo, sed de solâ Virgine nasceretur.* 4. ex Con-

41. *Probatur ex Concil. Tolet. XI.* cilio *Tolet. XI. in ipsâ professione fidei circa med.* vbi expressè negat, Spiritum S. esse Patrem Christi: *Nec tamen Spiritus sanctus Pater esse credendus est filij, pro eo quod Maria eodem Spiritu sancto obumbrante concepit, ne duos Patres filij videamur asserere, quod vtique nefas est dici.*

42. *Probatur ratione.* Vltimò: Christus vt homo non est naturalis filius Dei, nisi ratione hypostasis Verbi, quam includit: ergo non est filius naturalis totius Trinitatis, sed solius æterni Patris, à quo tantùm hypostasis Verbi gignitur. nam illius tantùm est naturalis filius, quem respicit vt naturalem parentem; cùm filius dicatur correlatiuè ad Patrem, naturalis ad naturalem: illum autem respicit vt naturalem parentem, quem vt talem respicit forma ipsa, qua Christus vt homo formaliter constituitur naturalis filius Dei: at forma, qua Christus vt homo formaliter constituitur naturalis filius Dei, non respicit vt naturalem parentem ac progenitorem, nisi solũ æternum Patrem; scilicet per id debet naturalis filius formaliter respicere suum naturalem parentẽ, quo formaliter constituitur in esse naturalis filij; eadem quippe forma, quæ constituit filium in esse filij; simul refert filium ad parentem: sed Christus vt homo non constituitur naturalis filius Dei humanitate, quia hæc est extranea & dissimilis Deo: neque vnione hypost. quatenus modus creatus est, cùm nequeat modus creatus constituere naturalem filium Dei. Superest igitur, vt formaliter constituatur naturalis filius Dei hypostasi Verbi à Patre genitâ: hæc autem, vt patet, non nisi æternum Patrem vt naturalem parentem ac progenitorem respicit: scilicet cùm nequeat Christus vt homo constitui naturalis filius Dei, neque humanitate, neque vnione hypost. vt modus creatus est humanitati inhærens, hypostasis Verbi à Patre genita, vt substantialiter vnita cum naturâ humanâ, constituit cum illâ vnam personam, quæ dicitur & est naturalis filius Dei: nam sicut hypostasis Verbi per vnionẽ personalem communicat se formaliter naturæ humanæ, ita communicat illi esse naturalis filij Dei. Vnde non accipit à naturâ humanâ esse naturale filij Dei, sed potiùs ipsum esse naturale filij Dei, quod supponitur accepisse per communicationem naturæ diuinæ, communicat naturæ humanæ per solam idiomatum communicationem, quatenus de hoc homine, vt includente hypostasin filij Dei, dicitur & prædicatur ipsum esse naturale filij Dei. *Ergo Christus vt homo non est naturalis filius totius Trinitatis; Sed solius æterni Patris.* 43.

Confirm. quando aliquis non constituitur naturalis filius per generationem, sed per substantialem vnionem cum personâ, vt cum formâ formaliter conferente effectum naturalis filiationis, nisi persona cum quâ vnitur, sit naturalis filius, non potest aliunde constitui filius naturalis. Vnde si Paulus vniret hypostaticè suum fratrem, aut nepotem cum homine extraneo, talis homo non diceretur filius, sed frater, aut nepos Pauli: contrà verò si idem Paulus vniret hypostaticè Petrum filium suum naturalem cum aliquo homine extraneo, talis homo diceretur naturalis filius Pauli: quia hoc ipso, quòd esset vna persona cum Petro filio, esset idem naturalis filius Pauli, non per generationem, sed per formalem idiomatum communicationem: quia quicquid diceretur de Petro Pauli filio, diceretur de tali homine includente suppositum Petri Pauli filij. 44. *Confirm.*

Neque obstat potissimum fundamentum aduers. asserentium, Christum vt hominem non constitui naturalem filium Dei formaliter per hypostasin Verbi, sed per sanctificationem moralem moraliter deriuatam ab ipsâ Deitate, vt à formâ formaliter sanctificante Christi humanitatem, & quia hic effectus moralis sanctificationis est à totâ Trinitate, Christus vt homo est naturalis filius, non solius æterni Patris, sed totius Trinitatis: tum quia Christus vt homo non tantùm moraliter, sed etiam physicè & naturaliter est filius Dei: ergo non tantùm per moralem sanctificationem moraliter deriuatam à Deitate, sed per physicam & naturalem hypostasin Verbi substantialiter sibi vnitam est naturalis filius Dei. nam moralis sanctificatio non est forma physica, sed moralis; est enim extrinseca denominatio ab ipsa Deitate, vt à formâ moraliter sanctificante: igitur si Christus vt homo esset naturalis filius Dei per moralem dumtaxat sanctificationem humanitatis moraliter deriuatam à Deita- 45. *Soluitur potissimum fundam. aduers.*

te, non esset physicè & naturaliter, sed solùm moraliter filius Dei: nam talis est effectus formalis, qualis est forma: igitur si forma constituens Christum, vt hominem filium Dei, est moralis, ipsum etiam esse filij Dei, qui est effectus formalis huius formæ, erit morale. Tum quia falsum est, moralem sanctificationem humanitatis à Deitate deriuatam, esse à totâ Trinitate; licet enim vnio sit à totâ Trinitate, ipsa tamen moralis sanctificatio deriuata in humanitatem à Deitate vnitâ, est à solâ personâ Verbi: ab eâ scilicet quæ est illi hypostaticè vnita. 1. Confirm. alioqui omnes tres diuinæ personæ humanitatem sanctificarent, quod falsum est.

Moralis sanctificatio est à solâ personâ Verbi.

46. *Ad Fund. Suarez.* Neque obstat ratio *Suarez* contendentis, personam filij Dei, non vt persona filij Dei est formaliter, sed vt persona Dei præcisè, constituere Christum vt hominem naturalem filium Dei: proinde etiam Patrem, aut Spiritum sanctum, si humanitatem assumerent, constituturos assumptum hominem naturalem filium Dei. Falsum quippe id est: 1. quia, vt diuina oracula testantur, persona filij Dei incarnata est: ergo vt persona filij Dei est formaliter, constituit Christum hominem naturalem filium Dei. 2. quia, qui constituitur naturalis filius per vnionem cum personâ, vt cum formâ formaliter conferente ipsum esse filij, nisi persona ipsa sit naturalis filius, & vt sic vniatur, non poterit homo, cui talis persona vnitur, esse naturalis filius; quia hunc effectum non habet, nisi ab ipsâ forma, cum quâ substantialiter vnitur. Hinc si Pater, aut Spiritus sanctus incarnaretur, neutrum quatenus hominem fore naturalem filium Dei, sed Patrem etiam vt hominem fore Patrem, & Spiritum sanctum etiam quà hominem fore Spiritum sanctum, nam talis esset homo assumptus, qualis esset hypostasis assumens, cùm non aliam denominationem haberet homo assumptus, quàm ab ipsa hypostasi assumente, à quâ per communicationem idiomatum participaret eadem prædicata, quæ essentialiter includeret ipsa hypostasis assumens.

Deducitur oppositum ei quod Suarez inferebat.

47. *Dices.* *Obijcies*; Concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi non est secundùm naturam simile Deo: constituitur enim ex naturâ humanâ & præcisâ subsistentiâ Verbi, quod totum non est secundùm naturam simile Deo: ergo non est naturalis filius Dei: nam filius, vt ex eius definitione constat, est, qui vi suæ productionis procedit similis in naturâ cum principio producente: Christus autem non est similis in naturâ Deo ratione humanitatis, sed ratione diuinitatis, quam non includit concretum ex humanitate, & solâ præcisâ subsistentiâ Verbi.

48. *Confirm.* Confirmatur, nequit filiatio diuina denominare filium Dei quodcunque subiectum, sed proportionatum, qualis est sola natura diuina, cum quâ tantùm constituit simile cum Deo producente. quia si filius Dei assumeret naturam lapidis, vel equi, non denominaret lapidem, vel equum filium Dei, ex defectu similitudinis in naturâ cum Deo: ergo nec denominabit naturalem filium Dei hominem assumptum. Nam tam dissimilis est Deo natura humana, quàm natura lapidis, vel equi.

49. *1. Resp. Suarez & Vasquez.* Responsio 1. *Suarez & Vasquez*. neg. conseq. nam ad filiationem naturalem per ipsos sufficit, habere ius ad Patris hæreditatem; idque habet etiam constitutum ex humanitate & solâ vnione ad Verbũ.

50. *Reijcitur.* Sed contrà: filius etiam adoptiuus vi adoptionis habet ius ad hæreditatem Dei: & quod discriminat filium naturalem ab adoptiuo, est similitudo in naturâ cum parente. Cùm igitur nec concretum ex humanitate & præuisa subsistentiâ Verbi, & multò minùs concretum ex humanitate & solâ vnione ad Verbum, habeat similitudinem in naturâ cum Deo, neutrum constitutum dici poterit naturalis filius Dei. Nec sufficit discrimen filij naturalis ab adoptiuo, quod adoptiuus tantùm extrinsecè, & accidentaliter, naturalis verò substantialiter vniatur cum Deo: nam nisi hæc substantialis vnio ponat similitudinem in naturâ inter vnitum & vnientem, non est sufficiens ad veram filiationem naturalem, quæ ex suo formali conceptu importat similitudinem in naturâ cum principio producente.

SECVNDA Resp. est negantium antecedens: putant enim concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi, etiam à naturâ diuinâ præcisâ, habere sufficientem similitudinem in naturâ ad fundandam veram & propriam filiationem naturalem inter Christum vt hominem, & Deum: quod sic probant: Huic concreto ex humanitate & præcisâ subsistentiâ Verbi conuenit tota generationis definitio; ergo & propria ratio filij. nam cui conuenit generatio, conuenit & terminus generationis. Antecedens ostend. Christus vt homo, ratione naturæ humanæ, procedit vt viuens à Deo viuente in similitudinem naturæ intellectualis, etsi non eiusdem speciei, sufficientis tamen, vt dicatur etiam vt homo in similitudinem & imaginem Dei: cùm ad veram filiationem non requiratur similitudo in naturâ specificâ, vt patet in mulo, qui est verus filius equi & asinæ, esto non procedat similis in naturâ specificâ cum illis. Est etiam à principio coniunctò, ratione subsistentiæ diuinæ, quæ communicatâ humanitati intrinsecè constituit eum illâ hoc concretum *Christus*. 51. *2. Resp. negantium simpliciter antec.*

Sed contrà: Ariani iuxta hanc responsionem cõcederent, Verbum esse filium Dei naturalem, alterius tamen naturæ à Deo: nec rectè Patres vnitatem naturæ Verbi cum Deo probarent ex naturali generatione ipsius. 2. falsum est, ad veram & propriam generationem sufficere quamcunque producti cum producente similitudinem, sed ad minimum necessariam esse specificam, vt cum *Philosopho 7. Metaph. cap. 8.* docent Theologi: defectu cuius, vt 1. *tomo disput. 18. sect. 7.* vermes, ab homine geniti non dicuntur hominis filij. quia cùm finis generationis sit, vt in filio exprimatur parens, in eoque propagetur, debet tota specifica natura parentis communicari filio. Nec est eadem ratio de generatione muli, quæ per se quidem ex parte principij tendit ad perfectè simile in naturâ, per accidens autem, ratione commistionis variarum specierum hæc similitudo impeditur: propter quod Arist. *citat. loc.* generationem muli appellat *præternaturalem*. 52. *Impugnatur.* *Ratio à priori.*

TERTIA aliorum est, concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi præcisè esse simile Deo, ex diuersis tamen capitibus: nam ratione naturæ humanæ procedit vt viuens à Deo viuente, ratione naturæ diuinæ inclusæ in subsistentiâ Verbi, habet similitudinem eiusdem naturæ cum Deo: ac proinde habet totum: quod ad perfectam generationem requiritur, licet non ex vno, sed ex diuersis capitibus. 53. *3. Resp.*

Confirmatur, Christus dicitur duplici generatione genitus, æternâ & temporali: & vtraque tam æterna, quàm temporalis est generatio filij Dei; nam per vtramque denominatur genitus & filius Dei naturalis: ergo non solùm per generationem æternam, sed etiam per temporalem est verus & proprius naturalis filius Dei. 54. *Confirm.*

Sed contrà: ad veram generationem requiritur, vt vi eiusdem productionis formaliter terminus 55. *Refutatur.*

procedat

procedat vt viuens à viuente, & simul illi in naturâ similis, vt in omni verâ generatione constat: alioqui etiam Spiritus S. esset filius Dei, quia licet vi productionis præcisè, quâ procedit à principio spirante, non procedat adæquatè similis in naturâ, tamen ratione illius procedit vt viuens à viuente coniuncto, ratione verò naturæ identicè coniunctæ cum termino amoris, quem vi suæ processionis formaliter accipit, procedit adæquatè similis cum principio producente.

56. Confirm. Confirmatur, productio, quâ genitus procedit à principio producente, debet per se, & non merè concomitanter connecti cum similitudine naturæ, quam genitus vi suæ processionis à generante accipit, cùm sit ipsa similitudo naturæ in fieri. Productio autem, quâ Christus vt homo procedit vt viuens à viuente Deo, merè concomitanter se habet ad similitudinem naturæ, quam idem Christus vt homo vi vnionis cum diuinâ hypostasi accipit, vt per se patet: siquidem actio productiua humanitatis per se tantùm tendit ad humanitatem, vt ad proprium & intrinsecum terminum, non autem ad vnionem hypost. cum personâ Verbi, vi cuius Christus vt homo accipit similitudinem cum Deo, vt *disput.8.sect.1.*

57. Ad confir. Ad confirmationem, distinguo minor. vtraque generatio in Christo, est generatio filij Dei essentialiter, nego; vna essentialiter, altera denominatiuè, & per solam idiomatum communicationem, concedo. Sicut idem Christus est filius Dei, vt Deus, & vt homo; vt Deus essentialiter, vt homo denominatiuè, & per idiomatum communicationem ab ipsâ hypostasi filij Dei substantialiter vnitâ. Talis autem gemina filij Dei generatio non arguit geminam formam diuinæ generationis, sed vnam & eandem, quæ in seipsâ essentialiter talis per substantialem coniunctionem denominat aliam similiter talem, quæ tamen ex se non est essentialiter & intrinsecè talis. Velut tam voluntas, quàm actus ipsius dicuntur liberi, cùm tamen non gemina, sed vna sit libertatis forma, quæ essentialiter & intrinsecè voluntatem, denominatiuè & extrinsecè liberos denominat ipsius actus. Productio igitur humanitatis in Christo dicitur generatio filij Dei, non essentialiter & intrinsecè, sed denominatiuè & extrinsecè à generatione æternâ diuinæ hypostasis sibi substãtialiter vnitæ. Vnde sicut temporalis productio humanitatis per denominationem ab æternâ generatione Verbi non fit intrinsecè & essentialiter generatio filij Dei, sed tantùm denominatiuè & per communicationem idiomatum: ita nec infert nouam filiationem Dei essentialem & intrinsecam in Christo.

58. 4. Resp. aliorum. QVARTA: concretum ex humanitate & subsistentiâ præcisâ Verbi includere naturalem filiationem Dei, non in facto esse, quo pacto includeret etiam naturam diuinam, sed tantùm in fieri, & fundamentaliter, prout idem est quod genitus ab actione generatiuâ, quæ est tantùm via ad communicandam naturam. Sicut igitur, filius Dei denominatur genitus, non à naturâ diuinâ, sed à generatione æternâ; ita ab eâdem etiam dici potest filius in fieri & fundamentaliter. Eodem modo denominare potest concretum ex humanitate & subsistentiâ præcisâ Verbi, genitum & filium in fieri, quod sufficit, vt aliquo modo hoc concretum dici possit filius Dei.

59. Reijcitur. Sed contrà: hæc responsio ponit concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi non esse perfectè, integrè, formaliterque filium Dei, sed tantùm incompletè, fundamentaliter, & exigitiuè, quod videtur contra modum loquendi Patrum, Concil. & Scholast. qui docent, æquè verum, proprium, ac perfectum esse filium Dei, vt subsistentem in humanâ, ac in diuinâ naturâ, ex *cit.* Concil. Francofor. *verum Deum, verumq; Dei filium confiteamur in vtrâque naturâ, diuinâ scilicet & humanâ:* cùm tamen iuxta hanc responsionem non æquè verus ac perfectus filius Dei esset in humanâ ac in diuinâ naturâ: nam in humanâ non esset completè, formaliter, & integrè filius Dei, sicut est in diuinâ, sed tantùm incompletè, fundamentaliter, & in viâ dumtaxat ad esse filij Dei. 2. non euitat difficul. nam etiam filius in fieri includit naturã in fieri, sicut generatio actualem communicationem naturæ, & quæuis actio includit entitatem termini in fieri; nam hoc est discrimen inter fieri, & factum esse rei, quod factum esse includit rem in esse quieto, fieri verò eandem rem importat in motu, & in viâ ad esse quietum. Ergo si concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi includit filium Dei in fieri, includit etiam naturam diuinam in communicari, esto illam non includat in esse communicato.

QVINTA nostra est, negando simpliciter, concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi reipsâ non esse perfectè simile Deo, ac proinde completè ac formaliter naturalem filium Dei: cùm in eo reipsâ non solùm includatur præcisa proprietas relatiua filij; sed etiam natura diuina vt propria filij; idque per se, licet mediatè, nam immediatè solùm cum humanitate vnitur personalitas relatiua Verbi, mediatè tamen & per se vnitur etiam natura diuina, non vt communis omnibus, sed vt propria Verbi, in eoque essentialiter inclusa: ac proinde totum concretum ex humanitate & subsistentiâ Verbi reipsâ constituitur ex naturâ humanâ, & integrâ ac completâ formalique persona filij Dei. 60. 5. Resp. Authoris ad arg. num. 47.

Quòd reipsa tota formalis persona filij Dei in tali concreto per se includatur, sic probatur: totum illud per se in tali cóncreto includitur, quod per se fuit in mysterio Incarnationis à Deo intentum: sed quod in hoc per se fuit à Deo intentum, non fuit vt sola proprietas relatiua, sed tota, integra, & completa, ac formalis persona filij incarnaretur: igitur tota, integra, completa, ac formalis persona filij Dei per se in hoc concreto ex humanitate, & subsistentia Verbi includitur. Maior patet; nam Deus rem exequitur, vti decernit: ergo si decreuit, per se incarnari totam ac formalem personam filij, ita reipsa illam exequitur. Minor colligitur ex Scripturis, quibus absolutè dicitur Deus misisse filium suum: *Ioan.* 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt Vnigenitum suum daret:* ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Quod etiam Pater testatus est *Matth.* 3. *&* 17. *&* 2. *Petri* 1. *Hic est filius meus dilectus.* Porrò filius non potest præscindere à naturâ parentis, per quam formaliter constituitur in esse filij: vnde tantum quis deficit à ratione filij, quantum deficit à naturâ sui parentis. Igitur si Christus vt homo reipsa non includeret per se personam filij, etiam vt includentem naturam diuinam vt sibi propriam, non includeret formaliter & completè, sed tantùm incompletè, exigitiuè & fundamentaliter filium Dei: consequenter non posset de hoc concreto formaliter sumpto absolutè dici, quod sit filius naturalis Dei, nam filius naturalis Dei formaliter includit naturam diuinam. Neque dici potest naturalis filius Dei, vel ratione solius proprietatis relatiuæ; nam illa præcisè & formaliter sumpta non est filius Dei, sed vt formaliter includens naturam Dei: sicut subsistentia creata, vt præcisa à naturâ non 61. Prob. Oracula Scrip. Reduplicatiua vis.

non est filius, sed vt formaliter includens naturam parentis: vel ratione naturæ diuinæ concomitanter tantùm,& per accidens in eodem concreto inclusæ: nam ea tantùm in recto,& substantiuè prædicantur, quæ per se vniuntur.

62. *Tota Verbi persona est per se vnita.* Quòd autem hoc sufficiat, vt tota persona filij Dei dicatur per se vnita, esto immediata ratio sit sola proprietas relatiua, prob. totum illud dicitur per se vnitum, quod per se terminat vnionem, esto non omnis ratio identificata cum re vnitâ æquè immediatè vniatur; sed tota persona filij Dei per se terminat vnionem naturæ humanæ, esto non omnis ratio identificata cum personâ Verbi æquè immediatè vniatur: ergo tota persona filij Dei est per se vnita cũ naturâ humanâ: ac proinde tota persona filij Dei per se prædicatur de Christo vt homine. Maior patet, nam neque generatio humana æquè immediatè terminatur ad esse hominis, ac ad esse animalis, viuentis &c. nam ad esse hominis terminatur immediatè vt ad esse specificum, quod per se primò intendit generatio humana; ad esse animalis, viuentis &c. mediatè, vt ad esse genericum essentialiter inclusum in ipso esse specifico hominis. Minor probatur: hæc vnio hypost. essentialiter respicit vt terminum sui, non solùm proprietatem relatiuam, sed etiam absolutam naturam Verbi, adeò vt implicet conseruari hanc numero vnionem, natura diuina non terminante. *Ratio.* Ratio: natura diuina non vnitur cum humanâ, vt ratio diuersa à personalitate Verbi, sed vt essentialiter eadem cum ipsâ: proinde vnio terminatur ad illam, vt ad quid vnum cum personâ, quamuis immediata ratio terminandi sit personalitas Verbi. Sicut generatio humana non terminatur ad rationem genericam hominis, vt ad rationem diuersam, sed vt ad eandem essentialiter cum specificâ, etsi immediata ratio terminandi sit specifica, non generica.

63. *Ad confir. num. 48.* Ad confirmationem, respondeo 1. negando suppositum Verbi per communicationem idiomatum non denominaturum substantialiter quamcunque naturam completam, quam hypostaticè assumeret, naturalem filium Dei: quia cùm hæc substantialis denominatio sit per solam idiomatum communicationem, cuicumque Verbum suam hypostasin substantialiter communicaret, simul illi communicaret esse naturale filij Dei. 2. negari posset conseq. quia cùm ratio filij Dei, sit ratio filij intellectualis, per se requirit naturam intellectualem, cui possit communicare ius ad hæreditatem Dei, quod per se affert filiatio intellectualis. Sicut quia denominatio personæ essentialiter requirit naturam intellectualem, non posset hypostasis Verbi substantialiter vnita equo, vel lapidi, denominare illum personam, sed suppositum.

64. *Contra hãc nostram resp. dices 1.* *Obyci* potest 1. Id tantùm per se cum naturâ humanâ vnitur, quo natura humana per se indiget; sed per se non indiget, nisi solâ ac præcisâ subsistentiâ Verbi: nam eâ tantùm perfectione natura humana per se à Verbo indiget, quam accepisset à proprio supposito: sed à proprio supposito non accepisset, nisi puram ac præcisam subsistentiam: ergo eam tantùm accipit à Verbo, succedente loco proprij suppositi. Maior probatur. Illud tantùm per se cum naturâ humanâ vnitur, quod cum illâ constituit vnum per se: hoc autem est sola & præcisa subsistentia Verbi: nam quicquid vltra illam cum naturâ humanâ vnitur, aduenit illi vt enti vltimò completo in esse substantiali; vnde nõ posset constituere vnum per se cum illa. Negó maior.

65. *Resp.* Etenim cum natura humana non tantùm per se vnitur, quod necessarium est ex parte ipsius, sed etiam quod necessarium est ex parte assumentis, scilicet vt non modò personalitas, sed etiam natura in personalitate essentialiter inclusa vniatur, ex ordinatione diuinâ, quâ decreuit, filium suum incarnari: cùm igitur in filio per se includatur natura genitoris, per se cum filio vnitur natura diuina. Ad probationem, negatur minor. Ad probationem, nego naturam diuinam aduenire humanę, vt enti substantialiter completo, quia non aduenit illi vt ratio diuersa à personalitate Verbi, sed vt essentialiter inclusa in illâ, & per modum vnius termini adæquatè terminantis vnionem ad se: ita vt vi præsentis Incarnationis non sufficiat ad substantiale complementum assumptæ humanitatis sola ac præcisa terminatio personalitatis, sed necessaria etiam sit terminatio naturæ diuinæ, vt inclusæ in personalitate Verbi, cum quâ constituit vnum terminum adæquatum.

Obycies. 2. Si in hoc cõcreto ex humanitate & subsistentiâ Verbi per se formaliter includeretur natura diuina, posset de eo etiam cũ reduplicatione in concreto prædicari natura diuina: *Christus vt homo est Deus:* sicut, quia in eo per se formaliter includitur personalitas Verbi, valet hæc propositio: *Christus vt homo est persona Verbi: Christus vt homo est filius Dei:* Consequens non admittitur à *S. Tho. 3. p. q. 16. a. 11.* & reliquis, à quibus tamen admittitur posterior. 67. *Resp. 1.* Nego sequel. quia, vt *ibid. S. Tho.* concretum naturę in propositione cum reduplicatione positum, præsertim quando se tenet ex parte prædicati, potiùs supponit pro naturâ, quàm pro supposito; at natura humana non est natura diuina. 2. ideò prior propositio admittenda non est, vt posterior; quia concretum naturæ diuinæ cum reduplicatione positum, reduplicat immediatam terminationem naturæ diuinæ: at immediatus terminus terminans vnionem hypostaticam, non est natura, sed personalitas: & propter hoc potest concretum personæ, non naturæ diuinæ cum reduplicatione de Christo vt homine prædicari. *2. Fortè verius.*

Obycies. 3. Propter solam concomitantiam naturæ diuinæ cum spiratione, non potest dici Spiritus S. vi spirationis habere naturam diuinam: ergo propter solam concomitantiam eiusdem naturæ diuinæ cũ vnione personalitatis Verbi cum naturâ humanâ, non potest Christus vt homo dici vi vnionis hypost. habere naturam diuinam. 69. *Resp.* Nego conseq. nam spiratio præcisè sumpta, in eâ sentent. non terminatur per se ad naturam, sed ad amorem dumtaxat diuinum: at vnio hypost. non solùm per se terminatur ad personalitatem, sed ad naturam ipsam vt propriam Verbi, vt terminum per se terminantem, sine quo non saluaretur hæc specifica & indiuidualis vnio. Dixi *In ea sentent.* nam in meâ, natura diuina non merè concomitanter, sed per se communicatur cum spiratione passiuâ Spiritui sancto: vt 1. *tom. disput.* 18. *sect.* 7.

70. *Ad primum 1. Sentent.* Ad 1. argument. primæ: disting. maior: filiatio, quam Christus vt homo habet ad Deum, fundatur in vnione hypostatica, vt in viâ ad filiationem habendam, concedo; vt in formâ conferente effectum formalem filiationis, nego: nam hæc est ipsa hypostasis Verbi à solo Patre genita. Ad probat. Christus vt homo generatur naturalis filius Dei per vnionem hypostaticam, quâ est effectus totius Trinitatis, nego; quâ est via seu nexus copulans Verbum cum humanitate, concedo: vti sub hâc formalitate vnio respicit solam hypostasin Verbi, eiusque diuinam generationẽ, ita sub hac formalitate est generatio hominis, vt naturalis filij solius æterni Patris: nam vt sic est generatio naturalis filij Dei per denominationem,

minationem, & idiomatum communicationem ab ipsâ æterna generatione Verbi. Pari modo vnio hypost. vt effectus respicit totam Trinitatem, concedo; vt via & nexus ad hypostasin Verbi, respicit totam Trinitatem, nego: & quia sub hoc respectu est fundamentum filiationis diuinæ in Christo vt homine, non sequitur, quod vt est fundamentum id respiciat totam Trinitatem.

Ad minor. probationis consequ.

71. Dices. Neque sub hoc respectu vnio hypost. respicit æternum Patrem, sed solùm æternum Filium: ergo neque sub hoc respectu est via ad naturalem filiationem æterni Patris. quia generatio non solùm debet respicere terminum, ad quem est via, sed etiam principium, à quo est origo. Resp. Respicit solùm æternum Filium immediatè & formaliter, concedo; mediatè & denominatiuè, nego: nam licet immediatè respiciat solam hypostasin, & generationem æternam Verbi, cum quâ tantùm vnitur; mediatè tamen & denominatiuè, quatenus per communicationem idiomatum includit æternam generationem Verbi, respicit etiam æternum Patrem: quod sufficit ad filiationem naturalem per communicationem idiomatum. Nam sicut hęc non est intrinsecè & essentialiter generatio, sed tantùm extrinsecè & denominatiuè à formâ, cum quâ vnitur; ita non debet seipsa intrinsecè & formaliter, sed mediante formâ, cum quâ substantialiter vnitur, respicere principium generatiuum.

Resp.

72. *Ad secundum.* Ad 2. nego sequel. Ad probationem concedo, eo casu Patrem, & Spiritum sanctum vt homines habituros naturale ius ad gloriam & beatitudinem: nego tamen ad illam habituros ius vt ad hæreditatem, sed vt ad proprietatem sibi debitam, eo modo, quo æternus Pater, & Spiritus sanctus habent naturale ius ad beatitudinem, non vt ad hæreditatem, sed vt ad proprietatem, ratione naturæ diuinæ sibi debitam: solus autem filius habet naturale ius ad illam vt ad hæreditatem; quia solus procedit vi suæ productionis vt filius, & quidem vt Deus essentialiter, vt homo per communicationem idiomatum.

73. *Ad confirm.* Ad confirm. nego consequ. Etenim si Pater, aut Spiritus S. incarnaretur, neuter esset vel filius adoptiuus, vel naturalis, sed Pater quà homo, esset tantùm Pater; Spiritus S. quà homo, esset tantùm Spiritus S. vterque cum iure naturali ad gloriam vt ad proprietatem sibi debitã. Non enim sequitur, quòd si aliquis non sit filius naturalis, eo ipso debeat esse filius adoptiuus; vti neque in humanis; quia cũ forma adoptionis, & filiationis naturalis, vtraq; sit positiua, potest subiectũ ab vtrâq; reipsâ præscindere.

74. *Ad tertiũ.* Ad 3. nego antec. nam Pater vt homo, reduplicando suppositum, esset æterni Verbi Pater: vti per aduers. Christus vt homo, reduplicando suppositum, est Pater sui ipsius: quia per aduers. Christus vt homo est naturalis Filius totius Trinitatis, & consequenter etiam sui ipsius, vt importat suppositum.

75. *Ad quartũ.* Ad 4. vt Christus vt homo sit naturalis Filius solius æterni Patris, necesse non est, vt ipsa humanitas referatur ad Patrem, sed satis est, si compositum ex humanitate & supposito, quod significatur per τὸ *Homo*, referatur ad æternum Patrem: nam sic non humanitas, sed constitutum ex humanitate & supposito est naturalis Filius Dei, ita vt Christus vt homo sit naturalis Filius solius æterni Patris, necesse non est, vt humanitas referatur ad Patrem, sed sufficit, si compositum referatur ad Patrem. Vnde licet Verbum non informet humanitatem, intrinsecè tamen illam suppositando, constituit cum illâ vnum; ac proinde totum ex eâ, & Verbo constitutum intrinsecè refertur ad Patrem.

Ad confirm. nego Christum vt hominem non denominari Deum à Deitate sibi hypostaticè vnita. Nec est eadem ratio de columnâ, quæ denominatur dextera, vel sinistra à dextrâ vel sinistrâ animalis; quia hæc est omninò extrinseca columnæ, Deitas autem est substantialiter & intrinsecè vnita huic humanitati; proinde non extrinsecè, sed intrinsecè constituens vnum per se cum illâ, denominat constitutum substantialiter Deum. 76. *Ad confirm.*

SECTIO III.

An Christus sit filius Virginis filiatione reali creatâ in ipso existente.

PRIMA sententia negat, Christum esse realiter filium Virginis per filiationem creatam in ipso existentem, sed per solam relationem realem maternitatis ad ipsum terminatam, eo modo, quo Deus dicitur realiter dominus, non per realem relationem domini in ipso existentem, sed per realem subiectionem & dependentiam creaturæ ad ipsum: *Alensis 3. p. quæst. 10. mem. 3. Henric. quodlib. 4. quæst. 3. S. Thom. 3. part. qu. 35. art. 5. Caiet. & Medin. ibid. Alber. in 3. dist. 8. art. 2. Heruæ q. vn. art. 5. Capreol. q. vn. a. 1. concl. 1. Bonauen. art. 2. q. 2. Bacho. a. 2. § vlt. Maior. q. vn. concl. 3. Valen. 3. p. disp. 2. q. 2. punct. vlt.* 77. 1. *Sentent.* *Henricus.*

Fundamentum: filiationis subiectum non est natura, sed suppositum: in Christo autem non est suppositum creatum, sed increatum: suppositum autem increatum non est capax noui respectus realis: igitur in Christo non est filiatio creata realis ad matrem, distincta ab ipsa filiatione increata ad Patrem. Minor prob. non natura, sed suppositũ denominatur filius: ergo non natura, sed suppositum est subiectum filiationis. quia forma denominat subiectũ, cui inhæret; ergo si filiatio inhæreret naturę, denominaret illam filiam. 2. illud est filiationis subiectum, quod est adæquatus & completus terminus generationis: hic autem non est natura, sed suppositum; nam completus terminus generationis est subsistens: igitur suppositum, non natura est subiectum filiationis. Confirm. Filiationis increatæ subiectum non est natura diuina, sed suppositum: ergo nec filiationis creatæ subiectum erit natura, sed suppositum. 78. *Fundam.* *Confirm.*

SECVNDA affirmat, Christũ reali filiatione creatâ, in ipso existente esse filium Virginis: *Scoti in 3. dist. 8. q. vn. § Ad q. Richar. a. 2. q. 2. Duran. q. 3. nu. 17. Argent. a. 2. Gabr. q. vn. a. 2. concl. 3. & 4. Marsi. q. 7. ar. 2. Pala. disp. 2. Suarez in 3. p. tom. 2. disp. 12. sect. 2. Quæ probabilior est.* 79. 2. *Sentent. probabilior.*

Fundam. Christus vt homo habet omnia requisita, vt sit realis filius Virginis filiatione, distinctâ à filiatione æternâ ad Patrem: scilicet habet naturã humanam verã generatione à matre acceptam: vt concedunt aduersarij, qui cũ *Damasc. 3. Fidei c. 11.* duas natiuitates, duasque generationes, alteram æternam ratione naturæ diuinæ, alteram temporalem ratione naturæ humanæ, admittunt in Christo. at immediatum subiectũ filiationis est illud idem, quod est immediatum subiectum generationis, scilicet non suppositum, sed natura: nam filiatio est relatio immediatè consequens generationem; ergo in eo subiecto immediatè recipitur, in quo recipitur generatio ipsa, vt inductione constat in omnibus alijs relationibus consequẽtibus actionem producti ad producentem: relatio enim effectus, quam dicit calor productus ab igne in aquâ, nõ recipitur immediatè in aquâ, sed in calore. Quod inde constat, quia etiam 80. *Fundam.* *Damascen.*

nem, filiationem: non potest autem dici duo filij, duo geniti, duo nati; quia hoc importat duplex suppositum. Sicut dici potest Petrus bis genitus, semel per naturam, iterum per gratiam; nequit autem dici duo geniti, quia in priori propos. geminatur tantùm forma in subiecto; in posteriori geminatur subiectum. Vnde prior denominatio, nati, geniti, filij stat adiectiuè; posterior substantiuè.

91. *Dices.* Dices 3. per generationem humanam dicitur Christus in tempore genitus filius Dei, etiamsi generatio humana non contulerit Christo esse filij Dei, sed solùm esse filij hominis: ergo è conuerso, poterit Christus dici genitus & filius Virginis per generationem & filiationem diuinam, etiamsi generatio & filiatio diuina non conferant Christo esse filij Virginis, sed esse filij Dei. Resp. Nego conseq.

92. *Resp.* nam potest generatio humana Christi substantialiter coniuncta cum generatione diuinâ, per idiomatum communicationem ab ipsâ generatione diuinâ denominari generatio filij Dei, ac proinde denominare Christum in tempore genitum filium Dei. Non potest autem generatio seu filiatio diuina denominari generatio seu filiatio Virginis, & consequenter denominare Christum in tempore genitum & filium Virginis, nisi ipsa generatio & filiatio diuina sit à Virgine, cùm nequeat aliquis denominari filius & genitus alicuius, nisi ab illo sit vt à principio gignente. *Generatio diuina vt sic non est à Virgine.* Quamuis igitur idem filius Dei dicatur etiam filius Virginis per communicationem idiomatum quia idem homo, qui secundùm humanitatem est filius Virginis, secundùm diuinitatem filius Dei; non dicitur tamen filius Virginis secundum filiationem diuinam, sed secundum filiationem humanam, quæ substantialiter coniuncta cum filiatione diuinâ denominat Christum Deum, genitum & filium Virginis. Vnde vti si generatio humana Christi non esset à Virgine, non posset denominare Christum Deum genitum Virginis: ita si filiatio humana non esset in Christo à Virgine, non posset denominare Christum Deum filium Virginis.

93. *Ad fund. opposita sententia.* Ad fundam. oppositæ, conced. maior de subiecto denominationis, neganda de subiecto inhæsionis: Sicut subiectum denominationis producentis est totum suppositum, licet inhæsionis sit tantùm natura. Vnde vtraque probatio tantùm concludit de subiecto denominationis, non inhæsionis. Ad instantiam resp. non semper formam denominare subiectum inhæsionis, sed denominationis: vti ex Arist. non dicitur anima, quæ est subiectum inhæsionis, sed homo, qui est subiectum denominationis, intelligere: quia sunt quædam formæ, quæ licet habeant subiectum inhæsionis distinctum, in eo tamen non recipiuntur, nisi quatenus supponitur completum vltimo complemento; proinde non denominant proximum subiectum inhæsionis, nisi vt iam completum vltimo complemento. Ad confirm.

94. *Ad confirmationem.* resp. 1. nego antec. nam etiam filiatio increata immediatè recipitur in naturâ diuinâ, vt hypostasis in in propriâ naturâ. 2. neg. conseq. tum quia filiatio immediatè sequitur generationem: in diuinis autem solum suppositum, in humanis verò non solum suppositum, sed etiam natura generatur: igitur potior est ratio, cur in diuinis filiatio in solo supposito, in humanis in solâ naturâ immediatè recipiatur. Tum quia filiatio increata constituit formaliter suppositum: constitutiuum autem debet esse in ipso constituto: filiatio verò creata, cùm non constituat formaliter suppositum, non est ratio, cur debeat in illo immediatè recipi.

DISPVTATIO XXX.

De potestate spirituali Christi.

SECTIO PRIMA.

An, quotuplex, & qualis fuerit in Christo spiritualis potestas?

Dico 1. Fuit in Christo spiritualis potestas: est de fide, *Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Ioan. 13. *Sciẽs, quia omnia dedit ei Pater in manus* &c. Inter alia autem fuit hæc spiritualis potestas, promerendi, intercedendi, regendi, ac dirigendi homines per congrua media ad finem supernaturalis beatitudinis, ad quam nobis recuperandam incarnatus, passus, & mortuus est. Tum quia tam potestas Sacerdotalis, quàm legislatiua ac redemptiua, in quas hæc spiritualis potestas Christi diuiditur, expresse à Concilijs definitur, fuisse in Christo, vt mox. Vnde hæc potestas est connexa cum potestate mystici capitis, cuius non solùm est, vitalem gratiæ motum in membra influere, eaque perenni spiritualis vitæ motu vegetare, sed etiam certâ legum normâ dirigere, vt salubria recipiant, noxia respuant. Ad quam spiritualem potestatem allusit Christus *Ioan.* 18. *Regnum meum non est de hoc mundo: Hoc dicit*, inquit Chrysost. *quoniam non tenet regnum, vt hîc Reges terreni tenent, sed quoniam desuper habet principatum, qui non est humanus, sed multò maior & clarior.* 1. *Conclusio 1.*

Dico 2. Hæc spiritualis potestas in Christo diuiditur in Sacerdotalem, Legislatiuam, & Redemptiuam: quas omnes fuisse in Christo expresse definit *Trident. sess. 22. c. 1. & 2. & sess. 6. can. 6.* & quoad Sacerdotalem definitur etiam in *Concilio Ephes.* eamque probat *Epist. ad Rom. à cap. 5.* Legislatiua colligitur ex *cit. Matth.* quibus Christus testatur, sibi datam esse omnem potestatem; *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos &c. docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Quæ potestas est necessariò coniuncta cum potestate instituendi Sacramenta: cùm Sacramenta instituere, non sit aliud, quàm leges condere, homines ad Sacramenta cum certa subiecti dispositione, & externo ritu suscipienda obligantes. At de fide est, vt *Trident* definit *sess. 7. can. 1.* Christum fuisse nouæ legis Sacramentorum institutorem. Confirm. hanc eandem potestatem leges ferendi, licet non cum eâdem amplitudine & excellentiâ reliquit suo Vicario supra totam Christianam Remp. Demum potestas redemptiua in Christo definitur ab *eod. Can. 21.* ad Galat. 4. *Misit Deus filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* 1. ad Timoth. 2. *Qui dedit redemptionem semetipsum pro omnibus.* Ratio: hic fuit potissimus Incarnationis finis, vt homines à peccati captiuitate redemptos ad finem supernaturalis beatitatis perduceret. Fundam. omnis hæc triplex potestas fuit in Christo necessaria ad perfectum munus Mediatoris. Nam munus perfecti Mediatoris exigebat, vt pro nobis Christus apud Deum intercederet, quod præstitit vt Sacerdos; vt condignum pretium ac satisfactionem pro nostris culpis offerret, quod præstitit vt redemptor; vt omnibus certas leges ac media præscriberet ad æternam salutem consequendam, quod præstitit vt summus legislator ac spiritualis animarum pastor: hoc enim triplici munere Christus 2. *Conclusio 2.* *Confirm.* *Ratio demonstrat.* 3. *Fundamentum Assertionis.*

Dominus perfectissimè humanam salutem restituit, ac reparauit.

4. *De potestate sacerdotali.* Per primam ergo potestatem Christus munus summi Sacerdotis exercuit, duplex sacrificium pro nobis offerendo, incruentum in Eucharistiâ, cruentum in arâ crucis, *Quâ oblatione consummauit in sempiternum sanctificantes.* Obtulit autem seipsum in sacrificium non solùm in recognitionem supremi dominij, quod Deus in vitam & mortem habet; sed tum in gratiarum actionem, pro beneficijs humano generi collatis; tum in expiationem nostrorum peccatorum. Et quamuis in primo & secundo fine fuerit ipse Christus vt homo comprehensus; nam etiam ipse vt homo recognoscit Deum vt authorem suæ vitæ & mortis, eique pro beneficijs sibi collatis gratias agere tenetur, non tamen dicitur pro se sacrificium obtulisse, vt testatur *Ephesin.* *Concilium.* quia pro se sacrificium offerre, importat indigentiam aliquam, quam Christus pro seipso non habuit.

5. Cæterùm hoc fuit in sacrificio Christi singulare, quod idem simul fuerit Sacerdos, & hostia: *Idem ergo Sacerdos, idem & hostia, & Sacerdotium*, inquit Ambros. 3. *de Fide c. 5. fine* Et Ephes. *p. 1. titulo: De Christi sanctific.* vt *tom. 1. Concil. p 2. pag.* 107. *Neque ita tamen*, inquit, *pontificio munere fungitur, vt aliorum Sacerdotum more, externum, hoc est, à se alienum sacrificium offerat: sed ipse est agnus, ipse fragrantissima illa hostia & spirituale holocautoma.* Idem quippe seipsum & cruentè, in arâ crucis, & incruentè in Eucharistiâ Deo Patri in sacrificium obtulit. Quo fit, vt tam ex personâ offerente, quàm ex re oblatâ hoc sacrificium infinitum acceperit valorem.

6. Nec quidquam minuit rigorosam huius sacrificij naturâ, quòd Christus seipsum non mactauerit, quod ad victimæ oblationem requiritur; quia sufficit, vt seipsum sponte ac liberè morti obtulerit: cùm in liberâ potestate ipsius fuerit, à morte se liberare, saltem pro eo tempore, quo illam passus est, vt ipse ostendit verbo, Ioan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, sed ego pono eam à meipso*: & facto, quando *Ioan.* 18. ad illa; *Ego sum*, bis inimici eius, *abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.*

7. *Martyres non seipsos sacrificarunt.* Neque hîc inferre licebit, etiam Martyres, qui sponte ac liberè se morti obiecerunt, seipsos sacrificâsse: nam Martyres non fuerunt à Deo, vel ab aliquâ communitate ad hoc munus seipsos per martyrium sacrificandi specialiter assumpti, quod ad Sacerdotij munus requiritur, vt ex ipsius defini. *ad Hebr.* 5. constat. *Hebr. 5.* Quamuis largo modo Martyres dici possint seipsos obtulisse in sacrificium Deo, quo pacto quicquid in recognitionem supremi dominij Deo offertur, sacrificium appellari potest.

8. Potestati Sacerdotali per se annexum est munus Mediatoris, nam licet non omnis Mediator sit Sacerdos, omnis tamen Sacerdos Mediator sit oportet. Vnde *Paulus* Mediatoris munus cum Sacerdotali coniunxit *Hebr.* 8. 9. *&* 12. Est autem Mediatoris munus, vt *S. Thom.* 3. *p. q.* 26. *art.* 1. definit, *Coniungere & vnire eos, inter quos est Mediator.* Quocirca, vt Apost. ad Gal. 3. testatur, *Mediator vnius non est*, sed ad minimum duorum, & vnius, apud quem intercedit, & alterius, pro quo intercedit. Vnde debet vtriusque voluntatis esse conscius; vtriusque conditionis particeps, superior quidem eo, pro quo intercedit; inferior verò illo, apud quem intercedit. Quod munus optimè quadrat in Christum, qui perfectissimè conscius est voluntatis Dei & hominum, nec non vtriusque conditionis & naturæ particeps; superior quidem homine, pro quo intercedit, ratione personæ diuinæ; inferior verò Deo, apud quem intercedit, ratione naturæ humanæ.

Porrò quadruplex potest esse Mediatoris munus. 9. *Quadruplex Mediatoris munus.*
1. vt arbitrum à partibus constitutum, cognoscere causas, ac dirimere lites & controuersias earum. 2. ad modum proxenetæ, conciliatorem ac interpretem agere duorum, aut plurium inter se stipulantium ac spondentium, vel contractum ineuntium. 3. apud aliquem pro alio intercedendo. 4. pro alijs satisfaciendo. Omnia hæc mediatoris munia præstantissimè exercuit Christus. Nam 1. fuit inter nos & Deum, non quidem à nobis, sed à solo Deo arbiter constitutus, in causâ criminis læsæ Maiestatis diuinæ, tum propter commune peccatum protoparentis, tum propter peccata propria personalia singulorum; litemque grauissimam inter nos & Deum diremit, non nos, vti merebamur, damnando; sed à Deo veniam & liberationem nobis obtinendo. 2. ad modum proxenetæ egit interpretem in contractu ineundo inter Deum, vitam æternam nobis spondentem, & nos ad eius præcepta seruanda obligando. 3. pro nobis interpellauit, continuò *Viuens per semetipsum apud Patrem*, interpellat. 4. perfectissimè officium Mediatoris egit, condignam pro nobis satisfactionem Deo Patri offerendo: *Vnus*, quippe, *Mediator Dei & hominum homo Christus* IESVS, *qui dedit semetipsum redemptionem pro multis*: 1. *ad Timoth.* 2. Ex his colligitur, quo 10. *Sacerdotiū Christi æternum.*
pacto Sacerdotium Christi dicatur æternum, non quidem quoad proximam potestatem & munus sacrificandi, quod post diem iudicij cessaturum est, sed quoad munus & officium pro beatis intercedendi, varias illis gratias accidentales & reuelationes à Deo impetrando.

Per secundam potestatem Legislatiuam Christus leges condidit vniuersales Sacramentorum, 11.
firmas ac stabiles pro tota Ecclesia, variosque ritus ac præcepta à totâ Christianâ Rep. seruanda: quorum obseruatoribus suam gratiam & gloriam adiunxit. Eandem potestatem; non quidem Legislatiuam Sacramentorum, nam hæc vt ossa & neruos totius Ecclesiæ voluit esse firma ac stabilia, sed de modo & ritu Sacramenta ministrandi, alijsque rebus ad salutem pertinentibus statuendi, nec non suas leges interpretandi ac declarandi, nouaque præcepta iuxta occurrentes occasiones condendi, reliquit suo Vicario in terris. Cum hâc authoritate 12. *De potestate Iudiciariâ.*
legislatiuâ annexa est Iudiciaria potestas, quam Christus non solùm exercet cum singulis hominibus ex hâc vitâ decedentibus, sed etiam cum omnibus in vnum extremo iudicij die congregatis, iuxta illud *Ioan.* 5. *Potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est.* Eiusdem quippe est, leges ferre, & de legibus iudicare, quo pacto à subditis seruentur. Cum hâc eâdem potestate leges condendi est etiam annexa potestas easdem abrogandi, cum multis dispensandi, varia priuilegia concedendi. An 13. *Difficultas 1.*
sub ijsdem legibus comprehensus sit Christus vt homo, saltem dum erat in viâ. Ratio dubit. Christus *Matth.* 5. de se dixit: *Non veni soluere legem, sed adimplere*: & de facto illam ad vnguem seruauit, tam veterem, vt constat ex ipsius Circumcisione, præsentatione ad templum, Hierosolymitani templi visitatione, paschalis agni immolatione; quàm nouam, vt constat de baptismo, quo voluit à Ioanne baptizari; de quadragesimali ieiunio; de Sacramentali susceptione Eucharistiæ, quam procul dubio cum suis discipulis in vltimâ cænâ suscepit, vt *seq. tom.* *His non obstantibus.* Verùm dico Christum neque vt hominem in 14.
hâc mortali vita degentem, fuisse sub lege, vel à se, vel à Deo latâ, de iure comprehensum, (loquimur de lege

de lege purè positiuâ, nam ad legem naturalem tenebatur iure ipso naturæ) *S.Thom.3.p.q.37.art.4.* vbi negat, Christum fuisse obnoxium legi; quam sequitur *Suar.disp.43.sect.2.*& Recent. Ratio: omnis lex positiua, tam à Deo, quàm à Christo lata, per se ordinatur ad dirigendos homines ad salutem consequendam: vnde vel est de consequendâ remissione peccatorum, vel de gratiâ augendâ & conseruandâ. Christus autem neque vt homo comprehendebatur sub hoc fine, cùm nullâ indiguerit peccatorum remissione, aut præcepti obseruantiâ ad gratiam sibi augendam vel conseruandam: nam sicut illam totam simul in instanti suæ conceptionis accepit independenter à suis operibus, ita non indigebat aliquo opere ad eam conseruandam vel augendam. Ex his à fortiori constat, non fuisse Christum subiectum legibus humanis: quod non obscurè indicauit ipse *Matt.17.* dum quærens à Petro, *A quibus Reges terræ acciperent tributum vel censum, à filijs suis, an ab alienis?* respondente Petro: *Ab alienis,* conclusit Christus: *Ergo liberi sunt filij.* Et ratio id etiam demonstrat: nam Christus etiam vt homo, ratione vnionis hypost. est superior omnibus Principibus & Regibus terræ; ergo non poterat eorum legibus obligari. Ratio dubit. solùm probat, Christum voluntariè & de facto, non ex obligatione & iure legem seruâsse: vti de facto seruare etiam voluit legem humanam de tributo Regibus terræ soluendo, ad scandalum vitandum, *Vt autem,* inquit Petro, *non scandalizemus eos, vade ad mare* &c.

15. *Nec legibus humanis subiectus fuit Christus.*

Ratio demonstrans.

16.

17. *Difficult. 2.*

An hæc potestas legislatiua Christi se extendat etiam ad angelos? Prima ratio dub. pro parte affirm. est; potestas iudiciaria Christi se extendit etiam ad angelos, ex *S.Thom.3.p.quæst.59. art.6.* ex 1.ad Corinth.6. *An nescitis quoniam angelos iudicabimus?* ergo ad eos etiam se extendit potestas legislatiua eiusdem: nam iudiciaria potestas est propter legislatiuam, vt subditi iudicentur de obseruata, vel non obseruata lege. 2. Christus est caput etiam angelorum, ex *disp.17.* at potestas legislatiua per se connexa est cum authoritate & dignitate capitis: igitur etiam eorum legislator. Ratio dub. pro parte negatiuâ est, quia cùm angeli sint in termino vel beatitudinis, vt boni, vel damnationis, vt mali, non videntur ampliùs esse capaces directionis ad finem, & consequenter obligationis legum, quæ sunt quædam normæ directiuæ ad finem consequendum.

Ratio 1. dubit.

Secunda.

18.

19. *Respondetur affirmatiuè.*

Dico omnes angelos subijci potestati legislatiuæ Christi; malos coercitiuæ, bonos directiuæ; non quoad internam directionem circa vltimum finem, sed quoad externam gubernationem, & ministeria exercenda, tam circa se, quàm circa homines. Prob. 1. ex *Matth.vlt. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra:* quæ verba cùm sint vniuersalia, neminem à Christi potestate excludunt. Secundò ex 1.*Corint.15. Omnia,* inquit Apost. *subiecta sunt ei,* nempe Christo. In quem locum Anselmus: *Omnia quæcumque sunt in vniuersitate totius creaturæ subiecit Pater sub pedibus, id est, sub humilitate humanitatis eius:* & paulò post: *Sed cùm dicat propheticus sermo, quòd omnia subiecta sunt ei, sine dubio dicit, non solùm bonos sibi esse subiectos, sed & malos, atque vniuersa præter eum Patrem, qui subiecit ei omnia. Nam tam latè intelligenda est sententia, vt nihil sit, quod non intelligatur ei subiectum, præter eum, qui ei vniuersa subiecit: solus enim Deus excipitur ab hac subiectione.* 3. ex illis ad Hebr.2. *In eo quod omnia ei subiecit, nihil dimisit non subiectum ei.* Quem locum interpretans idem Ansel. *Dum dicit,* inquit, *omnia, nec terrena ex-*

20. *Prob. 1. testimonijs scripturæ.*

cipit, nec cælestia. Nã in eo quod ei subiecit omnia, nihil dimisit nõ subiectum ei in vniuersitate craturarum. Hac enim intẽtione protulit Vates istam vniuersalem sententiam, vt nullã facere vellet exceptionem, sed vel voluntariam, vel necessariam subiectionem omnium demonstraret. Nec refert, quòd ibid. subdat Apost. *Nunc autem nec dum videmus omnia subiecta ei:* nam vt idem Ansel. explicat, solùm hîc intelligit Apost. de voluntaria subiectione hominum per fidem, per quam non omnes sunt ei subiecti, quia non omnes in eum credunt: *Hic enim,* inquit, *voluntariam tantùm subiectionem credentium in eum videmus, sed in futuro videmus iniustam deiectionẽ superborum.* 4. Quòd mali subijciantur coërcitiuæ potestati Christi, prob. ex Matth. 8. vbi Dæmones ad Christum clamant: *Quid nobis & tibi Iesu Fili Dei? venisti huc ante tempus torquere nos.* In quem locum Hierony. *Non est,* inquit, *voluntaria ista confessio, quam præmium sequitur confitentium, sed necessitatis extorsio, quæ cogit inuitos.* 5. prob. hanc potestatem coërcitiuam in dæmones communicauit Christus suis Discipulis, *Lucæ 10. Domine etiam dæmonia subijciuntur nobis in nomine tuo:* eandemque potestatem communicat suis sacerdotibus 21.

Ratio: Angeli mali iure sunt Christo subiecti: sed ab hâc subiectione non sunt per ipsorum rebellionem exempti: ergo adhuc manent iure subiecti coërcitiuæ potestati Christi. Maior constat, nam Christus fuit omnibus Angelis à principio creationis propositus vt caput & dux, cui obedire deberent, vt 2.*to.* Minor prob. sicut rebellio angelorum non abstulit à Christo potestatiuum dominium super ipsos: ita nec ab ipsis legitimam subiectionem ad Christum. Quòd autem angeli boni non sint capaces directionis circa vltimum finem prob. circa illum perfectissimè diriguntur visione beatificâ, quæ clarè ostendendo beatis Deum in seipso, perfectissimè illos dirigit, absque alijs legibus, in ordine ad omnia ea, quæ ad talem finem perfectè conseruandum conducunt: à quâ directione non possunt Beati deflectere, cùm necessariò illam sequantur eâdem necessitate, quâ adhærent Deo summo bono. Quòd verò ijdem sint capaces externæ directionis & gubernationis, patet: nam multa possunt tum circa se, tum circa homines exercere, ad quæ vi visionis beatificæ non diriguntur: ergo circa ea possunt peculiaribus Christi legibus ac præceptis instrui ac dirigi; vt quo pacto gerere se debeant circa inferiorum angelorum illuminationem, hominum custodiam, vniuersi gubernationem, dæmonum resistentiam, &c.

22. *Probatur 2. ratione.*

23. *Directio nõ interna.*

24. *Sed externa gubernatio.*

Ad 1. rationem dub. concedo, iudiciariam Christi potestatem se extendere etiam ad Angelos, non quidem quoad præmium & pœnam essentialem, de quibus iudicati sunt post absolutam eorum viam ab eodem Christo vt Deo, sed quoad præmium & pœnam accidentalem, vt *cit. loco* testatur *S.Doctor:* & consequenter non potuerunt angeli esse subiecti legibus Christi vt hominis in ordine ad præmiũ & pœnam essentialem, in ordine ad quæ fuerunt directi per leges à Deo tantùm latas. Eodẽ modo resp. ad 2. rationem dub. potestatem legislatiuam Christi tantùm se extendere ad angelos, quoad præmium & pœnam accidentalem, non quoad essentialem, ad quæ non potuit potestas legislatiua Christi, nondum vt hominis existentis se extendere: nam hæc cùm in subditis operetur per practicum dictamẽ & imperium legislatoris illis intimatum & promulgatum, operari nõ potest, nisi existat ipse legislator, qui legem ferre debet. Nec est eadem ratio de causalitate meritorum, quæ vt causent, sufficit, vt præ-

25. *Ad primam rat. dubit.*

26. *Ad secundam.*

uisa tantùm præcedant in scientiâ præmiantis: quia nõ causant, nisi per modum obiecti moraliter mouentis voluntatem præmiantis, ad quod sufficit obiectum tantùm præuisum. Lex verò cùm debeat obligare mentes subditorum per practicum dictamen & imperium legislatoris, externâ voce, aut scripto promulgatum, non habet vim obligandi ante existentiam ipsius legislatoris: nam antequam existat legislator, lex nondum est extrinseco signo promulgata: habet tamen vim obligandi, si semel fuit à legislatore extrinseco signo manifestata, quia tunc semel manifestata moraliter continet imperium & voluntatem legislatoris, etiamsi non existat.

27\. *Ad rationẽ dubit. pro parte negante.* Ad rationem dubit. pro parte negatiuâ, concedo, angelos nõ esse capaces directionis circa vltimum finem, circa quem vel sunt in termino consecutionis, vt boni; vel in termino perpetuæ separationis, vt mali: esse tamen capaces circa fines particulares, circa quos possunt aliter & aliter se habere, ac proinde legibus ac præceptis obligari ac dirigi.

28\. *De potestate Redemptiuâ.* Demùm per tertiam potestatem redemptiuam Christus non modò cõdignum pretium soluit pro captiuitate totius generis humani, sed etiam pro reparatione ac restitutione omnium bonorum, quæ per peccatum primi parentis amiseramus, vt *disp.* 5. *&* 6. cùm hoc pretium nostræ redemptionis non sit diuersum à valore operum Christi, quibus nos redemit.

29\. *Assertio prob. assignando, in quo superet potestas sacerd. aliam omnem.* Dico 3. potestas sacerdotalis Christi superat omnem aliam potestatem sacerdotalem; 1. in fundamento: nam Christi potestas fundatur in vnione hypostaticâ cum ipsâ personâ diuinâ, à quâ vt characteristicâ notâ vncta & signata humanitas digna facta est sacerdotali potestate. Omnis verò alia sacerdotalis potestas vel fundatur in solâ extrinsecâ denominatione Dei, aut populi eligentis; vel in characteristicâ qualitate, quæ est quædam accidentalis participatio potestatis Christi, vt est sacerdotalis potestas nouæ legis.

30\. 2. In obiecto & materiâ circa quam: nam potestas sacerdotalis Christi habet pro obiecto & materiâ Christi humanitatem, infinitâ Verbi dignitate sanctificatam: quã potestas sacerdotalis ministrorum nouæ legis etiam habet, sed non cum eâ plenitudine in ordine ad effectus causandos; Christus enim illam habuit sine vllâ limitatione; ipsius verò ministri, in ordine ad limitatos effectus iuxta Christi voluntatem.

31\. 3. In independentiâ spiritualis potestatis Christi, & efficaciâ impetrandi nobis dona supernaturalia: nam in ijs impetrandis non erat Christi potestas sacramentis alligata, vti alligata est potestas sacerdotalis Ministrorum nouæ legis; & præthereà virtutem impetrandi habebat infallibilem; quam non habet potestas sacerdotalis Ministrorum nouæ legis, nisi in virtute sacramentorum, quibus in operando est alligata.

32\. 4. In excellentiâ potestatis: nam potestas sacerdotalis Christi in genere sacerdotalis potestatis est suprema: cùm in eo genere à nullâ aliâ pendeat, & omnes aliæ ab ipsâ; vel vt effectus à causâ, vt potestas sacerdotalis Ministrorum nouæ legis; vel vt signum à principali significato, aut figurâ à veritate, vt sacerdotalis potestas Ministrorum antiquæ legis. Vnde potestas sacerdotalis Christi dicitur potestas excellentiæ, eo quòd sit suprema in suo genere: de ratione autem supremi in aliquo genere est, vt à nullo alio in eo genere pendeat, & omnia in eo genere pendeant ab ipso. Nam tametsi potestas sacerdotalis Christi pendeat à Deo, ab illo tamen non pendet vt à sacerdote, cùm nequeat Deus esse sacerdos, sed vt à supremo largitore omnium bonorum.

Dico 4. Potestas legislatiua Christi excedit omnem aliam potestatem legislatiuam, cuicumque puræ creaturæ communicatam: 1. in connaturalitate habendi hanc potestatem: nam Christo etiam quà homini, connaturaliter debetur spiritualis potestas legislatiua supra omnes creaturas intellectuales: scilicet ratione vnionis hypost. humanitas Christi redditur ab intrinseco dignissima potestate regendi ac gubernandi omnes creaturas intellectuales. Etenim si verum est, quod Arist. dixit, esse aliquos ad regendum & gubernandum à naturâ formatos, qui nempe iudicio, prudentiâ, & politicâ virtute longè cæteros antecellunt: quantò magis id verum erit de Christo homine, qui sapientiâ, iudicio, prudentiâ, & sanctitate infinito interuallo antecellit omnes intellectuales creaturas? 33. *Probatur indicando in quibus excedat hec omnẽ aliam scil. in connaturalitate.*

2. In vniuersalitate obiecti: nulli enim creaturæ hactenus communicata est legislatiua potestas cum eâ vniuersalitate, cum quâ communicata est humanitati Christi, non solùm supra homines, sed etiam supra angelos; nec tantùm in ordine ad externam gubernationem, verùm etiam in ordine ad internum regimen. Nam licèt potestas legislatiua Christi vt hominis non se extenderit ad homines, & angelos viatores ante ipsius aduentum, cùm ad illos non potuerit se extendere per practicum dictamen & imperium externo signo & promulgatione manifestatum, extendit tamen se ad omnes tam homines quàm angelos in termino constitutos, nec non ad omnes homines post ipsius aduentum futuros, *vt suprà*. 34. *In vniuersalitate.*

3. In excellentiâ & authoritate non solùm vniuersales leges condendi, abrogandi, commutandi, dispensandi cum quibus, & quando voluerit; sed etiam in potestate eligendi alios atque alios vniuersales Ecclesiæ principes ac pastores, suamque authoritatem, licet non cum eâdem perfectione, independentiâ, & vniuersalitate, illis communicandi. 35. *In excellentia.*

SECTIO II.

Secundùm quam naturam conueniat Christo munus sacerdotis, Mediatoris, & Redemptoris, nec non spiritualis potestas legislatiua?

Dvo sunt Hæreticorum nostri temporis oppositi errores, quos refert *Bellarm. l. 5. de Christo Mediatore:* Alter Franc. *Stancari*, qui officium Mediatoris, ac proinde sacerdotis, ac Redemptoris tribuebat soli naturæ humanæ Christi, non solùm vt principio elicitiuo *quo*, sed etiã vt principio operatiuo *quod*, ita vt suppositum diuinum nullo modo, neque vt principium elicitiuum, neque vt principium dignificatiuum ad officium Mediatoris concurrerit, sed sola natura humana diuinâ virtute sustentata, fuerit sufficiens principium tam elicitiuum, quàm condignificatiuum actionis mediandi ac sacrificandi in Christo. Nullum fundam. nostrâ dignum impugnatione. 36. *In hac contrŏu. oppositi errores Fr. Stancari.*

Alter *Caluini* contendentis, ad officium Mediatoris vtramque naturam tam diuinam, quàm humanam æquè per se concurrisse: & quidem diuinam non fuisse tantùm necessariam ad condignificandam operationem Mediatoris, sed etiam ad eliciendam. Nititur hic error his argum. 1. officium Mediatoris in scripturis tribuitur vtrique naturæ, diuinæ, & humanæ, 2. *Corinth.* 5. *Qui*, nempe Deus, *nos reconciliauit sibi per Christum*. Quod magis explicans: *Quoniam*, inquit, *Deus erat in* Chri- 37. *Et Caluini*

Christo mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum. 2. Officium Mediatoris non solùm est pro alijs intercedere ac interpellare, sed eosdem etiam illuminare ac iustificare: at hæc opera sunt propria diuinitatis, non solùm vt principij *quod* suppositantis ac dignificantis, sed etiam vt principij *quo* elicientis ac operantis, non autem humanitatis. 3. De ratione perfecti Mediatoris est participare conditionem & naturam vtriusque extremi: ergo ad officium Mediatoris vtraque natura diuina & humana æquè per se primò in Christo concurrit.

38. *Conclusio 1. Sententia Catholica.* Dico 1. munus sacerdotis, Mediatoris, & Redemptoris non conuenit Christo ratione naturæ diuinæ vt principio elicitiuo *quo*, sed solùm ratione naturæ humanæ. Est Catholica sententia quā cum *Magist. in 3. dist. 19. & S. Thom. 3. part. quæst. 22. & 26.* docent omnes Schol. Quam expressit Paulus *1. ad Timoth. 2. Vnus Deus, vnus & mediator Dei & hominum homo Christus Iesus: Non ait*, inquit, *serm. 11. de verbis Apost.* Augustinus, *Christus Iesus: ne tu putares secundùm verbum dictum, sed addidit, homo Mediator Dei & hominum homo, Christus Iesus.* Vt nimirum per τὸ *Homo* denotaret naturam, ratione cuius conuenit Christo Mediatoris munus. Nam, vt August. *lib. 2. de peccato origin. cap. 28.* ait: *Non per hoc Mediator est, quod æqualis est Patri: per hoc enim*, inquit, *quantum Pater, tantum & ipse distat à nobis:* vnde concludit: *Per hoc ergo Mediator, per quod homo inferior Patre.* Et

Cyrillus ad Reginas. Cyrillus Alexand. *de rectâ fide, tit. Ex Epistola ad Hebr. Condit*, inquit, *vt Deus angelos, vngitur autem vt homo: non vt vnctio pertingat ad Deitatis naturam, sed ad sapientissimam dispensationem.* Dicitur autem vnctio in Christo spiritualis consignatio in sacerdotalem potestatem, quæ *in sententia Cyrilli* non attingit naturam Deitatis, sed immediatè tantùm versatur circa humanitatem, quæ sola est subiectum huius spiritualis vnctionis, ac propterea principium elicitiuum sacerdotalis operationis. Eandem veritatem docet *Conc. Ephes. in 1. p. Concil. tit. De Christi sanctificatione eiusque sacerdotio:* & habetur *tom. 1. Concil. part. 2. pag. 110. Ille autem*, inquit, *maior, quàm qui peccare possit, vtpote Deus Pontifex noster effectus, ac secundùm humanam naturam sacerdos appellatus, Patri suū proprium corpus obtulit, & consecrauit.* Et infrà: *si enim*, inquit, *verum est, omnem omninò sacerdotem constitui, vt sacrificium offerat; neque paris vnquam authoritatis & gloriæ cum Deo, cui sacrificat, intelligi potest, quo pacto Christus nouo modo sacerdotio non fungitur, qui ita vt homo ministrat, vt tamen in diuinitatis solijs consideat?* vbi tanquam primum principium supponit, sacrificantem debere esse inferioris naturæ cum eo, cui sacrificat.

39. *Probatur hæc Catholica veritas ratione.* Prob. ratione illius naturæ, vt principij elicitiui *quo*, conuenit Christo munus sacerdotis, mediatoris, ac redemptoris, à quā immediatè elicitur actio sacrificandi, interpellandi, redimendi, seu cui immediatè conuenit principium elicitiuum illius actionis: at actio sacrificandi, interpellandi, redimendi immediatè elicitur à naturâ humanâ, non à diuinâ: scilicet tam actio sacrificandi, quàm interpellandi, ac redimendi, mediante quâ Christus nos redemit, est inferioris ad superiorem; sacrificatio enim est cultûs exhibitio in recognitionem authoris vitæ & mortis; interpellatio est deprecatio ad obtinendum aliquid pro altero: demum actio merendi, est operatio obsequiosa ad impetrandum aliquid pro altero exhibita: & omnes istæ operationes sunt inferioris ad superiorem: cùm igitur Christus non sit inferior Deo, cui sacrificat, & apud quem interpellat, & meretur, ratione naturæ diuinæ, sed humanæ, non erit sacerdos, Mediator, & Redemptor ratione naturæ diuinæ, sed humanæ, vt principij elicitiui *quo*.

40. *2. Conclusio Catholica.* Dico 2. munus sacerdotale, mediatoris, ac redemptoris ita conuenit Christo ratione naturæ humanæ, vt principij elicitiui *quo*, vt tamen idem munus, vt principio operatiuo ac dignificatiuo, *quod*, ei conueniat ratione personæ diuinæ, quæ reddit Christi humanitatem tanto muneri dignam. Hæc est etiam catholica sententia, quam omnes Schol. & PP. docent: Leo *serm. 1. de Natiuit. Domini. Nisi esset verus Deus, non afferret remedium: nisi esset verus homo non praberet exemplum.* Cyrillus Alexand. *de rectâ fide cit. Nisi Deus verus esset Christus, quæ esset vtilitas per sanguinem eius? vel quomodo nostram mundabit conscientiam à mortuis operibus?* August. *in Enchirid. cap. 108. Nam neque per ipsum*, inquit, *liberaremur vnum mediatorem Dei & hominum hominem Christum Iesum, nisi esset & Deus.* Ratio: vt Christi opera infallibilem efficaciam habeant ad impetrandum, interpellandum, promerendum dignitatem & valorem accipere debent à personâ diuinâ, ratione cuius omnia Christi opera erant acceptissima Deo, iuxta illud Hebr. 5. *Exauditus est pro suâ reuerentiâ: id est*, vt interprete Anselm. *secundùm hoc, quòd ipse sicut Dei filius dignus est reuerentiâ & veneratione.* *Ratio Assertionis.*

41. *Coroll. 1.* Infertur 1. veras esse has propos. *Christus vt homo*, vel, *In quantum homo est sacerdos, mediator, redemptor.* Quia in his particulæ *Vt*, & *In quantum*, vel *quatenus*, sunt notæ specificationis, quæ designant naturam, ratione cuius huiusmodi prædicata conueniunt subiecto.

42. *Dices.* Dices: huiusmodi particulæ non solùm sunt notæ specificationis, sed etiam perseitatis: falsum autem est, Christo vt homini per se conuenire esse sacerdotē: quia quod conuenit per se, conuenit omni & semper: at nō omni homini & semper conuenit esse sacerdotem &c. Ergo falsæ sunt hæ proposit.

43. *Resp. 1.* Nego conseq. nam licet prædictæ particulæ aliquādo sint notæ perseitatis, non tamen semper, sed tantùm specificationis, designātes tantùm causam proximam, ratione cuius conuenit prædicatum subiecto.

44. *Resp. 2.* 2. Nego Minor. nam esto homini vt sic non cōueniat per se esse sacerdotem ac mediatorem, conuenit tamen per se huic homini, propter vnctionē diuinæ personalitatis; non secus ac per se conuenit homini habenti characterem sacerdotalem, esse sacerdotem & ministrum Dei. Cùm igitur in huiusmodi propositionibus reduplicetur natura humana, non præcisè, sed vt vncta & consignata characteristicâ proprietate Verbi, per se in huiusmodi propositionibus prædicatum dicitur de subiecto.

45. *Coroll. 2.* Infertur 2. Veras esse has proposit. *Christus in quantum Christus: siue, vt homo Deus*, vel *vt Deus homo, est sacerdos, mediator, redemptor.* Quia in his reduplicatur adæquata ratio prædicati, tam elicitiua; quæ est humanitas; quàm condignificatiua; quæ est persona Verbi. Sicut est propria & vera hæc propos. *Homo vt homo iustus meretur:* quia in eâ reduplicatur adæquata ratio, propter quam prædicatum conuenit subiecto, quæ est homo & iustitia.

46. *Coroll. 3.* 3. Falsas esse has propos. *Christus vt Deus*, vel *secundùm naturam diuinam est sacerdos, Mediator, redemptor.* quia cum particulæ *vt, secundùm, quatenus*, &c. sint notæ specificationis, designantes proximam causam, & naturam, propter quam conueniat Christo officium sacerdotis, mediatoris, redemptoris, cumque hæc non sit diuina, sed humana, falsæ erunt huiusmodi propositiones.

47. *Dices.* Dices: non minùs ad completam potestatem & munus sacerdotis, mediatoris, & redemptoris concurrit natura diuina, vt vngens, consignans, & dignificans, quàm humana, vt eliciens, & exercens actionem sacrificandi, interpellandi, redimendi: ergo non minùs poterit cum reduplicatione Deitatis, quàm humanitatis de Christo prædicari potestas & munus sacerdotis, mediatoris, ac redemptoris.

48. *Resp.* Nego conseq. quia natura humana vt eliciens concurrit ad munus & potestatem sacerdotis, mediatoris, & redemptoris, in recto, quia concurrit vt principium physicum actiuum operationis sacrificandi, intercedendi, promerendi, quæ operatio in recto importatur per sacrificium, intercessionem, meritum. Natura verò diuina vt vngens, consignans, dignificans solùm per se concurrit ad id, quod in obliquo importat actio sacrificandi, intercedendi, promerendi, quæ est ipsa consignatio, & dignitas ac valor ex persona diuina in actionem refusus.

49. *Coroll. 4.* 4. Veras esse has proposit. *Deus est sacerdos, mediator, redemptor: Deus sacrificat, interpellat pro nobis, redemit nos.* Ratio: vt *disp. vlt.* possunt per communicationem idiomatum, quæ sunt propria vnius naturæ, verè & propriè de alterâ in concreto prædicari: verè enim & propriè dicitur, *Deus est homo, homo est Deus: Deus moritur, hic homo creat.* Atque in hoc sensu non solùm veræ, sed etiam propriæ sunt illæ propositiones in 1. argum. pro *Caluino* allatæ: quemadmodum vti & *Actor.* 20. dicitur, *Deus sanguine suo Ecclesiam acquisiuisse.* Vnde si in hoc sensu locutus fuisset *Caluinus*, non errâsset. *Ad Caluinum.*

50. *Ad 2. fundamentum Caluini.* Ad 2. fundam. resp. illuminare & iustificare per modum causæ efficientis principalis, est proprium naturæ diuinæ, concedo; impetratoriè & per modum causæ moralis meritoriæ, nego: hoc enim est munus sacerdotis, mediatoris, ac redemptoris.

51. *Ad 3.* Ad 3. concedo, vtramque naturam in Christo esse necessariam ad officium perfecti mediatoris: nego tamen, vtramque esse necessariam eodem modo: nam humana est necessaria vt principium eliciens actionem interpellandi, quæ in recto significatur à potestate mediatoris, diuina verò vt principium consignans, & dignificans, quòd tantùm in obliquo importatur à potestate mediatoris.

52. *Veritas hæc colligitur ex Matth. vlt.* Dico 3. potestas spiritualis legislatiua conuenit Christo etiam vt homini: ex *cit. Matth. vltim. Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra:* quam potestatem Christus ipse explicauit de legislatiuâ, statim subdens: *Euntes ergo docete omnes gentes*, &c. *docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* Quòd autem hîc loquatur Christus de potestate sibi concessa vt homini, est communis Patrum sententia in hunc locum. Hieronym. *Illi autem*, inquit, *potestas data est, qui paulo antè crucifixus, qui sepultus in tumulo, qui postea resurrexit.* At Christus, non vt Deus, sed vt homo est crucifixus, sepultus, & resurrexit. Rabanus, *Non enim*, ait, *hoc de coëterna Patri diuinitate, sed de assumpta loquitur humanitate.* Seuerus, *Filius quippe Dei Virginis filio, Deus homini, diuinitas carni contulit, quod ipse cum Patre possedit.* Remigius, *Et hic*, inquit, *sciendum quia antequam Dominus surrexisset à mortuis, nouerant Angeli se subiectos homini Christo. Volens ergo Christus etiam hominibus notum fieri, quòd data esset sibi potestas in cœlo & in terra, prædicatores misit, qui verbum vitæ cunctis nationibus prædicarent.* Anselmus, *Constat*, inquit, *quia hoc non de coëterna Patri diuinitate, sed de assumpta humanitate loquitur, in qua minor Angelis primùm resurgendo à mortuis superpositus est omnibus creaturis. Et nota*, pergit idem Auctor, *quia angelicæ virtutes, priusquam etiam à morte resurgeret Christus, hominis, quem à suo conditore specialiter assumptum esse videbant, se iure subditas cognouerant.* 2. Ex Ioan. 15. *Si præcepta mea seruaueritis, sicut & ego Patris mei præcepta seruaui.* 53. *Prob. 2. hæc veritas.* Etenim ratione illius naturæ Christus præcepta seruanda dedit Apostolis, ratione cuius ipse Patris sui præcepta seruauit: at Patris sui præcepta seruauit secundùm naturam humanam, non diuinam, secundùm quam non est præcepti capax: ergo secundùm naturam humanam præcepta dedit suis discipulis seruanda. 3. Hæc potestas legislatiua per se connexa est cum potestate capitis: 54. *Ratio Assertionis.* sed Christus non solùm secundùm naturam diuinam, sed etiam humanam est caput omnium, tam hominum, quàm angelorum, ex *disp.* 17. ergo etiam secundùm naturam humanam est hominum, & angelorũ legislator. Confirm. 1. Trident. *sess. 6. can.* 21. eodem modo definit, *Christum Iesum à Deo hominibus datum fuisse vt redemptorem, cui fidant*, atque, *vt legislatorem cui obediant:* sed Christus Iesus datus est hominibus vt redemptor ratione naturæ humanæ; ergo etiam vt legislator. Confirm. 2. ratione vnionis hypostaticæ debita est Christo vt homini talis potestas legislatiua: vt communicata est humanitati Christi summa sapientia, summa prudentia, infinita sanctitas, ratione quarum digna effecta est, cui omnes angeli, & homines obediant, & à quo omnes in suis actionibus dirigantur & gubernentur. Ex his infertur, Christum vt hominem leges & præcepta sacramentorum condidisse, vt *seq. tom.*

SECTIO III.

An Christus vt homo habuerit potestatem impetrandi angelis & hominibus quicquid ipse voluerit?

Prima sententia affirmat; sequitur ex opinione eorum, qui docent, eos tantùm fuisse ad gratiam & gloriam à Deo prædestinatos, pro quibus præuisus est Christus sua merita oblaturus, non contrà pro eis Christum sua merita obtulisse, quos vidit ad gratiam & gloriã à Deo prædestinatos. 55. *1. Sententia.* Nam in hac sententia ea tantùm dona gratiæ & gloriæ Deus concessit angelis & hominibus, quæ Christus vt homo humana suâ volũtate ijsdem concedi voluit. Hanc sententiam de hominibus post aduentum Christi defendit *Vasquez* 1. *p. disput.* 94. *cap.* 3.

56. *Prob. 1.* Prob. 1. *Lucæ* 22. Christus orauit pro Petro, alijsque Apostolis, ne eorum fides deficeret: & *Ioan.* 17. pro ijsdem suis discipulis, vt à malo seruarentur, nec non pro ijs omnibus, qui per verbum suorum discipulorum erant in seipsum credituri. 2. Christus vocando Apostolos ad Apostolatum, gratiam vocationis illis impetrauit: 57. *Prob. 2.* eodem modo dicẽdum est de Zachæo, Magdalena, bono latrone, & alijs, quibus gratiam vocationis & iustificationis obtinuit: ergo non ideò Christus gratiam vocationis & iustificationis illis impetrauit, quia ad eam fuerant à Deo prædestinati: sed contrà, ideò fuerunt ad talem gratiam à Deo prædestinati, quia præuisus fuerat Christus talem gratiam illis impetraturus. 3. *Ephes.* 1. *Deus elegit nos in Christo ante mundi cõstitutionem, vt essemus sancti.* 58. *Prob. 3.* Ideò autem Deus hos præ illis elegit, quia vidit Christũ sua merita oblaturum pro his potiùs, quàm pro illis. Igitur in liberâ potestate Christi fuit sua merita, pro quibus volebat, applicare; adeoq; pro quibus volebat dona gratiæ &

tiæ & gloriæ infallibiliter impetrare. Confir. *Matt.* 11. & 28. *Ioan.* 3. & 13. vbi omnia tradita dicuntur in manu Christi, hoc est, vt Cyrillus Alex. explicat,

59. *Prob. 4. efficacius.* *In virtute & potestate Christi.* 4. Ex *August. tract.* 3. *in Ioan. initi.* vbi explicans illa, *Ioan.* 17. *Dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei det eis vitam æternam*, ita scribit: *Ostendit potestatem se quidem in omnes homines accepisse, vt liberaret quos voluerit, damnaret quos voluerit, qui viuos & mortuos iudicabit.*

60. *Prob. 5.* 5. Deus aliquos ad gratiam & gloriam elegit motus precibus aliorum, ad quam alioqui illos non elegisset, vt de Paulo communiter docent PP. illum electum fuisse propter preces Stephani: sicut & multi alij sunt à Deo miraculosè creati propter preces Sanctorum, qui alioqui creati non essent: ergo id multò magis dicendum est de Christo.

61. *Prob. 6.* 6. Christus vt homo fuit perfectissimum caput omnium quoad dona gratiæ & gloriæ ex *disp.* 17. ergo habere debuit plenam potestatem, hæc ipsa dona communicandi, quibus, quando, & in quâ mensurâ voluisset: nam ad perfectionem capitis moralis spectat, liberè sua dona membris communicare: aliàs necessitaretur Christus ad conformandam suam voluntatem humanam in his donis impetrandis cum diuinâ, à qua discordare non potest. Ex quo sequitur, ipso actu impetrandi nobis hæc dona Christum non meruisse: nam positâ voluntate diuinâ sibi manifestata, non poterat ea nobis non impetrare: ac proinde actus, quo illa impetrabat, non erat liber, sed necessarius, & per consequens non meritorius.

62. *Prob. 7.* 7. Videtur contra dignitatem Christi, & infinitum valorem meritorum ipsius, vt etiamsi voluisset, non potuisset vllam gratiam vlli creaturæ impetrare, nisi eam, ac ijs, quam, & pro quibus Deus decreuisset vt Christus impetraret.

63. *2. Sentent.* Secvnda negat, Christum vt hominem habuisse liberam potestatem impetrandi quælibet dona supernat. angelis, vel hominibus: est *Toleti in 17. cap. Ioan. in Comm. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi:* & illorum verborum, *Vt adimpleretur scriptura.* Sequitur ex oppositâ opinione eorum, qui docent, non ideò Deum hos vel illos ad gratiam & gloriam prædestinâsse, quia Christus pro his, vel illis sua merita obtulit, sed potiùs contrà, ideò Christum pro his, vel illis sua merita obtulisse, quia Deus hos, vel illos ad gratiam & gloriam elegit. Hanc docet *Suar. lib. 2. de Prædest. cap.* 24.

64. *Notandum pro explic.* Nota, præsentem controu. disputari posse, 1. de possibili, an Christus vt homo talem potestatem habere potuerit, vt in eligendis his vel illis ad gratiam & gloriam Deus dependerit ab humanâ voluntate Christi, hos potiùs, quàm illos eligentis, suaque merita applicantis; idque non solùm quoad homines, qui conditi sunt post, sed etiam ante ipsius aduentum. 2. de facto, an scilicet de facto Christus vt homo talem potestatem à Deo acceperit, vt ij tantùm, & ad eam gratiæ, & gloriæ mensuram sint electi, quibus, & quam Christus suis meritis impetrauerit. In vtroque sensu propositam Controuersiam definiemus.

65. *Conclusio I.* Dico I. Non implicat, Christum vt hominem talem accepisse potestatem, vt neminem Deus ad gratiam, vel gloriam elegerit, nisi eos, & ad eam gratiæ & gloriæ mensuram, quos, & ad quam Christus humanâ suâ voluntate elegisset, etiam quoad homines ante ipsius aduentum conditos, & gratiam & gloriam illis concessam.

Fundam. ex nullo capite implicat. Fundam. non implicat ex parte Dei hanc potestatem Christo homini communicantis, cùm in talis potestatis communicatione nulla ex parte Dei sit imperfectio: neque ex parte humanitatis Christi incapacitas. Confirm. vt *disp.* 26. *sect.* 12. & *infrà*, saltem erga aliquos Christus talem potestatem habuit. Neque implicat 66.
ex eo, quòd prædestinati in decreto Dei æternitate præcesserint humanam voluntatem Christi hos potiùs quàm alios eligentem: quia præcedere potuerunt dependenter ab humanâ voluntate Christi in tempore præuisa, hos præ alijs ad tantam mensuram gratiæ & gloriæ electura. Neque ex eo, quòd 67.
eligere vnum præ alio supponat, electionem nondum esse factam: humana autem voluntas Christi supponebat electionem prædestinatorum ab æterno factam: igitur non poterat eam in tempore petere; quia petitio per se fertur ad obtinendum aliquid, quod nondum habetur: alioqui frustranea esset petitio. Non, inquam, ex hoc implicat, quia potuit Deus manifestare animæ Christi in exordio suæ conceptionis omnes homines & angelos, tam conditos, quàm condendos, non manifestatâ illi prædestinatione, & reprobatione eorundem; simulque illi plenam potestatem facere, vt eligeret quos, & ad quam gratiæ & gloriæ mensuram vellet. Quo posito potuisset anima Christi ex omnibus angelis & hominibus obiectiuè sibi præsentatis eligere ad gratiam & gloriam quos voluisset, cùm sibi non constaret, quinam de facto essent ad gratiam & gloriam electi; proinde potuisset hos præ illis à Deo petere: nam vt potuerit hos præ illis à Deo petere, sufficit vt non fuerit Christo manifestum, quinam de facto fuerint electi. Potuit igitur Deus eos, & ad eam gratiæ & gloriæ mensuram ab æterno eligere, quos, & ad quam præuidit in tali casu humanam Christi volũtatem in tempore electuram. Supponit hæc ratio nostram doctrinam de prædestinatione Christi factâ ante formalem prædestinationem tam hominum, quàm angelorum.

Maior diffic. si Deus manifestâret animæ Christi 68. *Maior difficultas.*
prædestinationem horum præ illis ab æterno decretam, an tunc posset anima Christi hos præ illis ad gratiam & gloriam à Deo petere. Et sanè dicendum tunc non posse directè petere prædestinationem horum præ alijs, quia cùm illam iam supponeret vt sibi notam, frustra illam peteret, cùm nil plus posset per suam petitionem obtinere, quàm quod de facto concessum & prædestinatum esset pro angelis & hominibus: posset tamen indirectè petere electionem horum præ alijs, directè petendo gratiam efficacem pro his potiùs, quàm pro illis, quibus nondũ supponeretur gratia actu collata, cuiusmodi fuissent omnes, & illi tantùm homines, qui nasciturì fuissent post ipsius aduentum: quibus, quia nondum supponebatur gratia actu collata, licèt ea ab æterno illis fuisset prædestinata, potuisset Christus pro illis collationem gratiæ petere, depẽdenter à quâ petitione potuisset Deus ijs potiùs hominibus, quàm alijs gratiam & gloriam ab æterno prædestinasse.

Dices: ergo etiam potuisset Christus petere 69. *Dices.*
pro antiquis PP. gloriam, quia illa nondum ante mortem Christi supponebatur actu collata, sed tantùm ab æterno prædestinata: & consequenter indirectè etiam petere potuisset prædestinationem gloriæ eorundem, sicut indirectè petere potuit prædestinationem gloriæ pro ijs, qui fuerunt post ipsius aduentum. Nego conseq. quia gloria suppo- 70.
nebatur antiquis PP. iam debita propter ipsorum *Resp. discrimen esse.*
merita, facta ex gratiâ, antecedentia Christi aduentum, ac proinde independenter à petitione Christi, quæ non poterat se extendere ad obtinendam gratiam hominibus suum aduentum præcedentibus, licèt non independenter à meritis eiusdem, quæ

 tantùm

tantùm causant vt præuisa: gratia verò nullo pacto erat debita hominibus post aduentum Christi nasciturís, proinde poterat Christus pro illis directè collationem gratiæ petere, indirectè verò prædestinationem eiusdem gratiæ

71. *Conclusio de facto.* Dico 2. De facto Christus vt homo non habuit vniuersalem potestatem, vt in liberâ voluntate ipsius positum esset, eligere quos, & ad quam gratiæ & gloriæ mensuram vellet: sed hoc positum fuit in solâ voluntate Dei. Dixi *Vniuersalem potestatem:* nam aliquos dependenter à liberâ electione Christi fuisse ad gratiam & gloriam electos ex ijs qui post aduentum ipsius conditi sunt, valde probabile est, vt *disp.26. sect.12.* Fundam. in grauissimo ne-

72. *Fundamentum potiss.* gotio prædestinationis potiùs debuit humana voluntas Christi conformari diuinæ, quàm contrà: conformâsset autem se diuina voluntas humanæ Christi, si in liberâ potestate Christi fuisset, omnia supernat. dona gratiæ & gloriæ conferre, quibus, quando, & in quâ mensura, humana voluntas Chri-

73. sti voluisset. Nec sat est dicere, humanam voluntatem Christi fuisse diuinæ conformem, quia hanc ipsam potestatem eligendi ad gratiam & gloriam quos vellet, habuisset ex voluntate diuinâ: nam hoc ipsum non putamus rationi, & sacris litteris consonum, grauissimum altissimumque prædestinationis negotium, quod Paulus refert ad altitudinem diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, *Rom.11.* ad propositum voluntatis diuinæ, *Ephes.1.* commit-

74. *Prob. hoc discursu.* tere humanæ voluntati Christi. Maior prob. Potissimum medium humanæ salutis, quæ fuit ipsa mors & passio Christi, non fuit saltem quoad substantiam in potestate humanæ voluntatis Christi, sed Dei, qui sub præcepto mortem & passionem Christo imposuit: ergo neque salus humana fuit in potestate humanæ voluntatis Christi, sed Dei. quia magis ab agente intenditur finis, quàm medium; cùm medium intendatur propter finem, non finis propter medium: igitur si medium ad salutem humanam exequendam, non fuit in potestate humanæ voluntatis Christi, sed Dei, à fortiori nec salus

75. *Confirm.1.* ipsa. Confirm. præceptum mortis in Christo ordinatum fuit ad promerendam salutem hominibus; propter hoc enim fuit illi hoc præceptum impositum, vt per suam mortem nostram redemptionem consummaret: igitur Christus non potuit nostram redemptionem non mereri: potuisset autem non mereri, si in eius liberâ potestate positum fuisset, saluare quos vellet.

76. *Dices.* Neque dicas, habuisse quidem præceptum consummandi suâ morte nostram redemptionem; cum hoc tamen præcepto habuisse potestatem pretium redemptionis applicandi, quibus voluisset:

Contrà 1. Nam saltem ex hoc sequitur, non habuisse potestatem non merendi in generali pro hominibus. 2.

2. ex hoc ipso satis probabiliter colligitur, neque habuisse potestatem merendi, vel non merendi, pro quibus ipse vt homo volebat, sed pro quibus vt Deus decreuerat: nam si ipse vt Deus ad merendum determinauit medium, longè etiam verosimilius est, vt etiam vt Deus determinauerit fi-

Christus meritus est pro quibus Deus volebat. nem, non modò pro hominibus in generali, sed etiam pro talibus hominibus in particulari, ac proinde his præ illis: tum quia hoc magis saluat conformitatem humanæ voluntatis Christi cum diuinâ in negotio nostræ salutis, cuius sicut initium, ita & consummatio à Deo est. Tum quia hoc melius saluat vniformitatem diuinæ prædestinationis: nam sicut omnis prædestinatio ad gratiam & gloriam eorum, qui præcesserunt aduentum Christi, fuit & in generali, & in particulari à Deo, nam ipse ad gratiam & gloriam elegit, quos voluit, dependenter tantùm ab operibus Christi in genere causæ meritoriæ: ita & omnis prædestinatio post aduentum Christi fuit à Deo, concurrentibus tantùm meritis Christi in genere causæ moralis.

Tum maximè; quoniam omnem vocationem ad gratiam, & electionem ad gloriam Christus tribuit Patri, seque tantùm venisse testatur ad exequendam Patris voluntatem circa hominum salutem, 77. *Maxima ratio.* Matth.15. *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus, eradicabitur:* & 20. *Sedere ad dexteram meam vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Ioan. 5. *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me.* Ioan. 6. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum: omne quod dat mihi Pater, ad me veniet:* & ibid. *Descendi de cœlo, non vt faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius, qui misit me. Hæc est autem,* inquit, *voluntas eius, qui misit me Patris, vt omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo, sed resuscitabo illud in nouissimo die.* Idem expressit in illâ oratione, quam ad Patrem habuit pro suis discipulis, & pro omnibus, qui erant in ipsum credituri, Ioan.17. *Manifestaui,* inquit, *nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo; tui erant, & mihi eos dedisti.* In cuius comment. Toletus: *His etiam verbis,* inquit, *Christus multa alia significat: primò discipulos non solo suo arbitrio venisse ad eum, sed à Patre electos & tractos. Secundò, se non voluntate humana sola eos, aliáve de causa elegisse, nisi quia diuina voluntati id ita placitum nouit: ideo enim Christus vt homo ad se illos vocauit, quia vt Deus eos vocandos decreuerat.* Augustinus *tract.106. De mundo sibi à Patre dicit filius datos homines, quibus alio loco dicit:* Ego vos elegi de mundo. *Quos Deus filius de mundo elegit cum Patre, idem ipse homo filius de mundo eos accepit à Patre: non enim Pater illos filio dedisset, nisi elegisset.* Quibus Apostolorum electionem tribuit Christo vt Deo, non vt homini. Idem expressit Paulus *ad Hebr.* 10. applicans Christo illud *Psal.39. In capite libri scriptum est de me, vt faciam Deus voluntatem tuam.* Et Ioan. 17. *Quos dedisti mihi custodiui, & nemo ex eis perijt, nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur,* vbi causa perditionis Iudæ assignatur adimpletio scripturæ, quæ est eadem ac voluntas permissiua Dei. Si ea causa fuisset voluntas humana Christi, non assignaretur scripturæ adimpletio, sed humana voluntas permissiua Christi, quæ cùm potuisset, efficax illi auxilium impetrando, eum saluare, noluit: ita *Toletus* in hæc verba: *Noluit,* inquit, *facere Christus totum quod poterat, quia Patrem id nolle cognouit. Ille ergo perijt culpâ suâ, & hoc prædictum est, quâ prædictione significauit Deus, velle permittere eum damnari, & nolle omninò impedire, quod posset, idcirco nec impediuit Christus vt homo, quod nouit Patrem impedire nolle.* 78. *Idem colligitur ex his Christi verbis.*

Confirm. ad verificandam prædictionem diuinam de perditione Iudæ, noluit Christus vt homo 79. *Confirm. 1.* facere quod poterat ad illum saluandum: igitur causa, quare noluerit illum vt homo efficaciter iuuare, fuit voluntas Dei sibi manifestata. Nec dici potest, Deum prædixisse quod futurum præuiderat ex voluntate permissiuâ Christi: quia tunc primaria causa permissiua perditionis Iudæ non referretur ad impletionem Scripturæ, sed ad voluntatem permissiuam Christi.

Obijcies. Deus prædestinauit homines propter 80. merita Christi: vt *disp.26. sect.12.* sed merita Christi liberè pendent ab humanâ voluntate ipsius: nam vt opus sit meritorium, debet esse liberum: igitur hominum prædestinatio pendet ab humana voluntate Christi: nam si Christus elicuit sua merita; potuit

tuit illa non elicere: sed si illa non elicuisset, Deus
81. *Confirm.* homines non prædestinâsset. Confir. Antequã Deus aliquem ad gratiam & gloriam elegerit, debuerunt merita Christi ratione præcedere vt existentia saltem in præscientiâ diuinâ: ergo prima radix eligendi homines ad gratiam & gloriam fuit humana voluntas Christi: quia si nulla præcessissent Christi merita, nullus fuisset ad gratiam & gloriam electus.
82. *Resp.* Distinguo Minor. hæc vel illa merita in particulari liberè pendent ab humanâ voluntate Christi, concedo: merita Christi in communi pendent à liberâ voluntate Christi, nego. Etenim hoc ipso, quòd Christus habuit à Patre præceptum moriendi, adeóque suâ morte ac passione homines redimendi, habuit præceptum pro hominibus merendi: nam præceptum per suam mortem & passionem nos redimendi, fuit præceptum de nobis redimendis per actus meritorios apud Deum. Ergo sicut præceptum homines redimendi per mortem & passionem fuit à Deo: ita præceptum merendi per aliquos actus in communi de morte acceptandâ & sustinendâ fuit à Deo. Vnde ad prob. conseq. concedo, po-
83. *Merita Christi in communi non libera.* tuisse Christum hos, vel illos actus in particulari non elicere; nego autem potuisse nullum meritorium actum elicere. Nam ad hoc habebat præceptum, vt aliquo actu meritorio passionis & mortis nos à peccato redimeret: quod præceptum Christus transgredi non poterat. Nec repugnat, in Christo fuisse necessitatem ad actus meritorios in communi, cum libertate ad singulos in particulari: sicut è contrario, non repugnat in nobis necessitas ad committendum aliquod peccatum veniale in communi, cum libertate ad committendum hoc, vel illud in particulari: & in quouis necessitas exercendi aliquem actum liberum, cum libertate exercendi hunc, vel illum in particulari. Ex quo tandem sequitur, primam causam hominum prædestinationis, siue ad gratiam, siue ad gloriam, non fuisse humanam, sed diuinam Christi voluntatem, quæ ante vllum actum humanæ voluntatis Christi im-
84. *Ad confirm.* posuit ipsi præceptum vt per actus meritorios suæ passionis & mortis nos redimeret. Ad confirm. neg. conseq. nam merita Christi præuisa, vt futura, supponebant voluntatem Dei de præcepto imposito Christi de redemendis hominibus suâ morte & passione: & consequenter supponebant voluntatem Dei vt primam radicem & causam humanæ salutis. Ad prob. concedo, si nulla præuisa fuissent merita Christi, nullum hominẽ vi præsentis decreti fuisse ad gratiam & gloriã electum; nam vi præsentis decreti omnis nostra prædestinatio facta est dependẽter à meritis Christi: nego tamen, id possibile fuisse: nam merita Christi supponebant præceptum impositum Christo de redimendis hominibus per actus meritorios: vnde sicut nõ poterat Christus tale præceptum non seruare, ita nec poterat non mereri, & consequenter ipsius merita vt futura non
85. *Instas.* præuideri. Instabis: Deus non prædestinauit homines propter merita Christi in communi, sed propter merita Christi in particulari, quia prædestinauit illos propter merita Christi, quæ de facto fuerunt: hæc autem fuerunt actus Christi in indiui-
Resp. duo, qui potuerunt non esse. Concedo, Deum prædestinâsse homines propter merita Christi in particulari: concedo etiam, hæc merita Christi in particulari potuisse non esse: nego autem, nulla merita Christi potuisse non esse; nam tametsi hæc, vel illa in particulari potuerint non esse, aliqua tamen non potuerunt non esse, & tunc propter illa homines prædestinati fuissent: quo fit, vt semper prima radix hominum prædestinationis fuerit voluntas diuina.

Nota dupliciter merita Christi fuisse ab huma- 86. *Pro clariori notitiâ.*
nâ voluntate Christi pro redemptione hominum oblata; vno modo in generali pro omnibus; alio in particulari pro his, vel illis, vt pro Petro, ne ipsius fides deficeret; pro reliquis Apostolis, ne Apostolatum desererent. 1. modo merita Christi nec fuerunt causa prædestinationis horum potiùs, quàm aliorum; nec causa prima simpliciter, sed solùm prima in genere meriti: nam prima simpliciter fuit voluntas Dei, quæ ante vlla præuisa Christi merita vt absolutè futura, præparauit vt efficacissimum medium ad hominum salutem Christi Incarnationem: voluntas autem medij supponit voluntatem saltem virtualem finis; Vnde hæc prima voluntas Dei saluandi homines non fuit ex meritis Christi, sed tantùm ex Deo. Fuerunt autem merita Christi causa prima in genere meriti, quia antequã Deus præuideret vlla nostra merita, propter sola merita Christi præuisa aliquos voluit ad gratiam sufficientem, aliquos ad efficacem, & consequenter ad gloriam.
Quod sic ostendo; cùm omnia nostra merita pen- *Ratio.*
deant ex gratia, quæ nobis datur per merita Christi, priùs debuerunt præuideri merita Christi, quàm vllius hominis vel ad gratiam, vel ad gloriam electio, imò etiam angelorum, cùm in meâ sententia *Christus causa prima meritoria.*
merita Christi fuerint causa prima meritoria prædestinationis etiam angelorum. Quo fit, vt merita Christi sint effectus primæ voluntatis, quâ Deus ex se motus est ad hæc media nobis præparanda, & simul causa meritoria alterius voluntatis, quâ idem Deus propter eadem merita Christi præuisa, motus est ad gratiam & gloriam nobis expressè & formaliter prædestinandam. 2. modo, quatenus me- 87.
rita Christi fuerunt applicata ab humanâ Christi voluntate pro his potiùs, quàm pro alijs, fuit etiam ordinatum à diuinâ voluntate, vt singulare beneficium & medium prædestinatorum ad suam prædestinationem consequendam: ita sæpè Deus ordinat orationem vnius sancti, vt singulare beneficium & medium ad impetrandam gratiam vocationis alteri: quo casu non ideo Deus elegit ad primam gratiam vnum, quia vidit alterum pro illo oraturum, sed ideò vnus pro altero orauit, quia Deus elegerat illum per tale medium ad primam gratiam: Voluntas igitur Dei eligendi hos præ alijs ad gratiam & gloriam, præcessit voluntatem humanam Christi applicandi singulariter sua merita his præ alijs.

Dices. Voluntas Dei eligendi ad gratiam & ad 88. *Obiic.*
gloriam singulariter hos præ alijs, supponit Christi merita, propter quæ Deus ipse singulariter eligit hos præ alijs: igitur hæc voluntas Dei non potest præcedere voluntatem Christi offerentem sua merita singulariter his præ alijs. Resp. Hæc Dei vo- *Resp.*
luntas supponit Christi merita generaliter oblata pro omnibus, concedo; singulariter oblata pro his, nego. Etenim sicut voluntas Dei prædestinandi Christum in redemptorem hominum, non supponit specialem ac formalem voluntatem Dei eligendi ad gratiam & gloriam hos præ alijs, sed simplicem & virtualem dumtaxat affectum volendi omnes, ex quo motus est Deus ad prædestinandum Christum in redemptorem, vt præstantissimũ me- *Medium potissimum salutis ac prædest.*
dium ad salutem hominum exequendam: ita singularis voluntas Dei efficaciter eligendi hos præ alijs ad gratiam & gloriam, non supponit merita Christi singulariter oblata pro his, sed generaliter oblata pro omnibus, propter quæ motus est Deus ad eligendos efficaciter hos præ alijs. Ex quâ deinde voluntate motus est Deus ad præparanda illis media, quibus gratiam & gloriam consequerentur,

inter

inter quæ potissimum fuit oratio Christi, quâ gratiam & gloriam electis impetrauit. Ex quo elucet, orationem Christi fuisse effectum diuinæ voluntatis singulariter eligentis hos præ alijs, & simul causam meritoriam, non quidem eligendi singulariter hos præ alijs, cùm iam supponantur singulariter electi propter Christi merita præuisa generaliter tantùm oblata pro omnibus; sed vt eligerentur hoc singulari medio, nempe oratione Christi, quâ non futurâ, adhuc fuissent singulariter electi per alia media: eo modo quo oratio antiquorum PP. fuit causa meritoria Incarnationis, non quoad substantiam, sed quoad circumstantias, vt hoc aut illo modo, hoc aut illo tempore exequeretur. Quâ oratione non futurâ, adhuc Incarnatio mandata fuisset executioni, sed alijs medijs, aliôve tempore. *Ratio.* Ratio: cùm hæc media sint circumstantiæ rei, potuit Deus rem in vno signo efficaciter quoad substantiam decernere, absque vllâ circumstantiâ determinatâ, sicut potuit efficaciter decernere finem quoad substantiam, nullo adhuc medio determinatè prædefinito.

89. *Instas 1.* Instabis 1. Hic discursus supponit, Deum priùs ratione elegisse homines ad gloriam quàm ad gratiam & merita, ex gratiâ proficiscentia, quibus vt medijs gloriam consequerentur; contra ea, quæ *Distinguo.* 1. *tom. disp.* 15. *sect.* 4. Resp. supponit, priùs ratione Deum elegisse homines ad gloriam formaliter, nego: nam hæc electio hominum ad gloriam formalis non fit, nisi post præuisa merita, tam Christi, applicata pro prædestinatis ad impetrandam illis gratiam, & reliqua media ad gloriam consequendam necessaria; quàm post præuisa merita prædestinatorum: supponit, Deum priùs ratione elegisse homines ad gloriam virtualiter per vocationem efficacem, per quam formaliter eligendo ad gratiã, simul virtualiter eligit ad gloriam, concedo. Potuit igitur Deus priùs ratione elegisse ad vocationem efficacem hos præ alijs, propter merita Christi in communi pro omnibus oblata; posteà verò decernere reliqua media, vt impetranda ijsdem prædestinatis, per merita Christi offerenda pro his in particulari: post quæ Christi merita, & prædestinatorum præuisa, Deus formaliter elegit illos ad eam gloriæ mensuram, quam finalia ipsorum merita exigebant.

90. *Vrges 1.* Vrgebis 1. sequeretur, non potuisse Christum sua merita in particulari offerre ad impetrandam 1. vocationem prædestinatis, quia semper ad 1. vocationem prædestinati supponebantur electi independenter à meritis Christi in particulari applicatis, dependenter tantùm à meritis eiusdem in communi oblatis: quod videtur contra *cit. Ioan.* 17. vbi Christus specialiter orauit pro ijs, qui erant in ipsum credituri: porrò prima vocatio est ad fidem. *Resp.* Nego sequel. tum quia 2. *concl.* assero, aliquos fuisse etiam ad primam vocationem electos, propter merita Christi pro ijs in particulari oblata. Tum quia prima vocatio potuit quoad substantiam ab æterno prædestinari dependenter à Christi meritis in communi oblatis; quoad circumstantias verò executioni mandari dependenter à meritis eiusdem in particulari oblatis: nec 1. vocatio est ad fidem, cùm ante assensum fidei præcedant aliæ internæ vocationes, ad quas potest Deus homines eligere propter merita Christi in communi tantùm ablata, ad ipsam verò formalem vocationem ad fidem eligere propter merita eiusdem in particulari appplicata.

91. *Instas 2.* Instabis 2. Eo ordine res Deus ab æterno decreuit, quo illas in tempore exequitur: sed omne donum supernaturale in tempore exequitur dependenter à meritis Christi in particulari oblatis: ergo eo ordine illud ab æterno decreuit. Nego minor. *Resp.* nam licet omnia dona supernaturalia hominibus conferat propter merita Christi, non tamen omnia illa confert propter merita eiusdem in particulari pro ijs impetrandis oblata: sed aliqua propter merita Christi in communi exhibita, aliqua propter merita eiusdem in particulari oblata. Pari modo aliqua dona ab æterno prædestinauit dependenter tantùm à meritis Christi pro omnibus in communi exhibitis; aliqua dependenter à meritis eiusdem in particulari oblatis.

92. *Instas 3.* Instabis 3. Deus ad prædestinandam etiam quoad substantiam gratiam & gloriam hominibus motus est ex omnibus Christi meritis: ergo merita specialiter oblata pro his, non tantùm fuerunt causa impetratoria gratiæ quoad circumstantias, sed etiam quoad substantiam. *Resp. 1.* Nego, singulas gratias & glorias prædestinatas esse propter omnia & singula merita Christi, sed vnam gratiam & propter aliqua merita, aliam verò propter alia, ita vt nulla sit gratia vel gloria non prædestinata & exhibita propter merita Christi.

93. *Resp. 2.* 2. Eadem Christi merita specialiter oblata pro his, vel illis bifariam considerari; 1. modo vt obsequia exhibita in honorem Dei, quem in omni suâ operatione Christus intendebat: 2. modo vt merita pro his specialiter applicata. 1. modo omnia Christi opera fuerunt meritoria cuiuscumque gratiæ & gloriæ, etiam quoad substantiam, tam angelis, quàm hominibus prædestinatæ. 2. modo fuerunt meritoria gratiæ tantùm quoad circumstantias, nempe quoad peculiarem modum vocandi & conseruandi electos in gratiâ, illis ab æterno præparata propter merita Christi in communi oblata. *Ratio.* Ratio, quia vt sic supponebant illam quoad substantiam efficaciter prædestinatam, propter merita in communi tantùm oblata.

94. *Instas 4.* Instabis 4. Hic modus minuit affectum prædestinatorum erga Christum, nam hoc modo non agnoscunt prædestinati suam prædestinationem à Christo, sed tantùm à Deo, cuius solâ voluntate fuerunt à non prædestinatis secreti. *Resp.* Nego anteced. Etenim licet prædestinati non agnoscant humanam voluntatem Christi, vt originem 1. & causam effectiuam suæ prædestinationis, agnoscunt tamen illam vt primam in genere meriti: nam propter merita Christi fuerunt non solùm ab æterno prædestinati, sed etiam in tempore vocati, iustificati, glorificati; quamuis causam 1. simpliciter horum omnium agnoscant Deum, qui non solùm eos præ alijs ab æterno elegit, & in tempore vocauit, iustificauit, glorificauit, sed etiam Christum prædestinauit, vt hæc omnia meritoriè impetraret electis.

95. *Distinctio signorum clara 1.* Hæc signa in diuinâ mente distinguo. 1. quo voluntate simplici ac virtuali voluit Deus omnes ad salutem: quæ voluntas fuit à Christi meritis independens, dependens tantùm ab ipso vt à fine, in cuius exaltationem & gloriam omnia ordinauit. Porrò hanc voluntatem primùm habuit Deus, cùm Incarnationem filij sui, vt efficacissimum medium ad salutem hominum exequendam decreuit: nam eadem fuit simul formalis voluntas medij, & virtualis finis, respectu salutis omnium. *Secundu[m]* 2. quo Christo decreto iam vt redemptori, præceptũ imposuit de redemptione humanâ exequendâ per suam mortem & passionem. *Tertium* 3. quo præuidit Christum liberè acceptaturum id præceptum ex obedientiâ Patris: & ex charitate hominum libenter perpessurum, & cum eâ simul reliquos actus meritorios, saltem quoad substantiam. *Quart[um]* 4. propter huiusmodi merita præuisa iam scientiâ visionis, Deus elegit aliquos ad gratiam efficacem, alios

Quintum. alios tantùm ad sufficientem. 5. aliquorum gratiam, quam quoad substantiam prædestinauerat propter merita Christi generaliter oblata pro omnibus, decreuit executioni mandare dependenter ab oratione
Sextum. ne & impetratione Christi. 6. præuidit Christum sua merita specialiter oblaturum pro ijs, quos Deus
Septimum. elegerat, propter ipsius merita generaliter oblata. 7. vidit aliquorum gratiam executioni mandatam dependenter ab oratione Christi: quæ Christi oratio vt præuisa simul cum alijs actibus meritorijs, vt obsequium Patris, fuit causa meritoria gratiæ quoad substantiam, & simul quatenus erat oratio oblata vni præ alio, fuit impetratoria eiusdem gratiæ quoad circumstantiam, nempe vt hoc potiùs modo daretur, quàm alio; cùm eadem gratia quoad substātiam, alio & alio modo dari potuisset.
Octauum. 8. cum hāc gratiā specialiter collatā præuidit aliquos cooperaturos, propter quorum opera finaliter præuisa, fuerunt ad certum gloriæ gradum electi.

96. *Ad opposita sententia prior à duo argum. ex scriptur.* Ad duo argum. opposita, 1. constat quo pacto potuerit oratio Christi esse impetratoria fidei Petri, & reliquorum Apostolorum, aliorumque fidelium. Secundò non repugnat nostræ doctrinæ, donum fidei, & vocationem ad Apostolatum, etiam quoad substantiam, & prædestinatam, & executioni mandatam fuisse propter orationem
97. *Ad tertium.* Christi specialiter pro illis oblatam. Ad 3. concedo, Deum elegisse nos in Christo, siue vt in causā finali, & exemplari, siue vt in causā meritoriā: nego tamen vniuersaliter, ideò elegisse hos præ illis, quia præuidit Christum sua merita oblaturum pro his potiùs, quàm pro illis: sed quia præuidit merita Christi simpliciter in sui honorem & obsequium exhibita, & generaliter pro omnibus oblata. Ad illud *Matth. & Ioan.* dicuntur omnia Christo vt homini tradita, & in ipsius manu & potestate posita; tum quia Christus vt homo constitutus est caput totius Ecclesiæ, in quam habet plenissimum ius gubernandi, regendi, leges ferendi, sacramenta instituendi, Ecclesiasticos ministros substituendi, ratione cuius regiminis habet indirectum dominium in omnia regna tēporalia mundi. Tum quia licet in ipsius potestate non fuerit, his præ illis efficaciter sua merita non applicare, atque adeò his præ illis efficacem gratiam & gloriam non impetrare: fuit tamen in ipsius potestate, his vel illis actibus, hoc vel illo modo gratiam & gloriam ijsdem prædestinatis mereri, atque impe-
98. *Ad quartum.* trare. Ad 4. *cit.* August. intellig. iuxta limitationem, quam ipse addit, de potestate liberandi, & damnandi per iudicium, expensis iudicandorum meritis, ac demeritis.

99. *Dices.* Dices. Hoc modo non posset Christus vt homo liberare, vel damnare, quos vellet, sed quos libe-
Resp. randorum, vel damnandorum causa, poscit. Resp. dicitur liberare, vel damnare quos vult, quatenus liberè exercet actum iudicij, quem posset non exercere, si vellet: probabile enim est, hunc iudicij actum in ipsius humanā positum esse voluntate. Cæterùm posito quòd iudicat, non potest, nisi iuxta iudicandorum causam iudicare: quod ipse Christus testatur *Matth. 20. Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum*
100. *Ad quintum.* *est à Patre meo.* Ad 5. nego, semper preces vnius esse causam prædestin. alterius, vt *S. Thom. 1. p. quæst. 23. art. 8.* sed potiùs interdum preces vnius esse effectus prædestinationis alterius, quatenus Deus illas eligit vt medium prædestinationis alterius: quamuis discriminentur à precibus Christi, quæ non solùm interdum sunt effectus prędestinationis quoad circumstantias, sed etiam causæ quoad substantiam, licet sub alio & alio respectu. Secundò, esto aliquando preces vnius sint causa meritoria prædestinationis alterius, adhuc nego, id semper esse vniuersaliter verum.

Ad 6. concedo. Christum vt hominem esse perfectissimum caput omnium donorum supernaturalium, subordinatum tamen Deo: proinde habe- 101. *Ad sextum.* re debuit potestatem subordinatam diuinæ voluntati, quæ fuit vt Christus haberet perfectam potestatem, tum satisfaciendi & merendi sufficienter pro omnibus, tum efficaciter pro ijs, quos Deus specialiter elegerat: tum vniuersale regimen supra totam Ecclesiam, illam nouis legibus & institutis fundando, noua sacramenta condendo, ministros creando, monarchicam gubernationem instituendo, quæ omnia liberè Christus exercuit: nam licet non potuerit absolutè per mortem & passionem non satisfacere, ad quod habuit præceptum, potuit tamen alijs actibus, quàm quibus de facto meruit & satisfecit. Neque ex eo, quòd debuit efficaciter mereri pro ijs, quos Deus specialiter ad gratiam & gloriam elegerat, non liberè pro ijs meruit, quia non repugnat necessitas ád actus in communi, cum libertate ad actus in particulari. Ad 7. nego, Christum 102. *Ad septimum.* efficaci voluntate velle potuisse id, cuius oppositum videbat independenter ab humanā voluntate à Patre determinatum, cùm non potuerit humana Christi voluntas discordare à diuinā. 2. nego, id fuisse contra Christi dignitatem, cùm non possit esse contra Christi dignitatem, perfectè sequi voluntatem Patris sibi manifestatam. Cæterùm negandum non est, interdum humanam Christi voluntatem & simplici affectu desideràsse, aut omnibus, aut plerisque reprobis æternam gloriam, quem affectum ostendit erga omnes suos crucifixores, dum pro illis omnibus orauit, quod præsumendum est de immensā Christi erga homines charitate. Neque hoc fuit discordare à diuinā voluntate, quæ huiusmodi affectus in Christo non prohibebat: sicut non discordauit à diuinā voluntate, quando simplici affectu à Patre petiuit liberationem à morte, ad quam sustinendam habebat præceptum.

DISPVTATIO XXXI.

De temporali potestate Christi.

SECTIO PRIMA.

An Christus vt homo habuerit moralem potestatem creandi res nouas, creatasque destruendi?

OMNES conueniunt, Christum vt hominem suo merito impetrare potuisse cuiuscumque rei productionem, vel destru- 1. *Hanc controu. nemo agitat in terminis.* ctionem: item ratione spiritualis regiminis animarum, & supremi doctoris officij, quo fungebatur, veritates supernaturales prædicādi, habuisse indirectam potestatem creandi, ac destruendi quascumque res, quæ ad perfectum animarum regimen, & veritates supernaturales contestandas necessariæ fuissent. Quare controuersia restringitur, an Christus vt homo directam potestatem moralem habuerit, independenter à salute animarum, & contestatione miraculorum, vt quicquid ipse vel de *Digna est examine.* nouo

nouo creatum, vel creatum destructum vellet, infallibiliter factum esset: ad Christi potestatem perfectè dignoscendam necessaria.

2. 1. Sentent. PRIMA sententia affirmat, quæ sequitur ex opinione eorum qui docent, de facto Deum res omnes creatas producere, & conseruare mediâ humanitate Christi, vt instrumento obedientiali sibi coniuncto, quorum meminit *Suarez 3. p. tom. 1. disp. 23. sect. 1. dicto 3.* quæ concederet etiam Christo plenam potestatem creandi, ac destruendi quæ vellet.

3. Prob. 1. ex scriptura. Prob. ex *Ioan. 5. Non potest filius à se facere quicquam, nisi quod viderit Patrem facientem, quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Sicut enim Pater suscitat mortuos & viuificat, sic & filius quos vult viuificat.* Quod sit sermo de Christo vt homine, constat tum ex illis, *Non potest filius à se facere quicquam:* tum ex alijs, quæ *ibid.* subiungit: *Pater*, inquit, *diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Quæ nequeunt de Christo vt Deo intelligi: tum quia Christus vt Deus potens est omnia facere, eâdem potentiâ, quâ potens est Pater: tum quia vt Christus vt Deus omnia cum Patre faciat, non eget, vt facienda sibi à Patre demonstrentur, cùm omnia videat eâdem visione cum Patre. Tum maximè propter ea, quæ subdit: *Neque enim*, inquit, *Pater iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio:* non enim intelligi potest de iudicio, quod facturus est Christus vt Deus, nam hoc commune est Patri, sed de iudicio, quod facturus est vt homo.

4. Prob. 2. &c. Prob. 2. ex *Matth. vlt. Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Qui autem omnem sibi potestatem datam affirmat nullam excludit creaturæ communicabilem.

5. 3. Ex eod. *cap. 11. Omnia mihi tradita sunt à Patre meo:* & Ioan. 3. *Pater diligit filium, & omnia dedit in manu eius.* Et 13. *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus:* porrò manus in his locis sumitur pro virtute, & potestate operandi, vt interpretatur Cyrillus Alex. *lib. 2. in Ioan. cap. 73.* Quòd autem his in locis sermo sit de potestate communicatâ Christo vt homini, docet idem *Cyrillus*, & reliqui ferè PP. cum eo: nam quæ Christus habet vt Deus, non habuit in tempore, sed ab æterno per naturalem generationem à Patre.

6. A poster. 4. Hâc potestate vsus est Christus, in multiplicatione panum, *Matth. 14. Marci & Ioan. 6. Luc. 9.* in conuersione aquæ in vinum, *Ioan. 2.* in arefactione arboris fici, *Matth. 21.* in resuscitatione Lazari, & reliquorum, in conuersione panis & vini in corpus & sanguinem suum, *Matth. 26. Marci 14. Luc. 22.* in omni miraculorum patratione, in quâ vel noua res producebatur, vel producta destruebatur, vel aliquid contra, aut præter naturam operabatur.

7. Ratio 1. 5. Hæc potestas facit ad maiorem Christi excellentiam & authoritatem: nulla autem perfectio est Christo deneganda, quæ communicabilis est creaturæ, & ad ipsius maiorem authoritatem & excellentiam facit.

8. Secunda. 6. Christus vt homo electus est ad naturalem filiationem Dei: ergo communicari ei debuit participium dominij, quod filius Dei habet in omnes res creatas: ergo sicut Christus vt Deus vnà cum Patre & Spiritu sancto producit & conseruat omnes creaturas: ita Christus vt homo, saltem vt instrumentum Verbi, producere & conseruare debet easdem creaturas.

9. Tertia. 7. Christus vt homo fuit perfectus redemptor, & restaurator omnium bonorum, quæ vel per peccatum amisimus, vel amittere debebamus: sed per peccatum non solùm amisimus dona supernaturalia, sed etiam in pœnam amittere debebamus omnia bona naturalia: ergo Christus vt perfectus redemptor & restaurator, non solùm restituere nobis debuit bona supernaturalia, quæ amisimus, sed etiam naturalia, quæ in pœnam peccati amittere debueramus: igitur non solùm habere debuit potestatem in bona supernaturalia, sed etiam naturalia. Minor prob. in diluuio Deus non solùm propter peccata hominum, puniuit ipsum hominem, per sublationem donorum supernaturalium, sed etiam per destructionem omnium viuentium, quæ propter ipsum condita erant.

8. Christus vt homo fuit perfectissimum caput mysticum omnium, ergo non tantùm rerum supernaturalium, sed etiam naturalium: ergo habere debuit moralem potestatem non solùm in res supernaturales, sed etiam in naturales. 10. Quarta.

SECVNDA negat, Christo vt homini communicatam esse directam potestatem moralem, vel nouas res condendi, vel conditas destruendi; sed tantùm indirectam, quatenus illa necessaria erat, vel ad perfectum regimen, & æternam salutem animarum, vel ad mysteria fidei signis & miraculis contestanda; & multò minùs ei communicatam fuisse actualem efficientiam in res omnes creatas. 11. 2. Sentent. probabilior.

Hæc probabilior est, eamque tradidisse videtur *August. epist. 90. & 105.* in quibus docet, Christum non esse mortuum, vt homines, & multò minùs vt reliquæ res conderentur, sed vt iusti & sancti essemus: *Etenim Christus non pro nullis*, inquit, *vt homines conderentur, sed pro impijs mortuus est, vt iustificarentur.* 12. Ex August.

Ratio: ea tantùm potestas communicata est Christo, quæ ad munus perfecti redemptoris, & spiritualis capitis necessaria est: nam temerè alia asseritur in Christo, quæ non sit connexa per se cum hoc munere, at directa potestas moralis nouas res creandi, vel creatas destruendi ad perfecti redemptoris, ac spiritualis capitis munus necessaria non est: nam Christus non venit, nisi ad restauranda supernaturalia dona per peccatum amissa: in quo sensu intelliguntur illa *ad Ephes. 1. Instaurare omnia in Christo, quæ in cælis, & quæ in terra sunt:* illud *Ioan. 18. Regnum meum non est de hoc mundo.* Vnde Christus non successit Adæ in propagatione bonorum naturalium, sed solùm in communicatione donorum supernaturalium. Quod inde patet, quòd mundanas dignitates & diuitias non assumpsit, nec carnalem propagationem per naturalem generationem, sed spiritualem dumtaxat per regenerationem supernaturalem filiorum spiritualium habere voluit. Ratio.

Confirm. Christus venit tantùm in remedium peccati, quo non existente, non venisset, vt scripturæ & PP. testantur, & ex fine Incarn. constat: ergo ea tantùm potestas communicata illi est, quæ ad peccati remedium necessaria fuit.

Ad 1. oppositæ resp. ibi sermo est de Christo vt Deo, vt August. *tract. 18. & 19. in Ioan.* Cyrillus *Alex. lib. 2. cap. 135.* & alij PP. testantur. Quod acutè deducit August. *in cit. tract. 18.* ex illis verbis: *Quæcumque ille fecerit, hæc & filius similiter facit: Non cùm ille fecerit*, inquit, *alia filius similiter facit: sed quæcumque ille fecerit, hæc & filius similiter facit. Si hæc facit filius, quæ fecerit Pater, per filium facit Pater: si per filium facit, quæ facit Pater, non alia Pater, alia filius facit, sed eadem opera sunt Patris & filij.* Ac obijcit sibi; *Quomodo eadem facit & filius, & eadem, & similiter? ne fortè eadem sed dissimiliter: eadem inquit & similiter:* probat hoc exemplo: *Cùm scribimus litteras, facit eas primò cor nostrum, & deinde manus nostra. Litteræ fiunt primò à corde nostro, deinde à corpore nostro. Easdem litteras facit & cor, & manus. Numquid alias cor, alias manus? nam aliud est cor, aliud est manus. Easdem quidem facit manus, sed non similiter. Cor enim nostrum facit eas intelligibiliter, inuisibiliter: manus autem visibiliter. Ecce quomodo fiunt eadem, & dissimiliter. Vnde parum fuit Domino dicere*, quæcumque 13. Ad primā oppositæ sententiæ. Filij & Patris operationum identitatem ostendit magis.

que Pater fecerit, hæc & filius facit: *nisi adderet*, & similiter. Ex quo constat Christum hîc non loqui de
Ratio. operibus suæ humanitatis, sed diuinitatis. Tū quia etsi omnia opera humanitatis sint Patris, ac totius Trinitatis, non tamen omnia opera Patris sunt humanitatis, cùm multa opera faciat Pater cum totâ Trinitate, quæ non facit humanitas: cùm tamen Christus asserat nulla opera facere Patrem, quæ nōn faciat filius. Tum quia nec eadem opera Patris facit humanitas, *similiter*, sed *dissimiliter*: nam Pater facit *inuisibiliter*, humanitas *visibiliter*.

14. *Ad 1. probationem.* Ad 1. prob. respondet *Cyrillus*, id dixisse Christum, vt non solùm se ostenderet æqualem in omnipotentiâ, sed eiusdem omninò voluntatis cum Patre, dum nil à se posse facere dicit, *Nisi quod viderit Patrem facientem. Quasi diceret: Impossibile*, inquit, *est, cùm filius eius, & ex eo naturaliter sim, me aliud velle, aut aliud facere, quàm quod Pater & velit & faciat: non quia quasi exemplo quodam didicerim, aut quia voluntate imitandum esse Patrem iudicauerim: sed quia naturæ legibus ad eandem operationem atque consilium conscendo.* His ergo Christi verbis exprimitur virtutis & voluntatis identitas, non naturæ aut potestatis diuersitas, quasi ideò à se nihil facere possit, quia in faciendi virtute pendeat à Patre; nam licet suam virtutem habeat filius à Patre, non tamen habet illam cum dependentiâ à Patre: sed quia cùm sit eadem Patris ac filij potestas & voluntas, implicat à se quicquam posse aut velle filium, quod simul non possit & velit Pater.

15. *Ad secundam.* Ad 2. respondet August: *tract. 18. & 21. in Ioan.* & Cyrillus *cit. cap. 137.* ibi sermonem esse de demōstratione, qua Pater filio se communicat per æternam generationem. Cùm enim Pater filium gignat comprehensiuâ sui, ac rerum omnium visione, idem est, illum gignere, ac omnia ei demonstrare. *Pater*, inquit Cyrillus, *filio demonstrat quæ ipse facit, non quasi depicta in tabulis, nec quasi ignorantem doctrinâ iuuans, omnia enim filius veluti Deus nouit, sed totum seipsum in naturâ filij sic pingens, vt quæcumque in se habeat, in filio demonstret.* Et August. *tract. 21. sic ergo demonstrat Pater omnia, quæ facit, filio, vt in Patre sit omnia filius. Videndo enim natus est, & nascendo videt. Sed non aliquando nō erat natus & postea natus est, sicut non aliquando non vidit, & postea vidit: sed in eo quod est illi videre in eo est illi esse, in eo est illi natum esse.* Et paulò pòst: *Verbum Patris est filius, nihil dixit Deus, quod non dixit in filio: dicendo enim filio, quod facturus erat Pater per filium, ipsum filium genuit, per quem fecerat omnia.* Verùm huic resp. obstare videntur

16. *Dices.* verba Christi: *Et maiora his demonstrabit ei opera.* Quibus insinuatur, aliquid Patrem demōstraturum filio, quod nondum illi demonstrauit: quod cum intelligi non possit de filio vt Deo, qui omnia semper nouit, intelligendum erit de filio vt homine.

Respondet August. Respondet *August.* hæc verba intelligi de demonstratione quoad nos: ex eo enim quòd cum Christo vnum mysticum corpus facimus, quod tribuitur nobis, per communicationem idiomatum tribuitur & Christo: sicut quod patimur nos, dicitur pati & Christus: quia propter moralem coniunctionem membrorum cum capite, quæ sunt propria membroru, dicuntur de capite.

17. *Ad tertiam Cyrillus.* 3. Respondet *Cyrillus cap. 140.* id dictum esse de Christo vt homine à quo non dissentit *August. cit. cap. 21.* Hinc tamen non sequitur, etiam præcedentia verba intelligi de Christo vt homine: quia cùm Christus sit idem suppositum in duabus naturis subsistens, quædam illi competunt ratione vnius, quædam ratione alterius.

18. *Ad 2. testimonium Matth.* 2. Testimonium *Matthæi* est de potestate spirituali communicatâ Christo vt homini directè in omnes creaturas rationales, iuxta modum *praeced. disp. sect. vlt.* indirectè verò in omnes creaturas etiam irrationales. Quartum, 5. 6. vel explicādum est cum

19. *Ad 4. 5. 6. testimoniū.* *August. tract. 14. in Ioan. Cyrill. lib. 9. in eund. cap. 3. & Hieron. in cap. 11. Matth.* de potestate communicatâ Christo vt Deo; nam inde colligunt, Christum esse æqualem Patri, omniaque cum Patre condidisse: vel, vt *Hieronym. ibid.* testatur, de potestate dumtaxat in eos, qui credituri erant in Deum: *Tradita autem sibi omnia*, inquit, *non cælum, & terra, & elementa intelligenda sunt, & cætera, quæ ipse fecit & condidit, sed hi, qui per filium accessum habent ad Patrem, & ante rebelles Deum postea sentire cœperunt.* Vbi quoad 1. verba, intelligit de Christo vt Deo; nam vt Deus omnia fecit & condidit: quoad alia de Christo vt homine, *Ad 4. argumentum.* nam vt homo potestatem acquisiuit in eos, qui per ipsum crediturì erāt in Patrem. Vel certè explicari possunt de potestate spirituali in omnes creaturas rationales, eas regendi & gubernandi, indirectè verò de potestate in cæteras creaturas irrationales.

20. *Ad 4. argumentum.* Quartum argum. solùm probat de potestate indirecta in omnes res creatas, quam Christo vt homini non nego. Ex directâ enim potestate, quā habebat in omnes ad æternam salutem dirigendos, & mysteria fidei docenda ac prædicanda, indirectam etiam potestatem habebat ad miracula facienda, ac rerum naturas immutandas.

21. *Ad quintum.* Ad 5. Non omnis potestas, quæ facit ad maiorem dignitatem, concedenda est Christo vt homini, sed quæ aliquo modo ordinatur ad finem Incarnationis, propter quem fuit humanitas assumpta, vt *S. Thom. 3. p. q. 13. art. 2.* alioqui communicari illi etiam debuisset potestas dominandi in toto orbe, quia hæc etiam facit ad maiorem Christi splendorem & dignitatem. Maxima igitur dignitas Christi vt hominis est, vt sit filius Dei naturalis, ratione cuius tituli dignus est quācūque potestate communicabili creaturæ: de facto verò ea tantùm communicata illi est, quæ ad finem Incarnationis perfectè exequēdum, necessaria fuit; reliqua autem censetur superflua: cùm nunquam vsus eā fuisset, quia de facto non aliā potestate vsus est, quā quæ ad finem Incarnationis ordinabatur, vt *seq. sect.*

22. *Ad sextum.* Ad 6. resp. eodem modo: debuit Christo vt homini communicari quodcumque participium dominij diuini, nego; proportionatum fini, propter quem fuit humanitas à Filio Dei assumpta, concedo: hoc autem fuit directum dominium spirituale in omnes creaturas rationales, & indirectum dominium temporale in cæteras res creatas.

23. *Ad septimum.* Ad 7. vt Christus sit perfectus redemptor & restaurator nostræ salutis, sufficit, vt condignè pro nostris peccatis satisfecerit, & bona omnia supernaturalia peccato amissa restituerit, & suo merito impetrauerit, vt non priuaremur bonis naturalibus, quibus propter peccata priuari merebamur. Ad hoc autem necessaria non fuit potestas nouas res creandi, vel creatas destruendi, sed sola authoritas merendi, vt Deus in conseruatione bonorum naturalium perseueraret.

24. *Ad octauū.* Ad 8. nego, Christum vt hominem esse caput & directum dominum rerum naturalium; sed tantùm indirectum, quatenus illæ conducunt, vel conducere possunt ad bona supernaturalia, quorum tantùm Christus vt homo est directum caput, & dominus.

25. *Dices.* Dices. Neque Christus vt homo, est directum caput, & dominus bonorum supernaturalium: nam, vt *praeced. disp. sect. vlt.* Christus vt homo non habuit potestatem communicandi, quæ & quibus ipse vellet, sed quæ & quibus à Deo decretum erat. Ne- *Resp.* go anteced. ex eo enim quòd Christus non habuit potestatem communicandi bona supernaturalia,

talia; quæ, & quibus ipse vellet, sed quæ, & quibus Deus communicanda decreuerat, non sequitur, illum non habuisse directam potestatem ea communicandi; sed solùm non habuisse potestatem communicandi quæ, & quibus ipse vellet. Cæterùm quæ ex voluntate Patri communicabat, vt directus dominus ea communicabat, licet hanc potestatem impetrandi dona supernaturalia gratiæ & gloriæ à Patre limitatam habuerit pro ijs tantùm, pro quibus Deus ipse impetranda per Christum hominem decreuerat.

SECTIO II.

An Christus vt homo habuerit regiam potestatem, & directum dominium temporale in omnia regna mundi?

27. *Controuersia est de Christo vt homine.* NOn disputo hîc, an Christus vt homo ex regiâ prosapiâ Dauidis per Virginem matrem descendens, hæreditario iure successerit in regnum Israël. Negatiuam quippe partem contra *Bacho. in 4. quæst. 1. Prologi art. 2. concl. 2. & quæst. 11. art. 3.* & contra *Armacan. lib. 4. quæst. Armen. cap. 16.* vt communem suppono: eo quòd multo tempore ante Christi natiuitatem translatum fuerat regnum Iudæ ex familiâ Dauidis, vt constat ex *Ierem. 22.* vbi ex ore Prophetæ Deus transtulit regnum Iudæ à Iechoniâ, qui 14. à Dauide Rex numeratur *Matth. 1.* nec non ab omnibus descendentibus eius, eo quòd pactum Domini non seruauerit. Sic enim *cit. cap.* concludit Propheta: *Nec enim erit de semine eius vir, qui sedeat super solium Dauid, & potestatem habeat vltra in Iuda.* Controuersia est de Christo vt homine, ratione filiationis diuinæ, an illi à Deo cõmunicata fuerit regia potestas, & directum dominium temporale (nam de indirecto in ordine ad regimen spirituale animarum, nulla est controuersia) in omnia regna mundi.

28. *1. Sentent.* PRIMA sententia affirmat: *Durand. in tract. de Iurisdict. Eccles. quæst. 3. Bachon. in 4. quæst. 11. Prologi art. 2. & 3. S. Antonini 3. p. tit. 3. cap. 2.* pro quâ citat *Ostiens. Almain. de supremâ potestate Eccles. cap. 8. Nauarr. in cap. Nouit de iudicijs notab. 3. num. 8. & 130. Molin. de iustitiâ tom. 1. tract. 2. disput. 28. conclus. 5. Suar. 3. p. tom. 2. disp. 48. sect. 2.* & videtur *S. Thom. 3. parte quæst. 59. art. 4. ad 1. & 2. & lib. 3. de regimine Principum cap. 13.* vbi docet, statim nato Christo, Cæsarem ipsius vices gessisse in regnando: idem colligitur *ex cap. 14. & 15.* Prob. 1. Apocal. 1. dicitur

29. *Probatur 1. ex scriptura.* Christus *Princeps Regum terræ*, & 19. *Rex Regum, & Dominus Dominantium*, Act. 10. *Omnium Dominus*; Hebr. 1. *Hæres vniuersorum*; Psal. 2. *Constitutus Rex super Sion*, ad regendum omnes *In virga ferrea*, hoc est in iustitia; 1. Corinth. 15. & 2. Hebr. dicuntur *Omnia ei subiecta*; Matth. 11. *Omnia* sibi *tradita*; Ioan. 3. & 13. *Omnia in manu eius* posita; Matth. vlt. *Omnis potestas in cœlo & in terra* sibi *data*.

30. *2. Prob. authoritate Patrum.* Prob. 2. authoritate Patrum. Chrysost. *homil. 82. in Ioan. An non est mundi huius Christi regnum? quidni? quomodo non esset? Non quod hoc etiam non possideat, sed quod in cœlo habeat imperium, non humanum, sed longè maius atque præstantius.* Damasc. *lib. 4. de fide cap. 15.* loquens de Virgine, sic scribit: *Nam reuerà domina facta est omnium creaturarum, cum Conditoris omnium effecta est mater.* Si igitur Maria facta est omnium creaturarum domina, quia genuit Christum, multò magis Christus, propter quem Maria facta est domina, est omnium creaturarum dominus. Bernard. *lib. 3. de Consider. ad Eugenium init. Christus hic est, qui possessionem sibi vendicat, & iure creationis, & merito redemptionis, & dono Patris. Cui enim alteri dictum est:* postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam & possessionem tuam terminos terræ? *Possessionem & dominium cede huic: tu curam illius habe.* Et serm. 2. de Epiph. *Vbique Rex est: licet enim regnum eius non sit de hoc mundo: tamen Rex est etiam in hoc mundo: interrogatus siquidem:* ergo Rex es tu? ego *inquit*, in hoc natus sum, & in hoc veni in mundum. Ratio *Bachon.* 31. *1. Probatur rationibus. Prima.*

Adam habuit regiam potestatem & directum dominium proprietatis in omnes res creatas, ratione innocentiæ & iustitiæ originalis: ergo omnes ex Adamo cum innocentiâ & iustitiâ originali descendentes, succedunt huic iuri: at Christus vt homo ex Adamo descendit cum innocentiâ & iustitiâ originali; ergo successit huic iuri regnãdi. Confirm. alioqui deterioris conditionis fuisset Christus, quàm Adam. 2. *Molina & Suarez.* Non impli- 32. *Secunda.*

cat dominium altioris ordinis, quàm sit quodlibet dominium humanum, quod non successione, electione, aut iure belli, sed peculiari dono Dei concessum sit, seceumque compatiatur particularia dominia principũ terrenorum: igitur tale dominium communicatum est Christo: tum quia per hoc meliùs saluantur scripturæ, quæ Christo etiam vt homini concedunt regiam dignitatem & dominium in omnes creaturas: tum quia hæc regia potestas debetur Christo merito vnionis hypostaticæ, ratione cuius sicut est verus filius naturalis Dei, ita debita est ei vt propria hæreditas in omnes creaturas.

3. Sæpè Christus vsus est hoc dominio, vt cũ *Matth.* 33. *Tertia.*

21. arefecit arborem fici; cùm *Matth. & Luca 8. & Marci 5.* dæmones ex humanis corporibus expulsos misit in gregem porcorum, qui in mare se præcipites dederunt, *Et suffocati sunt.* Hæc autem facere non potuisset, nisi directum dominium earum rerum habuisset. 4. Si Christus vt homo verum ac 34. *Quarta.*

directum dominium in omnes res creatas non habuisset, non potuisset sine iniustitiæ notâ vti re alienâ, absque consensu proprij domini temporalis: absurdum autem videtur, & cõtra auctoritatem Christi non potuisse vti re aliquâ, absque consensu proprij domini particularis. 5. *Molina*: in hoc magis 35. *Quinta.*

elucet voluntaria paupertas Christi, qui cùm dominium habet rerum omnium, elegit pro nobis pauperrimam vitam ducere: quod probat ex illis 2. *Corint. 8. Scitis enim gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cùm esset diues, vt inopiâ vos diuites essetis.* Vnde Molina, *Loquitur*, inquit, *hic de Christo vt homine, qui cùm esset diues quoad ius & potestatem, quam habebat, vsurpandi sibi omnia tanquam dominus omnium, propter vos egenus factus est, nihil eorum volens.*

SECVNDA negat Christo vt homini regnum potestatem politicam, & directum dominium tempo- 36. *2. Sentent.*

rale in res vniuersas, solùmque illi cõcedit regiam potestatem spiritualem, & dominium tantùm indirectum in res temporales, quatenus illud dirigitur ad finem supernaturalem animarum, ad quem per se tantùm ordinatur regia potestas Christi. *Thom. VValdens. lib. 2. doctrin. fidei cap. 77. Victor. relect. 1. de potestate Ecclesiæ sect. 6. §. Tertio dico: Sotus lib. 4. de iustitiâ quæst. 4. art. 1. §. In hac quæst. & in 4. dist. 25. quæst. 2. art. 1. §. Quo autem. Medina 3. p. qu. 59. art. 4. Tolet. in 18. Ioan. annot. 26. Bellarm. lib. 5. de Roman. Pontif. cap. 4. Valentia 3. p. disp. 1. q. 22. puncto 6.* Fundam. *infrà.*

TERTIA cõcedit Christo vt homini regiam po- 37. *3. Sentent. probabilior.*

testatem non solùm spiritualem, sed etiam politicam in quâuis materiâ temporali præcipiendi, ac ius dicendi

dicendi in toto orbe, nec non lites, controuersiasque omnes dirimendi, non autem directum dominium in res temporales: *Vasquez 3.p.disp.87.cap.2.& 6.* Quæ sent. probabilior & quidem quoad 1. partem.
38. *Prob. quoad 1. partem ratione vnitâ.* Prob. Christus vt homo naturâ suâ, non concessione Dei, est caput omnium hominum, non quoad naturalem generationem, sed quoad moralem directionem & gubernationem; ergo naturâ suâ habet regiam potestatem ius dicendi in omnes, litesque dirimendi omnium, quia qui naturâ suâ est caput directiuum & gubernatiuum omnium, tenentur illi obedire omnes, proinde potestatem habet imperandi ac præcipiendi omnibus, cùm debito obediendi respondeat ius præcipiendi. Antec. prob Christus vt homo habet omnia, quæ requiruntur, vt naturâ suâ sit caput moraliter directiuum & gubernatiuum omnium: nam & ratione originis, cùm sit conceptus & natus ex Spiritu sancto, & ratione personalis dignitatis, cùm sit filius Dei naturalis, & ratione scientiæ ac prudentiæ, ratione quarum errare non potest; & ratione virtutis ac sanctitatitis, ratione quarum fallere non potest, longo interuallo excellit omnes, adeoque naturâ suâ est caput moraliter directiuum & gubernatiuum, cui ex naturali obligatione tenentur obedire omnes, quotquot illum norunt.
39. *Confirmatur.* Confirm. filij tenentur obedire parentibus, & vxores maritis, & fœminæ viris: proinde tam parentes habent auctoritatem ius dicendi in filios, quàm mariti in vxores, & viri in fæminas, quia tam parentes suâ naturâ sunt caput moraliter directiuum filiorum, quàm mariti vxorum, & viri fœminarum. Vnde si in aliquâ communitate aut Rep. non esset, nisi vnus vir sapientissimus ac prudentissimus, reliqui verò aut pueri, aut ignorantes, aut fæminæ, tenerentur naturali iure in ordine ad bonum commune à tali viro dirigi & gubernari. At multò magis Christus vt homo, in sapientiâ & prudentiâ excedit reliquos omnes homines & principes terræ: ergo multò magis homines ac principes terræ tenentur in ordine ad bonum commune dirigi ac gubernari à Christo homine.

40. *Dices.* DICES: ad gubernandum requiritur iurisdictio seu auctoritas præcipiendi ex parte gubernantis, & debitum parendi ex parte gubernandorum: sed Christus vt homo nullam habuit in principes terræ, cæterosque homines politicam iurisdictionem, neque ex se; quia sicut nullus homo nascitur seruus & subditus alterius, sed sui iuris & libertatis; ita nullus homo nascitur aliorum superior:
41. Neque à Patre; vt colligitur ex scriptur. quibus videtur Christo vt homini à patre negata potestas iudicandi politicè homines: *Lucæ 12.* rogatus Christus, vt controuersiam de hæreditate inter duos fratres dirimeret, respondit: *Homo quis me constituit iudicem aut diuisorem super vos?* Ioan.3. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum.* Ioan.12. *Non enim veni vt iudicem mundum sed vt saluificem mundum:* ergo.
42. *Resp. ad partem 2. minor.* Nego 1. Christum vt hominem ex se non habuisse politicam iurisdictionem in homines, quæ à Patre impediri non potuit, cùm consistat in ipsâ personali dignitate Verbi, quod assumptum hominem reddit naturâ suâ morale caput directiuum hominum. Et licet hæc potestas quoad actum 2. impediri potuerit à Deo, ne illam exerceret, nulla tamen ratio cogit asserere, illam de facto impeditam fuisse à Deo, sed potiùs Christum suâ libertate illam directè exercere noluisse, quippe cuius vsus ad finem Incarn. non conduceret. Quo pacto intelligitur testim. 1. cit. quia nimirum nec Christus fuit à Patre ad hoc primariò constitutus: nec ipse voluit politici iudicis officium exercere. Reliqua verò declarant, primarium finem, propter quem Christus in mundum venit: & ad summum negant vsum, non potestatē talis dignitatis. Nego 2. homines nō nasci subditos & seruos Christi, aut Christum non nasci superiorem & dominū hominum. 43. *Resp. ad partem 1.* Etenim cùm Christus, etiam vt homo, ratione personalis dignitatis, suâ naturâ, absque vllâ extrinsecâ concessione Dei constitutus sit caput hominum, suâ naturâ etiam est superior & dominus hominum: proinde homines suâ naturâ nascuntur serui & subditi Christi. Quæ seruitus non præiudicat iuri propriæ libertatis, sicut nec præiudicat iuri propriæ libertatis, quod nascantur serui Dei: quia hæc seruitus non tollit, aut minuit libertatem, sed solùm addit moralem dirigibilitatē in ordine ad bonum commune. Instabis: nō minùs Christus vt homo fuit caput moraliter directiuum quoad finem supernat. quàm quoad finem politicum & naturalem: 44. *Instas.* sed solo dono vnionis hypost. nō habuit Christus potestatem dirigendi homines ad finem supernat. ergo nec potestatem dirigendi ad finem politicū & naturalem. Nego minor. etenim vtramque potestatē quoad actum primū habuit Christus *Resp.* ipso dono vnionis, quamuis vtraque quoad vsum à Deo impediri ac limitari potuerit. Cæterùm licet Christo non sit concessa potestas eligendi quos vellet ad gloriam; nam in hoc potiùs humana voluntas diuinæ, quàm diuina humanæ sese conformare debuerit, *vt suprà*: est tamen concessa potestas per vniuersales leges & præcepta instruendi ac dirigendi homines ad salutem, *Matth. vlt.* Eandem potestatem legislatiuam in ordine ad bonum politicum & finem naturalem exercere potuisset, si voluisset. Ratio, cur eam exercere noluerit, fuit, vt ostenderet primarium finem, propter quem carnem assumpsit. Cæterùm cùm dico, Christum ratione vnionis hypost. accepisse hanc potestatem iurisdictionis in omnes, non excludo reliqua dona vnionem consequentia, quæ hæc potestas in Christo supponit.

45. *Posterior pars assert. probatur. Ad auctoritatem scripturæ.* Posterior pars sententiæ prob. 1. retorq. funda. aduers. Oracula, quæ Christo potestatem, aut dominium supra res creatas tribuunt, semper illud limitant in ordine ad finem supernat. dicitur; *Princeps Regum terræ:* sed *qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis nostris in sanguine suo, & fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri suo;* dicitur *Rex Regum & dominus dominantium,* sed præmittitur, *regere gentes, & calcare torcular vini furoris iræ Dei omnipotentis:* dicitur *omnium Dominus:* sed *missus à Deo filijs Israël ad annuntiandam pacem.* appellatur *Hæres vniuersorum:* sed *purgationem peccatorum faciens:* dicitur *constitutus Rex:* sed *super Sion montem sanctum Domini prædicans præceptum eius.* dicuntur *omnia Christo subiecta:* sed ad complendum eius cæleste regnum. *omnia sunt illi tradita, & in manu eius posita:* sed in ordine ad vitam æternam; nam statim *Matth.11.* subiungit: *Venite ad me omnes, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos* &c. & Ioan.3. *Vt qui credit in filium, habeat vitam æternam:* & Ioan.13. ut seipsum sacramentaliter communicaret hominibus. *Data est illi omnis potestas in cœlo & in terrâ:* sed qualis fuerit hæc potestas, declarat eius vsus, quem statim explicauit: *Euntes ergo, docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. *docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis.* In eod. sensu intelligendi sunt PP. cit. qui 46. *Ad auctoritatem Patrum.* regnum Christi vocat non humanum, sed cæleste: & Hilarius *in Psal.2.* qui cùm Christum Regem appellasset, subdit: *Hic ergo Rex super Sion montem sanctum Dei constitutus est, præceptum Domini annuntians: non super illum vtique terrenæ ciuitatis montem, complorata scilicet, & homicidæ, & parricidæ Hierusalem:*

rusalem: sed Hierusalem eius, quæ in cælis est, quæ mater est nostra, quæ ciuitas Regis magni est. August. *tract.* 115. *in Ioan.* Christi regnum explicans; *Quod enim,* inquit, *eius regnum? nisi credentes in eum, quibus dicit: de mundo non estis, sicut & ego non sum de mundo.* Cyrillus Alex. *lib.* 12. *in Ioan. cap.* 10. *Christus,* inquit, *Pilato respondens, Regem se esse non negat: mentiri enim non poterat. Sed regnum Cæsaris non esse hostem ostendit: quia principatus suus mundanus non est, sed cæli, terræ, cæterarumque rerum omnium.* Nec te moueant postrema verba, quibus videtur hic Pater Christo concedere temporale regnum totius Vniuersi: nam vel hæc adiecit quatenus ordinantur ad cœleste regnum: vel certè, vt veriùs puto, hæc dixit, ad ostendendum, Christum esse Regem Vniuersi cum supremo dominio omnium creaturarum, non ratione naturæ humanæ, sed diuinæ: Familiare enim est Patribus ex varijs attributis diuinitatis proprijs, cōtra Arianos ostendere, Christum æqualem esse Patri.

47. *Ad auctoritatem sancti Thomæ.* Quoad auctor. *S. Thom.* licet *cit. lib.* 3. asserat, Christum habuisse temporale dominium rerum, tamen *cap.* 3. *post cit. Malach.* 1. quo probauerat vniuersalitatem temporalis dominij Christi: *Ab ortu solis vsque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus: & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda,* subdit; *in quo verbo satis apparet, quod dominium Christi ordinatur ad salutem animarum, & ad spiritualia bona.* & cap. 15. *Quamuis temporaliter esset dominus orbis, directe tamen ad spiritualem vitam ordinauit principatum.* Appellauit autem illum temporalem dominum orbis, fundamentaliter & in actu 1. non formaliter & in actu 2. cùm formaliter & in actu 2. ab eodem dicatur dominus in ordine ad regnum spirituale animarum. Hæc quoad autho. scripturæ, & Patrum, quæ non potiùs stat pro aduers. quàm pro nobis. Quamquam omnes *cit. auctor.* explicari etiam possunt de Christo homine, ratione regiæ potestatis quoad ius dicendi, & leges ferendi, etiam in materiâ politicâ in omnes creaturas rationales.

48. *Confirmatur ratione. 1. à Vasq.* Maior diffic. hanc sent. confirmare ratione. 1. *Vasquez:* Non potuit Christus vt homo aliud dominium in omnia regna mundi, & res vniuersas habere, quàm dominium proprietatis seu vtilitatis: nam omne dominium aut est excellentiæ, quod iure creationis & conseruationis habet Deus; aut vtilitatis, quod varijs titulis possident homines: primum competit soli Deo, vt est creator & conseruator rerum, ratione cuius dominij potest quamcumque rem, absque iniuria possessoris, ex vno in alium transferre, perinde ac destruere: at dominium vtilitatis repugat cum dominio directo principum, aliarumque priuatarum personarum, quia repugnat eiusdem rei esse duos dominos in solidum, cùm necessariò dominium vnius impediat dominium alterius. Cùm enim dominium vtile sit potestas ad libitum disponendi de re ad omnem vsum lege permissum, repugnat, vt de eâdem re, manente sub directo dominio vtili duorum, alteruter valeat ad libitum disponere; nam hoc ipso, quod est sub dominio directo duorum, dominium vnius impedit, quo minùs alter possit de eâdem re ad libitum disponere. Vnde leges negant, posse eiusdem rei esse duos dominos in solidum.

49. *Reijcitur.* *An repugnent duo domini eiusdem rei in solidum.* Sed contrà: potuit hoc dominium vtilitatis esse in Christo tantùm concessiuum seu permissiuum, vt nimirum in potestate ipsius esset, vt vel principes terræ in possessione suorum regnorum permanerent, vel illis à Christo priuarentur. Quamdiu igitur principes terræ suis regnis à Christo non priuarentur, manerent ex concessione & permissione Christi, vt anteà, suorum regnorum veri domini. Hoc autem pacto non repugnat, Christum habuisse directum dominium supra omnia regna mundi, non obstante directo dominio, quod supra eadem haberent principes terræ. Nam ex eo quòd Christus potuisset eos priuare suis regnis, eaque ex vno in alium absque iniuriâ possessoris transferre, habuisset directum dominium, & liberam potestatem disponendi de illis. Ex eo verò, quod illis permisisset liberam possessionem ac dispositionem suorum regnorum, mansissent veri domini suorum regnorum. Confirm. Non repugnat in

50. *Confirm. à pari.* Christo directa potestas ius dicendi, legesque etiam politicas ferendi in omnes personas cum directâ potestate idem ius dicendi, legesque ferendi in easdem personas in ipsis Principibus terræ: ergo nec potestas liberè disponendi de omnibus regnis principum terræ, cum directâ potestate eorundem principum in sua regna: nam ideo in Christo non repugnat directa potestas ius dicendi, legesque in quâuis materiâ, & in omnes personas ferendi, cum directâ potestate ius legesque ferendi Principum terræ in eâdem materiâ, & in easdem personas, quia potuit potestas legislatiua Christi in materiâ ciuili ac politicâ esse tantùm concessiua seu permissiua, per quam poterat, si vellet, auferre omnem potestatem ius dicendi ac præcipiendi à principibus terræ, quam potestatem quamdiu Christus non abstulisset, mansissent illi in suâ pristinâ ac liberâ possessione. 54. *Confirm. 1.*

51. *Confirmatur 2. & melius, hac sent. ex nullo capite Christus habuit hoc dominium directum.* Prob. ergo sententia: Christus vt homo non habuit hoc directum dominium in omnia regna mundi, neque ratione humanitatis, vel alicuius doni ab vnione hypost. distincti, cùm nec humanitas, nec aliud donum exigat hoc dominium: scilicet si fuisset hæc humanitas cum iisdem donis, quæ de facto illi communicata sunt, sine vnione ad Verbum producta, nullum habuisset directum dominium in regna Principum terræ:

52. Neque ratione vnionis hypost. præcisè, nam vi vnionis persona diuina non vnitur naturæ humanæ sub ratione dominantis ac regnantis formaliter, sed sub præcisâ ratione supposi- 55. *Confirm. 2.* tantis: sub quâ vnita fuisset propria subsistentia: ergo ab illâ nullum habet directum dominium, vel potestatem in regna mundi, nisi solùm per communicationem idiomatum, de quo nō est quæstio; nam licet vnio hypost. secum afferat fundamentum huius dominij, reddendo naturam, quam Verbo substantialiter copulat, dignam omni auctoritate ac potestate, illud tamen formaliter non tribuit: alioqui, positâ vnione hypost. non posset tale dominium ab humanitate impediri: cùm non pos- 56. *Obie. 1.* sit à formâ vnitâ subiecto capaci ipsius formalis effectus impediri; *Ratio.* cùm enim hoc dominium sit moralis potestas liberè disponendi de regnis mundi, requirit expressam cōcessionem ab eo, qui supremum dominium habet in eadem regna mundi: quæ expressa concessio non confertur per solam vnionem hypost. quæ Verbum tantùm vnit sub ratione suppositantis, non sub ratione dominantis ac regnantis, 57. *Resp. discrimen esse.*

53. *Neque habuit hoc directum dominium ratione diuinæ voluntatis &c.* Neque ratione Diuinæ volūtatis tale dominium illi concedentis: tum quia frustra fuisset hoc directum dominium in omnia regna mundi, & res vniuersas humanitati Christi concessum, quod nunquam in eo habiturum fuisset vsum. Nam vt constat ex toto decursu mortalis vitæ Christi, nunquam vsus est hoc dominio, nisi tantùm indirectè ad patranda miracula, quibus fidei mysteria contestanda erant. Tum quia, vt rectè *Valentia loco cit.* hoc dominium pugnat cum perfectâ paupertate Christi, quæ non consistit in solâ abdicatione vsûs, sed etiam dominij ac potestatis disponendi, vt patet tum in Religiosis, qui per votum paupertatis

pertatis non solùm abdicant se vsu, sed etiam dominio rerum: nec censentur perfectè pauperes, quamdiu retinent dominium suorum bonorum. Tum ex definitione dominij: hoc enim formaliter non consistit in ipso rerum vsu, alioqui Religiosi, qui habent vsum rerum, haberent dominium earumdem; sed in facultate vtendi ac disponendi de rebus. Si igitur Christus vt homo habuisset directum dominium ac potestatem vtendi & disponendi de rebus omnibus, non habuisset perfectam paupertatem, quam non solùm [orbis] professus est, *Matth.8. Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos, filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Psalm.39. *Ego autem mendicus sum & pauper.* Zachar. 9. *Ecce rex tuus veniet tibi iustus & saluator, ipse pauper.* 2. Corinth.8. *Propter vos egenus factus est,* ratione humanitatis; *cùm esset diues,* ratione diuinitatis; *vt illius inopiâ vos diuites essetis:* sed etiam facto, cuius se magistrum & ducem alijs præbuit, *Matth.* 19. *Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo: & veni, & sequere me.* Non dixit, abdica te rerum vsu, sed dominio, & potestate vtendi per perfectam bonorum omnium donationem. Quo autem pacto potuisset Christus in eâ sectandâ alijs se Magistrum præbere, nisi ipse in eo perfectionis gradu, quo illam alijs suadebat, elegisset?

54. *Confirm.1.* Confirm. 1. Christus in Apostolatu instituit formam perfectæ Religionis, in quâ non modò professi abdicant se vsu, sed etiam dominio rerum: ergo debuit ipse vt caput & Magister omnium hanc formam perfectæ paupertatis seruare. Vnde falsum est, quod *Molina* docet, paupertatem in Christo magis elucere, si dicamus, eam tantùm fuisse quoad abdicationem vsûs, non autem quoad spoliationem dominij: siquidem magis perfecta paupertas est, quæ neque dominium rerum admittit. Nam si perfectio paupertatis est, vsu rerum spontaneè se abdicare, maior perfectio eiusdem erit, cum ipso vsu, etiam dominio voluntariè se spoliare.

55. *Confirm.2.* 2. Hoc directum dominium & potestas disponendi de rebus temporalibus nullo modo conducebat ad finem Incarnationis, qui fuit spiritualis redemptio & salus animarum: quin potiùs illum impediebat, quo minùs potuisset Christus suo exemplo diuites huius mundi ad dominia & diuitias contemnendas animare: igitur nullum est fundamentum, cur illud Christo vt homini concedamus.

56. *Obijc. 1.* *Obijcies* 1. ob easdê rationes nec debuisset Christus vt homo habere potestatem ius dicendi, ac leges ferendi in materiâ politicâ: nam neque hæc conducebat ad finem Incarnationis, sed potiùs illum impediebat: nec vnquam eâ vsus est, quin aliquando rogatus, *Luca* 12. *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hereditatem. Dixit illi: homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* ergo vel neutram, vel vtramque potestatem Christus vt homo habuit. Negò anteced. nam potestas ius di-

57. *Resp. discrimen esse.* cendi ac præcipiendi in omni materiâ, etiam politicâ, est per se annexa vnioni hypostaticæ, & reliquis donis Christi humanitati infusis: nam hoc ipso, quòd hæc humanitas est vnita Deo hypostaticè, & plena ac ornata omni sapientiâ, prudentiâ, ac virtute inducit naturale debitum ei obediendi, cuicumque ipsa in quâuis materiâ præceperit. Nam cùm sit naturale debitum, vt inferiores dirigantur à superioribus, hoc ipso quòd hæc humanitas cognosceretur hypostaticè vnita Deo & ornata omni sapientiâ, prudentiâ, & virtute, quâ nec ipsa falli, nec alios fallere posset, tenerêtur homines ipsius iudiciû præferre iudicio cuiuscumque puri hominis: ac proinde naturali iure tenerentur, in quâuis materiâ, etiam politicâ, ipsius perfectissimo iudicio stare. Quæ obligatio Christi iudicium in quâuis materiâ sequendi, cùm sit naturalis, præcedit omnem voluntatem explicitam Dei: nam ante omnem voluntatem explicitam Dei inferior naturali iure tenetur sequi iudicium superioris: cùm igitur Christus vt homo suâ naturâ in iudicio ferendo sit superior omnibus hominibus, omnes homines naturaliter tenentur in quâuis materiâ sapientissimum ipsius iudicium sequi. Contrà verò potestas dominandi seu disponendi de rebus temporalibus non est per se annexa vnioni hypost. vel alicui dono vnionem consequenti: quia cùm hæc consistat in morali facultate de rebus ad libitum disponendi, non est per se annexa cum vnione, vel cum aliquo dono ipsam consequente: cùm posset esse humanitas vnita Verbo, & cum omnibus donis, quæ de facto habet, & adhuc nullum habere in res temporales directum dominium. Ex hâc ratione constat cur cum eâdem vnione non sit per se annexa directa potestas nouas res creandi, vel creatas destruēdi: scil. hæc etiam pendet ex positiuâ voluntate Dei, talem potestatem concedentis. Ad *loc. cit.* scripturæ resp. inde tantùm probari, noluisse Christum exercere actum secundum talis potestatis. 58. *Potestas disponendi de rebus temporalibus.*

59. *Instas.* Instabis: etiam potestas ius dicendi, legesque ferendi potuit à Christo homine separari, quia potuit illi prohiberi, ne vnquam illam exerceret. *Resp.* Resp. potuisse separari quoad actum secundum, non quoad actum primum: nam quoad actum primum, non potuit iudiciû Christi in quâuis materiâ latum, non æstimari dignissimû, ac præferibile omni alij iudicio cuiuscumque puri hominis: licet habere potuerit prohibitionem, ne vel tale iudicium ferret, vel ad illud latum homines obligarentur. Quod est tantùm impedire actum secundum huius potestatis. Potestas verò directa dominandi non solùm potuit in Christo vt homine impediri quoad actum secundum, vt nunquam actu de rebus temporalibus disponeret, sed etiam quoad actum primum, vt ne potestatem quidem haberet de illis disponendi: quia cùm hæc pendeat ex peculiari concessione Dei, potuit talis cōcessio Christo non fieri, proinde potuit talis potestas illi non conferri.

60. *Dices.* *Obijcies* 2. Christus vt homo ratione regiæ potestatis legislatiuæ habuit perfectû ius in omnes personas, & Principes terræ, eos in quâuis materiâ obligandi: ergo idem ius habuit in res, & regna eorundem. *Resp.* Nego conseq. nam prior potestas est per se annexa cum vnione hypostatica, & donis sequentibus illam, non posterior, vt *suprà*.

61. *Obijcies* 3. potest Christus vt homo amouere angelum ab orbe cælesti, quem mouet, & alium loco illius substituere; ergo & Principem terræ, à regno, quod possidet, & alium loco illius sufficere. *Resp.* Nego conseq. Angeli enim non sunt domini orbium cælestium, quos mouent, sed solùm moderatores & præsides. Vnde ex eo, quòd Christus vnum amoueat, & alium substituat, nullum dominium aufert ab angelo, quem à mouendo cœlo amouet: & consequenter per hoc nullum exercet actum dominij in res, sed solùm iurisdictionis in personas, in quas Christus habet, etiam in angelos.

62. *Obijcies* 4. Christus etiam vt homo est naturalis filius Dei: ergo etiam vt homo est directus dominus omnium. *Resp.* Resp. Est naturalis filius Dei ratione suppositi, ratione cuius est directus & absolutus dominus omnium, non minùs quàm Pater & Spiritus sanctus, concedo; ratione humanitatis, nego nisi tantùm per communicationem idiomatum, quo pacto

pacto non inficior, esse directum dominum omnium. Sed quod nego, est, Christum vt hominem esse directum dominum omnium, non per solam communicationem idiomatum, sed per intrinsecam potestatem humanitati communicatam.

63. *Obijcies* 5. perfectior paupertas fuisset in Christo, si vt homo liberè se priuâsset bonis temporalibus, quàm si ijs priuatus fuisset solâ volūtate Dei, quia tunc non liberè, sed necessariò ijs priuatus
Resp. fuisset. Resp. perfectior paupertas fuisset, si ipse liberè se priuâsset vsu tantùm rerum, nego; si liberè se priuâsset etiam potestate & dominio vtendi, concedo. Cæterùm si ex concessione Dei habuisset directum dominium omnium rerum, solùm liberè se priuâsset vsu, non potestate vtendi ac disponendi de rebus. Si verò nec dominium habere voluisset, quod tamen habere potuisset, quia potuit Deus illud arbitrio ipsius relinquere, vt illud vel acceptaret, vel refutaret, tunc non solùm liberè se priuâsset vsu, sed etiam potestate & dominio rerum. Fuit igitur in Christo perfectissima paupertas, non quia cùm directum dominium haberet, noluit illo vti; sed quia cùm posset tale dominium habere, illud noluit, vt strictiori iure, quo posset, hanc virtutem exerceret, vt non tantùm verbo, sed etiam facto & exemplo illam alijs persuaderet.

64. Ad priora duo argum. primæ, ex scripturis & PP. responsum est *suprà*, eos tantùm docere directum dominium spirituale in salutem & directionem animarum, nec non iurisdictionis in personas, ratione cuius verè & propriè Christus dicitur Rex; & indirectum tantùm in res temporales, quatenus hoc ordinabile est ad spirituale.

65. *Ad primam Rationem Bachonis,* Ad 1. Rationem, falsum est, Adæ collatum fuisse dominium in vniuersas res mundi, titulo Innocentiæ & Iustitiæ originalis: alioqui illâ amissâ, simul amisisset regnum & dominium tēporale, quod nullum habet in scripturâ fundamentum, cùm nulla post commissum peccatum huius amissionis dominij fiat mentio. Neque ipsius è terrestri paradiso eiectio, est sufficiens signum, quòd tali fuerit potestate priuatus, sed solùm quod fuerit priuatus voluptate & commoditate paradisi, ne, vt scriptura *Genes.* 3. testatur, *sumeret de ligno vitæ, & comederet, & viueret in æternum.* 2. esto titulo Innocentiæ originalis fuerit Adæ collatum regnum & dominium temporale rerum, potuit tamen tale dominium illi conferri titulo Innocentiæ tantùm personaliter. 3. esto ei collatum fuerit hoc titulo, etiam realiter vt communicandum posteris ab ipso sine peccato originali, cum Innocentiâ nascituris, adhuc illi Christus vt homo hæreditario iure immediatè non successit, sed mediante B. Virgine, quæ sola seminali viâ ex Adamo descendit sine peccato originali, cum Innocentiæ stolâ.

66. *Ad Confirmationem.* Ad confirm. nego, propter hoc Christum fuisse deterioris conditionis quàm Adamum: quia cùm directus vsus talis potestatis, nec sit necessarius ad finem Incarn. nec etiam vtilis, sed potiùs inutilis ad illum consequendum, nec etiam dignus Maiestate Christi, & aliunde plenissimam potestatem habeat per indirectum dominium, ratione finis supernaturalis in res omnes temporales, omninò superflua fuisset talis potestas, cùm nunquam redigenda fo-
67. *Ad 2. Rationem.* ret in actum. Ad 2. esto tale dominium in Christo non implicet, necessarium tamen non fuit: imò ad finem Incarn. non solùm superfluum, sed aliquo modo impediens. Ad 1. prob. constat ex dictis. Ad 2. nego hæreditatem propriam Christi vt hominis, esse regnum terrenum ac temporale, sed cæleste &

æternum. Ad 3. Resp. Christum semper hâc potestate vsum fuisse in ordine ad finem supernaturalem animarum, & vt difficillima mysteria fidei redderet ipsa miraculorum contestatione euidenter credibilia. 68. *Ad tertiam.*

69. *Dices.* Dices. Indirectum dominium non concedit potestatem disponendi de rebus, nisi in casu necessitatis, & quando aliter altior finis haberi non potest. Cùm igitur Christus aliomodo potuerit mysteria fidei confirmare, & miracula patrare, absque destructione rerum, vti fecit, cùm ficulneam arefecit, & dæmones in gregem porcorum immisit, qui se in mare præcipitàrunt, euidens signum est, Christum habuisse directū dominium rerum temporalium, quod potestatem concedit disponendi de rebus, etiam extra casus necessitatis. Resp. domi-
nium indirectum Christi non fuisse ita limitatum, 70. *Resp.*
sicuti est dominium indirectum Principum, quod in bona priuata ciuium habent, sed vti eo potuisse, quotiescumque prudentissimè iudicabat, hîc & nunc expedire, estoque bene potuerit ad eandem veritatem contestandam alio miraculo vti. Adde, quòd cùm miracula Christus potissimùm fecerit ad ostendendum se esse Deum, sæpe expediebat, ea miracula patrare, quæ simul ostenderent, illum esse directum dominum vniuersorū, ac proinde Deum.
Ad 4. neg. sequel. tum quia vix datur casus, in 71. *Ad quartam.*
quo Christus vt homo, ratione dominij indirecti non potuerit vti rebus alienis, absque consensu proprij domini. Tum quia poterat illis vti consensu solius æterni Patris, vt supremi domini omnium, absque consensu temporalis domini. Quòd si fingatur casus, in quo Christus absque expresso consensu Patris, & absque vllâ rationabili causâ damnum inferret alicui: nego 1. casum esse possibilem: quia cùm talis actus nullam haberet honestatem, non posset à Christo exerceri, cùm nullus actus carens morali honestate liberè à Christo exerceri possit. Vnde nec talem actum Christus exercere posset, etiamsi habeat directum dominium in res temporales. 2. adhuc posito casu, quòd talem actum Christus exerceret, illum non exerciturum ex potestate sibi actu communicatâ, sed ex tacitâ duntaxat voluntate Patris: non secus ac solent interdum filij disponere de bonis parentum, non ex dominio & potestate disponendi, quam de illis habeant, sed ex tacitâ voluntate & interpretatiuo consensu parentum. Quanquam neque hoc modo puto vnquam operatum fuisse Christum, sed semper ex manifestâ voluntate Patris, cùm hic sit perfectior modus operandi, & conformior ardentissimo amori, quo Christus erga Patrem ferebatur. Ad 5. Nego
assumpt. vt constat ex 1. confir. nostræ rationis. Ad 72. *Ad quintam,*
prob. nego *cit. testim.* Pauli intelligi de Christo vt homine, sed vt Deo, vt PP. communiter interpretantur. Hierony. in illum lo. *Non ignoratis Dei filium propter vos pauperem factum, qui vniuersorum erat conditor & dominus.* Est autem Christus vniuersorum Conditor ratione Deitatis non humanitatis; ergo ratione eiusdem est directus dominus omnium. Vnde *infrà* magis explicans causam diuitiarum Christi ita scribit: *Priùs quàm pauper fieret Christus, diues erat, quia habitabat in Patre.* Quibus apertè ostendit, Christum ratione naturę humanæ, quam assumpsit, fuisse pauperem, ac proinde sine dominio directo rerum. Chrysost. in *eand. loc. Homil.* 17.
Ille, inquit, *gloriam suam exinaniuit, vt vos non illius* 73. *Chrysost.*
opibus, sed egestate ditemini. Alludens ad illud *Philip.* 2. *Exinaniuit semetipsum:* vbi absque controuersiâ Apostolus loquitur de exinanitione naturæ diuinæ, per assumptionem naturæ humanæ: sic enim habet:

habet: *Qui cùm in formâ Dei esset, semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Quia nimirum cùm diues esset in formâ Deitatis; pauper fieri voluit in
74. Ambros. formâ humanitatis. Ambros. eund. *loc.* interpretans: *Pauperem*, inquit, *Christum dicit factum, quia Deus nasci dignatus est homo, virtutem potestatis suæ humilians*, quasi diceret, potestatem dominandi quam in propriâ naturâ habebat, in assumptâ deposuit, *vt*
75. Anselm. *hominibus diuinitatis diuitias acquireret.* Ansel. eund. exponens: *Diues*, inquit, *est, cùm sit in formâ Dei, æqualis omninò Patri, sed egenus propter nos factus est, quando semetipsum exinaniuit formam serui accipiens.* Quod magis explicans, subiungit: *Non autem dictum est, egenus factus est, cùm diues fuisset, sed egenus factus est, cum diues esset. Paupertatem enim assumpsit, & diuitias non amisit. Intus diues, foris pauper: latens Deus in diuitijs, apparens homo in paupertate.* Ecce vnde Christus diues, non ex temporali dominio rerum sibi vt homini communicato, sed ex inexhausto diuinitatis thesauro sibi vt Deo competente.

DISPVTATIO XXXII.

De Adoratione Christi.

SECTIO I.

An humanitas Christi sit adoranda adoratione Latria?

1. Definitur. ADORATIO, vt illam definit Damascen. *orat. 1. de Imagin. Est submissionis & honoris nota.* Duo requirit, internum affectum, quo adorans adorando se submittit, in recognitionem personalis dignitatis, & excellētiæ, & notam aliquam seu signum huius interioris affectûs protestatiuum. An autem hoc signum seu nota debeat esse externa & sensibilis, an sufficiat interna & spiritualis, controuersum est inter Recent. Sensibilem illam & externam debere esse, iudicat *Vasquez 3. p. disput. 93. cap. vlt.* oppositum censent communiter reliqui.

2. Distinguitur. Porrò adoratio distinguitur ab honore: nam honor est superior & vniuersalior. *Honorat enim*, inquit August. *contra serm. Arian. c. 23. omnis qui adorat, non autem adorat omnis qui honorat: nam & fratres secundùm Apostolum inuicem se honore præueniunt, nec tamen inuicem adorant.* Honor igitur, ex *S. Thom. 2. 2. quæst. 103. art. 1.* est testificatio virtutis alterius; quæ explicata verbis, dicitur laus; explicata actibus & rebus, dicitur honor. Adoratio vltra hoc addit animi submissionem in recognitionem excellentiæ alterius, vt sibi superioris. Quæ diuiditur in Latriam, Duliam, & Hyperduliam. Prima versatur circa excellentiam increatam, secunda & tertia circa creatam: Dulia circa singularem excellentiam sanctitatis, quæ adoratio debetur sanctis. Hyperdulia circa singularissimam excellentiam sanctitatis; qui adorationis cultus debetur B. Virgini, & Christi humanitati, ratione sanctitatis dumtaxat creatæ. Controuersia superest, an Christi humanitas adoranda sit cultu Latriæ.

3. 1. Sentent. PRIMA sententia negat, Christum vt hominem adorandum esse adoratione Latriæ, sed Hyperduliæ. Hanc citat *Magister in 3. dist. 9. cap. 1.* Sequuntur *Henric. quodlib. 10. quæst. 6. Rubio in 3. dist. cit. 2. art. 2. & 3. & Bacho in 4. dist. 2. quæst. 4. art. 2.* accedit *Gabriel in 3. cit. dist. 9. quæst. vnic. art. 2. concl. 3. & 4.* vbi docet, humanitatem Christi neque vt hypostaticè vnitam Deo adorandam esse adoratione Latriæ propriè dictæ.

Prob. 1. Christus vt homo est creatura: cultus autem latriæ debetur soli Deo; nequit igitur esse debitus Christo vt homini. 2. Nequeunt actus adorationis esse eiusdem rationis, quorum adoranda obiecta sunt diuersæ dignitatis & excellentiæ; nam actus specificam rationem sumunt ex obiectis: sed Deitas & humanitas, etiam vnita Verbo, sunt obiecta diuersæ dignitatis & excellentiæ, cùm vna habeat excellentiam increatam, altera creatam: ergo. 3. Cui conuenit adorare, non est debita latria: sed Christo vt homini conuenit adorare, iuxta illud *Ioan. 4. Nos*, inquit Christus Samaritanæ, *adoramus quod scimus:* igitur Christo vt homini non est debita latria. Maior prob. cui conuenit adorare, habet superiorem se, quem actu ipso adorationis recognoscere debet, eique se submittere: qui autem habet superiorem, non potest illi esse debita latria, quæ soli supremo domino debetur. 4. Latria est cultus debitus Deo vt principio creationis: sed Christus vt homo non est principium creationis: igitur Christo vt homini non est debita latria. Maior prob. Latria est maxima submissionis nota: soli autem illi debetur maxima submissionis nota, cui per creationem sunt omnia subiecta. 4. Prob. 1. 5. Prob. 2. 6. Prob. 3. 7.

SECVNDA docet, Christum vt hominem non esse adorandum adoratione latriæ per se, sed solùm per accidens: *Durand. in 3. distinct. 9. quæst. 2. & Maioris quæst. vnic. conclus. 4.* Fundam. *Durand.* est: Illud adoratur per accidens, quod adoratur cum eo, in quo tantùm est causa adorationis: sed humanitas Christi adoratur cum personâ diuinâ, in quâ sola est causa adorationis latriæ: ergo Christi humanitas adoratur tantùm per accidens adoratione latriæ. Confir. *Maior:* si Christi humanitas adoraretur per se, etiam separata à Verbo deberet adorari: Conseq. est falsum, quia tunc esset pura creatura, cui indebitus est cultus latriæ. 8. 2. Sentent.

TERTIA affirmat, Christum etiam vt hominem adorandum esse adoratione latriæ: *Magist. cit. lo. cap. 2. S. Thom. 3. p. quæst. 25. art. 1. & 2. Caiet. & Medina ibid. Albert. in 3. dist. 9. art. 9. Bonauent. art. 1. quæst. 1. Scoti quæst. vn. §. De tertio, Richar. art. 2. quæst. 1. Argen. quæst. vni. art. 2. fine,* licet posteà *art. vlt.* neget, Christum in quantum hominem esse adorandum latriâ, siue particula *In quantum* sumatur reduplicatiuè, siue distinctiuè, seu specificatiuè: *Capreol. quæst. vnic. art. 1. concl. 1. Marsi. q. 8. art. 2. Palat. disp. 1. Vasquez 3. p. disp. 95. cap. 2. Suarez disp. 53. sect. 2. Valen. disp. 1. quæst. 24. pu. 1.* Nota 1. controuersiam non esse de adoratione latriæ debitâ Christo vt homini per communicationem idiomatum, quo pacto *Rubio*, & reliqui contrariæ sent. vltrò concedunt, cultum latriæ conuenire Christo vt homini, non minùs quàm eidem per eandem idiomatum comunicationem conuenit esse Deum: Sed tantùm esse, an talis cultus illi conueniat intrinsecè & per se. 2. ex *S. Thom. & Scoto locis cit.* in adoratione duo esse distinguenda, obiectum seu terminum, & motiuum seu causam adorationis, sicut in quouis obiecto distinguitur id, quod est terminus actus, & id, quod est causa & motiuum eiusdem, vt in obiecto fidei, quod terminat assensum fidei, est res reuelata; quod autem est causa & motiuum credendi, est authoritas seu testimonium reuelantis. 9. 3. Sentent. 10. Pro sententia declaratione notanda duo. 11.

DICENDVM, Christum vt hominem adorandum esse eâdem adoratione latriæ, quâ adoratur Verbum non quidem vt motiuum & causam adorandi, sed vt terminum dumtaxat & obiectum adorationis. Ex Concilijs Ephes. *in 3. p. Anathema* 8. vbi, *Si quis*, inquit, 12. Conclusio.

inquit, *dicere audet hominem assumptum vnà cum Dei Verbo adorandum & conglorificandum, & Deum tanquam alterum cum altero connominandum esse, & non potiùs vna adoratione Emmanuelem adorat, vnamq; illi glorificationem attribuit, quatenus Verbum factum est caro, anathema sit.* Idem docet *infrà cap.* 27. *&* Synodus V. Constantinop. *Colla.* 8. *cap.* 9. *Qui non vna,* ait, *adoratione Deum Verbum incarnatum cum propriâ ipsius carne adorat* &c. *anathema sit.* Cæterùm etsi finis horum Concil. sit, damnare errorem *Nestorij*, qui duas Christo adorationes tribuebat, vt duas in eo distingueret personas, creatam, & increatam, huius tamen erroris confutandi occasione, veram nobis de adoratione Christi doctrinam tradunt.

13. 2. *Prob.* Prob. 2. ex Patrib. Athanas. *Epist. ad Adelph. fratrem: Dominum,* inquit, *rerum creatarum, incarnatum Verbum Dei adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum, attamen Dei corpus effecta est, neque istiusmodi corpus seorsim discriminatum à Verbo adoratione prosequimur, neque Verbum adoraturi, Verbum à carne longè seponimus, sed cùm sciamus, vt dictum est, Verbum carnem esse factum, illud iam in carne situm Deum agnoscimus.* Hæc eadem refert

Cyrill. Alex. & approbat Cyrillus Alex. *lib. Apolog. in defini. Anathem.* 8. Chrysost. *Homil.* 3. *in Epist. ad Hebr.* exponens illa: *Et adorent eum omnes angeli Dei,* docet, ea dicta esse de Christo vt homine. *Non hæc autem dici,* inquit, *de Deo Verbo, sed de Deo incarnato.* Quòd autem ibi intelligat de adoratione latriæ Deo debitâ, inde constat, nam ex hâc adoratione vt ex tesserâ à posteriori colligit, Christum esse filium Dei: ex solâ autem adoratione latriæ colligitur naturalis filiatio Dei.

14. *Chrysost.*

15. *Damascen.* Damasc. *lib.* 4. *Fidei cap.* 3. *Caro,* inquit, *eius,* nempe Christi, *secundùm ipsius naturam inadorabilis est, vt creatura. Vnita autem Deo Verbo, propter ipsum, & in ipso adoratur. Eo namque modo, quo Rex & nudus adoratur, & indutus.* Et infrà: *Caro secundùm sui naturam non est adorabilis: adoratur autem in incarnato Deo Verbo non propter seipsam,* scilicet vt propter causam & motiuum, *sed propter coniunctum ipsi secundùm hypostasin Deum Verbum.* & rationem assignat, quia, *Non carnem,* inquit, *adoramus nudam, sed carnem Dei, id est, incarnatum Deum.*

16. *Augustin.* August. *Serm.* 58. *de verbis Domini* fine: *Ego,* inquit, *Dominicam carnem, immo perfectam in Christo humanitatem propterea adoro, quod à diuinitate suscepta, atque Deitati vnita est, vt non alium atque alium, sed vnum eumdemque Deum & hominem Dei filium confitear. Denique si hominem separaueris à Deo, vt Photinus, vel Paulus Samosatenus, illi ego nunquam credo, nec seruio. Velut si quis nostrûm aut purpuram, aut diadema regale iacens inueniat, nunquid ea conabitur adorare? cum verò ea Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, si ea simul cum Rege quis adorare contempserit. Ita etiam in Christo domino humanitatem non solam, aut nudam, sed diuinitati suæ vnitam, vnum Dei filium, Deum verum, & hominem verum qui adorare contempserit, æternæ mortis pœnam patitur.*

17. *Anselmus.* Ansel. super illa *ad Hebr.* 1. *Et adorent eum omnes angeli Dei,* hæc scribit: *In humanitate eum adorare monentur angeli, quia vt in diuinitate adorarent eum, non indigebant admonitione: & quia homo vnitus Deo adoratur ab angelis, patet, qui longè melior est ipse, quàm Angeli.*

18. Huic veritati suffragatur *Triden. sess.* 13. *cap.* 5. *& can.* 6. vbi definit, venerabili Eucharistiæ, quæ ex sensibilibus speciebus, & Christi corpore & sanguine constat, propter Vnigeniti Dei filij præsentiam, latriæ cultum esse adhibendum. Si autem sensibili Eucharistiæ symbolo, ob sacramentalem Dei præsentiam latriæ cultus adhibendus est, quantò magis idem latriæ cultus adhibendus erit Christi humanitati propter hypostaticam vnionem, & substantialem compositionem ipsius cum filio Dei?

Prob. ratione. Vt Christi humanitas latriæ cultu intrinsecè & per se adoretur, necesse non est, vt ipsa sit ratio & motiuum adorationis, sed sufficit, vt sit terminus & obiectum, ad quod ex intentione adorantis tendat actus adorationis: sed qui Christum adorat, non solùm actu ipso adorationis intendit attingere suppositum diuinum, sed naturam etiam humanam, vt iam factam propriam Verbi: ergo non solùm intrinsecè & per se, vt obiectum *quod*, adoratur in Christo Deus, sed etiam homo, seu humanitas substantialiter vnita Deo. 19. 3. *Prob. hæc veritas ratione.* Maior constat ex 2. notab. nam vt obiectum fidei, spei, charitatis, & cuiuscumque alterius virtutis intrinsecè & per se dicatur actu virtutis attingi, necesse non est, vt obiectum sit ratio & motiuum, propter quod ipsum attingatur; nam sæpe ratio motiua attingendi obiectum est extrinseca obiecto, vt patet in fide, cuius motiua ratio est authoritas extrinseca dicentis: sed sufficit, vt sit tantùm ratio terminandi actum. Minor deducitur ex *cit. PP. & Concilijs*, quæ prohibent, nos in adoratione condiuidere Verbum ab humanitate, sed vno eodemque adorationis actu in vtrumque tendere. Nam si purpura ex eo tantùm, quòd est vnita Regi, adoratur eodem actu, quo persona Regis, licet non sit ratio adorandi, sed terminus dumtaxat adorationis; quantò magis humanitas hypostaticè vnita Verbo, adorabitur eodem actu, quo persona Verbi, quamuis non sit ratio adorandi, sed terminus dumtaxat adorationis? est igitur ratio & motiuum adorandi humanitatem Christi sola persona Verbi; terminus autem & obiectum adorationis non tantùm persona Verbi, sed etiam humanitas, cùm non solùm persona Verbi, sed etiam humanitas ex intentione adorantis sit terminus adorationis. *Multum valet exemplum purpuræ, quo PP. vtuntur.*

20. *Ad primum prima.* Ad 1. argu. primæ, concedo, Christum vt hominem esse creaturam, sed vnitam hypostaticè Deo, merito cuius vnionis illi debitus est idem adorationis cultus, qui debetur Deo, vt naturæ factæ substantialiter Dei.

21. *Dices.* Dices: Si vera est hæc propositio: *Christo homini debetur latria*; vera erit hæc alia: *Christo in quantum homini, debetur latria.* Sed neg. sequela; vt patet in consimili: *Christus homo, est Deus,* vera est: *Christus in quantum homo, est Deus*, falsa. *Resp.* Ratio; particula *In quantum,* siue sumatur reduplicatiuè siue specificatiuè, semper designat causam, propter quam conuenit prædicatum subiecto. *Ratio.* Causa autem, propter quam cōuenit adoratio latriæ Christo homini, non est humanitas præcisè, quam solam designare solet particula taxatiua *In quantum*, sed humanitas vt vnita Verbo. vnde si addatur *In quantum homini vnito Deo*, vera est propositio, quia tunc cum ratione materiali inuoluitur etiam conditio, propter quam debetur cultus latriæ humanitati. Sicut si reduplicaretur *Christus in quantum homo subsistens, est Deus*, vera esset propositio, quia reduplicaretur cum humanitate subsistentia Verbi. An autem hæc propos. *Christo vt homini debetur latria.* possit esse in aliquo sensu vera, constabit ex regulis *seq. disp.*

22. *Ad 2.* Ad 2. maior est vera de diuersitate obiecti formalis: falsa de diuersitate obiecti materialis & terminatiui tantùm. Cæterùm excellentia humanitatis, neque vt vnitæ Deo est obiectum formale, sed materiale & terminatiuum adorationis latriæ; sola

sola autem excellentia increata personæ diuinæ est obiectum & motiuum formale, propter quod latriæ actus terminatur ad humanitatem, vt ad naturam Verbi.

23. Ad 3. Ad 3. distinguo maior. cui conuenit adorare, non conuenit secundùm se considerato latriæ cultus, concedo: non conuenit, vt vnito Deo, nego. Vnde Concilium *Ephes. p. 3. cap. 27. Adorauit*, inquit, *nobiscum: adest etiam adorandus. Flectitur enim ipsi omne genu: hoc quoque secundùm aliud, & aliud. Adorat enim, quia naturam assumpsit, quæ debeat adorare: adoratur autem porrò idem quasi maior adorante natura, eò quòd intelligitur Deus.* Idem igitur Christus vt homo adorat seipsum vt Deum. Ad prob. dist. minor: habenti superiorem, non potest esse debita latria secundùm se considerato, concedo; vt vnito hypostaticè Deo, nego.

24. Ad 4. Ad 4. argu. disting. maior: nam latria est cultus debitus Deo, vt principio creationis per se, & secundùm se considerato: Christo verò vt homini est idem latriæ cultus debitus, non per se & secundùm se considerato, sed vt vnito hypostaticè Deo.

25. Ad secundam sent. Secunda reipsâ idem nobiscum docet, solùm discrepat in modo loquendi. Quocirca si adorari per accidens, excludat tantùm obiectum formale adorationis, concedo, humanitatem adorari per accidens: si verò excludat etiam materiale & terminatiuum, nego, humanitatem Christi adorari per accidens, sed per se; non primariò, sed secundariò: nam primariò etiam vt obiectum materiale adoratur persona Verbi, secundariò ipsius humanitas.

26. Ad Confirmationem. Ad confirm. nego sequel. nam adorari per se non tantùm significat, adorari vt motiuum & obiectum formale, sed etiam, vt terminum & obiectum materiale. Aliud quippe est adorari per se, aliud propter se: hoc conuenit tantùm obiecto formali, illud etiam materiali.

27. Dubitari potest. Negat. Vltimò dub. an possit Christo vt homini sacrificium offerri? Negat *Vasquez disp. 96. cap. 8.* nam sacrificium est protestatio diuinæ potestatis, & dominij, quâ Deum colimus vt authorem vitæ & mortis: ergo non potest alium, quàm Deum vt Deum respicere: cùm solus Deus vt Deus sit author vitæ & mortis per creationem. Confirmat ex August. Confir. ex *August.* qui 10. *de Ciuit. cap. 20.* hæc scribit: *Cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo & vnus Deus est, tamen in forma serui sacrificium maluit esse, quàm sumere, ne vel hac occasione quisquam existimaret, cuilibet sacrificandum esse creaturæ.* Videtur *S. Thom 2. 2. quæst. 85. art. 2. & 3. cont. Gent. cap. 120.* vbi ait, sacrificium soli Deo esse offerendum, vt primo principio creationis, & vltimo fini nostræ beatificationis.

28. Affirmo. Affirmat *Suarez disp. 53. sect. 2.* & *Ioann. de Lugo disp. 34. sect. 2.* quibus magis assentior, quia cùm humanitas Christi faciat vnum per se cum personâ Verbi, eo ipso quòd sacrificium terminatur ad Verbum, terminatur ad quidquid componit vnum substantiale cum persona Verbi, & consequenter ad humanitatem, quæ componit vnum substantiale cum Verbo: quamuis ratio formalis terminandi sacrificium sit sola diuinitas.

29. Confirm. Confirm. etiamsi relationes diuinæ non sint principium creationis, cùm principium creationi sit sola natura, verè tamen & intrinsecè sacrificij cultum terminant, non vt ratio formalis, sed materialis. Esto igitur humanitas Christi non sit principium creationis, ac proinde author vitæ & mortis, quia tamen constituit vnum cum principio creationis, & vitæ mortisque authore, terminat intrinsecè sacrificij cultum, non vt ratio formalis, sed materialis.

30. Ad August. Neque *August.* aliud docuit quàm quod de facto noluit Christus in formâ serui sacrificium sumere, cùm posset, sed tantùm offerre: Quod vltrò concedo; nam cùm de facto non sit nisi vnicum sacrificium Euchar. in Ecclesiâ Dei, cumque illius principalis offerens sit Christus vt homo, nam reliqui Sacerdotes sunt meri Ministri Christi; cumque idem non possit sibi ipsi sacrificium offerre, sed requiratur distinctio voluntatum inter sacrificium offerentem, & acceptantem, de facto soli Deo vt Deo sacrificatur, & Christo vt homini non nisi per communicationem idiomatum. Cæterùm cùm *S. Tho.* docet, sacrificium offerri Deo vt principio creationis, & fini beatificationis, non excludit Christum vt hominem, vt obiectum & terminum materialem, sed solùm vt obiectum & terminum formalem.

SECTIO II.

An peculiaris adoratio distincta à Latria exhiberi possit humanitati Christi vt cogitatione præcisa à Verbo?

Prima sententia negat: *Valen. 3. p. disp. 1. qu. 24. punct. 1. Vasq. disp. 96. c. 4.* pro quâ multos affert Authores: eamque probat 1. ex Concilijs & Patrib. qui docent Christi humanitatem vnâ esse cum Verbo adoratione colendam; neque Christum pluribus adorationibus esse diuidendum; nec visibilem hominem propter inuisibilem Deum, vt Ephes. loquitur, adorandum. 31. 1. Sentent. Prob. 1.

2. Aut quando peculiari cultu adoratur humanitas, propter ipsius tantùm excellentiam creatam, adoratur vt coniuncta Verbo, ita vt ratione humanitatis, quam peculiari cultu Hyperduliæ adoramus, eodem cultu adoretur etiam Verbum; aut adoratur vt non coniuncta Verbo. Prior adorationis modus est ineptus & incongruus: quia cùm adoratur compositum ex personâ increatâ & naturâ creatâ, potiùs trahenda est natura creata in adorationem personæ increatæ, quàm persona increata in adorationem naturæ creatæ. Posterior modus, etsi possibilis sit, decens non est: non enim decet, si persona sit digna titulo nobiliori, illam inferiori titulo honorare; scilicet omisso cultu latriæ, illam adorare cultu hyperduliæ. 32. Prob. 2. ratione.

Confirm. Impossibile fideli est, apprehẽdere Christi humanitatem vt Deitati nõ coniunctam, ac vt sic cogitatione separatam adorare. Sicut impossibile est, apprehendere imaginẽ Cæsaris, eamque cogitatione ab ipso Cæsare separare ac honorare. Nec est eadem ratio de Verbo, quod potest etiam ab humanitate separatum adorari: tum quia sicut illud potuit ante Incarn. vt 2. persona Trinitatis, absque vllo ordine ad carnem considerari, ita & pòst. Tum quia excellentiam & dignitatem, propter quam adorandum est, non habet ex assumptâ carne, sed ex se. 33. Confirm.

Secunda affirmat: *S. Thom. 3. p. q. 25. art. 1. & 2. Caiet. & Medina cit. art. 2. Alber. in 3. dist. 9. art. 9. Bonau. art. 1. quæst. 1. Marsil. quæst. 8. art. 2. ad 3. dub. post 1. concl. Gabriel. q. vn. art. 2. post concl. 4. Suarez 3. p. disp. 53. sect. 3.* Quæ sententia probabilior est: quamuis multi ex his Authoribus pro contrariâ sententiâ citentur à *Vasquez*, qui tamen si attentè legantur, nostræ potiùs sententiæ fauent. Cæterùm illam non obscurè indicat *Damasc. lib. 4. Fidei cap. 3. Si subtilibus cogitationibus diuidas quod videtur, ab eo, quod intelligitur, cogitationéque humanitatem à diuinitate præscindas, inadorabilis est, vt creatura*, scilicet adoratione latriæ, non Hyperduliæ, vt interpretatur *S. Tho. loco cit. art. 2. ad 1.* 34. 2. Sentent. probabilior.

Fundam. nec implicat, 35. Fundamentũ vnicum.

nec

nec dedecet, priuatâ deuotione humanitatem Christi propter excellentiam dignitatis creatæ hyperduliæ cultu adorare: nam esto implicet, illam apprehendere vt Christi humanitatem, & non apprehendere illam vnitam Verbo: non tamen implicat, ei sic apprehensæ exhibere cultum, ratione solius excellẽtiæ creatæ: quia cùm actus adorationis non consistat in solâ apprehensione excellentiæ naturæ adorandæ, sed etiam in affectu submissionis erga naturam adorandam, etiamsi adorans necessariò apprehendat Christi humanitatem coniunctam Verbo, poterit nihilominus ei exhibere affectum propter solam excellentiam creatam. Item, esto fortasse dedeceat, humanitatem sic apprehensam, omisso latriæ, solo hyperduliæ cultu adorare, non tamen dedecet, distincto cultu; & hyperduliæ, ratione dignitatis creatæ; & latriæ, ratione dignitatis increatæ, illam colere ac venerari. Sicut licet dedeceat Imperatorem, qui simul est Archidux, solo titulo Archiducis, omissò Imperatoris titulo, honorare: non tamen dedecet, vtroque titulo & Archiducis, & Imperatoris simul illum honorare.

Non implicat.

36. *Nec dedecet.*

37. *Instat.* At instat *Valentia*, superfluum esse cultum hyperduliæ erga Christi humanitatem, adeoque illicitum; sicut illicitum est ieiunium in die Dominico, tum quia est contra Ecclesiæ consuetudinem; tum quia est periculum scandali, propter hæresin Nestorij, & Arij. Sed nego, talem cultum esse superfluum, adeoque illicitum, cùm sit actus virtutis. Nec est par ratio de ieiunio in die Dominico, quia ieiunium est actio externa: cultus verò cùm sit actus internus (nam licet requirat aliquam notam externam, nulla tamen est certa nota latriæ, vel hyperduliæ propria) poterit absque vllo scandalo & periculo exerceri. Confirm. contra *Valent.* per ipsum licitum est, saltem secundariò Christi humanitatem adorare hyperduliæ cultu, rogando illam, vt aliquod donum nobis à Deo impetret: cur igitur non licebit, esto id fiat primariò, non omisso latriæ cultu, etiam hyperduliæ actu illam adorare?

Soluitur.

38. *Ad hominem.*

39. *Dices.* *Obijcies* 1. Si sola præcisio reddit licitam talem adorationem, redderet etiam licitam adorationem, quâ adoraremus Verbum non propter excellẽtiam increatam ipsius, sed propter excellentiam creatam, quam habet ex naturâ assumptâ, donis supernaturalibus creatis ornata: ac proinde licitè possemus adorare Verbum adoratione hyperduliæ, quæ est propria creaturæ.

40. *Resp.* Concedo sequel. modò illi non negetur cultus latriæ, propter excellentiam increatam naturæ propriæ sibi debitus; ita *S. Tho. 3. p. quæst. 25. art. 2. Vna*, inquit, *& eadem persona (Christi adoratur adoratione latriæ, propter suam diuinitatem, & adoratione duliæ, propter perfectionem humanitatis*. Idipsum docent *ibid. Caiet. & Medina concl.* 4. & rationem reddit *Caiet.* quia potest eadem persona per se adorari latriâ; per aliud verò duliâ, seu hyperduliâ.

41. *Dices.* *Obijcies* 2. Implicat adorari humanitatem, propter moralem sanctificationem illi à Verbo formaliter communicatam, non adorato Verbo, cùm implicet effectum formalem, etiam per rationem præscindere ab ipsâ formâ, cuius est formalis effectus, cùm illum essentialiter includat. Eadem ratio probat, non posse adorari humanitatem cum vnione ad Verbum, non adorato Verbo.

42. *Resp.* Nego antec. Ad prob. esto non possit Verbum nõ includi in obiecto adorationis vt apprehẽso, propter essentialem habitudinem tam vnionis, quàm moralis sanctificationis ab ipso moraliter communicatæ: adhuc tamen potest ex intentione adorantis non terminare actum adorationis, neque vt pars obiecti adorandi, neque vt extrinsecus terminus habitudinis eiusdem obiecti adorabilis, sed totus adorationis actus sistere potest vt in obiecto adæquato in solâ humanitate vnitâ & sanctificatâ. Adoratio enim est actus, quo adorans liberè se submittit adorando vt superiori: potest autem adorans suum actum submissionis dirigere in vnum, & non in alium, ex duobus, qui in obiecto proponuntur: igitur potest adorans adorare solam humanitatem vnitam, & sanctificatam sanctitate Verbi, esto non possit illam apprehendere, nisi coniunctam obiectiuè cum Verbo.

At quo genere cultûs debet Christi humanitas cogitatione à Verbo præcisa adorari? Communiter censent, adorandam esse cultu hyperduliæ, quæ est inferior latriâ, & maior duliâ, qui cultus debetur etiam Virgini, ratione diuinæ maternitatis. Nota, considerari posse Christi humanitatem à Verbo præcisam, vno modo secundùm dona creata, includendo vnionem hypostaticam, nam etiam est aliquid creatum: 2. modo secundùm dignitatem moralem, & sanctificationem à personâ Verbi, vt effectum formalem sibi moraliter communicatam, vt distinctam à physicâ dignitate & sanctitate Verbi, 1. modo consideratam, certum est, adorandam esse cultu hyperduliæ, & quidem supremo, qui tribui possit creaturæ, ratione vnionis hypostaticæ, quæ est supremum donum creaturæ communicabile. 43. *Grauior difficultas.* *Pro explicatione notandum b. factam consid. &c.*

Dices: Vnio hypostatica essentialiter est via ad communicandam humanitati increatam sanctificationem Verbi: ergo ratione talis vnionis debitus est humanitati cultus latriæ, qui debetur omni excellentiæ increatæ. Resp. Vnionem hypost. considerari vno modo, vt est quædam perfectio creata inhærens humanitati, & vt sic illam adorari solo hyperduliæ cultu: quia vt sic ex intentione operantis præscindit ab ipsâ sanctitate & excellentiâ termini increati: 2. modo, vt viam formaliter includentem hypostasin increatam vt terminum, & moralem sanctificationem personæ increatæ, & vt sic adorari adoratione latriæ: quia vt sic in obiecto adorando includitur vt pars integrans & terminus adorationis hypostasis increata Verbi ex intentione adorantis hoc ipso, quòd vult illam adorare vt viam & formalem communicationem ipsius sanctitatis increatæ; quia vt sic inuoluit sanctitatem increatam, non vt terminum, vel principium obliquè importatum, sed vt formam in communicari. 44. *Bifariam consid. vnio hypost.*

45. 2. Modo, censeo, adorandam esse cultu latriæ, licet inferioris, quàm adoretur persona Verbi, propter perfectiorem modum, quo eadem sanctitas & dignitas participatur à personâ Verbi; cùm à personâ Verbi participetur physicè, & per identitatem, ab humanitate autem solùm moraliter & per coniunctionem. Nam hæc moralis sanctitas & dignitas est quasi effectus formalis moraliter refusus ab ipsâ sanctitate & dignitate increatâ Verbi: ergo conuenit cum ipsâ physicâ sanctitate & dignitate Verbi, vt effectus moralis cum suâ formâ: ergo ratione talis sanctitatis ac dignitatis debetur Christi humanitati latriæ cultus. *Prob.* Confirm. talis dignitas non est creata, sed increata, cùm sit quædam moralis æstimabilitas immediatè deriuata ex personâ increatâ Verbi, vt ex formâ hypostaticâ: ergo debetur illi cultus superior cultu hyperduliæ, qui tantùm debetur excellentiæ ac dignitati creatæ: igitur debetur illi cultus latriæ, qui debetur omni excellentiæ increatæ, siue sit excellentia increata physica siue moralis: cùm omnis excellentia increata postulet cultum superiorem omni cultu debito *Confirm.*

debito excellentiæ creatæ; qui alius esse non potest, quàm latriæ. Ex his deducitur, talem cultum elici ab eadem virtute Religionis, à quâ elicitur supremus cultus erga Deum: cùm possint ab eodem habitu supernat. plures actus, imperfectâ saltem specie distincti, elici.

46. *Dubium aliud.* *1. Sentent.* Ex dictis soluitur, quod proponit *Scotus in 3. dist. 9. q. vn. §. Sed restat:* An Christo vt perfecto redemptori debeatur cultus latriæ. Ad quod respondet negatiuè; quia ratio, propter quam nos Christus formaliter redemit, fuit creata: fuit enim humanitas ornata & prædita tantùm gratiâ creatâ. *Fundam.* Probat; per id Christus nos condignè redemit, per quod fuit causa condignè meritoria amissæ gratiæ: fuit autem causa condignè meritoria amissæ gratiæ per humanitatem, vt præditam solâ gratiâ creatâ. Sed opposita sententia est verior, nempe

47. *2. Sentent. probabilior.* Christo vt perfecto redemptori debitum esse cultum latriæ. Ratio: vt *suprà*, nulla pura creatura cum solâ gratiâ ordinis creati sufficiens fuit, ad nos à peccato condignè redimendos, sed necessaria fuit persona increata, quæ assumptæ naturæ sufficientem condignitatem communicaret, vt posset suis operibus condignum pretium pro peccato offerre. Quare nego *Scoto*, humanitatem Christi per solam gratiam creatam fuisse causam condignè meritoriam nostræ amissæ gratiæ: nam amissa gratia inuoluit offensam Dei, pro quâ nulla pura creatura, cum solâ gratiâ creatâ potest condignè satisfacere.

48. *Fundam. Vasquez.* Ad fundam. *Vasquez*, dicendum est, Concilia & PP. locutos esse contra *Nestori.* qui sicut duas personas in Christo introducebat, ita duas totales adorationes eidem concedebat; vnam, quâ vt Deus; alteram, quâ vt homo esset adorandus. Nos autem non duas asserimus totales in Christo adorationes, sed vnam dumtaxat, quâ & Deus simul, & homo adoretur; posse tamen humanitatem ratione præcisam à Verbo, non totali, & vltimatâ, sed partiali & inchoatâ adoratione coli. Hoc autem non negant Concilia & PP. quin idipsum non obscurè indicant, dum dicunt, mansisse in Christo duas naturas suis discretas proprietatibus. Vnde ex tantùm propositiones in hâc materiâ vitandæ sunt, quæ suppositorum distinctionem indicant, quales sunt: *Christus adoratione est diuidendus: Christus vt homo est connumerandus:* non autem hæ: *Christi humanitas simul cum Verbo adoratur, vel coadoratur: Christi humanitas vt præcisa à Verbo adoranda est distincto cultu.*

49. *Explicatur Concilium.* Cæterùm illa: *Non est visibilis homo propter inuisibilem Deum adorandus*, ideo à Concil. *Ephes.* negatur, quia cùm homo importet subsistens in naturâ humanâ, per eam indicatur distinctio suppositi humani à diuino. Non est autem illi similis hæc: *Humanitas visibilis est adoranda propter Deum inuisibilem:* quia in hâc non importatur distinctio suppositorum, sed solùm naturæ humanæ à supposito diuino.

50. *Ad rationem.* Ad rationem resp. vtroque modo Christi humanitatem adorari posse distincto cultu ab eo, quo per se primò adoratur Verbum, aut simul, eodem cultu adorando Verbum vt terminum tantùm, non vt causam adorationis; nam causa adorationis tunc esset sola excellentia humanitatis, vel moraliter sibi à personâ Verbi communicata, vel physicè à gratiâ habituali, cæterisque donis supernat. creatis: aut tantùm attingendo vt terminum adorationis solam humanitatem, propter excellentiam ex donis supernat. sibi communicatam. Nec est inconueniens, quòd pars perfectior adoretur cultu partis imperfectioris, quando pars perfectior non est ratio, sed tãtùm terminus adorationis, *vt suprà* cum *S. Thom. & Caiet.* docui. Nam tunc pars perfectior est tantùm obiectum materiale adorationis; sicut cùm Imperator honoratur titulo Archiducis, idem actus terminatur ad Imperatorem vt ad terminum & obiectum materiale, non vt ad causam & motiuum honorationis.

Vltimò disceptari hîc potest, an possit humanitas præcisa à Verbo exorari, vt pro nobis oret? negat *Suarez cit. disp. 53. sect. 3. §. Ad 2. obiect.* Fundam. humanitas præcisa à Verbo non potest orare: ergo non possumus illam præcisam à Verbo exorare, vt pro nobis oret. quia non possumus ab illâ actum petere, quem exercere non potest. Antec. probat. 1. quia oratio est actus mediatoris, quem Christus exercere non potest; nisi vt homo Deus. 2. si sola humanitas posset pro nobis orare, sola posset pro nobis mereri & satisfacere, cùm sit eadem omnium ratio. 3. actiones non sunt naturæ, sed suppositi. Cùm igitur oratio sit actio, non potest competere humanitati, sed toti supposito. Ex quo assignat discrimen inter orationem, & adorationem: quia adoratio non est actio, sed passio, seu quasi passio terminata ad obiectum, vt ad materiam, circa quam versatur affectus adorantis: potest autem adorans per rationem præscindere vnum obiectum ab alio, ac proinde per suum actum terminari ad vnum, & non ad aliud: non potest autem natura seipsa præscindere à supposito, sine quo operari non potest. 51. *1. Sentent. Fundam.*

Affirmant *Vasquez disp. 96. cap. 8. Valen. loco cit. & Ioan. de Lugo disp. 35. sect. 3.* quibus magis assentior. Fundam. quod per nostram orationem intendimus, quãdo Christum oramus, vt per suam orationem aliquid nobis imperret, est, vt moraliter moueamus liberum principium orandi ipsius, vt per suam liberam orationem nobis impetret, quod ab ipso precamur: sed liberum principium orandi in Christo, non est subsistentia increata, sed sola humanitas habens sibi subordinatam subsistentiam ad dignificandam orationem, & quamlibet aliam operationem ipsius: igitur possumus humanitatem à Verbo præcisam exorare, vt pro nobis oret. Minor patet, nam principium liberè orandi in Christo, est principium eliciendi actum orationis, quæ est sola voluntas humana Christi. Maior prob. illud principium moraliter mouere intendimus, quando Christum oramus, à quo liberè pendet ipsius oratio, & quæ ad ipsius orationis efficacitatem necessaria sunt: nam hoc per nostras preces intendimus, vt Christi voluntatem flectamus; vt pro nobis dignetur per liberam suam orationem impetrare, quod petimus: hoc autem rectè facere possumus, solam præcisam humanitatem ipsius exorando: quia per hoc non petimus, vt sic præcisa oret, sed vt sic præcisam exoramus, vt pro nobis oret. 52. *2. Sentent. probabilior.* *Fundam.*

Ad fundam. *Suarez*, distinguo antec. non potest humanitas præcisa à Verbo orare, vt principium elicitiuum *quo*, nego; vt principium dignificatiuum *quod*, concedo. Vt autem possit præcisa à Verbo à nobis exorari, sufficit, vt orare possit vt principium liberum elicitiuum *quo*, habens subordinatum principium dignificatiuum *quod*. Nam cùm principium dignificatiuum *quod* in dignificandis omnibus operationibus liberis humanitatis Christi, sit in potestate ipsius principij liberè operatiui *quo*; hoc enim liberè operante, illud necessariò operationem dignificat, sufficit ad ipsius orationem impetrandam, vt tantùm exoretur ipsius liberum principium elicitiuum *quo*; nam ab ipso pendent 53. *Ad fund. Suarez.*

dent omnia, quæ ad condignam & efficacem orationem requiruntur.

54. *Ad primam probationem.* Vnde ad 1. prob. concedo, orationem esse actum mediatoris, ac proinde reipsa requirere Verbi subsistentiam ad illam condignificandam: nego tamen, vt illa reipsâ Christi orationem dignificet, necessarium esse, vt simul cum humanitate exoretur; sed sat esse, vt tantùm exoretur liberum principium elicitiuum, quo orationem eliciente statim subsistentia increata illam condignificat: non secus ac eliciente iusto actum meritorium, statim gratia habitualis condignificat illum.

55. *Ad 2.* Ad 2. sequeretur, quòd sola humanitas posset pro nobis mereri & satisfacere vt principium elicitiuum *quo*, concedo; vt principium dignificatiuum *quod*, nego. Absolutè autem nego sequelam, quia cùm dicitur sola humanitas pro nobis mereri posset & satisfacere, significatur, quòd reipsa sola humanitas absque condignificatione suppositi increati hoc præstare posset, quod falsum est. Vnde nec absolutè dici potest, quòd sola humanitas possit pro nobis condignè orare, sed solùm quod præcisa à Verbo possit à nobis exorari, vt pro nobis oret: quia tunc non intendimus, vt sic præcisa à Verbo oret, sed solùm vt ipsius humanam voluntatem flectamus, vt liberè velit pro nobis orare. Vnde oratio nostra solùm dirigitur ad permouendam voluntatem Christi, vt pro nobis oret, non autem vt sic præcisa oret.

56. Ad 3. dist. antec. actiones non sunt naturæ vt principij elicientis *quo*, nego; vt principij denominationis *quod*, concedo. Est enim subsistentia sola conditio, non principium formale operationis. Et esto esset comprincipium cum naturâ ad operandum, quia tamen non esset principium liberum, sed necessarium subordinatum libertati naturæ, sufficeret ad liberam orationem impetrandam, flectere solam naturam à subsistentiâ præcisam, tunc ad operationem liberam naturæ sequeretur operatio necessaria suppositi.

SECTIO III.

An, & quo cultu adoranda sit Christi imago, reliquorumque Sanctorum?

57. HAs imagines esse adorandas, fidei dogma est contra *Iconom. in II. Nicæn. Synodo gene. VII. in Florent. fine sess. 5.* vltimò contra hæreticos nostri temporis in *Trident. sess. 25.* Quæ veritas, quidquid blateret *Caluinus lib. 1. Instit. cap. 11.* perpetuâ constat Ecclesiæ traditione, ab ipsis Apostolis ad nos vsque deriuata, vt probat *Bellarm. lib. 2. de imag.* & testatur *Damasc. lib. 4. Fidei cap. 17.* Potissimum fundam. ad sacras imagines Christi, Sanctorumque habendas ac retinendas, est, vt ex earum aspectu fidelium animi excitentur atque inflammentur, tum ad prototypa ipsa, quæ repræsentant, colenda & adoranda: tum ad eorum heroicas actiones imitandas, gratiasque ab iisdem impetrandas. Quas vtilitates recenset in suâ defini. *cit. Synodus Nicæna II. act. vlt.* & fusè explicat *cit. loco Damasc.* Sunt enim imagines ad animum excitandum aptissimæ, iuxta illud *Horat.* *(Cõtra imaginum hostes semper praualuit Ecclesia.)*

Segniùs irritant animos demissa per aurem
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Solet enim, vt *Nyssen. orat. in Theodor. init.* dixit, *Etiam pictura tacens in pariete loqui, maximeq́; prodesse.* Hinc corruit *Caluini* argum. quo contendit, ad nihil aliud imagines valere, quàm ad oculos *(Caluini fundam. corruit.)* oblectandos. Controuersia est de modo imagines adorandi.

58. Potest imago considerari; 1. materialiter & subiectiuè, vt res quædam artificialis est, ex certâ materiâ & figurâ constans: 2. formaliter & repræsentatiuè, vt imago formaliter est, seu, vt *Caiet.* loquitur *3. p. quæst. 25. art. 3. §. Est igitur*, vt actum imaginis exercens. 1. modo nemo Cathol. existimat, imaginem Christi aut Sanctorum esse cultu aliquo dignam: vt sic enim est res quædam inanimis, honoris, adorationisque incapax: sed 2. modo, quo pacto componit vnum in esse repræsentatiuo cum exemplari: quia vt sic nequit concipi, nisi vt obiectiuè coniuncta cum suo prototypo, ex quo & imagine ipsa fit vnum obiectum adæquatè terminans actum adorationis. *(Quo se imagine Catholi colantur.)* Adhuc autem imago considerata vt imago formaliter, adorari potest. 1. vt nec ipsa sit ratio adorandi, nec terminus adorationis, sed signum tantùm rememoratiuum, quo excitatus homo per affectum tendit in solum prototypon, vt in obiectum integrum adorationis. 2. vt affectus adorantis non solùm tendat in prototypon, sed etiam in imaginem, vt in obiectum partiale, minus tamen principale & secundarium, etsi ratio adorandi sit sola prototypi excellentia & sanctitas. 3. vt sola imago sit proximum obiectum & terminus adorationis, exemplar autem sola ratio remota, & propter quam, eo modo, quo creditur obiectum reuelatum propter authoritatem reuelantis, quæ tantùm remotè & in obliquo terminat assensum fidei. *(Trifaria consideratur.)*

59. 1. Modo censet *Durand. in 3. dist. 9. q. 2.* adorari imaginem, vt imaginem formaliter, vt nullo pacto ipsa sit terminus & obiectum adorationis, sed sola conditio, ad cuius præsentiam fit rememoratio rei, quam rememoratam adoramus eâdem adoratione; quâ ipsam adoraremus, si esset præsens: Fundam. quæ dicunt solam habitudinem extrinsecam ad Christum, vt sunt imago & crux, nequeunt esse terminus, ne quidem per accidens, adorationis Christi, cùm non faciant vnum cum Christo, sed semper maneant distincta ab illo. *(Fundam. Durand.)* Hæc sententia *à Medina 3. p. quæst. 25. art. 3. §. His argum.* notatur vt periculosa, temeraria, & hæresin sapiens; à *Victoria apud eund.* vt hæretica.

60. *Censura sententiæ Durand.* Verùm intelligi potest, vno modo, vt nullo pacto imago sit terminus adorationis, neque interioris affectûs, neque exterioris submissionis & notæ, sed tam interioris affectûs, quàm exterioris submissionis & notæ terminus sit solùm prototypon per imaginem expressum. alio modo, vt imago sit tantùm terminus exterioris notæ, non interioris affectûs, cuius adæquatus & totalis terminus sit solùm exemplar per imaginem repræsentatum.

61. *Modus contra Conci.* 1. Modo intellecta *Durandi* opinio, est contra definitionem Concilij, in quâ absolutè præcipitur, adorandas & colendas esse imagines: quod autem nullo modo est terminus adorationis, non potest absolutè dici adorari. Nam adorari nil aliud est, quàm esse terminum adorationis: sicut diligi, est esse terminum dilectionis: & sicut non dicitur diligi cognitio; sed obiectum cognitione expressum, quia non cognitio, sed obiectum cognitione expressum est terminus dilectionis: ita nec diceretur adorari imago, sed exemplar imagine expressum, si adoratio nullo pacto terminetur ad imaginem, sed tantùm ad exemplar. Nec dici potest imago adorari per adorationem sui exemplaris: quia cùm imago & exemplar sint res distinctæ, non potest dici vnum adorari per adorationem terminatam tantùm ad alterum. Sicut non dicitur adorari S. Petrus, per adorationem terminatam tantùm

Confirm. tùm ad S.Paulum. Confirm. in hoc sensu non potuerunt hæretici negare, Sanctorum imagines esse adorandas, vt pura signa rememoratiua suorum prototyporum, vti solent honorari statuæ & imagines illustrium virorum.

62. Altero modo, non est contra Concil. quod solùm definit, adorandas, & colendas esse imagines Christi & Sanctorum; modum autem, quo illæ sint adorandæ & colendæ, non definit. Solùm autem definit, quòd imago Christi non sit adoranda cultu latriæ, quo adoratur Christus ipse: idem intelligitur de imaginibus Sanctorum, quòd non sint adorandæ eodem cultu, quo adorantur Sancti ipsi. Fundam. Durand. nihil probat: nam, vt possit imago esse terminus adorationis, necesse non est, vt faciat vnum in esse reali cum imaginato, sed sufficit, vt faciat vnum in esse repræsentatiuo seu obiectiuo. Nam ea tantùm vnitas inter imaginem & imaginatum necessaria est, & sufficit, quæ requiritur ad faciendum vnum in ratione obiecti, affectum animi terminantis.

63. *An eodem adorationis affectu debeat imago cum suo prototypo coli.* Posito igitur, quod iuxta Concilij definitionem, debeat tam imago, quàm imaginatum adorationis affectu attingi, adhuc controuersum est, an eodem adorationis affectu debeat imago cum suo prototypo venerari. In qua re tres sunt celebres opiniones.

64. *1. Sentent. Fundam.* 1. Negat, imagines adorari eodem cultu cum prototypis, sed inferiori; *Catharini Opusc. de adorat. imag. & Ayla lib. de traditi.* Fundam. est authoritas *cit. Synodi Nicænæ II.* quæ in *act. vlt. in definit. fidei* docet, nullam imaginem adorandam esse cultu latriæ, quæ soli Deo debetur; sed inferiori, quam *Salutationem, & honorariam adorationem* appellat. Loquitur autem de adoratione imaginis, quæ simul cum prototypo adoratur, vt ex textu constat. Ratio: latria est summus cultus soli Deo debitus: ergo tribui non potest imagini, quæ etiam vt prototypon repræsentans, est quid creatum.

65. *2. Sentent.* SECVNDA distinguit: vel imago adoratur per se vt integrum obiectum materiale adorationis, etsi ratio formalis adorandi semper sit excellentia prototypi, siue imago adoretur vt obiectum totale, siue partiale: vel simul cum prototypo, vt pars integrans obiectum materiale. 1. modo negat, imaginem adorari eodem cultu cum prototypo, sed inferiori: affirmat verò, eodem cultu cum prototypo adorari 2. modo: est *Bellar. lib. 2. de imagin. cap. 21. 22. & 23. Suarez 3. p. disp. 54. sect. 4. & 5.*

66. *3. Sentent.* TERTIA affirmat, semper imagines adorari eodem cultu cum prototypo, nec licitè posse alio cultu distincto per se venerari. Prior pars est *S. Thom. 3. p. quæst. 25. art. 3.* & communis *Scholast. in 3. dist. 9.* Posteriorem docent *Vasquez 3. p. disp. 108. cap. 3. & Gaspar Hurtadus de Incarnat. disp. 20. difficul. 20.* & colligi videtur ex Authoribus prioris partis huius sententiæ, qui dum affirmant, imagines adorandas esse eodem cultu cum prototypo, virtute negare videntur, eas vnquam licitè posse alio cultu per se adorari.

67. *Fundam. duplex.* Fundam. 1. petitum ab authoritate Conciliorum, & Patrum, qui nusquam mentionem faciunt prioris modi secundæ sententiæ: sed vbique affirmant, imagines adorandas esse in ordine ad sua prototypa, earumque honorem redundare in honorem prototypi. Quin *Trident. sess. 25.* definit, non esse imagines adorandas propter aliquam virtutem aut diuinitatem in eis existentem. *Sed quoniam*, inquit, *honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræsentant: ita vt per imagines, quas osculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Christum adoremus, & Sanctos, quorum illæ similitudinem gerunt, veneremur.* Idque confirmat authoritate *Nicænæ Synodi.* Si autem possent imagines per se vt integrum obiectum adorationis coli, exemplari non adorato, vt proximo termino adorationis, sequeretur contra Concil. eas coli propter aliquam virtutem in eis existentem.

68. *Fundamentum 2. Ratio triplex.* Fundam. 2. ducitur ex ratione; 1. adoratio est animi submissio exhibita alteri vt superiori & excellenti, ex definitione adorationis ex *Damasc. sect. 1.* allatâ: nulla autem imago vt distincta ab exemplari est superior, aut excellentiam aliquam habet, vel ex se, vel ab exemplari deriuatam supra ipsum adorantem: ergo nulla imago vt distincta ab exemplari licitè coli potest vt integrum proximum obiectum adorationis.

Ratio 2. SECVNDA: Adoratio est actus iustitiæ potestatiuæ: nullus autem actus iustitiæ versari potest circa rem inanimam & irrationalem: igitur nullus actus adorationis exerceri potest circa imaginem, vt ab exemplari distinctam. Maior constat: nam adoratio est ad alterum: omnis autem virtus ad alterum à *S. Thom. 2. 2. q. 80. art. vnic.* collocatur sub genere iustitiæ. Minor prob. actus iustitiæ essentialiter respicit debitum in vno, & ius in altero: nulla autem res inanima, aut irrationalis habere potest ius exigendi debitum ab alio.

69. *Ratio 3.* TERTIA: Imago, & nulla res inanima & irrationalis secundùm se est capax iniuriæ; ergo nec honoris & reuerentiæ: ex recepto axiomate: *contraria versantur circa idem subiectum:* ergo quod ex se non est capax iniuriæ, nec contrarij honoris & reuerentiæ capax erit. Antec. patet, quia nulla res inanima & irrationalis est capax iniustitiæ.

70. *Conclusio 1.* DICO 1. Non repugnat, eodem adorationis actu simul imaginem & prototypon attingi, per modum vnius adæquati & totalis obiecti. Assertio hæc vt communis, ita conformior Concilijs & Patribus. Vnde in II. Nicæ. Synodo approbatur testimonium *Leontij* Epis. *Neapol.* de imaginum adoratione contra Iudæos, qui hanc doctrinam exemplo sigilli Imperialis explicat: *Quemadmodum qui mandatum Imperatoris suscepit, illius sigillum osculando, non ipsam ceram, aut characterem, aut plumbum veneratur, verùm Imperatori ipsi adorationem & cultum exhibet. Ita quoque Christianorum filij, typum crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, sed sigillum, & annulum, & characterem Christum ipsum aspicientes, per hoc eum, qui in illo crucifixus est, salutamus & adoramus.* & infrà: *Ego*, inquit, *imaginem Christi adorans, non lignorum, aut colorum naturam adoro, absit, sed inanimatum characterem Christi. Hunc enim cùm habeam, per ipsum, Christum me tenere & adorare mihi videor.*

In hoc testimonio duo nota. In quo nota, 1. sacram Synodum non negare, crucem, vel imaginem adorari, sed non adorari vt lignum & colorem, sed vt Christi characterem seu imaginem, hoc est vt Christi repræsentatiuum & expressiuum. 2. eundem actum, qui versatur circa imaginem, vt imago est, versari etiam circa prototypon in eâ expressum. Quod ex sententia *Basilij* sacra Synodus probat *infrà*: *Quia Rex dicitur, etiam Regis imago, neque tamen ob id duo Reges: non enim scinditur potentia, neque honor distribuitur. Nam quemadmodum Principatus nos conseruans, potestasq; vna; ita & nostra glorificatio sine laudatio vna, non plures: quam ob causam etiam imaginis honor ad primum veluti fontem dirigitur.* Eandem veritatem sacra Synodus expressit *act. 7. in definit. Fidei* sic: *Qui adorat imaginem, in eâ adorat quoque descriptum argumentum.* Probat

71. *Ratio S. Thomæ.* S. Doctor. 3. p. quæst. 25. art. 3. Ex *Arist. 2. de Reminisc.* idem motus est in imaginem, vt imago est, & in

rem, cuius est imago: ergo idem actus adorationis fertur in imaginem, qua imago est, & in prototypon. Anteced. prob. Imago vt imago, cùm essentialiter sit expressio & similitudo sui exemplaris, nequit obiici intellectui absque habitudine ad suum exemplar: patet in verbo mentali, quod cùm sit naturalis imago & vitalis expressio sui obiecti, implicat illud cognosci absque habitudine ad obiectum in eo vitaliter expressum. At potest voluntas in obiectum tendere, sicut illi per intellectum repræsentatur: ergo si potest vnico actu per intellectum imago & imaginatum repræsentari, poterit vnico actu voluntas in vtrumque si-

72. *...leganter ...primit id ...hanas.* mul ferri. Hanc obiectiuam vnitatem inter imaginem & imaginatum expressit *Athanas. lib. 4. cont. Arian. post init.* quod etiam approbatur à *Synodo Nicæna act. 4.* *Quandoquidem,* inquit, *in imagine species Regis & forma apparet, & in Rege imaginis species: sine vlla enim discrepantia vultus Regis in imagine expressus est, vt qui videt imaginem, videat in eâ Regem: & vicissim qui Regem intueatur, agnoscat illum ipsum eundem esse, qui in imagine repræsentatur. Cæterum quia in ambobus nulla est dissimilitudo, si quis post conspectam imaginem, velit Regem videre, huic ad eum modum imago iure loqueretur: Ego & Rex vnum sumus: ego enim in illo sum, & ille in me: & quod in me animaduertis, id quoque in eo animaduertas, & quod videris in illo, videris & in me. Qui igitur,* concludit, *adorat imaginem, in illa adorat ipsum Regem, quippe cum ipsa imago nihil aliud*

73. *...nfirm.* *sit, quàm Regis forma ac species.* Confirm. sicut eodem actu adoratur persona Regis & eius purpura; persona Christi & eius humanitas: ita eodem actu adoratur prototypon & eius imago. Nam sicut persona Regis facit vnum in esse vestiti cum purpurâ, & persona Christi in esse suppositi cum humanitate: ita prototypon constituit vnum in esse repræsentati cum imagine.

74. *...lius mo... adoran... imagi...* Est & alius modus, & fortè magis ordinarius adorandi imaginem: vt postquam illam cultu respectiuo adorauerimus, propter excellentiam prototypi, vlteriùs tendimus ad ipsum prototypon, ad quod imago ipsa nos ducit, adorando prototypon adoratione absolutâ, propter excellentiam in ipso existentem, vt obiectum distinctum ab imagine. Neque enim repugnat, eodem actu ferri in imaginem vt distinctam à prototypo cultu respectiuo, & in ipsum prototypon vt distinctum ab imagine cultu absoluto. Sicut eodem actu respectiuo voluntas fertur in medium vt distinctum à fine, & absoluto in finem, vt distinctum à medio: nam ad hoc sufficit habitudo vnius ad aliud, vt possit vnicus actus in duo distincta etiam vt distincta ferri.

75. *...primam ...tentiam.* Ad testimonium Concilij, quod pro 1. sent. afferebatur, resp. ex eo non colligi prototypon & imaginem adorari distincto cultu subiectiuè quoad substantiam, sed tantùm terminatiuè, & quoad modum. Idem quippe adorationis affectus, quatenus externa nota submissionis fertur in imaginem propter ipsius exemplaris excellentiam, dicitur honorifica salutatio, seu honoraria adoratio: quatenus verò fertur in exemplar vltimatè propter ipsius excellentiam, dicitur latria, dulia, vel hyperdulia, iuxta exemplaris excellentiã. Sicut idem amor, quatenus fertur in bonum, quod appetitur, dicitur concupiscentia: quatenus autem fertur in personam, cui, & propter quam appetitur, dicitur amicitia: idemque actus in medium, dicitur electio; in finem, intentio. Non enim repugnat, vnum eundemque actum quoad substantiam terminari ad varia obiecta, à quibus varias sortitur

denominationes. Idem igitur actus quoad substantiam, quatenus per submissionis notam tendit in imaginem Christi, exempli gratiâ, non dicitur latria, sed inferior adoratio: quatenus verò tendit in ipsum prototypon, dicitur latria: has enim diuersas denominationes desumit ab obiectis, ad quæ diuerso modo ex intentione adorantis tendit: nam ad vnum tendit, cultu respectiuo propter excellentiam alterius, quam extrinsecè tantùm participat: ad alterum cultu absoluto, propter propriam excellentiam, quam intrinsecè participat. Ex his patet ad rationem: nam latria, vt à nobis explicata est, 76. *Ad rationem primæ sententiæ.*
non exhibetur imagini, sed Deo; esto idem physicus actus adorationis quoad substantiam tendat in vtrumque. Ratio: respectu eius tantùm dicitur propria & perfecta latria, cui per se, & propter se, non cui per accidens & ratione alterius cultus exhibetur.

Dices: sequitur, neque humanitatem Christi adorari adoratione latriæ contra ea quæ *sect. 1.* nam 77.
neque humanitas Christi adoratur per se, sed propter excellentiam Verbi. Nego sequel. quia persona Verbi, propter cuius excellentiam debetur adoratio latriæ humanitati, componit vnum substantiale cum humanitate, estque intrinsecus terminus & forma hypost. ipsius: prototypon verò est tantùm extrinsecus terminus imaginis. Vnde cùm humanitati exhibetur adoratio, propter personalitatem Verbi, exhibetur propter intrinsecam perfectionem substantialem ipsius, quia exhibetur propter hypostasin Verbi, quæ per vnionem personalem facta est intrinseca perfectio substantialis ipsius. Cùm verò exhibetur adoratio imagini, propter excellentiam prototypi, non exhibetur propter aliquam perfectionem intrinsecam ipsius, sed propter purum terminum & obiectum merè extrinsecum. 2. Etiam actum adorationis, vt terminatum ad humanitatem dici posse, non quidem quoad substantiam, & speciem intrinsecam, sed quoad solam denominationem & terminationem extrinsecam obiecti, inferiorem latriam, quàm sit adoratio terminata ad personam Verbi. Eodem modo, quo adoratio terminata ad imaginem, dicitur inferior, quàm sit adoratio terminata ad prototypon, non quoad substantiam & speciem intrinsecam, cùm sit vnus idemque indiuisibilis actus specificatus ab eodem motiuo formali, sed quoad solam denominationem & terminationem extrinsecam obiecti materialis. Cæterùm cùm dicimus, humanitatem adorari eodem latriæ cultu cum personâ Verbi, intelligimus de eodem latriæ cultu quoad substantiam & intrinsecam speciem, cùm sit vnus idemque actus, ab eodem motiuo formali specificatus, & ad vtrumque per modum vnius integri obiecti terminatus; non autem quoad denominationem desumptam ex sola extrinsecâ terminatione & connotatione obiecti materialis.

Resp. 1. (line "na Verbi…") — Resp. 2. 78.

Verùm ex hac resp. non leuis exurgit difficultas, 79. *Grauis diffic.*
cur Concilia absolutè definiant, Christum etiam vt hominem adorandum esse eodem cultu latriæ, quo adoratur vt Deus; non autem eodem cultu adorandas esse imagines, quo adorantur earum prototypa, cùm eadem sit ratio vtriusque. Ratio 80.
sumenda est partim ex eo, quòd persona Verbi sit substantialis & intrinseca perfectio Christi, etiam vt hominis, non autem prototypon imaginis. Tum maximè ex eo, quòd quando Concilia definiunt, Christum, etiam vt hominem, esse adorandum eodem cultu latriæ, quo adoratur vt Deus, id definiunt contra *Nestor.* qui non tantùm denominatiuè, & extrinsecâ connotatione obiecti materialis,

rialis, sed intrinsecâ substantiâ & specificatione actûs distinguebant adorationem vnius ab adoratione alterius: idque vt significarent, personam Christi vt Dei, esse diuersam à personâ eiusdem vt hominis. Contra verò, quando eadem Concilia docent, imagines non esse eodem cultu cum prototypis adorandas, id docent contra *Iconomachos*, qui Catholicos arguebât vt idololatras, eo quòd adorarent res insensibiles & inanimas. Vnde nouum non est, vt *disp.* 28. sæpe vnum idemque vocabulum à Concilijs & PP. disputantibus contra vnum genus hæreticorum approbari, disputantibus contra alios damnari, iuxta varias notiones, sub quibus ab hæreticis ad labefactanda nostræ fidei mysteria vsurpatur. Quia igitur hoc nomen *Latria* Iconomachi non solùm vsurpant quoad intrinsecam speciem & substantiam latriæ, sed etiam quoad modum & extrinsecam terminationem obiecti: contra verò Nestoriani, cùm latriæ cultum negant Christo vt homini, non solùm negant illud quoad modum & extrinsecam terminationem obiecti, sed etiam quoad substantiam & intrinsecam speciem actûs: ideò meritò contra vtrosque hæreticos Concilia definiunt, & adorandum esse Christum etiam vt hominem, adoratione latriæ, nempe quoad substantiam & intrinsecam speciem, in quo sensu illam negabant Christo vt homini Nestoriani; & imagines non esse adorandas eodem cultu latriæ, quo adoratur prototypon, nempe quoad modum tendendi in obiectum: in quâ notione nomen *Latria* vsurpabant Iconomachi, cùm Catholicos vt Idololatras reprehendebant.

Error Iconomachorū & Nestorianorum.

Sub alio sensu & notione vsurpant nomen Latria.

81\. DICO 2. etsi physicè possit imago adorari per se, non adorato proximè prototypo, vt obiecto terminatiuo *quod*, non tamen licitè potest coli adoratione propriè dictâ; poterit tamen licitè venerari alio inferiori cultu. Prima pars prob. Quando ratio formalis, propter quam potentia fertur in obiectum materiale, non est intrinseca, sed extrinseca obiecto, non necessariò potentia fertur in illam, vt in terminum *quem* sui actûs. At ratio formalis, propter quam voluntas adorationis affectu fertur in imaginem, non est intrinseca, sed extrinseca imagini; est enim ipsa excellentia exemplaris, propter quam imaginem veneramur: ergo non necessariò qui adorat imaginem propter excellentiam prototypi, ipso adorationis affectu fertur in prototypon, vt in terminum *quem*. Maior constat 1. inductione, quia authoritas testificantis est extrinseca rei testificatæ, non necessariò, qui assensu fidei fertur in rem testificatam, propter authoritatem testificantis, ferri etiam debet in authoritatem testificantis, vt in obiectum *quod*. Quia bonitas Dei est extrinseca creaturæ, non necessariò, quando diligitur creatura propter Deum, vt actus dilectionis tendat in Deum, vt in obiectum *quod* proximè dilectum. 2. ratio formalis est tantùm causa mouens & impellens potentiam ad actum, non terminans actum: ergo quando illa non est intrinseca obiecto, quod terminat actum, non necessariò erit terminus actûs, licet fuerit causa mouens & impellens ad actum. Secus quando est intrinseca obiecto, & recurrit cum ratione formali obiecti, vt est bonitas diuina, quæ simul est ratio formalis diligendi, & ratio materialis diligibilis. Vnde implicat, voluntatem ab eâdem moueri vt à ratione formali, & ad eandem simul non terminari vt ad rationem materialem. Secundam partem assert. probant rationes tertiæ sententiæ. Quia cùm adoratio propriè dicta consistat in affectu animi submittentis se alteri, apprehenso tanquam excellenti, ac sibi superiori; cumque nequeat licitè animus apprehendere imaginem, vt condistinctam à prototypo, tanquam excellentem, & sibi superiorem, nequit illi vt condistinctæ à prototypo propriæ adorationis affectum exhibere. Ex his à fortiori constat, non posse imagini vt condistinctæ à prototypo offerri sacrificia, preces fundi, aut aliquid ab ea peti, nam hæc omnia per se diriguntur ad personam intelligentem.

Potest physicè imago adorari per se non adorato prototypo vt obiecto terminatiuo quod.

82\. *Non licitè potest coli adoratione propriè dicta.*

TERTIA pars prob. eius tantùm venerationis & honoris non est capax imago à prototypo distincta, quæ requirit affectum seruitutis, & submissionem animi erga honoratum: ergo poterit alterius honoris & venerationis, quæ huiusmodi affectum non requirit, esse capax: qualis est honor, qui illi apprehensæ vt sacræ extrinsecâ denominatione à sanctitate & excellentiâ prototypi, cuius similitudinem & expressionem gerit, nota aliqua externa exhibetur, per quam reliquis profanis imaginibus, quæ huiusmodi veneratione non sunt dignæ, præferatur. Qualis est honorifica tractatio, sacro ac decenti in loco collocatio, eiusdem ab iniuriosâ hostium laceratione defensio. Hæc enim omnia sunt signa honorantis at venerantis animi, absque vllâ latriæ, duliæ, aut hyperduliæ erga imaginem submissione. 83.

Poterit licitè venerari inferiori cultu.

Confirm. ex *cit. Synodo Nicæ. II. act. 7. in definit. fidei,* Is honor debetur sacris imaginibus, qui debetur sacris vasis, Sanctis Euangelijs, & cæteris sacris oblationibus suffituum, ac luminarium: sed his non debetur, nisi extrinseca veneratio, profecta ex simplici affectu, ea religiosè ac decenter tractandi, honesto ac sacro loco collocandi & conseruandi. Ergo. 84.

Confirm.

Eodem modo adoranda est crux, nomen IESV, scriptura Sacra, templa diuino numini, ac Sanctis dicata, reliquiæ Sanctorum, imò & res omnes creatæ, quatenus in eis relucet diuina potentia ac bonitas, & quatenus sunt effectus Dei: nam si solemus opera Sanctorum propter ipsorum authorum sanctitatem & excellentiam venerari, quantò magis possumus opera Dei, propter sanctitatem & excellentiam ipsius Dei aliquo adorationis affectu colere ac venerari? excipio dæmones, & damnatos omnes, qui propter perpetuum inimicitiæ statum cum Deo, & obstinationem in malum, & omnimodam separationem à Deo, sunt indigni huiusmodi venerationis, vt neque tanquam creaturæ Dei licitè ac prudenter possint à nobis respectiuo cultu, propter Deum, ab ipsis vt à viuis imaginibus expressum & repræsentatum, venerari; nam licet adhuc in eo statu retineant substantialem imaginem Dei; huic tamen imagini præponderat summa eorum mentis peruersitas, & omnimoda alienatio à Deo, cum firmâ obstinatione in malum, vt propterea licitè ac prudenter non possimus propter solam substantialem imaginem Dei, tot maculis fœdatam, tantisque malorum titulis indignam redditam eos dignos tanto honore iudicare. Sicut enormitas illa sacrilegij, quo impij ministri manus nostri Saluatoris vultum percussit, non permittit. vt prudenter illam, propter contactum sacratissimi vultûs Christi adoremus. Nec est eadem ratio de peccatore viatore: quia licet hic sit in statu inimicitiæ cum Deo, non est tamen in eo obsirmatus, nec omninò à Deo separatus & alienus, quin subinde peculiaribus auxilijs ipsius iuuetur atque excitetur. 85.

Adoratio crucis, nominis Iesu &c.

Manus quæ alapam inflixit Christo non est adoranda.

Est autem notanda differentia inter crucem, in quâ Christus crucifixus est, & alias: quòd illa non solùm adoranda est, vt expressiua prototypi, quod propria figura repræsentat; sed etiam propter contactum Christi, quo fuit quasi subiectiuè sancti- 86.

Cruces repræsentatiuæ prototypi adorandæ vt imagines.

sanctificata. Ex his oritur hæc alia differentia, vt non solùm integra crux, quæ Christum in se sustinuit, adoranda sit, sed etiam omnes & singulæ partes ipsius, etiamsi amittant crucis figuram: reliquæ verò cruces non sunt adorandæ, nisi quamdiu retinent formam & figuram crucis: quia hæ non habent aliam rationem, propter quam sint adorandæ, nisi quatenus sunt repræsentatiuæ crucifixi, quâ ratione cessante, cessat in eis ratio adorabilitatis. Eadem ratio est de sudario, & sacra Sindone, quæ Christi vultum, corpusque tangentes, eorum delineamenta miraculosè in seipsis expressa conseruant, ac de cæteris, quæ ad hæc ipsa repræsentanda religiosè effícta sunt.

87. *Quo cultu adoranda sit S. Virgo Maria.*

Vlterius quæri potest, quo cultu adoranda sit Deipara. Respondent Doctores cum *S. Thom. 3. p. q. 25. art. 5.* adorandam esse cultu hyperduliæ ob excellentem sanctitatem, quâ reliquas omnes puras creaturas superat. Nec propter diuinam maternitatem adorabilis est cultu latriæ: quia cùm diuina maternitas non vniat substantialiter personam Verbi, cuius Virgo est mater, cum naturâ, aut personâ Virginis, sed tantùm sit terminus purè extrinsecus ab ipsâ genitus, non potest propter hanc perfectionem illi competere latriæ cultus, vti competit humanitati Christi, propter eius substantialem vnionem cum personâ Verbi: cùm latriæ cultus non competat, nisi Deo, vel rei intrinsecè pertinenti ad Deum.

88. *Dices.*

Dices. Sicut crux, sudarium, & sacra sindon adorantur adoratione latriæ propter contactum Christi, quia vt sic faciunt obiectiuè vnum cum Christo: ita & Virgo propter contactum Christi, quem nouem mensibus vtero gestauit, adorari poterit adoratione latriæ, quia vt sic etiam ipsa facit obiectiuè vnum cum Christo.

Resp. Resp. Esto id reipsâ, secluso periculo idololatriæ fieri possit; quia tunc ratio adorandi non esset excellentia creata Virginis, sed increata Verbi, vti est in sacro sudario, cruce, sindone, & in quâlibet imagine exprimente Christum: propter periculum tamen, ne talis cultus vltimatè sistat in solâ personâ Virginis, non licet. Hoc autem periculum in allatis exemplis non est; quia cùm illæ sint res inanimæ incapaces adorationis propter se, capaces autem solùm propter sanctitatem & excellentiam alterius, nullum erit morale periculum, ne latriæ cultus vltimatè sistat in illis. Virgo autem, cùm sit persona rationalis, propter se venerationis capax, morale periculum esset, præsertim apud imperitos hæc distinguere nescientes, ne talis adoratio vni Deo debita, vltimatè ad ipsius personam terminaretur.

89. *An adorandæ sint phantasticæ apparitiones.*

Vltimò dubitari potest, an sint adorandæ phantasticæ apparitiones, vt cùm dæmon transfigurans se in angelum lucis, apparet in formâ crucifixi. Resp. cum *Medina 3. p. quæst. 25. art. 3.* nunquam licere huiusmodi apparitiones absolutè adorari: sed vel omninò suspendendam esse omnem adorationem, vel ad summum adorandas esse sub expressâ conditione, si sint veræ apparitiones. An autem sint veræ, colligendum est tum ex fine, propter quem fiunt; tum ex affectibus, quos in animo videntis excitant; tum ex alijs indicijs, quæ si principijs fidei, & bonis moribus congruant, existimandæ sunt veræ & à Deo; secus si vel minimum deuient à sanâ doctrinâ, & honestis moribus. Quare peccaret, qui dubitans, eas adoraret, quia exponeret se periculo idololatrandi.

90. *Dices.*

Dices: ergo eodem modo peccat, qui dubitans, an hostia sit consecrata, illam absolutè adorat.

Resp. Resp. Si dubium sit probabile & practicum, rationabiliter conceptum, verum est consequens: secus si tantùm sit speculatiuum, & absque rationabili fundamento conceptum: minus quippe fundamentum dubitandi est in hâc materiâ, quàm in aliâ de apparitionibus, minusque periculum errandi.

91. *An apparitiones quæ in Eucharistia contingunt sub conditione adorandæ sint.*

Maior difficultas est, an sine vlla conditione adorandæ sint apparitiones, quæ sæpe in Eucharistiâ cõtingunt, vt cùm in hostiâ aut calice apparet caro, vel sanguis, vel aliquis in formâ pueri vel crucifixi. Resp. Affirmatiuè: quia cùm huiusmodi apparitiones regulariter fiant in confirmationẽ realis præsentiæ corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, non possunt non esse veræ, & diuinâ virtute factæ, cùm semper illæ dirigantur ad infallibilem veritatem huius mysterij significandam, etiamsi tales apparitiones fierent in hostiâ, & vino non ritè consecratis: nam etiam tunc huiusmodi miraculosæ mutationes ex diuinâ ordinatione diriguntur ad confirmãdam veritatem huius mysterij per se & in communi, licet non in hâc particulari hostiâ & vino. Cæterùm existimo, nunquam Deum tales mutationes facturum in materiâ ritè non consecratâ: quia saltem posset esse causa deceptionis credendi, quod sub talibus speciebus realiter esset, aut fuisset præsens corpus, aut sanguis Christi.

92. *Quo cultu.*

Quo verò cultu huiusmodi apparitiones sint adorandæ, distinctione opus est. Etenim si mutatio specierum tanta sit, vt omninò censeantur species panis, aut vini ita alteratæ, vt sub illis conseruari non posset substantia panis, aut vini, si adesset; tunc adorandæ sunt sicut adorarentur imagines Christi: nam reuerà sunt quædam imagines diuinitus formatæ ad repræsentandum corpus & sanguinem Christi sacramentaliter existentem, non quidem qui existat tunc, sed qui extitit anteà; ac proinde ad corpus & sanguinem Christi solam habitudinem dicunt, per modum imaginis ad prototypon. Si verò mutatio non sit tanta, vt per illam censeretur corrumpi substantia panis & vini, si adesset, tunc tales apparitiones adorandæ sunt vt realiter in se continentes ipsum corpus & sanguinem Christi, non minùs quàm species ipsæ panis & vini. Nam tunc sola mutatio fieret in colore vel figura, quæ modificarent ipsas species consecratas panis & vini, proinde simul cum illis realiter continerent corpus & sanguinem Christi sacramentaliter existentem.

Nota. Cæterùm nunquam puto, quando apparitio fit in formâ pueri, aut crucifixi, talem puerum aut crucifixum adorandum esse cultu latriæ absoluto, sed tantùm respectiuo, vel in ordine ad Christum sacramentaliter præsentem, si cum tali mutatione adhuc sacramentalis præsentia perseueraret, vel certè in ordine ad Christum in suâ circumscriptiuâ præsentiâ existentem, *Ratio.* quia talis figura non continet Christum circumscriptiuè præsentem, sed est tantùm quædam forma seu imago diuinitùs efformata ad mysterij veritatem exprimendam.

93. *Dices.*

Dices. Etiam in hoc sacramento fieri possunt apparitiones arte dæmonis: ergo non semper tales apparitiones sunt absolutè & sine conditione adorãdæ.

Resp. Nego conseq. quia cùm rarissimè huiusmodi apparitiones in hoc sacramento fiant arte dæmonis, nisi probabiliter constet, eas arte dæmonis factas esse, possunt absolutè adorari: nisi quis esset dubius; nam tunc si dubius, dubium deponere non potest, debet ab huiusmodi apparitionibus adorandis abstinere, ne se periculo erroris exponat.

DISPV-

DISPVTATIO XXXIII.

De communicatione Idiomatum, & modo loquendi in mysterio Incarnationis.

1. *Hac Catholica veritatis cynosura.* QVAECVMQVE regulæ in hâc materiâ assignari possunt, eæ fundantur in mutuâ diuinorum, humanorumque attributorum prædicatione: hæc verò in substantiali vnione naturæ diuinæ cum humana in eâdem personâ increatâ Verbi: ex eo enim, quòd natura diuina & humana subsistant in eadem persona Verbi, tam natura diuina concretè prædicatur, de humana, quàm humana de diuina; *Deus est homo, Homo est Deus.* quia quando vnum suppositum, aut subiectũ habet in se plures naturas, aut formas totales, potest vna natura, aut forma totalis concretè de alterâ naturâ aut forma totali verè & propriè prædicari; verè enim de lacte dices: *Hoc album est dulce*; *Hoc dulce est album*: ex *S. Thom. 3. p. quæst. 16. art. 7. ad 4.* Quia nomen concretum formæ, aut naturæ in propositione ex parte subiecti positum, supponitur materialiter pro supposito, vel subiecto; positum verò ex parte prædicati, supponitur formaliter pro formâ, vel naturâ explicitè significatâ. Ergo quando vnum idemque est vtriusque naturæ, aut formæ suppositum, vel subiectum, rectè vna natura, vel forma, concretè etiam significata prædicari poterit: non secus ac si vna tantùm esset, vel natura in supposito, vel forma in subiecto. *Ratio.*

2. *1. Regula. Ex Concil.* I. Regula sit. Nomina concreta naturæ diuinæ & humanæ verè & propriè de se mutuò prædicantur substantiuè, non adiectiuè. Hæc regula est contra Nestor. qui negantes substantialem vnionem inter naturam humanam & suppositum diuinum, consequenter huiusmodi prædicationes, quæ in hâc substantiali vnione fundantur, negabant. Hanc tradit *S. Thom. 3. p. q. 16. art. 1. 2. & 5.* & *Scholan 3. d. 7.* ex Ephes. *in epist. Cyrilli ad monach.* fine: *Qui Deus simul & homo est, non homo Deificatus*: ex Francofor. *in epist. ad Episc. Hispa.* ante medi. *Mansit verò persona filij in sancta Trinitate, cui persona humana accessit natura, vt esset & vna persona Deus, & homo; non homo Deificus & humanatus Deus: sed Deus homo, & homo Deus.* Quæ Concilia vtramque assignatæ Regulæ partem docent, nempe hæc nomina non nisi substantiuè, non adiectiuè seu denominatiuè de se mutuò prædicari. Marci 15. *Verè hic homo filius Dei erat.* 1. Ioan. 5. *Iesus est filius Dei*: Ioan. 1. *Verbum caro factum est*, quod idem sonat quod, *Deus factus est homo.* Ioan. 10. Christus ipse Iudæis fatetur se dixisse, *Filius Dei sum.* Eandem tradunt PP. Damasc. *lib. 3. fidei cap. 4.* fine: *Iste modus*, inquit, *est alternationis, alternataque attributionis vtriusque naturæ alterutri propria vicissim reddentis, propter hypostaseos identitatem, & ipsarum in inuicem immanentiam ac incessionem. Secundum hoc possumus dicere de Christo: Hic Deus noster in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est: & homo iste increatus est, impassibilis, incircumscriptus* & cap. 15. fine: *Non*, inquit, *homo solùm, sed & Deus. Nec Deus solùm, sed & homo.* *Ex sacris oraculis.* *Damascen.*

3. *Ratio regulæ ex principio assignato.* Ratio: quælibet natura substantiuè prædicari potest de supposito, cuius est natura: sed nomen concretum naturæ supponitur pro supposito talis naturæ: ergo tam concretum naturæ diuinæ substantiuè prædicari potest de concreto naturæ humanæ, quàm concretum naturæ humanæ de concreto naturæ diuinæ, cùm idem sit vtriusque naturæ suppositum. In quâ regulâ fundantur leges syllogismi expositorij, in quo ex duabus proposit. particularibus colligitur conclusio particularis, propter identitatem, vel vnionem duorum cum vno tertio: *Hic Deus est homo: Hic Deus est æternus: ergo hic homo est æternus.*

Discrepant in 2. parte regulæ *Suarez & Vasquez*: nam ille *quæst. 35. sect. 4.* concedit, prædicata desumpta ab humanitate non solum substãtiuè sed etiam adiectiuè prædicari, de Deo, quia suppositum diuinum non constituitur in esse simpliciter per humanitatem; suppositum autem, quod ante aduentum formæ supponitur perfectè constitutum, poterit etiam adiectiuè ab illa denominari. Contrà verò *Vasquez. disp. 63. cap. 2.* contendit, non posse neque prædicata humanitatis denominatiuè prædicari de Christo vt Deo, nec prædicata diuinitatis de Christo vt homine, quia talis prædicatio ex modo significandi importat diuisionem formæ denominantis à substantiâ, à quâ denominatio desumitur. Vnde aduertit, quòd cùm dicitur: *Deus humanatus*, vel *incarnatus, humanatus* vel *Incarnatus*, non est nomen desumptum ab humanitate vel à carne, sed est participium à verbo *Humano*, vel *Incarno*: & idem sonat, quod factus est homo, vel caro. Hic posterior modus vti magis vsitatus apud Concilia & Patres, ita magis retinendus: attendendus enim est communis vsus loquendi: qui sæpe approbat denominatiuam prædicationẽ in vno nomine, quam reijcit in cæteris similibus: vt in hoc nomine *Diuinus*, communis vsus obtinuit, vt etiam denominatiuè dicatur de ijs, de quibus Deus substantiuè prædicatur: dicitur enim essentia diuina, persona diuina: ergo etiam dici potest Christus diuinus, vt concedit *S. Doctor 3. p. quæst. 16. art. 3. ad 3.* ex Dionysio, qui Christum nominat *Diuinissimum Iesum.* Et idem fortasse est de nomine *Humano*, nam etiam hoc prædicatur denominatiuè de quo *Homo* prædicatur essentialiter: Dicitur enim: Natura humana; suppositum humanum, imò & persona Verbi dicitur persona humana. 4. *Ratio Suarez.* 5. *Ratio Vasquez.* 6. *Approbatur.*

Ex hâc regulâ soluitur quæstio, An secundùm proprietatem sermonis absolutè dici possit, *hic Deus vel Christus est creatura*; nam cum addito *In quantum homo*, eam communior sententia concedit: *In quantum* enim quãdo est nota specificationis, seu determinationis, potest veram reddere propos. quæ aliàs absolutè prolata vera non esset, vt hæc: *Deus incepit esse*, falsa est, cum addito, *In quantum homo*, vera est; quia quando est nota specificationis, determinat subiectum ad supponendum pro determinatâ formâ, secundùm quam illi competit prædicatum. 7. *Grauissima quæst.*

Controuersia est, An absolutè & in rigore sermonis hæc propositio sit vera? affirmo ex nostrâ regulâ; nam quidquid substantiuè prædicatur de concreto naturæ humanæ, substantiuè etiam prædicatur de omni eo, de quo concretum naturæ humanæ substantiuè prædicatur: sed concretum naturæ humanæ substantiuè prædicatur de Deo; ergo substantiuè etiam de Deo prædicabitur creatura, quæ substantiuè prædicatur de concreto naturæ humanæ. Maior patet: ideò substantiuè de Deo prædicatur animal, viuens, corpus, quia hæc substantiuè prædicantur de concreto naturæ humanæ: Ergo quia creatura substantiuè prædicatur de concreto naturæ humanæ, substantiuè etiam prædicabitur de Deo. Confirm. quidquid potest de Deo prædicari secundùm potentiam, potest prædicari secundùm actum: 8. *Soluitur.* 9. *Confirm.*

actum: at potuit de Deo secundùm potentiam prædicari, quòd potuerit esse creatura: ergo potest secundùm actum prædicari, quòd sit creatura. Vnde hanc proposit. absolutè concedunt PP. Cyrillus *Alex. lib. 10. Thesau. cap. 4. cùm ipse natura increatus sit & omnium dominus atque creator, creatura etiam factus* &c. Damasce. *lib. 3. fidei cap. 4.* Hilarius 12. *de Trinit.* fine: *Filius itaque suus est, qui est in homine, & ex homine factura, neque factura tantùm sed etiam creatura.* Hierony. *ad Ephes. 2.* in illa: *Ipsius enim sumus factura: Multi*, inquit, *timore, ne Christum creaturam dicere compellantur, totum mysterium Christi negant, nos liberè proclamamus, non esse periculum eum dicere creaturam.* August. *in Enchir. cap. 38. de* Christo, *sed cùm illam*, inquit, *creaturam, quam Virgo concepit & peperit, quamuis ad solam personam Filij pertinentem tota Trinitas fecerit.* Leo I. *serm. 3. in Pentec. Si enim*, inquit, *homo ad imaginem Dei factus in sua honore natura mansisset* &c. *creator mundi creatura non fieret.* Eodem modo dici potest, quòd Christus sit creatus nominaliter, non verbaliter. Cæterùm etsi ex proprietate sermonis hæc propositio absolutè enunciari possit: ne tamen cum *Arianis*, qui Christum, etiam secundùm naturam æternâ generatione acceptam creaturam appellabant, nomina communia habeamus, aduertit *S. Doctor 3. p. quæst. 16. art. 8.* non esse illam absque limitatione, *Secundùm naturam humanam*, proferendam.

10. *Dices.* DICES: Si ex eo, quòd creatura substantiuè prædicatur de homine fit vt substantiuè etiam prædicetur de Deo, de quo substantiuè prædicatur homo, sequitur, quòd etiam homo, qui substantiuè prædicatur de Deo, substantiuè etiam prædicetur de Patre, & Spiritu Sancto, de quibus substantiuè prædicatur Deus. Nego sequel. quia creatura prædicatur de homine ratione naturæ humanæ; vnde de quocumque prædicatur homo, prædicabitur etiam creatura in naturâ humanâ essentialiter inclusâ: homo verò prædicatur de Deo non ratione naturæ diuinæ, sed ratione suppositi Filij Dei; & quia suppositum Filij Dei non est idem cum supposito Patris, & Spiritûs sancti non sequitur, vt etiam de Spiritu sancto & Patre prædicetur homo.

Resp.

11. *Contra primam regulam. Ratio 1.* Contra assignatam regulam sentit *Durand. in 3. dist. 4. quæst. 2.* vbi docet, hanc proposit. *Deus est homo*, esse veram, non tamen ita propriam, sicut hanc: *Petrus est homo.* Probat 1. Proprietas affirmatiuæ prædicationis fundatur in identitate prædicati cum subiecto: sed maior est identitas prædicati cum subiecto in hâc: *Petrus est homo*, quàm in hac, *Deus est homo.* Nam illa est in 1. modo dicendi per se, cuius prædicatum est de essentiâ subiecti, implicat enim, Petrum esse, & hominem non esse: at potest Deus esse, & homo non esse.

12. *Ratio 2.* 2. Suppositum Petri formaliter constituitur per naturam humanam, suppositum autem diuinum non constituitur formaliter per naturam humanam, sed per diuinam. Ergo.

13. *Ratio 3.* 3. Proprietas prædicationis denominatiuæ non stat cum omnimodâ proprietate in quid: non enim propriè dicitur *Sortes est humanatus*, quia propriè dicitur: *Sortes est homo*: sed ex Damasc. 3. *fidei cap. 2.* hæc est propria, *Deus est humanatus: Non hominem*, inquit, *Deificatum dicimus, sed Deum humanatum*: ergo hæc non est omninò propria *Deus est homo.* Confirm. Si Deus assumpsisset naturam carnis inanimatæ, hæc esset magis propria, *Deus est incarnatus*, quàm hæc, *Deus est caro*: ergo similiter hæc est magis propria, *Deus est humanatus*, quàm hæc, *Deus est homo.* 4. Nequeunt diuersæ naturæ in eodem supposito existentes de se mutuò propriè prædicari, nisi vtraque, vel altera saltem prædicetur denominatiuè. Exemplum primi: *Album est musicum*: secundi: *Sortes est albus*: rationem assignat, quia duæ naturæ in eodem supposito se habent vt partes totius subsistentis: pars autem non prædicatur propriè de comparte, vel de toto, nisi denominatiuè. Cùm igitur natura diuina & humana in Christo sint aliquo modo partes vnius suppositi, in vtrâque naturâ subsistentis, non poterit propriè vna de alterâ prædicari; nisi vtraque, vel saltem altera denominatiuè prædicetur, vt *Deus est humanatus.*

Confirm.

14. *Quarta.*

15. *Quinta.* 5. Homo prædicatur de Petro in quid: nequit autem de Deo propriè prædicari in quid: nam illud propriè prædicatur de aliquo in quid, quod respondetur ad interrogationem factam per quid: sed ad *quid est Deus*, non propriè resp. *Est homo*: nam *Quid* quærit essentiam rei, quæ de Deo non importatur per hoc nomen *Homo*, cùm Deus non sit essentialiter homo.

16. *Censura opinionis Durandi.* Verùm hæc *Durandi* doctrina confutatur testimonijs scripturæ, Concil. PP. Scholast. quorum, præter ipsum nemo hanc proposit. *Deus est homo*, vt minùs propriam damnare ausus est. Vnde meritò ipsius loquendi modus vt periculosus à *Medina 3. parte quæst. 16. art. 1.* &c. reijcitur: nam teste *Hieronym. apud S. Thom. 3. parte quæst. 16. art. 8.* etiam ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæresis. Præterea ex doctrinâ *Durandi* sequitur, non minùs propriè dicendum esse, *Hominem Deificatum* quàm *Deum humanatum*: vtraque autem est contra *cit. Concilia*, quæ expressè negant, dici posse *Hominem Deificatum*, vel *Deum humanatum*, denominatiuè ab humanitate. Sequela prob. quâ ratione per *Durand.* dicitur *Deus humanatus*, non participialiter, sed denominatiuè ab ipsâ humanitate, dici etiam poterit *Homo Deificus* denominatiuè à Deitate: nam ideò per *Durand.* magis propriè natura humana prædicatur denominatiuè de Deo, quia natura humana non est totum, sed pars respectu Christi: sed neque natura diuina est totum, sed pars seu quasi pars respectu eiusdem Christi: ergo non minùs etiam propriè natura diuina denominatiuè prædicabitur de homine.

17. *Ad primam rationem respondet Capreolus.* Ad 1. *Durandi* negat *Capreolus in 3. dist. 4. quæst. vn. art. 3. ad argum. Durand.* minor. nam tanta, inquit, est identitas inter hoc subiectum & prædicatum, *Deus est homo*, quanta est inter hoc, *Petrus est homo*, eo quòd tam subiectum, quàm prædicatum stat pro supposito naturæ diuinæ & humanæ, quod respectu vtriusque naturæ est vnum & idem.

18. *Reijcitur.* Sed contrà, ex doctrina *S. Thom. & Dialectic.* subiectum in propositione supponitur materialiter, prædicatum formaliter; igitur non potest in hac proposit. *Deus est homo*, subiectum & prædicatum supponi pro eodem, sed subiectum pro supposito, prædicatum pro naturâ; alioquin cùm dicitur, *Deus est homo*, sensus esset, *Deus est Deus.*

19. *Respondeo.* Nego igitur, proprietatem prædicationis fundari in identitate prædicati cum subiecto, aliàs non modò hæc proposit. *Deus est homo*, esset minùs propria, quàm hæc, *Petrus est homo*, sed omninò impropria, quod non concedit *Durand.* cùm nulla sit inter suppositum diuinum & naturam humanam identitas, sed sola vnio. Fundatur igitur proprietas prædicationis, vt prædicatum implicitè contineatur in subiecto, habeatque se vt forma, subiectum vt materia, siue prædicatum identificetur, siue non identificetur cum subiecto: hanc enim tantùm habitudinem

nem prædicati cum subiecto importat copula *Est*, in proposit. affirmat. Quod inde constat, nam si resoluenda sit propositio de 2. adiacente in proposit. de 3. adiacente, resoluitur in proposit. quæ exprimat habitudinem habentis & habiti. Vt *Petrus est homo*, resoluitur in hanc, *Petrus est habens humanitatem*.
20. *Confirm.* Confirm. siue suppositum creatum realiter, vt nonnulli putant, siue modaliter, siue solâ ratione à propriâ naturâ distinguatur, semper concretum naturæ verè & propriè prædicabitur de suo supposito: non enim minus propria est hæc prædicatio, *Petrus est homo*, in sententia eorum, qui suppositum creatum realiter, aut modaliter distinguunt à propriâ naturâ, quàm qui tantùm ratione. Ergo nec minùs propria erit hæc, *Deus est homo*, in quâ suppositum realiter distinguitur à naturâ humana, quàm hæc, *Petrus est homo*; esto suppositum creatum solâ ratione distiguatur à naturâ. Ex his infertur, tam propriam esse hanc prædicat. *Hic homo est Deus*, in quâ prædicatum est identificatum cum subiecto, quàm hæc *Hic Deus est homo*, in qua prædicatum non est iden-
21. *Ad 2.* tificatum, sed tantùm vnitum cum subiecto. Ad 2. esto suppositum diuinum in esse suppositi simpliciter non constituatur per naturam humanam, constituitur tamen in esse suppositi humani: verè enim post Incarnationem Verbum dicitur suppositum humanum à naturâ humanâ; non secus ac Petrus dicitur suppositum humanum à naturâ humanâ. Nam sicut esse hominis habet à naturâ humanâ, ita etiam esse suppositi humani, vt sic formaliter, habet ab eâdem, in quâ subsistit: at hoc sufficit, vt homo prædicari possit propriè
22. *Ad 3.* de Deo. Ad 3. Maior est vera de prædicatione denominatiuâ accidentali; nam forma accidentalis nequit substantiuè, & in quid prædicari: vera tamen non est de prædicatione denominatiuâ substantiali; quia potest forma substantialis tam denominatiuè, quàm substantiuè de subiecto prædicari. Verbum enim dicitur Deus substantiuè, & diuinum denominatiuè, vti homo dicitur corpus,
Deus est humanatus. & corporeus. Ad minor. nego illam prædicat. *Deus est humanatus*, esse propriè denominatiuam, sed substantiuam: nam terminus humanitatis in eâ proposit. non sumitur nominaliter per denominationem desumptam ab humanitate, sed participialiter vt idem sit quod, *Deus est factus homo*; alioquin si sumeretur nominaliter per denominationem desumptam ab humanitate, æquè etiam
Homo est Deificus. dici posset, *Homo Deificus*, vel *Deificatus* denominatione desumptâ à Deitate; nequit autem hic homo dici participialiter *Deificus*, aut *Deificatus*, vti dici potest, *Deus humanatus*; nam ad hoc requiritur, vt subiectum naturâ saltem præexistat formæ, quæ illi aduenit, & denominat tale; Deus autem præexistit humanitati, homo non præexistit Deitati; quia homo implicitè importat suppositum; nullum autem suppositum præcessit in hoc homine Christo; non creatum, quia nullum fuit: non increatum, quia hoc in homine Christo non præcessit, sed subsecutum est assumptionem in ratione subsistendi in naturâ humanâ: vnde solùm præcessit vt subsistens in diuinâ, non vt subsistens in humanâ. Ad confirm. nego antecéd.

23. *Ad 4.* Ad 4. nego assump. quando naturæ sunt substantiales & totales, substantialiterque vnitæ supposito, vti sunt natura diuina & humana. Vnde exempla non sunt ad rem, quia non sunt de formis substantialibus sed accidentalibus. Ad rationem, nego, naturam diuinam & humanam habere se propriè vt partes, sed vt naturas totales integras respectu personæ Verbi; potest autem vna natura totalis concretè prædicari de aliâ naturâ totali eidem supposito substantialiter vnitâ, esto non possit vna pars de alia, aut de toto prædicari. Confirm. vt rectè *Capreolus*, si ratio *Durand.* valeret non solùm probaret, hanc proposit. *Deus est homo*, esse impropriam, sed etiam falsam, sicut falsa est omnis, in quâ pars de comparte, aut de toto prædicatur.

Ad 5. nego conseq. nam non ea tantùm prædicatio est bona & propria, quæ est in quid; aliàs istæ propriæ nō essent: *Homo est rationalis, homo est risibilis:* Propria igitur prædicatio affirmatiua est, in qua prædicatum dicit explicitè, quod subiectum importat implicitè. 24. *Ad 5.*

Cæterùm an homo essentialiter, & in quid, an accidentaliter, & contingenter prædicetur de Deo, controuersum est, sub alijs terminis, an scilicet hæc, *Deus est homo*, & eadem ratio est de hâc, *Hic homo est Deus*, sit in materiâ naturali & per se, an accidentali & contingenti? *S. Thom. 3. p. quæst. 16. art. 1. ad 1. & in 3. dist. 7. quæst. 1. art. 1. Caiet. Medin. Valent. cit. locis. Ferrar. 4. cont. Gent. cap. 45. fine, Richard. in 3. distinct. 7. artic. 1. quæst. 1. ad 3. Argent. quæst. vnic. art. 4.* affirmant; esse in materiâ naturali, & per se. Fundam. licet Deo, aut personæ diuinæ vt sic, accidat esse hominem, personæ tamen diuinæ vt subsistenti in naturâ humanâ, non accidit, sed per se, & essentialiter conuenit, esse hominem; sed in hâc propositione, *Deus est homo*, terminus *Deus* supponitur pro personâ Verbi, non absolutè, sed vt subsistenti in naturâ humanâ: igitur hæc propositio *Deus est homo*, est in materiâ naturali, & per se. Maior patet: persona diuina vt subsistens in naturâ humanâ, includit naturam humanam: nam per eam formaliter constituitur in esse personæ humanæ, non secus ac suppositum creatum, in esse suppositi humani, constituitur per naturam humanam. Minor prob. vt Dialectici docent, talia sunt subiecta, qualia præmittuntur, seu exiguntur à prædicatis. Cùm ergo prædicatum *Homo* in hâc propositione, *Deus est homo*, exigat subiectum stare pro personâ Verbi vt subsistente in naturâ humanâ, in eâ propositione terminus *Deus* supponitur pro personâ Verbi vt subsistente in naturâ humanâ. 25. *An essentialiter, an accidentaliter homo prædicetur de Deo. 1. Sententia*

Bonauentura *in 3. dist. 7. art. 1. quæst. 1. fine, Scotus quæst. 1. Lychet. ibid. Gabr. quæst. vnic. art. 3. dub. 3. Durand. quæst. 1. ad 2. Marsil. quæst. 6. art. 3. ad 5. ration. Capreol. dist. 4. quæst. vnic. 3. ad ration. Durand. & Scoti, Suarez 3. parte quæst. 16. in Comment. art. 1. Vasquez disput. 68. cap. 2.* & alij, negant, hanc propos. *Deus est homo*, esse in materiâ naturali & necessariâ, sed liberâ & contingente. Quæ sententia probabilior est. 26. *2. Sentent. probabilior.*

Nota, posse aliquod prædicatum esse de essentiâ, & quidditate subiecti, vno modo, absolutè, vt *Petrus est homo*, absolutè enim implicat, Petrum non esse hominem; alio modo, ex suppositione, vt *Homo currens mouetur, angelus est*, &c. Etenim licet possit homo non moueri, vel angelus non esse; ex suppositione tamen quod ille currat, & iste existat, tam ille necessariò & per se mouetur, quàm iste est. Porrò nemo docere potest, hoc prædicatum *Homo* esse de essentiâ, aut quidditate huius subiecti *Deus* absolutè, nam quod est de essentiâ absolutè, nullâ potentiâ separari potest ab illo, cuius est de essentiâ; sed solùm controuertitur, an sit de essentiâ, & in materiâ necessariâ, & per se, ex suppositione, quòd Deus sit substantialiter vnitus in naturâ humanâ. 27. *Nota dupliciter &c.*

Atque in hoc sensu cum *cit. Author.* contendo, prædicatum *Homo* non esse de essentiâ huius subiecti *Deus*. Fundam. Quod sic ostendo: tunc in materiâ ex suppositione necessariâ prædicatum est de essentiâ & quidditate subiecti, quando subiectum ex modo significandi includit formam, cui prædicatum essentialiter conuenit: in hâc autem propositione, *Deus est homo*, subiectum *Deus* non includit ex modo significandi formam, cui hoc prædicatum *Homo* essentialiter conuenit: ergo in propositione, *Deus est homo*, prædicatum non est de essentiâ, & quidditate subiecti, & consequenter propositio non est in materiâ naturali & necessaria, sed liberâ & contingēti. Maior nec ab Aduers. negatur. Maior constat; nam quando prædicatum non est de essentiâ subiecti absolutè, non potest fieri de essentiâ ipsius, nisi subiectum trahatur ad supponendum pro formâ, cui prædicatum essentialiter conuenit. Minor prob. in hac propositione, *Deus est homo*, subiectum non importat ex modo significandi naturam humanam, cui tantùm conuenit essentialiter prædicatum *Homo*, sed explicitè solùm importat naturam diuinam, & implicitè aliquod suppositum, quod à prædicato determinatur ad suppositum filij, cui non essentialiter, sed contingenter tantùm conuenit hoc prædicatum *Homo*. Quia nec illam importat per se, nec vt coniunctum cum prædicato; prædicatum enim restringit subiectum, vt supponat pro formâ ab ipso prædicato importatâ, si ex se illam non importat, sed solùm limitat illud, vt non supponatur pro quocumque supposito, pro quo supponi potest, sed tantùm pro illo, cui prædicatum inexistit.

28. Confirm. Confirm. alioquin nulla assignari posset propositio accidentaria & contingens, si semper subiectum restringeretur ad supponendum pro formâ à prædicato importatâ. Nam tunc semper subiectum per coniunctionem cum prædicato supponeretur pro formâ à subiecto importatâ.

29. Homo de Deo prædicatur substantialiter contingenter per se. Cæterùm etsi *homo* non essentialiter, & *in quid* prædicetur de Deo, non est tamen dicendum, prædicari accidentaliter, quod notauit *Capreolus*; quia etsi esse hominis liberè contingenter adueniat Deo, non tamen aduenit per inhærentiam, vti adueniunt accidentia subiecto, sed per vnionem substantialem, quo pacto aduenit forma substantialis materiæ. Quare dici potest prædicari contingenter substantialiter: neque esse prædicationem per accidens, sed per se; non vt *per se* importat prædicatum essentiale subiecto, sed vt importat modum substantialem inexistendi subiecto. Nec dicendum est, in materiâ accidentariâ, cùm non sit accidens; sed in materiâ liberâ & contingenti.

30. Dices: omnis prædicatio vel est *in quid*, vel *quale quid*, vel *in quale*: hæc prædicatio, *Deus est homo*, non est in quid, cùm prædicatum non sit de essentiâ subiecti; ergo in quale. Resp. Esse in quid reductiuè, non ratione prædicati, sed ratione modi, quo prædicatum inexistit subiecto.

31. Coroll. 1. Deducitur 1. hanc propos. *Deus est homo*, non esse in materiâ remotâ, si spectetur omnipotentia Dei; esse autem in materiâ remotâ, si spectetur potentia naturalis: nam remota materia secundum *Dialecticos* est, quando prædicatum non potest conuenire subiecto, vt *Homo est lapis*: Deo autem nullâ potentiâ naturali conuenire potest, vt sit homo, potest potentiâ diuinâ. 2. Hanc propos. *Christus est*

32. Coroll. 2. *homo*, esse in materiâ naturali & in 1. modo essendi per se. Nam prædicatum est de quidditate subiecti: Christus enim teste *Damasc.* 3. *fidei cap.* 3. est nomen hypostasis duarum naturarum significatiuum; seu importat naturam humanam vnctam, & diuinam vngentem in eâdem hypostasi. Eadem est ratio de hoc nomine, Iesvs, quod explicitè importat naturam humanam in supposito diuino in officio & munere Saluatoris.

33. Ad 2. fundam. opposit. Ad fundam. oppositæ, nego minor. ad prob. dico, illud *Dialect.* axioma, talia esse subiecta, qualia præmittuntur seu exiguntur à prædicatis, intelligi, quòd quando subiectum supponi potest pro pluribus coniunctum cum prædicato, limitetur ad supponendum tantùm pro illo, cui prædicatum inest, non autem quòd supponat pro formâ à prædicato importatâ, si ex se illam non importat: quia potest prædicatum limitare subiectum, vt stet pro vno determinato, quando plura indeterminatè significat; Ratio. non potest dare illi nouam significationem, quam ex se non habet.

34. Secunda regula. Secvnda: Omnes proprietates naturæ diuinæ concretè prædicantur de concreto naturæ humanæ: & è conuerso. Omnes proprietates naturæ humanæ concretè prædicantur de concreto naturæ diuinæ, scilicet de quocumque prædicatur concretum naturæ, prædicatur omne id, quod de tali concreto naturæ prædicatur: Deducitur ex primâ. sed ex primâ regulâ concretum naturæ diuinæ prædicatur de concreto naturæ humanæ, & contrà: ergo quicquid prędicatur de cōcreto naturæ diuinæ, prædicabitur etiam de concreto naturæ humanæ: & vice versâ: at omnes proprietates naturæ diuinæ prædicantur de concreto naturæ diuinæ; omnesque proprietates naturæ humanæ de concreto naturæ humanæ: igitur omnes proprietates naturæ diuinæ prædicantur de concreto naturæ humanæ, & contrà.

35. Ex 1. seq. Coroll. 1. Infertur 1. veras esse has propos. *Hic Deus est mortalis, circumscriptus, mortuus*, &c. *Hic homo est æternus, immortalis, incircumscriptus, omnipotens* &c. *Hic homo præcessit propriam matrem: erat quando non erat homo*, iuxta illud *Ioan.* 8. fine, *Antequam Abraham fieret, ego sum*, *Hic Deus est bis genitus, bis natus, temporaliter conceptus. Hic homo est ab æterno genitus, mundum creauit, Spiritum sanctum spirat.* 2.

36. Coroll. 2. vtrasque proprietates, tam naturę diuinæ, quàm humanæ simul concretè prædicari de vtroque concreto Deitatis & humanitatis; vt *Hic Deus est mortalis & immortalis; circumscriptus & immensus; æternus & temporalis. Hic homo moritur, & viuit; præcedit, & subsequitur matrem, erat, quando non erat homo, & non erat homo, quando erat.* Ratio. Quia vtrumque concretum stat pro supposito vtriusque naturæ: igitur de quolibet concreto prædicari possunt proprietates vtriusque naturæ. 3. Non solùm proprietates

37. Coroll. 3. vtriusque naturæ in concreto prædicari de concreto vtriusque naturæ, sed ipsasmet proprietates de se mutuò in concreto prædicari: vt *Hic mortalis est immortalis: Hic æternus est temporalis: Hic mortuus viuit: Hic circumscriptus est immensus.* Ratio. Quia pronomen *Hic* stat supposito vtriusque naturæ, adeoque pro subiecto vtriusque proprietatis. 4. Has propositio-

38. Coroll. 4. nes esse veras tantùm in sensu specificatiuo, non reduplicatiuo: nec dici potest *Christus vt Deus, est homo, Mortalis, patitur, moritur* vel contrà, *Christus vt homo, est Deus immensus, æternus*: ex *S. Thom.* 3. *p. quæst.* 16. *art.* 11. vbi negat hanc propos. *Christus vt homo, est Deus.* Ratio. Quia sensus reduplicatiuus reduplicat proximam causam, propter quam prædicatum conuenit subiecto: falsum autem est, proximam causam, propter quam proprietates naturæ humanæ conueniant Deo, esse ipsam Deitatem; vel contrà, proximam causam, propter quam proprietates naturæ diuinæ conueniant Christo homini, esse humanitatem.

Nec

39. *Dices.* Nec refert, quòd in Christo hic terminus *Homo* non solùm importet naturam humanam, sed etiam suppositum; ac proinde etiam cum reduplicatione possunt proprietates naturæ diuinæ prædicari de Christo vt homine: *Resp.* nam, vt *S. Thom. 3. p. quæst. 16. art. 10. & 11.* huiusmodi termini cum notâ reduplicationis accepti, potiùs supponunt, pro naturâ quam explicitè important, quam pro supposito, quod implicitè tantùm & determinatè significant: *Ratio S. Thom.* quia cum reduplicatione accepti sumuntur in vi prædicati, quod formaliter tenetur, vt ipse ait. Cæterùm sunt quædam nomina, quæ cum reduplicatione vtriusque naturæ conueniunt Christo: huiusmodi sunt, *Redemptor, mediator, satisfactor, Intercessor:* verè enim cum reduplicatione dicitur, *Christus vt Deus homo est Redemptor, mediator, Intercessor.* Ratio; hæc prædicata important peculiare munus, ad quod vtraque natura, tam humana, quàm diuina per se concurrebat, vna elicitiuè, altera significatiuè.

40. *Obijc.* *Obijcies* 1. *suprà* cum Concilio Francoford. admisi hanc vt veram, *Christus etiam vt homo est filius Dei naturalis:* ergo terminus *Homo* etiam cum reduplicatione acceptus supponit pro naturâ diuinâ in Christo. *Resp.* Resp. has propositiones, *Christus vt homo*, & *Christus etiam vt homo*, esse valdè diuersas: nam hæc, *Christus etiam vt homo, est Deus,* admittitur: prior, *Christus vt homo est Deus*, reijcitur: quia hæc, *Christus etiam vt homo,* formaliter non distinguit hominem à Deo, sed solùm addit, quod etiam vt subsistens in humanitate, est Deus, quod verissimum est. In priori verò nota reduplicationis, *Vt*, *Vis notæ reduplicatiuæ.* distinguit in Christo hominem à Deo: nam hæc est vis notæ reduplicatiuæ, vt distinguat illam partem subiecti, quam reduplicat ab omni aliâ, quam non reduplicat. Cùm igitur in prima propositione particula reduplicatiua, *Vt*, distinguat in Christo hominem à Deo, non poterit esse vera, *Christus vt homo est Deus:* alioqui prædicaretur de subiecto id, pro quo subiectum vi notæ reduplicatiuæ nõ supponeret. Et quod dictum est de naturâ diuinâ, eadem ratio est de proprietatibus eiusdem naturæ diuinæ: nam præcisâ per notam reduplicationis à Christo naturâ diuinâ, simul cum eâ præscinduntur omnes proprietates eandem naturam vt sic constituentes: vnde falsæ sunt etiam istæ propositiones, *Christus vt homo, est actus purus, omnipotens, immensus* &c. cùm omnia ista constituant naturam diuinam vt sic.

41. *Homo importat suppositum indeterminatè, seu aliquod exigit.* Verùm, quia *Homo* non solùm importat naturam humanam, sed etiam aliquod suppositum, saltem indeterminatè, importat enim humanitatem vt subsistentem, quod distinguitur ab humanitate vt sic: ideò acceptus *Homo* etiam cum notâ reduplicationis, stare potest pro supposito: & quia suppositum, pro quo reipsâ supponit *Homo* in Christo, est suppositum Verbi, saltem identicè & in sensu physico, erit vera hæc, *Christus vt homo est filius Dei naturalis,* & consequenter omnes propositiones, in quibus prædicantur proprietates Verbi vt virtualiter distincti à naturâ diuinâ: vti sunt: *Christus vt homo, est filius & genitus Patris, Hypostasis seu persona Verbi, sapientia genita, Verbum notionale Patris* &c. Ratio: sicut per particulam reduplicatiuam *Vt* non excluditur à termino *Homo* suppositum Verbi, ita neque excluduntur proprietates ipsius: contrà verò, sicut per eandem particulam ab eodem termino *Homo* excluditur natura diuina, ita ab eodem excluduntur proprietates eiusdem naturæ diuinæ. Dixi *saltem identicè & in sensu physico:* nam formaliter & in sensu metaphysico, hæc prædicatio *Christus vt homo, est filius Dei naturalis,* non est vera: quia hic terminus *Homo* non includit determinatè & formaliter in suo conceptu obiectiuo personam filij Dei, sed aliquam personam indeterminatè: proinde non poterit dicta prædicatio esse vera in sensu formali & obiectiuo, sed tantùm identico & physico.

42. *Obijc.* 2. *Obijcies* 2. De concreto Deitatis prædicatur Pater & Spiritus S. & omnes proprietates notionales vtriusque, verè enim dicitur, *Deus est Pater, Deus est Spiritus sanctus, Deus gignit, Deus spirat, Deus spiratur,* cùm tamen nullum ex his prædicari valeat de homine Christo, contra assignatam regulam: Quidquid prædicatur de concreto naturæ, prædicatur de omni eo, de quo concretum naturæ prædicatur. Negoʼ hoc esse contra assignatam Regulam, quæ vera tantùm est, quando prædicatum dicitur de subiecto adæquatè, & secundùm totam suam amplitudinem: Deus autem non adæquatè, & secundùm omne id, pro quo supponi potest, sed inadæquatè, & prout supponitur tantùm pro personâ Filij, dicitur de homine Christo. 43. *Resp.* Vnde in hoc syllogismo expositorio: *Hic homo est Deus; Deus est Pater & Spiritus sanctus;* ergo *Hic homo est Pater & Spiritus S.* proceditur à termino nõ distributo ad distributum: nam terminus *Deus* in maiori supponitur tantùm pro Filio, in conclusione concluditur de Deo Patre, & Spiritu sancto. Eodem vitio laborant isti: *Pater est Deus; Filius est Deus;* ergo *Pater est Filius. Deus est Pater; Deus est Filius;* ergo *Pater est Filius.*

44. *Instas.* Instabis. In omni verâ prædicatione debet totum prædicatum conuenire subiecto, licet non debeat toti subiecto conuenire prædicatum, vt *Homo albus est disgregatiuus visûs,* prædicatum *Disgregatiuus visûs* conuenit subiecto ratione solius albedinis, quæ est pars subiecti; igitur si non totus Deus conuenit homini Christo, non erit vera prædicatio. Anteced. prob. alioquin vera esset hæc prædicatio. *Homo est animal irrationale*, quia licet non totum prædicatum conueniat subiecto, conuenit tamen secundùm vnam partem. Sed disting. anteced. debet totum prædicatum secundùm rationem, quam explicitè importat, conuenire subiecto, concedo; 45. *Resp. notanda hæc regula ad veras prædic. dignoscendas.* debet secundùm omnem rationem, quam explicitè & implicitè importat, conuenire subiecto, nego: patet in hâc propositione, *Homo est animal*, in quâ totum prædicatum dicitur de subiecto secundùm rationem explicitam animalitatis, non secundùm omnes rationes, quas implicitè etiam importat. Nam implicitè & potestatiuè, & per modum habentis importat etiam inferiora, in quibus ratio animalitatis reperitur. Vt igitur vera sit hæc prædicatio, *Hic homo est Deus,* sufficit, vt totum prædicatum conueniat subiecto secundùm rationem explicitam Deitatis, non implicitas omnium personarum, proprietatumque notionalium, quas per modum habentis implicitè importat. *Pater ad prob.*

46. *3. Regula.* Tertia, Nomina, quæ remouent aliquam proprietatem naturæ diuinæ, vel humanæ, non possunt absolutè de Christo enunciari, possunt autem, quæ aliquam proprietatem naturæ diuinæ, vel humanæ simpliciter affirmant. *Fundam.* Fundamentum: vt negatiua sit vera, debet nullâ parte subiecto conuenire; quia negatio cùm sit malignantis naturæ habet vim negandi de subiecto prædicatum omni parte, quam includit, vnde semper reddit sensum vniuersalem. Vt autem affirmatiua sit vera, necesse non est, vt toti subiecto omni parte conueniat, sed sat est, vt vnâ dumtaxat parte vnde falsæ sunt istæ proposit. *Christus non est mortalis, Christus non est æternus*, nisi cum addito *Non est mortalis vt Deus, non est æternus vt homo.* Veræ istæ: *Christus est*

stus est passibilis, Christus est creator. Ex eâ deduces, omnes proposit. in quibus prædicata contraria de Christo affirmantur, veras esse, vt *Christus est circumscriptus & immensus, mortalis & immortalis, moriebatur & viuebat*: Falsas, in quibus de Christo prædicata contradictoria enunciantur, vt *Christus non est circumscriptus & est circumscriptus, immensus & non immensus, mortuus & non mortuus*: quia omnes priores proposi. sunt affirmatiuæ quæ vt veræ sint, sufficit, vt vnâ tantùm parte conueniât subiecto: posteriores verò includunt vnam negatiuam, quæ vt vera sit, sat non est, vt vnâ tantùm parte subiecto côueniat: ideò falsæ istæ: *Deus generat & nõ generat, Deus spirat & non spirat, Deus gignitur & non gignitur, Deus spiratur & non spiratur.* Ergo licet sint veræ ex parte affirmatiua, sunt tamen falsæ negatiuâ.

48. Ex eâd. deduces, falsas esse has proposit. *Christus non est æqualis Patri: Christus est inæqualis Deo*; non has, *Christus est minor Patre: Christus est subiectus, & inferior Deo.* De primâ, constat, quæ cùm sit formaliter negatiua, negat omnem æqualitatem inter Christum & Patrem. De secundâ prob. licet sit formaliter affirmatiua, est tamen virtualiter negatiua: quippe quæ affirmat negationem ipsam æqualitatis importatam per hoc nomen *Inæqualis.* Vnde hæc, *Christus est inæqualis Patri*, æquiualet huic, *Christus non est æqualis Patri*: nam quod exercitè prædicatur in hâc, signatè prædicatur in illâ. Cæterùm siue negatio exercitè, siue signatè prædicetur de subiecto, semper facit sensum vniuersalem.

Christus æqualis Patri.

49. Contrà verò tertia, *Christus est minor Patre*, nec formaliter, nec virtualiter est negatiua, sed affirmatiua: non enim in eâ formaliter affirmatur negatio maioritatis, sed positiua ratio, quâ Christus secundùm naturam humanam est minor & inferior Patre. Vnde sicut hæ duæ, *Christus est subiectus, & inferior Patre*, admittuntur, quia non sunt nec formaliter, nec virtualiter negatiuæ, sed affirmatiuæ: ita & hæc, *Christus est minor Patre*, à *Vasquez disput.* 80. *cap.* 1. & *Medinâ* 3. *parte quæst.* 20. *art.* 2. ex S.Thom. *ibid.* ex August. *lib.* 1. *de Trinit. cap.* 7. & quod caput est, eandem proposit. vsurpat Christus *Ioan.* 14. *Pater maior me est.* Si igitur Pater maior, filius dici poterit minor per communicationem idiomatum, ratione naturæ humanæ. Cæterùm etsi secundùm proprietatem sermonis hæc de Christo sine addito prædicari possint, ad vitandum tamen periculum *Arianismi*, non sunt sine addito *secundùm naturam humanam* de Christo prædicanda, vt aduertit *cit. S.Thom.* Sicut nec simpliciter dicendum, Christus est sibi ipsi subiectus, minor, aut inferior; sed cum addito explicante naturam humanam, secundùm quam est sibi ipse subiectus vt Deo.

Est minor Patre.

Cautela.

50. *Dices.* *Obijcies*: multa de Christo absolutè prædicantur, & tamen habent sensum negatiuum, vt *Christus est mortalis & immortalis, passibilis & impassibilis, Christus moritur & viuit.* Sed nego, propositiones has habere sensum negatiuum, sed affirmatiuum: etenim immortalis & impassibilis non tam negant mortalitatem & possibilitatem, quàm affirmant positiuam perfectionem oppositam mortalitati & passibilitati, conuenientem Christo ratione Deitatis. Pari modo terminus, *moritur*, non sumitur negatiuè pro negatione vitæ, sed affirmatiuè pro actione tendente ad destructionem vitæ.

51. *4. Regula.* QVARTA. Nomina abstracta naturæ diuinæ non prædicantur de abstractis naturæ humanæ, nec abstracta naturæ humanæ de abstractis naturæ diuinæ.

Fundamentum regulæ. Quoniam hæc mutua idiomatum naturæ diuinæ & humanæ communicatio non fundatur in aliquâ identitate naturæ diuinæ cum humanâ, sed in solâ vnione vtriusque cum personâ Verbi: sed ex vi talis vnionis non sequitur prædicatio abstractorum vnius naturæ de abstractis alterius naturæ, sed tantùm prædicatio concretorum vnius de concretis alterius naturæ. nam ad veram prædicationem abstracti de abstracto requiritur identitas prædicati cum subiecto; sed ex vi vnionis naturæ diuinæ cum humanâ in eâdem hypostasi verbi nulla secuta est identitas proprietatis diuinæ cum naturâ, vel proprietate humanâ. Minor est de fide, quâ contra *Eutychet.* docemur, ambas naturas post vnionem mansisse inter se distinctas, & inconfusas, fuisséque discretas proprietatibus. Ex his apparet, quàm falsò hæretici nostri temporis admittant prædicationem diuinorum attributorum de naturâ humanâ in abstracto: docent enim, naturam humanam in Christo esse omnipotentem, omnipræsentem, omniscientem: quia cùm ex vnione hypost. nulla facta sit intrinseca communicatio diuinorum attributorum per identitatem cum ipsâ humanitate, non poterunt huiusmodi propositiones in abstracto verificari. 52. *Contra hæret.*

53. *Dices.* DICES: ad prædicationem concreti vnius de concreto alterius naturæ non requiritur identitas prædicati cum subiecto: ergo neque ad prædicationem abstracti vnius de abstracto alterius: *Resp.* Nego conseq. nam concreta possunt de se mutuò prędicari ratione tertij, in quo vniuntur: abstracta autem cùm non vniantur in aliquo tertio, nisi mutuò identificentur, nequeunt de se inuicem prædicari.

54. *Coroll. ex datâ regulâ.* Infertur, falsas esse has propositiones: *Diuinitas est humanitas: Humanitas est diuinitas: Diuinitas est mortalitas, passa, mortua*, &c. *Humanitas est immortalis, vita*, &c. Vnde antiphonæ *ad Laudes in officio S.Crucis: Mors mortua tunc est in ligno, quando mortua vita fuit*, est sensus, Quando mortuus est est ille, qui est vita.

55. *Obijcies* 1. Istæ sunt veræ, in Concilijs admissæ, & à Scholasticis cum *Magist. in* 3. *dist.* 5. *cap.* 2. concessæ, *Natura diuina est incarnata: Natura diuina terminat humanitatem*: ergo & hæc, *Deitas est humanitas.* *Resp.* Nego conseq. nam in prioribus solùm prædicatur exercitium, quod vnum extremum exercet in aliud: idem quippe est, natura diuina est incarnata, seu terminat humanitatem, ac natura diuina est vnita, seu terminat vnionem humanitatis ad se. In posteriori propositione prædicatur esse vnius extremi de alio: falsum autem est, quòd vnum extremum sit aliud: patet in his proposit. quæ veræ sunt: *Anima vnitur corpori; Corpus terminat vnionem animæ ad se: Corpus informatur seu animatur anima*; falsæ sunt istæ: *Anima est corpus: Corpus est anima.*

65. *Obijcies* 2. potest per syllogismum expositorium legitimè concludi, quod Deitas sit passa; *Verbum est passum: Verbum est Deitas: ergo Deitas est passa.* *Resp. in conclus. variatur appellatio suppositi in naturam.* Nego, syllogismum esse legitimum, vt constat in simili: *Pater generat: Pater est Deitas: ergo Deitas generat.* Ratio, appellationis variatio: nam tam Verbum, quàm Pater supponit pro determinato supposito Filij, ac Patris, pro quo non supponit Deitas, quæ ex modo significandi abstrahit ab omni supposito: & tam pati competit Verbo, quàm generare Patri, quatenus supponunt pro determinato supposito Filij, ac Patris.

57. *Obijcies* 3. Verbum dicitur passum per communicationem Idiomatum à naturâ humanâ, cum quâ est vnitum: ergo etiam natura diuina dicetur passa per communicationem Idiomatum ab eadem natura humana, cum qua est vnita. *Resp.* Nego conseq. quia

seq. quia cùm Verbum sit suppositum naturæ humanæ, cumque tam actio, quàm passio tribuatur supposito, poterit Verbum denominari passum ex passione naturæ humanæ, cuius est suppositum. Natura autem diuina, cùm non sit suppositum naturæ humanæ, non poterit denominari passa ex passione naturæ humanæ: quia licet natura diuina, mediante supposito, vniatur cum naturâ humanâ, non tamen vnitur illi sub ratione naturæ, sed sub ratione suppositi; proinde non poterit vt natura, sed vt suppositum denominari ab actione, vel passione humanitatis.

58. *Natura, quæ est Patris, est incarnata.* Petes. An sicut dicitur natura diuina est incarnata, dici etiam possit, *natura Patris est incarnata?* Resp. quia natura Patris in hac propositione non sumitur reduplicatiuè pro naturâ contractâ ad Patrem, quo pacto est falsa, sed specificatiuè pro naturâ, quæ est Patris, à nemine, qui concedunt, naturam diuinam esse incarnatam, negari poterit hæc propositio, *Natura, quæ est Patris, est incarnata*: quia additio illa, *quæ est Patris*, restringit terminum *natura* ad supponendum specificatiuè. Vnde concedit *Marsil. in 3. quæst. 2. art. 1. fine*, hanc propositionem, *Ens quod est Pater, est incarnatum.* Ad vitandum autem periculum, ne videatur accipi natura vt contracta ad Patrem, addendus semper est aliquis terminus, qui ostendat, illam in propositione sumi tantùm specificatiuè.

59. 5. Regula. V. Regula. Concreta naturæ diuinæ non prædicantur de abstractis naturæ humanæ: nec concreta naturæ humanæ de abstractis naturæ diuinæ: nec vice-versâ, abstracta naturæ humanæ de concretis naturæ diuinæ: possunt tamen abstacta naturæ diuinæ verè, non tamen propriè & formaliter prædicari de concretis naturæ humanæ.

60. Ratio. Nota. Exemplum primi: *Humanitas est Deus, immortalis, immensa* &c. quia in propositione prædicatum nullo modo includitur in subiecto: omnis autem vera prædicatio fundatur in identitate, vel inclusione prædicati cum subiecto.

61. Ratio. Exemplum secundi: *Deitas est homo: Deitas est mortalis, passibilis*, &c. quia neque in hâc propositione prædicatum includitur in subiecto ratione explicitâ, pro quâ semper prædicatum supponit; neque implicitâ, quam importat: nam prædicatum *Homo* includit suppositum, quod non importat Deitas.

62. Exemplum tertij: *Deus est humanitas.* Ratio est eadem, quæ præcedentium; quia in hâc propositione nullo pacto prædicatum includitur in subiecto.

63. Exemplum quarti: *Hic homo est Deitas, sapientia genita* &c. Quod autem hæc sit vera in sensu identico, patet ex identitate prædicari cum subiecto: quia cùm subiectum supponatur materialiter pro supposito diuino cumque inter suppositum diuinum & Deitatem sit omnimoda identitas, vera erit hæc propositio in sensu identico & à parte rei. Nota. Quòd autem non sit propria & formalis, prob. illa tantùm prædicatio est propria & in sensu formali, cuius prædicatum includitur in subiecto, non tantùm à parte rei & identicè, sed etiam obiectiuè & formaliter. In hâc propositione: *Hic homo est Deitas*, prædicatum *Deitas* non includitur obiectiuè & formaliter in subiecto *Hic homo*, quod implicitè tantùm supponit pro supposito, non autem pro Deitate.

64. 6. Regula. VI. Regula. Nomina, quæ important inceptionem, vel desitionem, non possunt absolutè, sed tantùm cum addito, *secundùm naturam humanam*, de Christo prædicari, ex *S. Thom. 3. parte quæst. 16. art. 9.* Fundamentum regulæ. Quoniam inceptio, vel desitio absolutè prolata cadit supra principale esse subiecti; principale autem esse huius subiecti *Christus*, vel *Hic homo*, est esse suppositi diuini. Ergo inceptio, vel desitio de Christo, vel de homine absolutè prolata, cadit supra esse suppositi diuini. Maior prob. non verè dices, paries fit, aut incipit esse, ex eo tantùm quod fit, aut incipit esse albus; verè autem dicitur, fit, vel incipit esse albus: ergo nec verè dices, Christus, vel hic homo fit, aut incipit esse, ex eo tantùm quòd fit homo; verè autem dices, fit, aut incipit esse homo. Eadem ratio est de desinere, aut corrumpi, quod simpliciter prolatum cadit supra id, cui simpliciter conuenit esse; ex eo enim, quòd paries desinit esse albus, non verè dicitur: paries corrumpitur, aut desinit esse. Sicut nec rectè dices: paries albus corrumpitur, aut desinit esse, nisi cum addito, *Vt albus*: ita nec verè dices: hic homo desijt esse in morte, sed cum addito, *Vt homo.*

Infertur 1. falsas esse propositiones: *Christus*, vel *hic homo incipit*: contrà verò has esse veras: *Incipit Christus, Incipit hic homo, Deus factus est Christus.* 65. Ex hâc regulâ infertur 1. Quam propositionem expressè concedit *Fulgent. lib. de Incarnatione cap. 10.* Ratio: nomen ex parte subiecti stat materialiter pro supposito; contrà Ratio omnium. verò ex parte prædicati stat formaliter pro composito vel naturâ, quam explicitè importat: & quia in prioribus proposit. *Christus*, vel *hic homo* sunt subiectum, ideò stant materialiter pro supposito diuino, supra quod immediatè cadit verbum *Incipit*. Contrà verò, quia in posterioribus propositionibus *Christus*, vel *hic homo* ponuntur ex parte prædicati, stant formaliter pro composito, vel pro naturâ humanâ, quæ in Christo incepit esse: ideò veræ sunt posteriores propos. Leg. *Maior in 3. dist. 7. quæst. 1.*

Dices. Vera hæc est: *Hic gubernator incepit anno præterito*: licet falsa sit hæc alia; *Hic gubernator incepit esse anno præterito*: ergo etiam erit vera hæc: *Christus incepit*: licet falsa sit hæc alia: *Christus incepit esse.* 66. Dices. Nego conseq. nam in primâ propositione, *Hic gubernator*, stat pro officio, non pro supposito: in secundâ stat pro supposito. Resp. Ratio: in primâ propositione pronomen *Hic* affectum illo nomine *Gubernator* restringitur ad standum pro officio gubernandi.

2. Falsas esse has propositiones: *Christus*, vel *Hic homo desinit*, vel *non fuit in triduo*: tum quia subiecta supponunt materialiter pro supposito diuino, quod nunquam desijt: tum quia sunt negatiuæ, quæ verificari debent secundùm omnem partem subiecti: sic nec valet hæc, *Paries albus desinit* seu *corrumpitur*, ex eo tantùm, quòd sola albedo desinat vel corrumpatur. 67. Coroll. 2.

3. Desinentibus speciebus sacramentalibus, non posse absolutè dici, Christus desinit, sed cum addito, *In sacramento*, vel *sacramentaliter*: eâdem ratione nec dici posse, angelus desinit esse, eo quòd desinat esse in vno loco, si in alio substantialiter conseruetur; sed cum addito *desinit esse hic*. 68. Coroll. 3. Pari ratione non posse simpliciter dici, angelus producitur, aut creatur, ex eo, quòd existens in vno loco, substantialiter producatur in alio. Nam simpliciter produci vel creari importat de nouo fieri secundùm esse simpliciter: sed cum addito, producitur, aut creatur hic. Eâdem ratione non diceretur Christus, aut hic homo annihilatus, ex eo quòd annihilaretur eius humanitas.

Obijcies 1. Fieri hominem est inferius ad fieri simpliciter, sed de quocùmque prædicatur inferius, prædicatur superius, vt si homo ambulat, mouetur: ergo si de Christo prædicatur quòd factus sit homo, prædicabitur etiam, quòd sit simpliciter factus. 69. Obijc. Nego, fieri hominem in Christo comparari Resp. ad fieri

ad fieri simpliciter, vt inferius ad superius, sed vt secundùm quid ad simpliciter: sicut fieri album ad fieri simpliciter; vnde sicut non rectè à secundùm quid ad simpliciter, ita nec à fieri hominem ad fieri simpliciter arguitur.

70. *Obijcies* 2. Valet hæc prædicatio, ***Album fit, hoc album desinit esse***, esto sola albedo fiat, solaque corrumpatur: ergo hæc: ***Hic homo fit: Hic homo desinit esse***, esto sola humanitas fiat, solaque corrumpatur. *Resp.* 1. Nego antecedens, nam ***Hoc album*** importat principaliter subiectum, cui simpliciter conuenit esse. 2. Nego conseq. nam, vt monet *Caiet. 3. p. quæst. 16. art. 9. ad 2.* quando subiectum æquè primò importat totum, valet à productione vel corruptione totius ad productionem, vel corruptionem simpliciter: & fortè hoc nomen ***Album*** hanc significationem admittit. At verò esse hominem in Christo non importat æquè primò totum, sed principaliter esse suppositi, cui principaliter esse conuenit.

71. *Obijcies* 3. *Act.* 2. & *Hebr.* 3. dicitur Deus fecisse Christum. *Resp.* Ibi Christum supponi pro composito formaliter, prout dicit vnionem duarum naturarum in eadem hypostasi Verbi.

72. *Obijcies* 4. Legitimi sunt hi syllogismi, ***Hic homo est Deus: Verbum factum est hic homo***: ergo ***Verbum factum est hic Deus. Hic homo est Deus: Verbum incipit esse hic homo***: ergo ***Verbum incipit esse Deus***. *Resp.* Sed nego, hos syllog. esse legitimos, sed laborare vitio captionis à secundùm quid ad simpliciter. Nam fieri, vel incipere esse in præmissis enunciatur de Deo secundùm quid, nempe in quantum homine, saltem exercitè; in conclusione verò prædicatur de Deo simpliciter, ratione naturæ diuinæ. Quare ex prædictis præmissis hæ potiùs inferri debent conclus. ergo: ***Verbum factus est ille, qui est Deus: Verbum incipit esse ille, qui est Deus.***

73. *Obijcies* 5. Si ideò istæ propos. ***Hic Deus; Hic homo; Christus incipit***, vel ***desinit***, sunt falsæ, quia prædicatum ***Incipit***, vel ***Desinit*** immediatè cadit supra suppositum diuinum, pro quo supponunt, ***Hic Deus, Hic homo Christus***: ergo eadem ratione erunt falsæ & istæ: ***Hic Deus, Hic homo***, vel ***Christus mouetur, patitur, moritur***: quia similiter prędicata immediatè cadunt supra suppositum diuinum, pro quo supponunt subiecta in his propositionibus.
74. Nego conseq. nam hæc verba ***Incipere***, & ***Desinere*** immediatè cadunt supra ipsum esse subiecti; significant enim ipsum fieri, vel desinere subiecti; vnde simpliciter prolata sine addito restringente ad vnam partem subiecti, immediatè cadunt supra ipsum esse principale subiecti, scilicet esse suppositi. Reliqua cùm solùm importent actiones, vel passiones naturæ, quæ per se ad tales actiones, & passiones, vt earum principium supponitur, non cadunt immediatè supra suppositum, cùm illud necessariò præsupponant, vt principium complens esse tam productiuum, quàm receptiuum ipsius naturæ. Quo fit, vt quando prædicantur de supposito diuino; solùm prædicentur specificatiuè, ratione naturæ humanæ, in quâ suppositum diuinum subsistit, & cum quâ componit vnum completum principium tam producendi, quàm recipiendi.

75. *Obijcies* 6. esse hominis, quod Deus per vnionem hypostaticam in tempore acquisiuit, est esse substantiale completum naturæ: sed omne esse substantiale completum naturæ, est esse simpliciter: ergo absolutè dici potest, ***Christus***, seu ***Hic homo incepit esse***: nam hoc nihil aliud significat, quàm Verbum accepisse esse substantiale hominis.

Distinguo minor. Omne esse substantiale naturæ completæ, est esse simpliciter absolutè, & in seipso spectatum, transeat; consideratum relatè ad aliud esse substantiale perfectius, cum quo coiungitur, nego: Patet in elementis, quæ extra mixta dicuntur habere simpliciter esse: considerata verò in ordine ad mixta, quæ formaliter componunt, solùm dicuntur habere esse secundùm quid: cùm esse simpliciter sit ipsius mixti, compositi ex formâ mixti & elementis. Cùm igitur esse substantiale naturæ humanæ coniungatur cùm esse substantiali diuini suppositi in Christo, non dicitur relatè ad esse substantiale suppositi diuini, esse simpliciter, sed secundùm quid: & consequenter verbum ***Incipit***, vel ***Desinit***, cadens supra esse simpliciter subiecti, cadit supra esse suppositi diuini, pro quo subiecta in his propositionibus supponunt. 76.

Obijcies 7. Saltem erunt veræ istæ propositiones: ***Verbum factus est Deus homo: Verbum incœpit esse homo Deus.*** Nego anteced. nam, vt *suprà*, ad veritatem propositionis requiritur, vt prædicatum secundum ex toto suo explicito significato conueniat subiecto: alioqui valeret ista, ***Homo est animal hinnibile***, quia saltem conuenit illi prædicatum ex vnâ parte. Cùm igitur hoc prædicatum, ***Deus homo***, vel ***Homo Deus*** explicitè importet vtramque naturam diuinam & humanam, debet secundùm vtramque naturam conuenire subiecto. Instabis: hinc sequeretur, falsam esse hanc, quam *suprà* cum *Fulgent.* admisi, ***Deus factus est Christus***: nam etiam ***Christus*** explicitè importat vtramque naturam, humanam & diuinam: Præterea falsa etiam esset hæc, ***Pater generat filium Deum***, cùm illum non generet secundùm Deitatem, sed personalitatem. Nego sequel. quia nomen ***Christus*** potiùs ex modo significandi explicitè & formaliter importat compositum ex personâ diuinâ & naturâ humanâ, quod verè in tempore incœpit. At verò hoc complexum, ***Deus homo***, vel ***Homo Deus***, explicitè & formaliter importat naturam diuinam & humanam, proinde debet secundùm vtramque naturam incipere, vt vera sit propositio, ***Verbum incœpit esse Deus homo***, vel ***Homo Deus***: sicut non verè dicitur ***Homo fit substantia alba***, vel ***Animal currens***, ex eo quod tantùm fit albus, vel currens. Nego autem citatam propositionem ***Pater generat filium Deum***, esse falsam. Ad prob. nego, æternum Patrem gignere æternum filium solùm secundùm personalitatem, sed etiam secundùm naturam: nam ***Gignere*** non solùm dicit productionem, quæ formaliter terminatur ad personalitatem, quæ in diuinis sola producitur; sed etiam communicationem, quæ formaliter terminatur ad naturam. ***Gignere*** enim, est generare sibi simile in naturâ, & per consequens importat communicationem eiusdem naturæ gignentis cum genito, vel specificæ, vt in creatis; vel numericæ, vt in diuinis. 77. 78. *Instas.* 79. *Resp.* ***Pater generat filium Deum.***

Obijcies 8. ***Hic homo*** principaliùs importat naturam humanam: nam id principaliùs importat, quod principaliùs significat: id principaliùs significat, quod magis distinctè & explicitè significat. Distinguo anteced. ***Hic homo*** importat naturam humanam principaliùs ex modo significandi, concedo; scilicet eam magis clarè & distinctè significat: principaliùs vi nominis significantis, nego: nam id principaliùs vi nominis significantis importatur, quod significatur vt principale, licet minùs clarè & distinctè. Sicut ***album*** ex modo significandi principaliùs importat albedinem, quia clariùs & distinctiùs: ex vi autem nominis significantis princi- 80. *Obijc.* *Resp.*

principaliùs importat subiectum, quia hoc importat vt habens esse simpliciter, albedinem verò vt habentem esse in alio.

81. 1. Sentent. Fundam. potiss. Dubitari potest de hoc verbo *Creatur*, an simpliciter enunciari possit de Christo, vel de hoc homine. Affirmat *Vasquez disput.65.cap.2. & 3. & alij Recent.* fundament. est authoritas Patrum. Nazianzenus *orat.38. & 42. Qui est*, inquit, *fit, & qui creatus non est, creatur*. Sophron. *in Epist. in VI. Synodo act.11. receptâ*, sic scribit: *Asserimus hunc ipsum*, scilicet Christum, *creatum & increatum*. Ambros. *serm. 5. in Psalm.*118. loquens de Christo: *Ita creatum dico, quemadmodum factum legi*. August. *de fide & simbolo cap.4.* sic loquitur: *Eadem sapientia, quæ de Deo genita est, dignata est etiam in hominibus creari*. Fulgent. *lib. de Incarn. cap.2. fine*: *Creari dignatus est non creatus, & fieri voluit ex muliere non factus à Patre, sed genitus*. Gregorius 5. *Moral. cap.15. Ad nos*, inquit, *veniens creatus, natus* &c. & Concil. Lateranens. *sub Martino I. consult.5. Can.4.* Christum inconditum & conditum appellat. quia sicut potest simpliciter dici creatura, ita & creatus.

82. 2. Sentent. probabilior. Suarez. Negant Suarez 3. *part. quæst.* 16. *in Comment. art.* 8. & cum eo alij. Quæ Sententia conformior est nostræ assignatæ Regulæ. Nam verbum *creatur*, cùm sit verbum inceptionis, immediatè cadit supra principale esse subiecti: cùm igitur principale esse huius subiecti *Christus*, vel *Hic homo*, sit ipsum esse suppositi diuini, immediatè cadit supra esse suppositi diuini, non minùs quàm verbum *Incipit*, cùm non sit maior ratio de vno, quàm de alio.

83. Ad authoritatem oppositæ sententiæ. Ad authoritatem autem Concil. & PP. Resp. eos Christum appellâsse creatum, semper tacitè vel expressè subintellectâ limitatione *secundùm naturam humanam*, quod ex antecedentibus & consequentibus eorum verbis facilè colligitur. Vel certè, dum Christum creatum pronunciant, accipiunt *creatum* non verbaliter, sed nominaliter, quo pacto non negamus, Christum simpliciter & sine addito dici posse *creatum* nominaliter: quia tunc idem est quòd creatura, quæ de Christo simpliciter enunciari potest. Cæterùm, de Christo simpliciter enunciari potest, quòd sit creatura, non quòd sit creatus; quia verbum *creatur*, cùm importet inceptionem rei, immediatè cadit supra principale esse subiecti: nam illud propriè fieri dicitur, quod simpliciter est. Nomen *creatura* hoc non importat, ideoque potest simpliciter de Christo enunciari.

84. Dices. Dices: sequeretur, quòd nec posset simpliciter de Christo enunciari, quòd sit productus, genitus, natus &c. nam etiam hæc verba significant fieri termini, proinde immediatè cadunt supra principale esse subiecti.

Resp. Nego sequel. tum quia hæc verba competere possunt Christo, etiam ratione suppositi diuini, quod verè producitur, gignitur, nascitur, productione, generatione, natiuitate increata. Tum quia hæc verba per se tantùm important productionem compositi ex naturâ humanâ & personâ diuinâ, quod in tempore productum, genitum, & natum est; verbum autem *creatur*, cùm importet productionem rei ex nihilo, non potest vi suæ formalis significationis importare productionem solius compositionis, sed totius subiecti.

85. 7. Regula. VII. Nomina concreta naturæ humanæ, quæ connotant subiectum priùs extitisse, quàm formam acquisierit, possunt prædicari de Deo, non de homine Christo: *ex S. Thom. 3. part. quæst. 16. artic. 6. & 7.* in quorum primo concedit hanc propositionem: *Deus factus est homo*: in posteriori negat hanc: *Ho-*

Fundam. Regulæ. *mo factus est Deus*: quia cùm suppositum diuinum

præcesserit formam hominis, quam in tempore acquisiuit, verè & propriè dicitur, *Deus factus est homo*: *Homo* autem cùm supponatur pro supposito, nullumque suppositum humanum præcesserit in Christo formam Deitatis, quam per vnionem hypostaticam acquisiuit, non poterit verè dici, *Homo factus est Deus*. Vnde Damascenus 3. *Fidei cap.2. Quamobrem*, inquit, *non hominem Deificatum dicimus, sed Deum humanatum*, hoc est, hominem factum.

Petes: An saltem dici posset, *Homo factus est Deus*, eo casu quo natura humana præcessisset cum proprio supposito creato. Resp. Affirmatiuè: nam licet tunc non mansisset suppositum creatum cum vnione ad suppositum increatum, ac proinde non potuisset suppositum creatum denominari factum Deus, quasi habens & retinens Deitatem: potuisset tamen denominari factum Deus per substantialem conuersionem sui in suppositum diuinum. Eo modo, quo dicitur panis fieri corpus Christi, non per vnionem cum corpore Christi, sed per substantialem conuersionem sui in corpus Christi. Quamuis magis propriè tum diceretur ex homine factus Deus, sicut ex pane fit corpus Christi: *quàm Homo factus Deus*: quia in hâc importatur subiectum commune vtrique termino: licet dici posset *Homo factus Deus* ratione concreti humanitatis, quod eo casu fuisset commune vtrique supposito, tam creato vt termino à *quo*, quàm increato vt termino ad *quem*. 86. Resp.

Infertur, cur hoc prædicatum *mutabile*, in primâ productione, ac vnione naturæ humanæ cum Verbo non conueniat Deo per communicationem Idiomatum. Quia nulla proprietas naturæ humanæ conuenire potest Deo per communicationem Idiomatum, nisi priùs saltem naturâ intelligatur Verbum factum homo: sed in primâ productione, & vnione naturæ humanæ cum Verbo nondum intelligitur Verbum factum homo: nam priùs naturâ humanitas fuit terminus productionis, & subiectum vnionis cum Verbo, quàm Verbum fuerit factum homo; sicut omnis productio extremi, & vnio istius cum altero extremo, natura præsupponitur ad compositum, vt causalitas ad effectum. Maior probat. mutua communicatio Idiomatum plurium naturarum ad inuicem supponit vnionem illarum naturarum in aliquo tertio. Cùm igitur tam productio humanitatis, quàm vnionis eiusdem cum Verbo, naturâ præcesserit compositum ex naturâ humanâ & diuinâ, non potuit Verbum per communicationem Idiomatum denominari mutabile ex productione humanitatis, & vnionis eiusdem cum Verbo; vnde si denominaretur, denominaretur ratione propriæ naturæ, secundùm quam præcessit formam hominis, quam per vnionem acquisiuit. Dixi, *In primâ sui productione*: nam post primam productionem & vnionem cum Verbo, spectatâ proprietate sermonis, potest per communicationem Idiomatum Deus dici mutabilis. Nam sicuti de Christo prædicatur, quòd sit mortalis, mortuus, quòd ambulet, & moueatur, ita etiam quòd mutetur, quod est prædicatum inferius ad omnia suprà dicta. Ad periculum tamen euitandum, ne videamur cum *Arianis* mutationem affirmare de Verbo, ratione propriæ naturæ, non est absque limitatione, *secundùm naturam humanam*, talis prædicatio de Deo affirmanda. 87. Coroll. ex regulâ. Mutatio naturæ humanæ conueniens illi ex primâ productione ac vnione cum Verbo, nequit conuenire Deo per &c.

VIII. Nomina quæ important distinctionem suppositorum, non possunt de Christo prædicari: est de fide, ex Concilijs, in quibus contra *Nestorium* definitur, in Christo, præter suppositum increatum, non fuisse creatum. Nititur autem hæc regula, 88. 8. Regula.

gula, in eo, quòd in Christo non fuit nisi vnicum suppositum Verbi.

89. Coroll. ex regulâ. Deduces 1. Nomina masculini generis geminari non posse in Christo, posse nomina neutrius generis. Vnde falsæ sunt hæ propos. *In Christo est alius & alius*; vel, *Alter & alter*; non hæ: *In Christo est aliud & aliud*; vel, *Alterum & alterum*. Ratio: nomina masculini generis, cùm sint magis dearticulata, appellant suppositum, quod in genere substantiæ est vltimò perfectum, & substantialiter dearticulatum: contrà verò nomina neutrius generis, cùm sint informia appellant naturam, quæ est vlteriùs perfectibilis per hypostasin. 2. Neque eum addito dici posse, *Christus vt homo est alius: vel alter à Deo*: rectè autem cum addito dici posse: *Christus secundum humanitatem est aliud, vel alterum à Deo*. quoniam aut terminus *Homo* cum naturâ humanâ simul reduplicat suppositum: & sic dici non potest, *Christus vt homo est alius à Deo*; quia ratione suppositi non est distinctus à Deo. Aut reduplicat solam naturam humanam, non reduplicando suppositum: & tunc neque dici poterit *Alius à Deo*; quia *Alius* supponit pro supposito, quod ex suppositione supponitur præcisum ab ipso termino *Homo*. At particula *secundùm humanitatem* restringit terminum ad supponendum pro solâ naturâ humanâ, ratione cuius Christus est aliud, non alius à Deo: nam *alius* dicit alietatem suppositi; *aliud* verò alietatem naturæ. Cæterùm, etsi dici non possit; *Christus est alius à Deo*, dici tamen potest, *Est alius à Patre*, cùm sit suppositum distinctum à Patre. Petes, an sicut dicitur Christus vt *Homo* est alius à Patre; dici etiam possit, vt *Homo* est aliud à Patre. Resp. affirmatiuè: quia cum nota reduplicatiua *Vt* in hâc propositione distinguat in Christo Hominem à Deo non potest pronomen *aliud* cadere, nisi supra naturam humanam, ratione cuius est aliud à Patre.

90. Coroll. 2. Ratio prioris. Ratio posterioris. Resp.

91. Coroll. 3. Deduces 3. Veras esse has: *In Christo sunt plura: In Christo non sunt plures*: nam priora nomina referuntur ad naturas, posteriora verò ad suppositum. Verùm etsi dici possit, *In Christo sunt plura, vel duo* neutrius generis: nullo tamen pacto dici potest, *Christus est duo, vel plura*. nam priori in propos. non excluditur vnio duarum naturarum cum aliquo tertio: quæ vnio importatur per τὸ *In Christo*. In posteriori verò talis vnio excluditur, cùm in eâ non importetur aliquod tertium, in quo illa plura, quæ de Christo enunciantur, vniantur. Pari modo verè dici potest: *In Deo sunt plures*, non *Deus est plures*: quia in priori denotatur identitas plurium personarum in vno tertio, quæ non importatur in posteriori propositione.

92. Coroll. 4. 4. Falsas esse has: *Christus vt homo est filius adoptiuus Dei, seruus, homo dominicus*. Ratio: cùm hæc nomina, *Filius adoptiuus, seruus, homo dominicus*, sint masculini generis supponentia pro supposito non possunt de Christo neque cum notâ reduplicatiuâ *vt homine* prædicari. Quod fuit fundamentum, cur Concilium Francofordiense absolutè negauerit, Christum dici posse filium adoptiuum, aut seruum, etiam vt homo est: quia vel, *vt homo* reduplicat etiam suppositum, & illud dici non potest filius adoptiuus, aut seruus vt ex *disput*. constat: vel solam humanitatem, & de illâ vt distinctâ à supposito non possunt prædicari hæc nomina, quæ important suppositum.

93. Homo dominicus. Cur autem nec *Homo dominicus* dici possit, rationem assignat *S. Thom. 3. part. quæst. 16. artic. 3.* quia nullum nomen quod substantiuè & essentialiter prædicatur de Christo, de eodem adiectiuè seu denominatiuè prædicari potest. At hoc nomen *Dominus*, substantiuè & essentialiter prædicatur de Christo: ergo non poterit de eodem denominatiuè seu adiectiuè prædicari. Vnde August. qui aliquando hanc propos. *Christus est homo dominicus*, concessit, posteà illam retractauit *lib. 1. Retractat. cap. 19.* his verbis: *Sed non video vtrùm rectè dicatur, Homo dominicus, qui est Mediator Dei & hominum, homo Christus* IESVS, *cùm sit vtique dominus. Dominicus autem homo quis in eius sanctâ familia non potest dici. Et hoc quidem, vt dicerem, apud quosdam legi tractatores Catholicos diuinorum eloquiorum. Sed vbicumque hoc dixi, dixisse me nollem. Postea quippe vidi, non esse dicendum: quamuis nonnulla possit ratione defendi.* Cæterùm hæc regula à *S. Thom.* assignata, *vt suprà*, non est vniuersalis. Vnde maximè consulendus est vsus.

94. Coroll. 5. Deduces 5. Veram esse hanc: *Christus vt homo, adorat seipsum, vt Deum*: imò absolutè sine reduplicatione admittit hanc propos. *Christus est adorans & adorandus* Concilium *Ephes. part. 3. cap. 21.* quia in hâc propositione solùm importatur distinctio naturarum, adorantis, & adorandæ. Vti etiam *suprà* concessi has proposit. *Christus vt ho[...] sibi subiectus, vt Deo, & minor seipso vt Deo.* Quin etiam secundùm proprietatem locutionis dici posset, *Christus sibi ipsi subiectus*: sicut dicitur seipsum adorare, sibique præcipere & obedire. Nam in his tantùm importatur distinctio naturarum. Ratio.

95. Notandum. Cæterùm notat *S. Thom. 3. part. qu. 20. articul. 2.* omnia nomina, quæ important proprietates naturæ diuinæ, posse simpliciter, & absque addito de Christo prædicari, non omnia nomina, quæ important proprietates naturæ humanæ. Nam quædam sunt, quæ nullo modo prædicari possunt, vt quæ important distinctionem suppositorum, vel imperfectionem, quæ cum natura humanâ vnitâ Verbo non manent, vt esse seruum, peccabilem, &c. Quædam sunt, quæ licet in rigore possint, ad periculum tamen erroris euitandum sine addito prædicari non debent.

96. 9. Regula. IX. Nomina masculini generis integrè & totaliter enunciari possunt de singulis partibus essentialibus humanitatis Christi, etiam seiunctis ac separatis: non integrè & totaliter possunt de illis enunciari nomina neutrius generis. colligitur ex *Magistro in 3. dist. 22. Alensis 3 part. qu. 19. membro 5. Alberto in 3. distinct. 22. artic. 3. Bonauentura ibid. dub. 3. S. Thom. quæst. 1. art. 2. ad 5. & 3. part. quæst. 52. artic. 3. ad 1. Medin. ibidem, Capreol. in 3. distinct. 22. quæst. vnicâ conclus. 4. & vlt. & art. 3. ad 2. cont. 4. conclus. Marsil. in 3. qu. 13. art. 2.* qui omnes concedunt has propos. *Totus Christus fuit in sepulchro, Totus Christus descendit ad inferos.* Contrà verò docent, has esse falsas: *Totum fuit in sepulchro: Totum descendit ad inferos.* Quem modum loquendi citati Scholastici fundant in authoritate *Damascen. lib. 3. Fidei cap. 7.* fine: *Totus est Deus perfectus, sed non totum Deus: nam non solùm Deus, sed & homo. & totus homo perfectus, non totum autem homo: non solùm enim homo, sed & Deus.* Rationem autem huius modi loquendi cum eodem Damasceno assignant citati authores: *Nam totum*, inquit *ibidem* Damascenus, *est natura repræsentatiuum; totus autem hypostaseos.* Vnde nullus hactenus ex Scholast. hunc loquendi modū ausus est impugnare, quidquid audeant Rec. Totus & totum differunt.

97. 10. Regula. X. Nomina, quæ important actum prædestinationis, aut prædefinitionis, vel filij Dei ad esse hominis, vel hominis ad esse filij Dei, vel vtriusque ad aliquod munus, possunt tam de filio Dei, quàm de homine Christo prædicari, vt *filius Dei prædestinatus est, vt esset homo. Hic homo prædestinatus est. vt esset filius Dei. Filius Dei, vel hic homo prædestinatus est,*

vt esset

vt esset hominum redemptor, mediator, summus sacerdos. Fundament. Quicquid prædicatur de filio Dei, vel de homine Christo in tempore, fuit ab æterno prædefinitum, prædestinatumve: Etenim teste *Augustino libro de prædestinatione cap.* 10. gratia in in hoc à prædestinatione discriminatur, quòd prædestinatio est beneficij præparatio, gratia est ipsa temporalis beneficij collatio: sed in tempore filius Dei factus est hic homo, & homini collatum est hoc beneficiũ, vt esset filius Dei; & tã filius Dei, quàm hic homo factus est hominum redemptor, mediator, summus Sacerdos: ergo hæc ipsa fuerunt ab æterno prædestinata, sed quicquid fuit de filio Dei, vel de hoc homine prædestinatum, prædefinitumve, potest de filio Dei, & de hoc homine prædicari. tum quia Patres & Scholastici admittunt cum *Paulo ad Rom.* 1. hanc prædicat. *Christus prædestinatus est filius Dei.* Vnde August. *de prædestinat. cap.* 15. *Sicut ergo,* inquit, *prædestinatus est ille vnus vt caput nostrum esset, ita multi prædestinati sumus, vt membra eius essemus.* Anselm. in *cit. loc. Pauli*: *Quoniam,* inquit, *Deus ab æterno prædestinauit, vt Verbum eius caro fieret.* Tum quia de quo prædicari potest res prædestinata, prædicari potest prædestinatio; sed de filio Dei prędicatur, quòd sit factus homo; vti de hoc homine, quòd acquisiuerit esse Dei: ergo de eodẽ prædicari poterit, quòd sit prædestinatus vt esset homo, vel de hoc homine, vt esset filius Dei. Maior probat. circa idem versatur prædestinatio, & executio ipsa Dei, quia quod est terminus executionis, est obiectum prædestinationis: ergo de quo prædicatur terminus executionis, prædicabitur actus prædestinationis.

Fundam. Regula.

Christus prædestinatus filius Dei.

98. Ex his infertur 1. Dici non posse humanitatem, sed hominem fuisse prædestinatum, vt esset filius Dei. nam homo, non humanitas est capax denominationis filij, qui necessariò aliquod connotat suppositum: dici tamen potest humanitas prædestinata ad visionem Dei, sicut & ad gratiam, gloriam, cæteraque spiritualia dona, ex August. *cit. Prædestinata est ista natura humana tanta & tam celsa & summa subuectio, vt quò attolleretur, altiùs non haberet.* Consimili ratione dici potest, prædestinatus CHRISTVS IESVS, quod idem *ibid.* docuit August. *Prædestinatus est,* inquit, *Iesus, vt qui futurus erat secundùm carnem filius Dauid, esset tamen in virtute filius Dei.* 2. Dici

Coroll. 1.

99. non posse, *Christus est prædestinatus, vt esset filius Dei*; dici posse, *Christus est prædestinatus, vt esset homo.* Christus enim positus pro subiecto supponitur pro supposito filij Dei; at filius Dei non est prædestinatus, vt esset filius Dei, cùm id naturâ suâ habeat, non prædestinatione, at cùm filius Dei naturâ suâ non habeat, vt sit homo, potest dici prædestinatus, vt esset homo.

Coroll. 2.

100. *Obijcies* 1. In obiecto prædestinationis, subiectum, quod prædestinatur, distingui debet à fine, ad quem prædestinatur: nemo enim prædestinatur ad id, quod ante prædestinationem supponitur habere, sed in hac propos. *Hic homo est prædestinatus, vt esset filius Dei, Hic homo,* quod est subiectum prædestinationis, non distinguitur à filio Dei, qui finis est prædestinationis. Distinguo minor. *Hic homo,* includit suppositum determinatè, nego; vagè, concedo: at hoc satis est, vt quod concipitur indifferens ad suppositum creatum, vel increatum prædestinetur ad suppositum increatum.

Dices.

Resp.

101. *Obijcies* 2. prædestinatio importat aliquam gratiam respectu prædestinati; prædestinatur enim ad aliquod donum indebitum naturæ, sed nulla gratia fieri potest filio Dei: ergo nequit filius Dei prædestinari ad aliquod esse, Nego maior. nam secundùm Patres prædestinatio non solùm dicitur de electis in ordine ad gratiam, sed etiam de reprobis in ordine ad pœnam. Vnde Concilium *Arausic. II. Can.* 25. & *Valent. sub Leone IV. contra prædestinationes,* destinationem ad pœnam vocant *prædestinationem*: igitur non semper prædestinatio importat gratiam respectu prædestinandi, sed solam prædefinitionem ad aliquem finem.

Dices.

Resp.

102. Incarnationis opus verbis August. *de bono perseuerant. fine* concludam: *Qui legunt hæc, si intelligant, agant Deo gratias, qui autem non intelligunt, orent, vt eorum ille sit Doctor interior, à cuius facie est scientia & intellectus. Qui verò errare me existimant, etiam atque etiam diligenter, quæ sunt dicta, considerent, ne fortassis ipsi errent. Ego autem, cùm per eos, qui meos labores legunt, non solùm doctior, verùm etiam emendatior fio, propitium mihi Deum agnosco, & hoc per Ecclesiæ Doctores maximè expecto, si & in ipsorum manus venit, dignenturq́; nosse, quod scribo.*

Conclusio operis.

F I N I S.



INDEX LOCVPLETISSIMVS

OMNIVM, QVÆ IN HOC VI. TOMO CONTINENTVR.

Prior numerus Disputationem, posterior, vel qui solus est, eiusdem Disputationis numeros, in quos vnaquæque Disputatio à principio ad finem vsque partita est, designat.

Circum-

Quod

Identitas. Ignorantia. Immensitas.

Impeccabilitas. Incarnatio. &c.

Nec

Malum. Malitia.

B. V. Maria. Martyr.

Mater. Materia.

Mediator. Medium.

Mereri. Meritum. Meritorium.

Pactum.

Pœna. Potentia.

Potestas.

Subsistentia. Substantia,

Suppositum. Sustentare.

Tentatio.

Vocatio. Voluntas.



Ad Maiorem Dei, Deiparæque Virginis Mariæ gloriam & honorem.





